MICHAELIS
OPERA
1688

LANGII C.
MISCELLANEA
1688



16/ 6
IX. 62875/B

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark
1) MICHAELIS, J.
2) LANGE, C.


CHRISTIANI
LANGII. P. & M.D.
OPERA
quæ extant
OMNIA
FRANCOFURTI
Sumpt. GEORG. HEINR. ŒHRLINGII.
M DC XXCVIII.
H. Boſs del:
E. N. fc.

CHRISTIANI LANGII,

Phil. & Med. D. & in Univerſit. Electorali Lipſienſi Prof.
Publ. Facult. Med. Senioris, Colleg. Maj. Princip.
Colleg. & Decem-Viri,
Chimiatri & Practici longè Celeberrimi,
nunc B.

OPERA OMNIA,

Tàm olim ſparſim edita, quàm ἀνέκδοτα,
Quorum ſeries ſuo quæque loco videre eſt:
Nunc uno Volumine edita,
Cum
PRÆFATIONE
D. GEORGII FRANCI,
In Electorali Heidelberg. Univerſit. Med. Prof. Primar.
ac Pro-Cancellar. aliquot S.R.I. ELECTORUM & PRINCIPP.
Conſiliarii & Archiatri.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Sumptibus GEORGII HENRICI OEHRLINGII, Bibliopolæ.
M DC XXCVIII.

B. C. D.

LECTORI BENIVOLO
S. P. D.
GEORGIUS FRANCUS.

CUm *Macrocoſmo* olim per analogiam inſtitutam fuiſſe comparationem, eique aſſimilatum alium *Microcoſmum*, HOMINEM puta, notiùs eſt, quàm quod multis repetam, quippe & lippi & tonſores in ore circumferunt; adeoque ſi cuiquam res paulo videatur obſcurior, lucem ſibi fœneratam habebit apud Viros ingenioſiſſimos RaMBaM in More Nevochim part. 1. cap. LXXII. per tot. BAPTIST. MANTUANUM lib. 2. Silvar. ANTON. VALETIUM Exerc. LX. ad Hollerii lib. 1. de Morbb. intern. c. 60. ANDR. CÆSALPINUM in Speculo Artis Med. Hippocratico l. 1. c. 1. p. m. 1. ſeq. JOH. FIENUM l. de Flatib. cap. 1. p. m. 4. & c. 2. p. m. 8. TH. MUFFETUM in Dedic. tr. de Jure & Præſtantia Chimicorum Medicament. p. m. 5. ſeq. CASP. BAUHINUM in princip. Anatom. AUCTOR. ANONYMUM Enchirid. Phyſic. Reſtitutæ Canon. CLX. ſeq. Celeberr. JOH. TACKIUM, Fautorem & Amicum olim conjunctiſſimum, in Myſterio Reſurrectionis, ac Famigeratiſſimum Dn. JOH. DAN. HORSTIUM, Fautorem itidem noſtrum & Compatrem longè honoratiſſ. in Orat. Panegyr. Promotionis Medicæ ap. eund. D. D. JOH. TACKIUM in Academ. Gieſſena Reſtaurata p. m. 106. &c.

Sicuti autem in *Macrocoſmo* ſemper aliquid novi, ita ut planè Novus etiam priori dicatur adjectus & inventus ORBIS, idemque ampliſſimus Anno à Chriſto nato MCCCCXCII (alii MCCCCXIII.) à CHRI-

ſtophoro Columbo, *Genuenſi*, & ab Americo Vesputio, *Florentino*, mccccxcviii. à quo poſteriore & nomen Americæ obtinuit, ita ut dividatur etiam in *Septentrionalem & Meridionalem*. Conf. Hugon. Grotium Diſquiſit. de Gentium Americanar. Origine, & ad hunc Notas Joh. de Laet. *Borealem* tamen partem verſus *Grænlandiam*, *Islandiam* & *Finlandiam* caſu à piſcatoribus *Hollandis* inventam, & oblivioni traditam, coli verò rurſus cœptam eſſe A. C. mcccxc. ex Ortelio in Theatr. refert Celeberr. Dn. Joh. Jac. Hofmann, Polyhiſtor illuſtris, & Amicus cariſſimus in Lexic. Univerſal. Tom. 2. f. m. 63. b. Tamen ſunt qui jam olim eundem fuiſſe notum aſſerunt, voluntque evincere è Platon. Timæo tom. 3. f. 24. Turneb. l. 20. Adverſar. c. 11. Pamelio Comm. ad Tertull. de Pall. cap. 2. n. 25. & Apologet. cap. 40. n. 528. Et videtur Seneca, Cothurni Tragici gloria, vaticinatus de retegendo iſto Novo Orbe his verbis in Medea v. 374. ſeqq. — — — Venient annis

Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes, nec ſit terris
Ultima Thule!

Apud Joh. Wolfium in Centen. I. Rerum Memorabil. f. m. 18. Pari ratione etiam in *Microcoſmo* Eruditorum ſagacitas & ſedulitas ſemper aliquid adinvenit novi, nec ulli nato poſt mille ſecula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi, ita augurante Seneca Philoſopho Epiſt. lxiv. Hinc & ipſe Artis Pœoniæ Conditor Hippocrates l. de veteri Medicina t. 3. p. m. 15. (Edit. Linden. 1665.) ait: Ἰητρικῇ δὲ πάντα πάλαι ὑπάρχει, καὶ ἀρχὴ καὶ ὁδὸς εὑρημένη, καθ᾽ ἣν καὶ τὰ εὑρημένα πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα εὕρηται, ἐν πολλῷ χρόνῳ. Καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τε ὢν, καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς, ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητέῃ. Id eſt: Medicina autem jam ab antiquo exiſtit, & principium & via inventa, per quam inventa & multa & probè habentia comperta ſunt; per multum adeò tempus & reliqua deinceps invenientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat.

In ſcenam prodeat περικύκλωσις ſive παλινδρομία ſanguinis, Succi illius genialis in corpore noſtro, quam fauſtiſſimo omine in majus Artis ſanctæ incrementum hoc demum ſeculo, & quidem anno XXIIX publici juris fecit immortalis GVILIELMUS HARVEIUS, *Anglus*, vir ſupra laudem poſitus, Conf. RENAT. des CARTES ap. JOH. BEVEROVIC. Epiſt. Quæſt. p. m. 119. ATHAN. KIRCHERUM l. 5. Mundi ſubterr. c. 3. f. m. 24. JOH. RIOLAN. de Circulat. Sangv. c. 1. p. m. 20. ſeq. FRANCISC. de le Boë SYLVIUM Diſp. Med. 3. §. 15. G. H. VELSCH. de Ægagropil. Diſſ. 1. p. m. 42. JOH. ALB. HUSWEDEL apud GEORG. SEGER. Epiſt. 5. de Lympha Bartholin. p. m. 52. CHARLETON. Oecon. Animal. Exerc. 3. §. 10. p. m. 37. AUCTOR. Auctarii vitæ Hobbianæ p. m. 44. Carolopoli 1681. in 12. MOEBIUM in Fundam. Phyſiol. c. 1. p. m. 11. WALÆUM in Epiſt. de Chyli mot. ALEX. MAUROCORDAT. in Pneumat. Circul. Sangv. Inſtrum. c. 2. p. m. 25. & c. 5. p. m. 35. ZACH. SYLVIUM præfat. in Harveji de Motu Cord. KERCKRING. in proœm. Obss. RICHARD. LOVVER. tr. de Corde in præfat. SLEGEL. tr. pecul. cap. 2. p. m. 7. P. I. SACHSIUM in Oceano Macro-Microcosm. §. 5. STEPH. BLANCARD. in Anat. Reform. cap. 2. p. m. 23. &c.

Non deſunt tamen qui benemeritiſſimo Viro gloriam invideant, palmamque aliis tradant ante ipſum. Sic CÆSAREM CREMONINUM, Præſtantiſſimum Philoſophum l. de Principatu membrorum ſubodoratum fuiſſe ſanguinis venoſi per cor traductionem in aortam & reliquas arterias, ut vitalis fieret ad nutritionem, ſcribit J. RIOLAN. l. de Circul. Sangv. cap. 3. p. m. 24. *ſed reverſionem iſtam ſanguinis ad Cor* (pergit,) *ſubticuit*, (quod tamen ego non credo, bene autem quod ſequitur) *vel ignoravit.*

ANDREÆ CÆSALPINO, Medico Aretino, & Piſani Athenæi decori in Quæſt. Peripatet. l. V. Qu. 4. inventum hoc adſcribit JOH. NARDIUS, Nocte Geniali IV. p. m. 274. ſeq. & Nocte X. qu. 1. p. m. 712. ſeq. Conf. quoque J. RIOLAN. l. a. cap. 3. p. m. 24. MAUROCORDAT. tr. citat. cap. 5. p. m. 35. & JANUM LEONICENUM (uti ſe vocat:) in Metamorph. Æſculap. & Apoll. p. m. 74.

PAULLO SARPÆ vero, Monacho Servitæ Veneto (vulgò *Frà Paolo*) tribuit, huncque anſam HARVEIO dediſſe ſcribit JOH. WA-

LÆUS in Epiſt.1. de Motu Chyli p.m.775. ap. TH. BARTHOLIN. A.R. & SLEGEL. l.c. Item BARTHOLIN. Cent.1. Epiſt. 26. in fine p. m. 115. ex relatione VESLINGII, ac JANUS LEONICENUS l.a. Quod tamen rectè refutat CL. J. RIOLAN. in not. ad. Walæi Epiſt. p.613. ap. SLEGEL l.d. conſentientem. Adde HOBOKEN. in Epiſt. ad Th.Bartholin. p.m.96.

Poſſet etiam fieri conjectura, JOH. FIENUM lib. de Flatibus cap. 2. p.m.8. illam indigitaſſe, ſiquidem Hominem Microcoſmum comparat cum Macrocoſmo, & inter alia ita ait: *Fluxus* denique & *Refluxus* humorum in ſuis alveis, venis & arteriis conſpiciuntur.

GABRIEL. FALLOPIUM magnum cetera Anatomicum alii ſubſtituunt, uti MAUROCORDAT. tr. Pneumat. Inſtrum. Circul. Sanguin. cap. V. p.m.35.

Nonnulli hanc Sanguinis periodum adſcribunt longè antiquioribus, uti DIOGENI APOLLONIATÆ apud ARISTOTELEM in J. WALÆI Epiſt.1. de Chyli motu ad TH. BARTHOLIN. p. m. 774. & MAUROCORD. l.a. vel ERASISTRATO, uti JOH. NARDIUS in Nocte Gen. IV. p. m. 273. Adde J. RIOLAN. de Circul. Sangv. c.3. p.m.27. vel POLYBO, MAUROCORDAT. l.a. Vel NEMESIO l.d. Natura Hominis, ceu AUCTOR in præfat. qui ejus Editionem Latino-Græcam Oxonii procuravit ap. TH. J. ab ALMELOVEN in Invent. Nov. Antiq. §.28. p.m.233. Vel ARISTOTELI in l. de Somno & l. de Juventute ap. RIOLAN. l.c. p.m.25. MAUROCORDAT. l. a. FORTUN. LICETUS apud TH. BARTHOLINUM Cent.1. Epiſt.26. JOH. WALÆUS Epiſt. 1. de Chyli motu p.m.774. Vel PLATONI, ſcil. in Timæo, J. WALÆUS l.a. MAUROCORDAT. l. a. p. m. 35. & J. RIOLAN. l.c. Vel EMPEDOCLI, ceu ex ARISTOTELE allegat J. RIOLAN. l.a. p.m.25. Vel ipſi denique HIPPOCRATI l. de Alimento, l. de Carnib. l. de Natura Oſſium, l. 4. de diæta Acut. l. de Morbo ſacro, l. VI. Epidem. l. 1. de Morbb. l. de Inſomniis, l.1. de Diæta. l.3. de Articulis. Conf. J. WALÆUM Epiſt.1. de Chyli motu ad Th. Bartholin. A. R. p.m. 773. ſeq. TH. JANSSON. ab ALMELOVEN in Inventis Nov. Antiquis p.m.226. ſeq. Conf. JANUM LEONICENUM in Metamorph. Æſcul. & Apoll. p.m.74. maximè JOH. NARDIUM Nocte Geneal. IV. p.m.273. RIOLAN. l.a. p.m.25. ſeq. Vel AUCTORI *Libri de Corde* (quem alii HIPPOCRATI adſcribunt) ap. eund. RIOLAN. l. de Circul. Sangv. c.3. p.m.25.

Immò fuit, qui voluit hanc probare ex ECCLESIASTE cap. XII. & ita SALOMONEM Regum Sapientiſſimum noviſſe apud NICOL. HOBOKENUM Epiſt. ad TH. BARTHOLIN. p. m. 94. Ille enim SALOMONIS ænigmaticum Senectutis & Mortis inſtantis ſymbolum ita explicabat: ut per *Hydriam*, venam cavam; & per *Scaturiginem*, ſcatebram ſeu fontem, Arteriam magnam ad venam cavam conſtitutam; & per *Ciſternam* ſeu puteum Cor, Sanguinis Spirituumque vitalium culinam & promptuarium, puteo non diſſimile, intelligi vellet: Et denique per הגלגל (ſive τὸν τροχὸν LXX. INTERPP. cum Hebræis *rotam* ſignificat, à גלל, volvit, convolvit:) Circulationi rotationive inſervientes, tùm arterias à corde ſanguinem ad partes alendas propellentes, tùm venas ab iisdem ad cor revehentes.

Sunt & plurima alia nova maximè in PHYSIOLOGIA & ANATOMIA, de quibus fuſius egimus pecul. tr. BONA NOVA ANATOMICA inſcripto ante hos VIII. annos, ſcil. MDCLXXX. edito.

Verum pleraque hæc nova, niſi omnia Clariſſimus & Eruditiſſimus Dn. THEODORUS JANSSONIUS ab ALMELOVEN in Inventis Nov-Antiquis ſuis conatur Veteribus vindicare, dum oſtendit, (utar per compendium verbis accuratiſſimorum Dnn. COLLECT. in Actis Eruditorum Lipſienſ. Opere revera & nitidiſſimo & utiliſſimo A. 1684. p. m. 557.) haut latuiſſe ſubſtantiam teſtium virilium tubuloſam THEOPHILUM: Ovaria Mulierũ HIPPOCRATEM, ARISTOTELEM, MACROBIUM & VESALIUM; Tubas Fallopianas uterinas RUFFUM EPHESIUM: *Ductus ſalivales* à palatinis ac faucium glandulis oriundos, unà cum ſuperioribus *Stenonianis* eruit ex GALENO, perinde ac inferiores Whartonianos ex AVICENNA & ALSABARAVO. *De Glandulis Stomachicis*, fibris circularibus ac longitudinalibus ventriculi & inteſtinorum, WILLISIO hucusque adſcriptis, *Ductu Pancreatico* WIRSUNGII; *Glandulis Inteſtinalibus* PEYERI; *Motu Inteſtinorum Periſtaltico, vaſisque Lacteis* ASELLII, citat GALENUM, de *Fermento* verò *Ventriculi* HIPPOCRATEM, de *Fermentatione Ciborum* ope ſalivæ AVICENNAM, de *Fermentatione Chyli* per bilis & ſucci pancreatici affuſionem, NEMESIUM. Ulterius, HIERONYMUM FABRICIUM Valvulas conniventes inteſtinorum ante KERCKRINGIUM, & BARTHOL. EUSTA-

chium ductum Thoracicum Peceveti accuratiſſimè deſcripſiſſe refert. Et ne forſan tantillum Neotericis remaneat gloriæ, Harvei quoque de Circulatione ſanguinis inventum Hippocrati, Nemesio, Andr. Cæsalpino, Paulo Servitæ, pulſumque aëris in reſpiratione Platoni innotuiſſe affirmat.

Idem fatum poſſet etiam reperire PATHOLOGIA ANIMATA, Celeberrimi Noſtri Dn. D. Christiani LANGII, quam ardentiſſimo deſiderio hactenus Orbis eruditus præſtolatus eſt, una cum reliquis cedro digniſſimis ejusdem Viri Ingenioſiſſimi ſcriptis, quæ hac vice Vir *Præſtantiſſimus atque Integerrimus* Dn. Georgius Heinricus Öhrling, Bibliopola Francofurti ad Mœnum percelebris uno Volumine ſuis ſumtibus pro bono Reip. Medicæ in dias luminis auras producit. Nimirum Solertiſſimus Vir præmiſit jam olim loco Prodromi Diſput. quandam de Morbillis, quam ſub ejus umbone defendit Cl. Dn. M. Joh. Centurio Macasius, A. C. 1660. d. 13. April. in qua docet pleroſque & tantum non omnes morbos malignos aliosque ex animata ſeu verminoſa putredine oriri, quam vivam quoque Mortis Imaginem appellare lubuit, una cum συνεργῷ Dn. Augusto Hauptmanno, Dreſdenſi, ſagaciſſimæ felicitatis & excellentiſſimi nominis Chimiatro in Tr. de viva Mortis Imagine, Francof. 1650. in 8. & de Thermis Wolckenſteinenſibus, ſimulque cum maximi laboris & ingenii indefeſſo & celeberrimo Viro Dn. Athanasio Kirchero è Soc. JESU; quibus præluxit acutiſſimus Chimicus & Medicus Gallus, Petrus Johannes Faber, Caſtrinovidarenſis, Medicus Monſpelienſis in Pathologia ſua.

Videlicet elegantiſſimus quoque ac ſagaciſſimus noſter LANGIUS §. 55 laudatæ Diſputationis confirmat Morbillos eſſe animatam, ac innumerorum minutiſſimorumque, vel atomorum ad inſtar inſenſibilium vermiculorum pullulaginem; (quod beneficio microſcopii confirmat Kircherus in Scrutinio Peſtis:) hos vermiculos ſeu verminoſas potius atomos ſtatuit §. 69. ſine dubio inſtructas acutiſſimis roſtellis, ac multipedas inſimul eſſe, ut ad cutaneas oras, cutisq; ſpiracula perductæ, nutrimentum ſuum deſiderantes continuæ morſitent ac pungant, pedumque ſuorum conſimili-

militer acuminatis quaſi filamentis ac cuſpidibus locum affectum moleſtius titillare ac lancinare incipiant &c.

Nec nebulam heic pro Junone quispiam amplectetur, ſiquidem qua antiquis, qua recentioribus conſtat hiſtoriis VERMES, tàm in variis corporis humani (de hoc ſolo jam brevitati ſtudentes agamus) partibus, quàm diverſis ejusdem Morbis fuiſſe inventos & adnotatos, de quibus ne actum agamus, evolvantur quamplurima teſtimonia coacervata a viro laborioſo & curioſo admodum celeberrimoque Dn. D. CHRISTIANO FRANCISCO PAULLINI, Fautore, Amico & Collega noſtro longe ſuaviſſimo in Cynographia vere curioſa Sect. IV. cap. 6. ſeqq. p. m. 177. ſeqq. Dn. D. JOH. GOTFR. ZEISIO, nunc b. m. in Diſp. Inaug. de *Phthiriaſi*, heic Heidelbergæ me præſide habita 1678. Quibus ſparſim plura exempla poſſunt addi ex GVIL. PISONE l. 2. de Medicina Braſil. c. 22. f. m. 38. ap. PAUL. CASATUM tr. Phyſ. de Igne diſſ. V. p. m. 110. ſeq. ubi notabilem allegat locum ex M. VARRON. l. 1. de Re Ruſt. c. 12. Meritiſſim. ETTMULLER. Comm. in Schröderi Pharmacop. voce *Acetum* & *Sabina* it. in Phyſiol. ſua cap. VI. §. 6. PHILOTH. ELIAN. MONTALTO, Luſitano de Capitis aff. in Indice. NICOL. de BLEGNY in Zodiac. Med. Gall. paſſim. SENNERT. l. 1. Prax. Med. p. 1. c. 38. MOEB. in Fundam. Phyſiol. c. 11. p. 223. c. 12. p. 283. c. 14. p. 321. 349. c. 15. p. 372. c. 17. p. 441. c. 18. p. 458. c. 21. p. 603. ſeq. JOH. MANARD. l. 7. Epiſt. med. 2. per tot. p. m. 159. ſeqq. & nos olim, ratione Colicæ, Diſp. pecul. cap. XI. p. 18. Argentorati A. C. 1665. Maximè verò conſulatur acutiſſimus, omnique Argo oculatior Nobil. Dn. ANTON. à LEEVVENHOEK in Anatomia rerum cùm animatarum, tùm inanimatarum ope microſcopiorum, Edit. Lugd. Bat. 1687. in 4. ap. CORN. BOUTESTEYN. Quamvis quoque non deſint quibus hæc doctrina non ſit ad palatum uti nuperrimè quoque Excell. atque Nobiliſſ. Dn. D. MARCO MAPPO, Prof. Primar. & Archiatro Argentoratenſi Celeberr. Fautori & Amico noſtro honoratiſſimo in Diſp. pecul. de *Morbillis* §. 31. Argentor. 1689.

Plurimam porrò gratiam à curioſis Philiatris inivit Laudatiſſimus noſter Dn. LANGIUS in *Miſcellaneis* ſuis *Curioſis*, reliquisque lucernam olentibus exaſciatiſſimis diſſertationibus & tractatibus,

 quos

quos omnes heic tanquam in Theatro curioſo productos vides, LECTOR HONORATISSIME; adeoque Beatiſſimis VIRI OPTIMI Manibus Te obſtrictum ingenuè fateberis. Et ne neſcias, quæ vita Viri de Bono publico optimè meriti fuerit, eandem tàm ex Programmate funebri, Magnifici Dn. RECTORIS Illuſtriſſimæ Univerſitatis Electoralis Lipſienſis, (quod in Memoriis Medicorum noſtri ſeculi Clariſſimorum, Decade 2. p. m. 215. ſeqq. repetit Clariſſim. M. HENNINGUS WITTEN;) quàm ex Perſonalibus, (uti vulgò audiunt,) Concioni funebri ſubnexis, lit. E. & F. ut & ex Nobiliſſ. & Excell. Dn. D. G. A. MERCKLINI Lindenio Renovato, Opere utiliſſimo, p. m. 169. ſeq. huc transferemus. Natus nempe eſt Vir Famigeratiſſimus Luccaviæ in Miſnia propè Altenburgum, VII. Idus Maji CIƆ IƆC. XIX. Patre viro maximè Reverendo, Magnifico, Ampliſſ. & Excell. Dn. Chriſtiano LANGIO, SS. Theol. D. & Profeſſ. P. Primar. in Acad. Lipſ. Facult. Theol. & Nationis Miſnicæ Seniore, Eccleſiæ Cathedral. ingen. Miſnenſis Decano, Collegii Maj. Principp. Collegiato, Academ. X. Viro, Conſiſt. Eccleſ. Aſſeſſore, ad D. Thomæ Paſtore, Eccleſiæ Lipſienſis & Vicinarum Superintendente, de Collegiis omnibus, quorum pars fuit, meritiſſimo; Matre vero ſui ſexus ornamento & integritatis exemplari amuſſitato CATHARINA, Plur. Rever. Clar. & Excell. Dn. M. JOH. FEILERI, Paſt. & Superint. Pegav. Filia, præmaturè defuncta d. 27. Nov. 1624. A teneris Pietati, Virtuti & literis conſecratus, uſus in Trivio Præceptore Clariſſ. Dn. M. TOBIA PETERMANNO, Rectore Pirnenſi poſtea, nec non Præcell. Dn. M. HIERONYM. RECKLEBEN, tandem Univerſ. Lipſ. Organi Ariſtotel. P. P. Clariſſ. tantasque ſub his & in patria Academia acquiſivit vires, ut A. C. 1636. ætatis verò ſuæ XVII. primitias in Philoſophia dignitates adipiſceretur; & A. C. 1638. gradum Magiſterii. Wittebergam dein abiit, nobiliſſimum illud Muſarum emporium, habuitque Præceptores Dn. M. MARTIN. CASELIUM, t. t. Fac. Phil. Adj. deinceps S. S. Theol. D. & Superint. General. Altenburg. nec non Illuſtrem AUGUST. BUCHNERUM, & Clariſſimum JOH. SPERLINGIUM. Ibid. à D. ANTONIO CRÖSIO, Chimiatro Celeberr. cujus σύσιτος fuit, amorem Chimiæ hauſit, & cum AUGUST. HAUPTMANNO, ſagaciſſimi ingenii Viro atque Contubernali eandem

dem

dem colere cœpit, maximè autem ſub Celeberr. Dn. D. Joh. Michaelis, Profeſſore & Archiatro ſummorum meritorum. Itinera inſtituit, & per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Auſtriam*, *Stiriam ac Carinthiam* abiit *Venetias* & *Patavium*, ubi fruebatur alloquio SYLVATICI, SALÆ tàm Senioris, quàm Junioris, MANARDI, MARCHETTI, VESLINGII & FRIGIMELICÆ, ac à Natione Germ. Artiſtarum M. Decemb. 1640. Procurator electus, clavesque ipſi theſauri Nationis traditæ. Seq. anni M. Febr. *Nat. Germ.* Bibliothecarius factus, & *Bohemicæ* Conſiliarius, ſtrenuam impendit operam in regimine & rebus, tàm dictam Nationem ejusque ſalutem concernentibus, quam Artiſtarum Univerſitatem tangentibus, abſentibus vel *Nationis Germanicæ* Conſiliario, vel Univerſitatis Pro-Rectore, vices eorum ſuſtinuit, & aliquoties unà cum aliis Conſiliariis Univerſitatis *Venetias* miſſus eſt ad *Sereniſſimum Ducem* & *Excellentiſſimos Dnn. Procuratores*. Inde inviſit *Lombardiam*, & venatus eſt *Antiquitates Romanas* atque *Neapolitanas*. Poſtea conceſſit in *Gallias* & *Monſpelium* adiit, ſenſitq; favorem Consiliarii & Archiatri Gallici, ſimulque Decani Medicorum Dn. SIMEONIS CURTODI, aliorumque Celeberr. Virorum. Inde commigravit in *Angliam*, *Flandriam*, *Brabantiam*, *Hollandiam* &c. donec moribus & arte maximè cultus domum rediit. Habita Diſp. de *Vertigine* fit Baccalaureus Medic. A.C. 1640. Dein A.C. 1643. præmiſſa lectione, rigoroſo examine & diſp. de Catarrhis, præſide laudatiſſimo D. D. Michaelis, publicè Licentiatus Med. creabatur, & A.C. 1644. Doctor. Dein pro Loco Diſp. de Abortu habuit, & paullo poſt Medic. in Acad. Lipſ. Prof. Ord. & quidem Phyſiol. A.C. 1647. Anatomiæ & Chirurgiæ, ubi varia exercitia habuit teſtibus Programmatibus & Auditoribus, Tandem A.C. 1654. Patholog. cui Collegiatura in Collegio Principum Majore annexa eſt. Honores varios ſuſtinuit meritiſſimo ſuo Academicos, A.C. 1655. Rector Magnificus atque Procancellarius: Compromotor A.C. 1652. & Decemvir Univerſitatis A.C. 1660. Uxorem duxit d. 13. Sept. 1654. Nobiliſſ. Annam Mariam, Excell. Dn. Pauli Macasii, Phil. & Med. D. primò Phyſici Egrani, dein Zvviccavienſis filiam. Tandem malo hypochondriaco & calculo mirè vexatus, poſt multos ſum-

moſque dolores ſenſit inflammationem internam cum ſumma virium proſtratione: obiit bene præparatus A.C. 1662. ſed ἄπαις, & ipſa Paraſceve, ſeu die Mortis Jeſu Chriſti humo traditus eſt, ætatis ſuæ Ann. XLIII. Varia ejus doctiſſima ſcripta recenſentur in MERCLINI Lindenio Renovato, LIPENII Biblioth. Real. Med. CORN. à BEUGHEM Bibliograph. Med. Phyſ. p.m.148. ſeq. & in Perſonalibus Funebrib. τῦ μακαρίτυ. Encomia Celeberrimorum Medicorum Noſtri paſſim debuccinantur, è multis ſaltim ſeqq. viros Egregios laudabo, ſuntque HERMANN. GRUBE in Præfat. tr. de Transplantat. morbb. p.m.2. B. D. ETTMULLER. in Schrödero dilucidato part. 1. Sect. 2. de Regno Veget. p.m.88.b. Cel. D. D. M. MAPPIUS Diſp. Med. de Morbillis, Reſpondente Dn. J.G. OTTONE §.30. p.m.9. Cl. PAULINI in Cynographia curioſa Sect. IV. c. 8. §. 11. p.m.187. aliique viri cordati. Tu autem, BENEVOLE LECTOR, fruere laboribus his doctiſſimis, illius cineribus benè precari, mihi verò favere perge. PP. è Muſeo Heidelberg. XXXI. Martii CIↃ IↃC LXXXVIII.

GEORGIUS FRANCUS,
Med. & Phil. D. PP. Univerſit. Pro-Cancellar.
Conſiliar. & Archiater.

APO-

APOLLINI PYTHONIO
Franco-Langiano,

Fermenta virulenter Verminantia
fel. exponenti & expellenti.

VErmibus accuſas pollutane corpora noſtra?
Fallimur, an Colubros forſitan indigitas?
Namque colubrino Malum poſtquam Improbe tabo
Tinxiſti, innumerum verminat inde malum.
Jam non conſcriptus noſtri populator & hæres
Corporis aſſiduus Vermis & Anguis erit.
Non liquidæ miſeris tutæ queis veſcimur auræ: (a)
Nec putridus tantum fert mala vermiculus:
Peſtifer incumbit quin ſerpentillus & ægro,
Mille voluminibus, cerne, cruore natat. (b)
Cum-

(a) Ath. Kirch. Tr. de Peſte aeri obverſantibus.
(b) Obſ. Fontan. Microſcop. Vermic. in ſangv.

Cumque cruore cavis mixtus, purulenta meandris
Clandeſtinus obit, toxica mille parans.
En vero Pythonii Monſtri exoptatus Apollo (c)
Perditor, in ſobolem tela parare docet.
Prima dolos laus eſt hoſtis tacitosque receſſus
Prodere: Macte: tenes: perfice victor eris.

(c) Ovid. Metamorph.

Grat.
Heilbr. 1688. *proprid. Kal. Feb.*
Platonica fide cognitus

J. M. FABER, D.
Conſil. & Archiat. Würtemberg.
Phyſ. Prim. Heilbronn.

CHRISTIANI LANGII,

Phil. & Med. D. & in Univerſit. Electoral Lipſienſi
Prof. Publ. Facult. Med. Senioris, Colleg. Maj. Princip.
Colleg. & Decem-Viri, Chimiatri & Practici
longè Celeberrimi,
nunc B.

PATHOLOGIA ANIMATA,

ſeu

ANIMADVERSIONES

in

PATHOLOGIAM SPAGIRICAM

Clariſſimi Viri

PETRI IOHANNIS FABRI,

Quibus morbos omnes ex genuinis ſuis cauſis, animata potiſſimum putredine, & verioribus hinc etiam curandi Principiis, inauditâ hactenus methodo explicat.

Opus diu deſideratum

poſt obitum dèmum

AUTORIS

Editum.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Sumptibus GEORGII HENRICI OEHRLINGII, Bibliopolæ.
MDCXXCVIII.

PRÆFATIO.

B. L. S.

QUam obligavi fidem, cum publico donarem egregiæ curioſitatis ſpecimina famigeratiſſimi quondam viri Medici Dn. D. Lange miſcellanea Medica, ejus me ſcilicet reliqua Opera Medica, quæ intra privatos adhuc delitescunt parietes, publicè editurum eſſe, illam nunc exſolvo. Voti etenim compos ſum factus; dictumque paulò ante ſcriptum illud miſcellaneorum, quo ſparſim uberioris ſuæ doctrinæ Medicæ rudimenta ſaltim tradidit, avidâ Philiatrorum manu menteque exceptum fuiſſe hodieque expeti, non ſine gaudio obſervare fuit licitum; hinc non deſtiti, ſuſpenſâ jam hederâ ipſum vel maximè vendibile vinum æſtuantibus ſecretioris hujus viri ſcientiæ ſiti mentibus propinare, plenisque quod dicitur cyathis univerſæ ſcientiæ Medicæ nectar hocce proluere. Atque illud ipſum opus hocce eſt, quod eleganti noviter ære impreſſum exhibemus, quo univerſam doctrinam pathologicam acutiſſimi Fabri, celebratiſſimi quondam in Galliâ Chymiatri non tantum reſtituit, (ob innumera enim typothetarum ſphalmata mancum ferè fuit mutilumque, multum ſanè ſibi diſſimile;) ſed nova inſuper, eaque copioſiſſimâ ac erudItiſſimâ illuſtravit acceſſione. Ut verò plenius innoteſcat Lectori benevolo, quid hoc labore præſtiterit Autor noſter, inſtituti ejus rationes paulò prolixius enarrare animus eſt. Qui in hunc usq; diem artis noſtræ fuerint progreſſus, nemini ignotum eſſe poteſt. Viginti equidem & uno ſeculis ei nil quicquam additum eſſe, multum potius detractum, eandemque per reiteratas Compilatorum rhapſodias in circulum iviſſe, ſatis duriter pronunciavit juratus Scholarum hoſtis, ex igne Philoſophus. Non tamen negandum eſt, hanc ipſam ætatem noſtram, quam non vidit cenſor ille, novis luxuriare inventis, quæ ſummo, quod dicitur, in apice artis perfectionem conſtituunt: ſi tamen retroactos annos inſpicias, antequam ſc. ignaviæ torporem veternumque excuſſit multis, (ut aureoli ſcripti Chryſogoniæ mineralis & animalis Autor loquitur:) jugi Chymiæ Culturâ

 Hel-

Helmontius, fateri neceſſe habebis, vix quidpiam contra reliquarum ſcientiarum indolem ſacræ huic arti acceſſiſſe. In antiquorum placitis quieſcere, eorundemque autoritati mancipare ſe prorſus, volupe fuit. Et quanquam ſtudioſè exercuerint cadaverum ſectiones, vix quicquam tamen lucis inde aut incrementi arti advenit. Quin veterum potius, ut ſic loquar, intemperies ad unum habuit omnes. Quanquam verò in multis, utpote in recludendis Chymicâ arte naturæ repagulis, ad eruendas medicamentorum genuinas opes deſides fuerint medentes, potiſſimum tamen in perveſtigandis genuinis morborum cauſis omnes prorſus demiſerunt induſtriæ laborumque nervos. Graviter hinc, ut alios prætercam, queſtus eſt in hujus operis ſui limine ingenioſiſſimus Faber, ſe triginta certè annorum ſpacio (his ipſis utitur verbis) cæcum omninò fuiſſe, ac licet Hippocratem Galenumque diu noctuque evolverit, multa etiam diſſecuerit cadavera, nullibi tamen cauſas efficientes ac materiales ſe morborum invenire potuiſſe focos, quos tamen, humores ſcilicet, omnibus omninò morbis ſuppoſuerunt veteres. Sic itaque in cognitione cauſarum morbi parum ſcitum eſt. Licet enim antiquiores morbos profligaverint ſæpe nonnullos cum eventu plenæ reſtitutionis, quod nec ipſe diffitetur Helmontius, caſu tamen illud plerunque factum fuiſſe videtur, remedia Græcorum ipſa (verba Helmontii ſunt in tr. de ſtudiis ſuis:) aliquot veluti experimenta juvare abſque methodo non minus dicendum eſt, quam quod eadem remedia cum methodo plerosque fallerent. Succeſſu etiam temporis, cum Paracelſi diebus præſtantiora morborum remedia ex naturæ receſſibus fuerint eruta, cum ille ipſe medicinæ Inſtaurator, ſummis ut vocantur arcanis, ſummos, quosq; incurabilium catalogo adſcripſerat veterum Autoritas, profligaverit morbos alter velut monſtrorum domitor, (qualem monſtrat erectum ei Epitaphium Saliſpurgenſe:) morborum tamen cauſas, animadvertente ſic in eum Helmontio, ejus alias æſtimatore, neſcivit penitus. Hinc non uno in loco temeritatem ejus in fingendis cauſis accuſat, librosque ejus deriſa obſcuritate obſitos Helvetico ſarcaſmo ſuggillat, alibi Tartarorum hordas, quos ille in ſcænam introduxit, profligat, tria itemque prima, prout mixtorum ita morborum quoque nequaquam initialia eſſe conſtitutiva apertè demonſtravit. Mox ſtellam cedo, aliaque ejus deliria, quibus morborum veluti ſeminaria conſtituit, cœli orbes ab intentato hoc vindicat crimine. Potiſſimum Medico indignas Microcosmi nænias, quibus neſcio quas lineas auxis

eſſe

eſſe in nobis ſomniavit, & convenientiam tempeſtatum majoris mundi cum corporis noſtri alteritatibus inculcat, ſerio deteſtatus eſt; Ubique verò inconſtantiam ejus, qua in ipſos ſæpe humores, quos tamen tragicâ damnavit voce, retrolapſus eſt, monſtravit. Cauſarum itaque morbi cognitio inventu fuit poſterior, repertis jam jam in ſolatium miſeri mortalium generis veris eorum remediis, hinc in hunc uſque diem laudata medentum nonnullorum emunctiorum curioſitas fuit, ut genuinas ac proximas morborum rationes explorent. In quem finem non mortuas æquè ſecarunt partes, quam fluxum refluxumque vitalium liquorum attenderunt, eorundemque explorarunt proprietates, quo ſaporis genere conveniant inter ſe, vel etiam differant. Ita abrogato humorum quaternione quem diſtincta ſecretione in hepate ſecerni finxerat vetuſtas; ex ipſiſſima maſſæ ſangvineæ analyſi cognoverunt, ſulphureas ejus partes biliosa, ut dicta ſunt, ſuſcitare incendia, terreſtres è contra fæces, cui melancholiæ tribui poteſt nomen, (neque enim attendenda æque ſunt nomina, tum modò quid res ſit, conſtet,) chronicas cauſare morborum tarditates: aquoſam interea partem, quæ ſub ſeri nomine venit, in hydropes ſeſe diffundere ac catarrhos, prout tenacior ejus pars, ſeu chyli potius ſordes pituitæ loco frigidis morbis ſubminiſtrat occaſiones. Hæc equidem ingenioſa Williſii ſangvinis anatome eſt. Subdubitare tamen licitum fuit nonnullis, an in morborum generatione hæc ipſa fieri poſſet ſangvinis analyſis, qualem quidem inſtituit miniſterium ignis, vel quâ ratione etiam diſſoluto hoc modo ſangvine, recedentibus jam jam morbis, in integrum ille compoſitis hiſce principiis denuò reſtituatur. Dubia tandem exemerunt feliciora inventa, quæ vitales, ut ſuprà vocavi ſuccos manifeſtarunt orbi; hincque decidentiam eorum ac degenerationem in morbos, vitæ equidem oppoſita, non tamen proinde vitalibus deſtituta initiis. Quod ergò veterum fuit ſecundæ concoctionis excrementum, ſeri indigitatum nomine, illud nobilior factus eſt humor, qui ad conſtitutionem integri, ut Cl. Bartholinus eum deſcribit, æque neceſſarius eſt, lympha ſc. ſeu latex vocatus; eundemque non partem ſangvinis conſtitutivam eſſe judicant moderni, ſed humorem peculiarem, diſtinctis proinde contentum vaſis, quique propter fines ſuos ambit ſaltem maſſam ſangvinis, unde ſine ullâ etiam ſangvinis partium diſſolutione in dictas ſuprà microcosmi, ut Paracelſus vocavit, inundationes diffundit ſe quam latiſſimè. Ubi vero impingitur partis alicujus receſſibus & mu-

ceſcit

ceſcit dictam ſic pituitam relinquit, quam proinde rectius cadaver ſeu fæces illius laticis in praxeos ſuæ novæ Epitome appellitat Barbetti Medicus Amſtelodamenſis. Sapores verò notatos ſuprà quod concernit, acidum præprimis excedens ſive illud ſit inventi noviter ſucci pancreatici, ſive etiam ipſius laticis, (qui fermentales omnium digeſtionum qualitates, earundemque exceſſus eò magis aſſociat ſibi, cum omnes omninò præterfluat digeſtiones, Helmontio hinc morborum tabellarius dictus:) infirmitatibus occaſionem ſubminiſtrare docetur hodiè; unde quæ acidi alias & alcali contrarietas eſt, tenerrimum illud ſangvinis Alcali coagulatur, præcipitaturque cruor ipſe ac nigreſcit, atque ſic humor melancholicus intelligi debet. Reliqua eſt bilis, eam verò quam veſicula fellis continet, habitam antiquitus pro peſſimo excremento morborum cauſa, vitalem ac fermentalem liquorem eſſe hepatis ac ſangvinis balſamum, moderna aſſerit veritas. Quod vero vel amari rejicitur liquaminis, ſæpe vel in corporis etiam habitu mutat qualitatem, ut vocant, coloris, vel depravati corruptique ac putreſcentis chyli eſſe reliquias, vel olidas etiam digeſtionum ſordes, liquidum potiſſimum flavumq; ilei ſtercus, omnium maxime ictericæ cauſa turpitudinis. Quando vero phreneticis incendiis æſtuat ſangvis, vel alias doloris alicubi vehementia ſævit, non bilis calorem ibi accendit, nec continuum ſolvitur, ſed vitalis ipſe ſpiritus ſeu Archæus ob occaſionibus variis laceſſitus compellitur ad furorem ſociamque ſuam qualitatem, qua calidus is eſt, indeque vitalis, intendit immaniter, imò ut rem omnem brevibus detegamus, hic ipſe ſpiritus cum omnis vitæ omniumque actionum corporis noſtri ſit Autor, læſio illa ex adverſo actionum oppoſitumque vitæ ſeu ſanitatis, ut morbum definivit ipſe Galenus, in illius ipſius alteratione facta à cauſis occaſionalibus conſiſtit. Sic ergo, quod unicè profitetur Helmontius in Archæi hoſpitium recidit omnis morbus. Atque hoc ipſum proſcripta penitus intemperie, vel læſa tantum, quam fingunt, facultate, continui potiſſimum ſomniata illâ ſolutione reſtituta prorſus, in vitali quoque hoc principio omnium morborum ſedem poſitam eſſe contendit verioris doctrinæ Faber noſter. Comes ei adſtat fidelis laborum genuinus ejus Interpres, hic deſideratiſſimus Langius noſter:

Illi inter ſeſe magnâ vi brachia tollunt:

Et fictitia illa humorum Collegia quatiunt, conculcant ac deſtruunt. Loc

vero

verò illorûm tardatas paulò ante cauſas occaſionales ſubſtituunt ſc. quomodo illæ digeſtionum chyli potiſſimum in ipſo vitæ pariter ac morborum limine ſtomacho ſint perverſitates ac corruptiones, quæ omnes in Archæi hoſpitium hocce vitæque gigantheos faciunt inſultus. Quæ verò juniorum eſt felicitas, ut edocti meliora cum ipſa dierum maturitate præ anteceſſorib. ſapiant, ea etiam utpote Fabro juniori acutiſsimo non minus ejus Interpreti contigit. Demiſerunt hactenus in ſinum manus, agendumque nihil ſupereſſe rati ſunt, qui cum Scaligero ſubtilitatum alias magiſtro, quædam æquo animo neſcire velle, partem humanæ ſapientiæ eſſe piè crediderunt, omnesque hinc laborum moleſtias, ſubterfugerunt; indeque etiam intra artis noſtræ pomæria Herculeis veluti Columnis exſtructum eſt ignorantiæ illud aſylum, occulta qualitas. Quam vafrè autem, imò præduro robore concuſſum hodiè eſt aſylum illud, dejectumque, poſtquam quam variè à variis venenorum larvis in multiformes transformetur ideas Archæus noſter, cum eventuali horribilium ſymptomatum clade, acutior recentiorum celebris potiſſimum Pragenſis Medici Marci Marci monſtravit ſolertia; (hinc laudatus ille Autor morbos communiter dictos totius Subſtantiæ ſeu occultæ qualitatis vocat archæales:) poſtquam etiam in morbis reliquis occultæ qualitatis ſeu malignis ipſâ potiſſimum ærumnoſâ ægritudine ſeu peſte, præviam ſævire cauſam putredinem non quidem ſimplicem ſed quæ animata, hoc eſt, innumerabilium vermiculorum atque atomorum adinſtar inſenſibilium confluxus eſt, monſtraſſet orbi immortalis ille memoriæ Philoſophus Athanaſius Kircherus, ex hâc potiſſimum doctrinâ de reconditis morborum cauſis, quæ ſub velo totius ſubſtantiæ occultæ ſteterunt, judicare cœpit Langius noſter. Nequam enim ſola peſtis in vermes animata illa putredo eſt, ſed morbi etiam alii de malignorum potiſſimum genere pullulante hâc pernicioſaque ſuſcitantur ſobole. Atque ſit Kircherus ipſe, quem propter inventa ſua errantibus Phyſicis Medicisque, natum eſſe ultro fatetur ingenuus Langius noſter, poſtquam in tractatu ſuo de peſte ortum animatæ hujus putredinis progreſſumque, diverſas etiam in operando vires explicaſſet, concludit, ſe non peſtis tantum, ſed morborum quorundam abditorum Cauſas ſuâ hac ſententiâ propoſuiſſe. Indeque factum eſt, quod abditas haſce putredinis cauſas aliis etiam applicaverit morbis B. Langius, Cephalalgiis ſc. (prout hos omnes in Præfatione laudati tractatus Kircheri recenſet:)

ſet:) pleuritidi intolerabili dolore ſævienti, ſtomachi & inteſtinorum eroſionibus, quæ verminationes appoſito nomine hinc vocari ſolent. Hos omnes ibi nominetenus recenſuit morbos; prolixius autem explicare eos novo aliquo in opere propoſuerat, animata ſc. in pathologia, quam quadranter ſic nuncupavit, brevique in lucem ſe miſſurum promiſerat, cujus etiam prodromum de morbillis diſſertationem præmiſit, quam proinde non ſine cauſâ miſcellaneis curioſis annectere voluimus. Expetiere multi votis multis parodoxon hanc de animatis morborum cauſis doctrinam ejus; ſed hactenus voti compotes facti non ſunt. Nunc verò his ipſis in Fabrum animadverſionibus planè pleneque animatam illam pathologiam videbit orbis. Atque ſic quid hoc in opere præſtiterit Autor noſter, ſufficienter me monſtraſſe perſuaſum habeo: quod ſcilicet textum univerſalis Fabri ſapientiæ, quæ de morbis agit, integrè reſtituerit, & veriora hæc ejus dogmata ex inventis noviter morborum cauſis explicaverit, genuinas etiam curandi rationes ex chymiæ ſecretioribus adytis addiderit. Quod quemadmodùm non ingratum fore orbi firmiter fui perſuaſus, ita, quod meam quidem concernit operam, in eo fui totus, ut non tantum mundo deſcriptum ære proſtaret opus hocce, ſed limatum etiam prodiret auctumque locupletiſſimo indice. Præterea cum inopinatâ morte præreptus ultimam manum non impoſuerit ei, Autor, ſed quædam explicanda ſuperfuerint capita, ea meo quidem labore, Autoris tamen quantum in me poſitum fuit, ſtylo filoque adimplere conatus ſum. Quod ſtudium meum, quo artis noſtræ incrementis ac tyronum profectibus gratificari volui, ut æqui bonique conſulat, eſt quod ſummopere rogo.

Iohannes Centurio Macaſius. D.

INTROITUS.

P. Johannes Faber natione Gallus, ſtudiô chymiatricô vigilantiſſimus, in præfatione ſuâ ſtatim proclamat, in cognitione Naturæ plus credendum rationi, & experientiæ condonandum, quàm autoritati; hinc ſusque deque habens humorum illorum quaternionem, quos in maſſâ ſanguineâ contineri, & ex quibus morborum origines dependere ſtatuerunt Priſci, aliud potiùs accuratâ indagine excogitandum adducendumque cenſet, ut focos & nidos humorum putrentium, aut putredinis labe contaminatorum in centrô ſuô atq; radicitùs conſpicere queamus: Nempè vitium ventriculi, ſeu coctionis ac digeſtionis crimen, vel depravationē aut corruptionē chyli hîc potiùs attendendam exiſtimat. Ut enim Natura noſtra ſæpiùs & quàm facilimè in coctione ac digeſtione ſui alimenti peccat; ita proprium etiam atque innatum eſt corruptioni ſeu alterationi, mutare corruptum & alteratum, quod ſic ex homogeneitate ſeu ſimplicitate confeſtim degenerat in varias ſubſtantias, atque ſic abire in res omninò diſtinctiſſimas & ab ipſô corruptô diverſiſſimas. Concludit ergò bilem & pituitam in ſcholâ Pathologicâ tam infamem petere â depravatô corruptôque chylô proſapiam ſuam, & nihil aliud eſſe, quàm coctionis in ventriculô aberrantis excrementa; Ut eodem planè modô hîc ſe res habeat, ac cum ſtagnantibus ▽is aut paludibus, quæ ad corruptionem tendentes ſubitò lentorem & quandam viriditatem ſeu æruginoſum colorem contrahunt. Ex hâc itaque doctrinâ, inquit Autor, pateſcit, quid ſit illud præter naturam, ex quô omnes utique ſcaturiunt morbi. Sublimiorem doctrinam ordiendi anſam hîc ſe nobis offerre non diffitemur, quam verbis ad compendium coactis etiam non attingere non lubet: Magna videlic. eſt putredinis atq; corruptionis ſeu fermentationis præſtantia & dignitas, quæ non cuivis innoteſcere ſolet. Hujus namque mediô purum ab impuro effectiſſimè ſegregatur, multa renovantur, & in novam quaſi formam reducuntur: Per hanc ipſam docente Fabrô noſtrô, quàm plurima, quæ vitâ ſuâ jam ſunt ſpoliata, revireſcunt ac reviviſcunt, acria & corrodentia vim illam infeſtam ſic deponunt, ac lenia, ſuavia ſeu dulcia efficiuntur, venenata inſuper & ob enormem malignitatem efferata oppidò cicurantur, colores

tranſmutantur, & quæ ſunt hujusmodi arcanorum effectuum myſteria alia. Ergò comparet hinc quam dilucidiſſimè, quantam in ſublimandâ & exaltandâ rerum virtute aut efficaciâ præſtet utilitatem fermenteſcens Corruptio & principiorum diſſolutio: Ut enim ab excrementis & impuritatibus (vulgò cruditates vocantur) pigreſcit natura, & lentæ ejus tardæque hinc fiunt actiones; ita poſt earum ſeparationem & expulſionem conſpicuè rurſus nobilitatur facultatum fortitudo. Hæc autem ſeparatio nulla alia ratione celebrari poteſt, quàm per ſæpiùs dictam Corruptionem ac Fermentationem, cujus beneficiô demùm nova illa regeneratio promovetur, & vitalis roboris ſic denuò producuntur fructus: Hoc ipſum ſanè Natura molitur quotidiè in ſingulis rerum generationibus & productionibus: Per fermentationem putreſcunt ſcilicet omnia, ut in hac ipſa putrefactione ac corruptione purum ſegregetur ab impurô. Purum namque niſi ſeparetur à vitioſô atque impurô, vitæ germen exurget nunquam; Niſi, inquam, moriatur, putreſcat, & intereat impurum, quod vitæ perpetuò eſt infeſtiſſimum, nunquam reſplendebit lux puritatis, quæ unicè florentiſſimum rerum parit vigorem. Hanc ipſam Philoſophiam ſi exactiùs inſpiciamus, tam labefactatæ ſanitatis recuperationem, quàm morborum geneſes non difficulter explicare poterimus. Ubi pariter locum habet illud Phyſicorum axioma: Corruptionem ſequitur generatio; Generatio, inquam, tàm morbi ipſius, quàm ſanitatis priſtinæ. Corruptio enim materiæ, peccantis quamdiu in fieri ſeu in actu eſt, & quamdiu Natura ſeu Archeus ac ſpiritus, qui putrefactionem ſolus efficit, contra exrementitiam ſaburram luctatur aut tumultuatur, & facta fermentatione eam ſubigere nititur, tamdiu morbi ac ſymptomatum ſcena agitur & conſtituitur. Atque ſic humorum corruptio, cujus diverſi gradus ſuô tempore à nobis aperientur, morbi generationem ſiſtit; quando autem putrefactio illa ex votô jam abſoluta, h. e. purum ab impurô ſequeſtratum eſt, partum deſideratæ ſanitatis rurſum enititur Natura, atque ſic transacta corruptio exhibet ſanitatis regenerationem. Et hac ratione phœbô meridianô clarior eſt ille Medicorum canon: Natura ut eſt ſanitatis genetrix, ita & morborum indubitata effectrix. Sin verò virtus Naturæ ſit fracta, & vires ad ultimam redactæ imbecillitatem exiſtant, ſique materia maligna ferociat nimis, & victrices partes obtineat, proindeque Corruptionis ſcopus, ut ſeparetur purum ab impurô, impetrari non queat, totius œconomiæ interitus ac deſtructio ſeu ipſiſſima mors hinc neceſſario conſequitur. Verùm ſpeciatim hoc ita philoſophandi acumen ſubſequentia exponent Capita, quæ juxta ordinem illum

à Fa-

à Fabrô obſervatum producere, ac partim ab infinitis mentis liberare, partim pro virili declarare allaborabimus, utut Herculeum & humeris ſuis impar id viſum fuerit Autori. Quod ut feliciter cedat, faxit benedictiſſima ſupremi Numinis ſapientia.

CAPUT I.

De

Cephalalgiâ ſeu Dolore Capitis.

§. I.

OMnes tam antiqui, quàm recentiores Medici quemvis dolorem Capitis ex intemperie l. ſolutione continui ortum ducere ſuſtinuerunt, & adhuc mordicùs ſuſtinere conantur, quô ipſô tamen falſius aliquid aut dici aut doceri nequit.

§. 2. Intemperies etenim nec ſimplex nec compoſita ullô modo in capitis partes tam citò introduci, neque ab his etiam tam celeriter tolli revellique poteſt, prout ſubitò hunc dolorem & fieri, & ſubitò rurſus levari experimur.

§. 3. Dolor verò in ſenſibili ac ſentiente ſubjectô exiſtit, hoc eſt, in ſpiritu vitali, qui totum caput ejusque partes propriè & immediatè ſenſibiles facit. Hôc enim ablatô nullatenus ſentiunt partes capitis aut corporis noſtri. Imò in ſpiritum verè ſenſibilem ac ſentientem nulla intemperies absque totali deſtructione ſui cadere poteſt. Igitur nulla intemperies dolorem capitis parere valet (ſcil. immediatè.)

§. 4. Inſuper intemperies nulla ſubitò, ſed ſenſim ac pedetentim dumtaxat introduci ſolet: ſic namque gradibus caliditatis l. ſiccitatis l. humiditatis aut frigitatis adſueſcit, ac proinde eosdem vix ſentit, veluti id patet in introductione febris hecticæ, ut nec minùs in Apoplexiâ & Maniâ, ubi nullus eſt dolor, quum tamen in hiſce morbis caput maximam induerit intemperiem.

§. 5. Ex his rationibus liquet, dolorem capitis ex intemperie non provenire, ut pote cui proprium & innatum non eſt dolere, ſed ſi calida ſit, calefacere, ſi ſicca, ſiccare, & ſic de reliquis.

§. 6. Ut ergò capitis dolor non pendet ab intemperie ullâ, ſic nec ex ſolutione continui: Si enim exinde penderet, ubi tunc eſſet dolor? Videmus autem ſolutionem continui nec recentem, nec inveteratam

tam dolore, niſi poſtquam labra vulneris ab 🜁re crudô & cruore alteratô intumeſcere inceperint: Vulnera etiam leproſorum non ſentiunt, & tamen ſoluta ſunt: ſic & ſtigmata ſagis à Diabolô cum ſolutione continui impreſſa inſenſibilia exiſtunt.

§. 7. Ideoque continui ſolutio pura & ſimplex non eſt immediata doloris cauſa, d. ſentiens tantùm ac immediatè ſenſibile in corpore vivô eſt id, quod dolorem percipit: Quod illi verò nocet & repugnat, eſt vera cauſa doloris.

§. 8. Atqui ſolutio continui non purè & ſimpliciter dolorem ſentit, nec eſt propriè & ſimpliciter illud, quod ſentienti ac ſenſibili repugnat, d iſtud ſolùm, quod ex ſolutione exurgit, nempe ſanguinis alteratio ac corruptio hinc ſuperveniens, nec non 🜁 crudus, qui partium ſolutarum corrumpit & alterat ſpiritum.

§. 9. Concludendum igitur ex his præclarè ſic expoſitis ducit Autor, dolorem capitis nec ex intemperie ullâ, neque ex ſolutione continui dependere, d. tantùm juxta Hipp. ſententiam, ex ſpiritu impetum in corpore noſtro faciente, qui ſolus eſt immediatum ſenſus, doloris, motus, voluptatum, convenientiæ, ſymboli, attractionis, repulſionis, contractuum, relationis, & alterationis omnis organum.

§. 10. Spiritus adeò ſolus eſt veriſſima omnium actionum ſive ſanarum ſive morboſarum, ac proinde etiam doloris in capite cauſa.

§. 11. Cauſæ materiales p. n. à quibus ſpiritus noſter irritatur, ut doleat, ſunt, quicquid adſcendit ad caput vel materialiter vel vaporaliter, ut Autor loquitur.

§. 12. Materiam ſuggerit alimentum, quod alteratur l. degenerat ex natura alimenti, & excrementi naturam induit. Hæc ergò inter expurgandum & expellendum ſpiritui noſtro negotium faceſcit, qui tamdiu hinc laborat & dolet, donec illud omne, quod ipſi nocet, expulerit.

§. 13. Vapores ab excrementis & ſportitiis alimenti internis partibus deſtinati oriuntur, qui ad ſacram Palladis arcem adſcendentes ſtatim indolem ſeu naturam ſuam exerunt, quam cum excrementis alimentorum, ex quibus producuntur, eandem habent: Sunt enim hæc omnia & qualitate & ſubſtantiâ ſua p. n. ac proinde ſpiritui vitali atque animali, qui verus & ſolus eſt ſanitatis naturæ ac totius corporis œconomus, repugnant & contrariantur, adeoque ipſi quatenus eſt immediatum ſenſus organum, dolorem ac ægritudinem inferunt, donec ſui doloris cauſas propulſaverit atque ſuperaverit.

§. 14. A dolore autem & morbô ſuô ſe non nunquam liberat ſpiritus

ritus vel vi ſuâ propriâ, & innatô calore, l. roboratus Medicamentis adpropriatis, ac naturam ſuam ſeu eſſentiam reſtaurantibus.

§. 15. Non opus autem eſt enarrare hîc, qualia ſint & quanta illa alimenti noſtri recrementa, quæ ſpiritui ſunt contraria, quoniam mutantur illa ſecundùm variam & diſtinctam alimenti degenerationem ac alterationem: Unde ſæpiùs novi oriuntur morbi, prout nova ac recens alimenti noſtri degeneratio ac corruptio in locis variis diſtinctisque contingit.

§. 16. Hæc omnia ad curandos quoscunq; capitis dolores ſcitu adeò neceſſaria non ſunt, modò recrementa alterati alimenti partibus capitis adhærentia, ac ſpiritui noſtro vim inferentia tolli atque evacuari roboratô ſpiritu noſtro poſſint. Hic ſi ſufficientes ad expellenda illa recrementa, quæ ipſi ſunt nocumento habeat vires, Medicamentis arte paratis non eget, ſin verò ſufficientes vires non adſint, ſequenti methodô ipſi ſuccurrendum erit.

§. 17. Primò nunquam mittendus eſt ſanguis, niſi is quantitate peccet, quod rarò evenire ſolet: Rarò enim plus ſanguinis efficit Natura, quàm ad alendas ſui corporis partes ipſi neceſſarium eſt; ſi tamen copiâ peccet, mittendus eſt in maxima quantitate ſanguis, & quidem præcipue ex venis capitis, naſi ac frontis, temporumque. Prudenter verò ibi agendum, ne copioſô ſanguine emiſsô debilitetur ſpiritus, qui robur ſuum omne ex ſanguine deſumit: ſi verò hæmorrhoides tunc & menſtrua ſint ſuppreſſa, malleoli venæ ſecandæ ſunt, ne motus Naturæ intermittatur, ſed recenter procedat.

§. 18. Neque recurrendum eſt ad agaricum trochiſcatum aut rhabarbarum, l. ad ſenam, neq; ad hioram pieram; quibus remediis ſine ullô commodô ac utilitate per 30. annos in curandis doloribus capitis Autor eſt uſus.

§. 19. Confugiendum autem ſi corpus ſit cacochymicum, & multa peccantium recrementorum ſaburrâ turgeat, tantùm ad Aquilam Chymicam ſeu perem emeticum, quem multis in locis librorum ſuorum fideliter deſcripſit Autor. *Phthiſicis & tabidis ejuſmodi medicamẽta propinãda nõ ſunt.*

§. 20. Eſt autem ille per nil aliud, quàm ♁ c. 🜍 præparatum, quæ ambo venenata per ♌lationem juncta conſtituunt liquorem gummoſum, qui ter aut quater in novis 🝭 per cineres rectificatus, & 🜄a laudati fontis præcipitatus dat perem albiſſimum, 🜄a fontanâ probè edulcorandum, qui IV. vel V. gr. doſi per 3. dies iterata c. cuſtodia Artis & regimine in Vinô, 🜄a, aut juſculô propinatus omnes capitis dolores, cauſis ita remotis, tutò, citò, & jucundè tollit. *Pulvis hic rectiùs vocatur ♁ philoſophicè præparatũ, quantùm ☿ vitæ.*

§. 21. Sin hæc purgatio non arrideat omnibus, & adſumere eam nolint, partim quòd ipſum ☿ii & ♁ti nomen horreant, quorum utrumque tamen innocens eſt, & nulla qualitate venenata præditum, modò ritè & ſecundùm normam aut leges ab ipſo Autore præſcriptas præparetur, ſicuti per 20. annos etiam Autor hôc ipſô medicamine uſus, & nunquam ab eô in morborum omnium curatione deluſus eſt, dum hôc ſolô à morbis incurabilibus & quàm maximis ægrotos liberavit; partim etiam, quòd vomitum excitet, & nonnullos, qui amarô recrementô in ventriculô latente turgent, vexet, quòd ex hujus vaporibus ad caput adſcendentibus acutiſſimi dolores fiant, tunc recurrendum ad ſudorifica ac bezoardica chymica erit.

vid. infrà p. 142. §. 10. & p. 155. §. 10. vid. infrà p. 162, §. 5.

§. 22. Sunt autem illa ☉ *ſudorificum*, ♃ & ☿ ſudorificus, *margaritæ & corallia ſudorifica*, it. volatilia ex plantis cephalicis educta pariter ſudorifica (ex flor. tiliæ, ſambuc. it. ex card. bened.) quorum omnium doſis eſt ʒß in ▽is ad propr. ſeu ſudorificis, nempe card. benedict. ulmar. ac ſimilium. Summô manè uſurpatis cooperiendus eſt æger, & quavis nocte ipſi etiam ſudor provocandus; Unde indubitatò omnis capitis dolor tutò, citoque, & jucundè absque ullâ virium jacturâ curatur.

§. 23. Commendatur etiam hoc capitis purgium, ut verè efficax, cujus pere per nares inſufflatô ſternutamenta excitantur, motuque illô cerebrum recrementa cuncta ſibi nociva oppidò excutit. Sic autem is componitur: ℞. peti opt, fol. ſicc. majoran. ſalv. beton. aa ʒß fol. laur. cortic. mali aurant. & limen. aa. ein Scrupel/cinam. caryophyll. aa. gr. xij. moſch. ambr. aa. gr. viij. M. omnia ſimul & reducantur in Alkohol tenuiſſimum, de quô in p. g. bis in die manè & ſero longe à paſtu aliquid ſumitur.

Animadverſiones

Ad

Titul. CAP. I.

Satis nota eſt differentia inter cephalalgiam, cephaleam, & hemicraniam, quam proinde tribus ſaltim hîc ruminabimus. Cephalalgia ſpeciatim dicta notat propriè dolorem capitis recentem, levem, nec diuturnum, ſed facilè ſolubilem, imò & ſine magnâ infirmitate virium præſentem, qualis nempè à crapulâ & cauſis procatarcticis, it. in febribus concitari

citari ſolet: Cephalea verò eſt capitis dolor contumax, diuturnus, ac inveteratus, idemque ſolutu difficillimus, & vehementes habens acceſſiones c. magnâ partium infirmitate: Hemicraniam tandem hujusmodi capitis dolorem ſignificare patet, qui dimidiam ſaltem ejus exercet partem. Communiter tamen cephalalgiæ nomen pro quovis dolore capitis accipere Practici conſueverunt.

Ad §. I.

Naturam doloris obſcuram valdè & declaratu difficilem aſſerit Sennertus, ut hinc veram ejus radicem & genuinam cauſam reddere ob diverſiſſimas Philoſophorum Medicorumque opiniones non ita planum ipſi videatur. Verùm ex hôc Labyrinthô quis ſe facilè poterit extricare, modò perpendere non negligat, plures quidem doloris cauſas mediatas atque remotiores dari, unam tamen ejus immediatam dumtaxat admitti, prout unius effectus una tantùm proxima attenditur cauſa: Vel ſi fortè à cauſarum pluralitate effectus aliquis produci videatur, omnes tamen ad communem quandam ſeu unicam efficiendi rationem, ſic docente Sennertô, reducendæ veniunt; ſic etiam cum doloris cauſa proxima & immediatâ comparatum eſt, quæ ut unica tantùm conceditur, ita ad eam quoque omnia, quæ vulgò dolorem efficere ſtatuuntur, redigere oportet. Falſa igitur juxta Fabri aſſertum eorum omnium deprehenditur ſententia, qui plures ſimul proximas cauſas doloris, & inter has præcipuè intemperiem ac continui ſolutionem profiteri conantur.

Ad §. 2.

Ab intemperie ſimplice, ſive calida illa ſit, ſive frigida, & ſic porrò, vel compoſita etiam tanquam immediata cauſa non provenire dolorem poſſe, ſub teſtimoniô quotidianæ experientiæ ſic evincere ſtudet Autor. Dolor enim capitis ſubitò nos adoritur, & ſubitò etiam tollitur rurſum ac curatur, quod ſanè fieri nullâ ratione poſſet, ſi immediatè promanaret à capitis intemperaturâ quadam, utpote cujus inductio & tractum temporis poſcit, ac proinde etiam ſucceſſivè ſeu pedetentim inducta pro celeri & feſtinata emendatione immutari nequit.

Ad §. 3.

Duo hîc ſe expedienda offerunt, ut genuinam doloris rationem ex votô intelligere queamus 1. quid per ſpiritum vitæ ſibi velit Autor, & 2. in quô ſenſus conſiſtat, aut quæ ſit primaria ejus cauſa. A propoſiti noſtri tramite nequaquam averſa ſunt, quæ Chymiatri potiſſimum lumen Naturæ adhibentes de hôc ſpiritu vitæ, quem Archeum & Naturam, Priſci calidum nativum in humidô radicali reſidens adpellitant, ſatis

nervoſè

nervoſè conſignarunt. Hìc ergò ſpiritus eſt lumen ſeu luminoſa ſubſtantia in occulto aut centro corporis & quarumlibet ejus partium deliteſcens, ac proinde ☉ rerum internus appoſitè dicitur: Vocatur etiam 🜍 Naturæ & flos ſummæ puritatis, it. ſperma elementorum perfectæ digeſtum & aſtrale, ſeu in aſtralem ſubſtantiam converſum, quod conſervationis, generationis, reſtaurationis ac renovationis verus eſt Autor: Hic ſpiritus eſt benignus Naturæ Jupiter, Pater rerum ſeu mixtorum naturalium omnium, ac verè-juvans Pater: Eſt 🜁 & aura microcosmi: Eſt radius luminis totum corporis penetrans, ipſumque regens, & omnia, quæ ipſi obſtant tam exquiſitiſſimo ſenſu percipiens, quàm impetuoſè abigens, aut abigere adnitens: Is ipſe eſt cunctorum ſenſuum autor unicus & perpetuus promotor, vel portio corporis noſtri impetum faciens, qua abſente reverà ſtupent ac torpent omnia, ut videre licet in membris ſphacelo attonitis. Ex his igitur de ſubitò liquet, primariam & principalem doloris cauſam eſſe ſpiritum vitæ alteratum ac viritatum, qui ut ex objecto puritatis jucundam, ſic quoque ob impuritates moleſtam ac triſtem primariò efficit ſenſationem, caſus rationem poſteà etiam ipſe commonſtravit Autor. Probat hoc quoque paragrapho Faber, ab intemperie non dependere dolorem capitis, quod ſpiritus vitæ absq; interitu ſui & totius nullam, nec concipiendo dolori aptam ſuſcipere queat intemperaturam, ſiquidem is per deflagrationem non ſecùs evaneſcat, ac ſpiritus vini, à nimia humiditate ſuffocetur, à frigiditate extinguatur, & in ſicco penitus habitare nequeat.

Ad §. 4.

Geneſin alicujus intemperiei, quæ per gradus ſe inſinuare ſolet, nullum propriè autem neceſſariò dolorem conciliare, docet exemplo hecticæ, maniæ, & apoplexiæ, quorum affectuum priores igneam intemperiem, poſterior autem frigidam & glacialem (h. e. humiditate viſcoſa, gypſea & vitrea feralem iſtam meatuum in capite obſtructionem inducere valente ſtipatam) præſupponunt, nec tamen doloris neceſſitatem protinùs inferunt. Atque eandem pariter formare poſſumus hinc conſequentiam ex ſingulis viſcerum intemperaturis, quæ ſine omni, quatenus ſunt tales, dolore exiſtunt, niſi ſanguinis, quo tanquam vehiculo utitur ſpiritus, accedat alteratio, corruptio, & inde ſuccedens ſpiritus turbatio.

Ad §. *6.*

Nec de proprietate ſolutionis continui eſſe Noſter innuit, ut dolorem pariat, atteſtantibus id potiſſimùm inveteratis ac leproſorum ulceribus,

bus; quibus ea addimus, quæ cum ſphacelo juncta conſpicimus; ratio hæc eſt, quòd ſpiritus vitæ l. maximam partem, vel penitùs hæc loca reliquerit, quo tanquam ſenſibilitatis patrono abſente vel imminuto dolor aut penitùs perſentiſſi non poteſt, aut parumper & vix effatu digna ratione percipitur: ſic nec recentibus vulneribus proprium ac perpetuum eſt conciliare dolorem, quod terrefacti aut iracundia nimium præpediti ſi ſaucientur, abundè conteſtari poterunt: Revocatis enim tunc ſpiritibus vitalibus ad centrum ſuum ſeu cordis atrium, eorumque influxu privatis partibus vulneratis, doloris hinc ſuboriri ſenſus nequit. Stigmata verò ſagis à Cacodæmone impreſſa hîc non attingimus, quùm ad claſſem rerum præternaturalium trahi nequeant, ſed ad ea pertineant, quæ planè contra fiant Naturam, & proinde minùs huc quadrent.

Ad §. 7. & 8.

Ut obtinere poterit Autor, continui ſolutionem nullatenùs ſimpliciter aut immediatè dolorem inducere, pergit proximam ejus ſuggerere cauſam ac ortum ſeu dolendi modum, monendo illud hîc præcipuè reſpiciendum eſſe, cui proximè repugnat ſpiritus vitæ, ille facultatis ſentientis præſes, aut quod ei nocet, & quod incommodi ex ſolutione continui exſurgit; nempe alteratio & corruptio ſanguinis, l. turbatio œconomiæ vitalis, unde neceſſariò quoque alteratur, irritatur, confunditur & turbatur, vel p. n. locô movetur ſpiritus partibus ſolutis inſitus. Hâc occaſione in mentem nobis venit, quod communiter in Scholis traditur: Cauſa doloris, inquiunt Dogmatici, eſt, quicquid violentam unitatis ſolutionem infert, ſive id faciat manifeſtâ ſive occultâ ratione. Quid evidenter & cauſis externis facta ſit ſolutio, jam evidentiſſimum eſt; quid verò occultè inducta, occultum utique & non adeò clarum eſſe videtur. Per hanc itaque intelligimus illam, quæ à ſanguine corruptô & malignè alterato, illata eſt, qui dum ſpiritum, cui continuus eſt, alterat & turbat, è ſolio ſuo eundem protrudit, & cum violentiâ quaſi avellit, atque ſic ſolutionem continui occultam aut oculis noſtris minùs conſpicuam, h.e. diſſolutionem œconomiæ internæ conſtituit: Quæ alterationis & corruptionis mutua communicatio tamen in utraque tam manifeſtâ quàm abditâ continui ſolutione attendenda erit, ſi veram doloris cauſam medullitus conſequi diſcupiamus. Ipſe Faber in margine §. 20. dilucidiùs adhuc centrum hujus rei exponit, dum dicit, agere excrementa (i.e. ſanguinem & humores corruptos) in ſpiritum capitis, & affligere eundem auxilio ſuorum, adeoque pariter vitioſorum ſeu acrium & mordacium ſpirituum, quos in actu fermentationis & mutui certaminis (dum repugnat

vitæ ſpiritus ſeu Natura humoribus excrementitiis, quod ſine fermentatione, ebullitione, ac commotione quadam fieri non poteſt, ubi neceſſariò etiam generantur ſpiritus) copioſè emittunt. Nos ultrà philoſophiam noſtram hîc extendimus & ſtatuimus, per corruptionem & putredinem humorum eximiam non tantùm acres & infeſtos ſpiritus aut fuligines surſum elevari, ſed etiam miaſmata animata ac verminoſa, quæ æq; ut fuligines illæ, ſunt inconſpicua, quæ quantoperè laceſſere aut conturbare Archeum ſeu ſpiritum noſtrum, utpote tota ſua ſubſtantia ipſi infeſtum, & ſic quoque partes nervoſas, quibus firmiter adhæreſcunt ſublimata, pungere, morſicare, lancinare ac vellicare poſſint, non opus eſt, ut pluribus tradamus, ſiquidem ſublimioris hujusdem meditationis medulla ex recondito acutiſſimi Kircheri de Peſte ſcrutinio ac ſcrinio cuivis eſſe jam ſatis ex votô perſpecta queat. Dum deniq; ab 🜁e crudo labra vulneratarum partium & ſanguinem ibi reſidentem alterari ac corrumpi, unde alterato pariter ſpiritu neceſſariò dolor oritur vel exacerbatur, monet, notandum Chirurgis tacitè inculcat, ut ſtudioſè præcaveant, ne 🜁 ambiens præſertim frigidus deliganda vulnera attingat, ideoq; linteis ſtatim obtegenda probè & munienda veniunt: 🜁 enim, qui ſuâ naturâ frigidus eſt, & exhalationum pariter receptaculum dicitur, ut multorum corpora ad varias putredinis confuſiones diſponit; ita multò magis, ſi iſte crudus immediatè ad ipſa partium ſolutarum penetralia & ſanguinis canales, eorundemq; oſcula perveniat, id præſtabit.

Ad §. 9. & 10.

Exinde claret, quod jam olim ex oraculo Hippocratis didicimus, Naturam (ſeu ſpiritum vitæ) eſſe morborum omnium tam medicatricem, quàm eorundem quoque & proinde pariter omnis doloris effectricem. Impoſſibile namq; eſt, ut contra collectas impuritates ac cruditates Natura ſine moleſtiâ & incommodò quodam corporis noſtri pugnare, aut easdem absq; ulla importunitate emendare atq; propulſare queat. Ergò Natura ſeu ſpiritus vitalis proinde morbos parit, & ægritudinum principalis eſt cauſa, quod hoc ipſo impetu ſanitatem ad priſtinum vigoris ſui florem reducere, h. e. corpus ab his impuritatum & corruptorum humorum quisquiliis liberare intendat: Puritatis enim fructus ſanitas & vita eſt, ſicut fœtus impuritatis eſt morbus, & illius prædominium mors exiſtit, ut notorium. Hîc quoq; attendendum injungit Autor, harmoniam, ſymbola, & arcanas alias agendi rationes in corpore & ejusdem partibus ſcaturire à ſpiritu vitę, utpote qui unicè operatur conſenſum concentumq; illum magneticum, & mirabile hoc Naturæ in membris ſingulis collegium, ceu

virtu-

virtutis contactum conſtituit; Unde ſenſum quendam ſympatheticum inter ſe invicem ac peculiares ſuas teſſeras habent; & juxta phraſin Helmontianam quaſi inter ſe colloquuntur. Ab hoc ipſo igitur ſpiritu ratio totius ſubſtantiæ atq; adfectionis naturalis, tamq; ſympatheiarum quam antipatheiarum unicè dependet, cui videlic. inſitum eſt hoc amare, illud odiſſe. Hinc cauſa ſtatim in promtu eſt, cur e. g. hic vel ille ex ſolô purgantis remedii adſpectu ad dejiciendam alvum toties urgeatur, non ſecùs ac ſi illud adſumſiſſet; nempe unicus vitæ ſpiritus in cauſa eſt, qui averſatur hoc medicamenti genus, proptereaq; mirum quantùm turbatur, & ad concipiendum in alvo fermentum irritatur, unde poſtmodum dejectiones illæ ſuboriuntur. Et ſic cum cœteris etiam occultis actionibus ſe negotium habet.

Ad §. 11. & ſeqq.

Cauſam morborum materialem communiter quidem ex theatro pathologico explodi non ignoramus, errorem attamen illum unà amplecti omninò reſpuimus, ſiquidem luce meridianâ clarius luceat, humiditates excrementitias vel cruditatum vitia morborum calamitatumque noſtrarum quotidianas nutrices & fœcunda ſemina exiſtere. Ergo cum Autore noſtro cephalalgiæ cauſas materiales, i.e. humores corruptos, qui & qualitate & ſubſtantiâ ſuâ ſunt p.n. ac proinde ſpiritui noſtro inimici, paulìſper inſpicere non pertimeſcimus. Hoc ipſos autem vel in ſubſtantia ſuâ per ſanguinis circulationem, vel in formâ exhalationum & vaporum ad horizontem microcoſmi ſeu caput adſcendere, & ab inferioribus partibus ſublimari, Faber commemorat; De corruptorum autem & pravorum humorum (qui peſſimis etiam excrementis æquiparantur) nec non vaporum indole & naturâ eſt, Archeo ſeu ſpiritui vitæ vehementer adverſari ac vim inferre, eundemque irritando & conturbando ad mutuum certamen ſeu conatum impetuoſè repugnandi provocare; quod ſine moleſtiâ, lancinatione, & dolore partium, quibus inſidet, ſpiritus reluctans, fieri non poteſt, quâ de re jam ſuprà ſatis dictum eſt. Quod materiam ipſam attinet, ſatis cognitum eſt, quomodo per crimen primæ coctionis & imperfectam digeſtionem illa alteretur, corrumpatur, & excrementitia evadat, aut quomodo fiant atq; cumulentur cruditatum impuritatumque, ut ſic loquar, montes, item quomodo per tubulos meſaraicos ad maſſam ſanguineam perveniant, & ſic per omnes corporis tractus deriventur, varia pro conſtitutione partium, ubi decumbunt, parere ægritudinum monſtra aptæ natæ; nec tantùm vitioſi humores, quod tamen utplurimum fit, ex officinâ primarum piarum partibus cœteris, & per conſequêns capiti

etiam communicantur, verùm etiam in ipſo capite, ſi infirmitate id laboret, hujusmodi ſaburra excrementitia generari & coacervari poteſt. Ut enim in cujuslibet partis nutritione tam partes utiles & puræ apponuntur, quàm excrementa remanent & ſeparantur; ſic ſi imperfectè fiat hæc partium nutritio, major etiam excrementorum inibi colligitur copia, & ſic per eſſentiam caput cauſam morbificam enititur & auget. Cum verò plerumq; per actuale vitioſorum vaporum, qui ab inferiori corporis regione exhalant, conſortium, fieri ſoleant capitis dolores, atq; hâc ratione caput à ſtomachô, ab inteſtinis, meſenterio, ſpene pro lancinari dicatur, monemus nomen vaporum hîc generaliter & latè accipi tam pro effluviis humidis, quæ in ſpecie vapores dicuntur, quàm pro ſiccis, h. e. fumis ac fuliginibus, utrisq; tamen calidis & volatilibus, ſeu ⊖ volatile excrementorum, unde promanant, in ſe comprehendentibus. Hi autem vapores æquè acres ac damnati, ſpiritumq; noſtrum infeſtantes ſunt, ut matrix ipſa, unde prodeunt, ſicuti ex fimo non niſi fumus putidus ac nidoroſus provenire poteſt.

Ad §. 14. & 16.

Helmontio triplex eſt Natura, ſtans, ſedẽs, & decumbens ſeu jacens.

Spiritus vitæ vi propriâ ſæpiùs ſe liberat à dolore, & ad expulſionem nocivorum recrementorum viribus ſufficienter eſt inſtructus. Natura enim quando robuſta eſt, quam Helmontius ſtantem vocitat, admirandas ſibi præparare vias ſolet, ut ad perfectionem & puritatis culmen, ad quod nunquam non anhelat, pervenire poſſit. Natura noſtra videlicet ingens ac officioſa ſalutis mater eſt, atq; ſagacia ſunt ejus ſolertiæ tentamenta: Hæc imò providiſſima & benigna ſemper eſt ſui conſervatrix, atq; morbos vel ſuâ bonitate ſuâq; multipotente virtute oppidò ſæpiùs ſuperat: Unde hæc ipſa ſi adhibitis etiam Medicamentis non agat & operetur, neq; coagat aut cooperetur, fruſtrà Medicus meditatur & laborat. Duo hinc animadvertenda nobis ſuccreſcunt, nempe ne perperam impediamus Naturam in ſuâ intentione ac opere, nevé ad generoſa aut ſtrenua remedia, quæ non citra virium jacturam & Naturæ turbationem quandam operari ſolent, perperàm confugiamus; deinde ut ſpiritum ſeu Naturam, ſi non ſufficiat, absq; cunctatione roboremus, aut quæ ipſam remorantur aut obtundunt citò removeamus, quò materiam peccantem, ex votô expugnare & propellere queat: Morbus etenim quivis felicius faciliusq; curari, h. e. materia morbifica expugnari & eliminari non poteſt, quàm ſi novô robore per medicamina decenti artificio parata Natura ſeu ſpiritus roboretur, qui benivolentiſſimus ſanitatis noſtræ nutritius, & corporis noſtri ſemper auguſtus eſt œconomus.

Ad §. 17.

Quâ methodo itaque tollendus ſit dolor capitis,nunc tradere incipit Autor,primordium à fonte capiens chirurgico; V.S.verò planè prohibet, niſi plethora obſtet,in quo caſu id præſidii genus admittit.& nos ipſi quoque ſic ſuffragari poſſumus,præſertim quod vaporum ad caput effumatio per V.S.valdoperè impediatur. Cœterùm per phlebotomiam, quæ juxta Helmontium nusquam niſi per accidens juvat,radicalem cephalalgiæ curam præſtari non poſſe arbitramur,ſiquidem imminuto ſic calore & abſumto radicali humido;h.e.exinde infrigidato corpore cruditatum geneſis potiùs expectanda , quæ mirum cauſæ doloris materiali præbent fomentum augmentumq; : Certiſſimum enim eſt , quod balſamus ac theſaurus vitæ ſeu vires Naturæ,quæ in ſanguine vel ſpiritu iſto rubeo (is nimirum quàm proximè traducitur in ſpiritum vitalem) conſiſtunt , per phlebotomiam ſubtrahantur,& Naturam ſuis remigiis natare tentantem hujus præſidii Autores(quos è miſerorum cruore Helmontius vivere dicit)ſic deſerant; unde ab eodem phlebotomia eſt maledicta, & ad ægrotantium torturas ſeriò refertur. Ergò quum facta ſic ſanguinis penuria virium quoq; inducat inopiam,ſpirituumq;,qui robur ſuum ex ſanguine petunt,debilitatem pariat, quâ morbus & cauſa ejus increſcere potiùs & prædominandi anſam accipere ſolet;patet cur V. S. aut planè omittenda, aut cum maximâ circumſpectatione dumtaxat admittenda. Sin verò hæmorrhoidum vel menſtruorum ſuppreſſione dolor capitis ſcaturiat vel exaſperetur,tunc ſaphænæ ſectio maximoperè convenit,præſertim in iis, quos Natura per hanc expurgationis benignitatem ab impuritatibus liberare conſuevit: Derivatio namq; ac revulſio multum beneficii tunc præſtat,quarum hæc eò exoptatiorem exhibet effectum , quo remotiùs à loco affecto celebratur.

Ad §. 18.

Medicamenta purgantia vulgò uſitata,& ob cruditatem ſuam ſuſpecta tanquam nociva vel ad minimum inutilia hîc rejicit Autor,quòd humorum peccantium fermentationem ſuſcitando fuliginesq; hinc elevando ac confertim diſpergendo potiùs augeant malum &exacerbent,quàm ut ſperatum ſuppeditent auxilium vel doloris levamentum præbeant ; quid quod Cathartica itidem radicale humidum exhauriant , calorem deprędentur,vires,quarum integritas vel inſtauratio tamen ad expugnandam cauſæ morbificæ hoſtilitatem poſcitur, labefactent, & hâc ratione corpus,præſertim ſi iterentur illa ſæpiùs,ad interitum diſponant:Huic acceditetiam,quod infirmitatem ventriculi dolor capitis plerumq; ut cau-

ſam antecedentem agnoſcat, in quâ nullatus purgantia convenire indubitatum eſt. Inter vulgaria autem purgantia refert Faber primò agaricum, quem fungum, utut ille à Democrito vocitetur materiam familiæ, ventriculo ſemper nanſcabundum eſſe novimus, quo affecto afficitur caput, quoniam illius afflictio ratione nervorum recurrentium deſubitò communicatur quoq; capiti: Unde lucem dicto Helmontiano commodare poſſumus, qn. dicit, dolorem capitis non rarò per nudam actionem turbati regiminis, quod beneficio nervorum jam dictorum caput & ventriculus inter ſe commune habent, procedere. Rhabarbarum deinde damnat propterea dubio procul, quod hoc ipſum humores moveat, & viſceribus veſtia icteri imprimat, minimè autem promoveat, quod turbet, neutiquam vero materiam peccantem deturbet: Unde rhabarbarum minùs rectè cor epatis, & ſolatium corporis ſalutatur. Hieræ picræ electuarium & ſen. fol. quoq; rejicit, quod tormina pariant, nauſeam creent, atq; Archeo turbas potius dare valeant.

Ad §. 19.

Cacochymia, ſeu vitioſi humores ac pravâ qualitate præditi, qui radicaliter primas vias occupat, per diſtributionem verò in totô corpore & omnibus ejusdem meatibus deprehenditur, redundantia, vel ut Faber loquitur, turgeſcens ac copioſa peccantium recrementorum ſaburra emendari rectiùs haud poteſt, quam per ſufficientem eorum expurgationem, quæ quibus remediis perficiatur, multum utique intereſt. Quum enim vulgaria purgantia ſuperficialiter tantùm & perfunctoriè, relictâ impuritatum baſi, quæ magneticâ quadam vi quotidiè ſe multiplicare valet, operationem ſuam præſtent, & humorum commotionem ſaltim, aut dolorificum undique tumultum efficiant, ad ea omninò nos convertere tenemur, quæ arborem mali radicitùs exſtirpare pollent, ne novi indies cruditatum ſtolones recreſcere queant: Remotô autem corruptorum humorum fundamentô ac nidô longè facilius poſtmodum corporis cachecticus habitus corrigi, & maſſa ſanguinea vitioſis inquinata ſuccis mundificari poteſt. Ad conſequendum autem hunc ſcopum commendat Autor perem illum emeticum, quem alioquin ☿ium vitæ nominant, ipſe verò Aquilam chymicam vocat. Rationem denominandi hîc ſciſcitabitur quiſpiam? Antiſtites ſublimioris Chymiæ rem ſacram & arcaniſſimam h. e. ☿ium Philoſophorum & benedictum lac Virginis, ſeu metallum in primam ſui materiam redactum hôc nomine indigitant; quæ ſcatio ut hujus loci non eſt, ita de eadem hîc nihil adjiciendum cenſemus. In Medicinâ ſpagyricâ hoc vocabulũ uſurpari ſolet de iis, quæ in ſublimationibus

nibus levia, fugacia, volatilia, ac facilia ſe exhibent, vel quæ per ♎ationis medium, præſertim beneficiô ☿ij impetrantur; ſic ex ♁ & 🜐 elevat ſe gummi quoddam liquidum & liquor butyroſus, atque cum hôc illud ipſum, quod in hiſce, præſertim verò ♁iô eſt volatile, ac levi △e adſcendens: Unde forſan id nominis accepit, quod hæc medicina inſtar aquilæ alta petat, & ad ſublimia vaſis, impellente ſic ☿iô, evolet: Vel etiã ob principatum aut principem efficaciam, quam præ reliquis obtinet Vomitoriis & purgantibus, ut quaſi ſit Emeticorum alpha & coryphæus, velut aquila avium omnium vocitatur regina. Cæterum an hoc Medicamentum rectiùs dicatur ☿ vitæ, an verò ♁ ♎atum ac præparatum, hîc non pugnabimus, quemlibet ſuô ſenſu abundare non indignaturi; certum tamen eſt, quod Faber plerumque hunc perem titulô ♁ij præparati inſignire conſueverit. Nec incongruè, quia pulviſculus iſte facilimo negotio in quiviſſimum ☿ij vigulum reduci poteſt.

Ad. §. 20.

Deſcriptionem hujus remedii quum Autor ſæpius hinc inde non tantùm alibi in ſuis libris, verum in hoc ipſo etiam opuſculo, ut inpoſterum id concernere licebit, expreſſerit, ideoque præparationem ejus ſuccinctè ſaltim hîc tradit. Hæc ergo ſcienda inſuper adjungimus 1. quod ſolertiores Chymici locô ♁ uſitati accipiant mineram ejus, quæ violentiam Vulcani nondum experta, adeoque tenuiſſimas partes cum radicali ſuâ humiditate adhuc integras habet. 2. Rectiùs illi faciunt, qui non anaticas; ſed ♁ialis mineræ partem unam, 🜐 part. ij adſumunt, & in perem minutum ambo redacta probeque commiſta vitreæ 🝭 concredunt; imò & peractâ ♌atione prima magmati ſeu reſiduo recentem 🜐um addunt, atque ſic deſtillandi negotium iterant. 3. Per liquorem gummoſum nil aliud hîc intelligit Autor, quàm butyrum ♁ij, quod ne congelatum in collô 🝭 remaneat, & violentam hujus vaſis rupturam pariat, notandum; aſſiduô collum prunis calefaciendum; ne ibi concreſcere & coagulari; ſed in vas recipiens haud impeditô profluxu egredi poſſit. 4. Butyrum hoc ter ac ſæpiùs ex —E rectificandum, ut craſſities in fundô remaneat; ac venenata qualitas evaneſcat; illud verò, quod limpidiſſimum eſt, colligatur. 5. Pet ▽am laudati fontis innuit Autor fontanam eamque puriſſimam, qua in magna copia butyro ♁ij ritè rectificato affuſa per candidiſſimus per præcipitationem colligitur, qui ſufficienter ut ab omni corroſivô liberetur, ▽a fontana poſteà edulcorandus erit. 6. ▽ illa ſimplex ab acidô ♁ij butyro ſeu liquore eſt ſeparanda, & per ♌ationem detrahanda, donec guttas acidas tranſire perſenti-

ſentiſcàmus: Tunc enim illud, quod reſtat, egregium menſtruum àd extrahendas Ras & eſſentias, item ad præparanda ſingularia loco ſpirituum ⦶, ⊕, 🜍, aut ⊖, in æſtu febrili refrigeria nobis præbebit; Vocari autem ſolet ſpiritus ⊕ philoſophicus vel acidum ☿ij ad magnos alios in Medicina uſus, præſertim ad conficienda mgra. ut ſuo tempore dicetur, natum. 7. Doſis emetici hujus indicatur, quæ eſt à gr. iij. vel iv. ad v. vel vi, infrà tamen & alibi docet Autor hunc perem nec ſacchar. Candi quàm accuratiſſimè miſcendum eſſe; Alii nec ſpeciebus aromaticis (unde loco vehiculi Autor vinum tanquam liquorem quendam aromaticum quoque commendat) ☿ium vitæ eſſe jungendum, ſuadet, ne tonus ventriculi periclitetur, aut compages eius lædatur evertaturque nimis. 8. Per cuſtodiam artis & regimen, cum quo hanc medicinam monet adminiſtrandam, dubio procul innuit cautelas eas, quas Practici obſervandas his imponunt, qui hujusmodi vacuantibus utuntur, ut nimirum jejuno ſtomacho id medicinæ genus uſurpent, ut juſcula vel ▽am tepidam pro facilitanda vomendi iteratione in promtu habeant, atque ut loco tepido vomiturientes ſint conſtituti, ne rigor & horripilatio, quæ ad convulſionis tribum referri poteſt, vel quædam dumtaxat convulſionis perſona eſt, ſuperveniat, & quæ aliæ circumſtantiæ vel autem probè hîc attendendæ.

Si probare velis ſpiritum hunc philoſophicum, an ſc. ab omni ☿io liberatus ſit, ne vomitum ciat, affunde huic ipſi ſpiritui ſpiritum vini in pauca quantitate. Hoc facto, ſi ſpiritus philoſophicus ſeſe non præcipitat, ſpem ei omnino concredere debemus, ſin minus, non.

Ad §. 21.

Verùm ut ad eximiarum rerum ſplendorem iners adſcendere, livor ut plurimum tendat; ſic nebuloſa ignorantia nobiliſſimis etiam Medicamentis ſæpè pernitioſum eſt telum, & Vatinianô eadem proſequitur odiô, aut exoſiſſima reddit: Unde conſuetius nihil Miſochymicis eſſe percipimus, quàm abominari ♁iata, & vel ad ſolam ☿ij mentionem, veluti ad conſpectum Gorgonis præ horrore verſos in ſaxa homines fabulatur vetuſtas, ita exhorreſcere, ut ex agrô medicô hujus familiæ remedia penitùs proſcribenda, & tanquam Dæmone ipſô vel morte pejus (hinc etiam mortis potiùs, quàm vitæ ☿ium nuncupandum Artis oſores aſſerunt) vitanda ſtupore hôc præpediti exiſtiment. Quamvis itaque per ille emeticus decenter præparatus probatiſſimæ ſit virtutis, & debitis præconiis in conclamatorũ affectuum curâ nunquam ſatis extolli queat, utpotè qui non tantùm radicaliter viſcoſam 🜿reamque humorum vitioſorum contumaciam potenter reſolvere, atque brevi manu exturbare valet, verùm etiam ſin intenſiſſimus capitis dolor ab animatâ humorum corruptione ſcaturiat, eam effectiſſimè enecare & expugnare potis eſt; hæc poſterior namque genuina eſt ratio, cur vel ipſi etiam Empyrici & cir-

cumforanei unico hôc remedio curationum miracula ac veluti monſtra licet præter intentionem præſtare ſoleant; nihilominus tamen vel inſipientium vel meticuloſorum turbæ morem quoque gerere hîc paratum ſeſiſtit Autor, denominando nempe & ſubſtituendo Sudorifica chymica, mox ſpeciatim recenſenda, quorum tamen uſus felicius utique cedet, ſi clyſteres convenientes fuerint præmiſſi.

Ad §. 22.

Excellentiſſimorum ſanè Diaphoreticorum catalogus hîc adducitur, qui intimiorem & ex præcordiis Chymiæ petitam explicationem etjam meretur. Quid ergo per ☉, per ♃, atque per ☿ ſudorificum ſibi velit Autor, nemini niſi expertiſſimo Spagyrico liquidum eſſe poterit. Hæc noſtra eſt ſententia, quam triplici modô adeoque fideliter expedire conabimur: Vel enim 1. eodem titulô bezoardicum tam ☉re, quàm ♃ale, item *bezoardicum minerale* ſimplex indigitari poſſe ſentimus, vel 2. ☉ eodem modo ſudorificum reddi poſſe, ac ipſe ♃ cenſemus, ſicuti hoc ipſum vid. infrà p. 37. §. 9. infrà nobis innoteſcet, ubi ſudorificum maximùm ex ♃ & utroque ☿ tam currente quàm ♎atô nos conficere Faber docebit, quâ de re ſuô dicetur tempore; vel tandem 3. eodem modô ☉ & ♃, ut margaritæ & corallia ſudorifica reddi poſſunt, dum videlicet æquales, v. g. margaritarum & reguli ♁ij albiſſimi partes adſumendas, & poſteà cum ⦶ ad pondus omnium hanc præparationem abſolvendam dictitat, quemadmodum vulgò ♁ diaphoreticum confici novimus. Sed de ☉ vel aliis metallis tunc notandum, quod ad ℔j. ♁ ſufficiat ℥j. vel ij corporis metallici, alioquin ſi ſecus fiat, hoc ipſum decenter vix reſerari, & virtus ejuſdem haud rectè erui poterit. Sed dabitur alibi nobis de nobili hôc medicaminum ſtemmata luculentiùs loquendi occaſio. Quid porrò volatilia ex vegetabilibus cephalicis (quorum ſeries ſatis jam nota eſt) parata pariter ſudorifera concernit, per ea nil aliud intelligit Noſter, quàm ſpirit⁹ præviâ fermentatione ex plantis eductos, qui nihil aliud ſunt, quàm ⊖ia volatilia liquida ac reſoluta, quæ propter inſignẽ penetrandi ac humores fundẽdi reſolvendiq; energian, quâ pollent, copioſũ ſudorẽ undiq; provocare oppidò valẽt. Verùm an chymica illa & ex regnô minerali deſumta ſudorifica capitis dolorẽ ratione provocati hinc ſudoris tollãt, an verò cã poti⁹ ob cauſã, quod animatę ſeu verminoſæ humorũ corruptioni (ſicut ob aſſiduam lancinationem & vellicationem partium nervoſarum im̃aniſſimos dolores inde ſuboriri ſtatuimus) ſint infeſta ac feralia, ſanioribus, & qui Kircheri ſubtiliſſimam philoſophiam amplectuntur, dijudicandum relinquimus: Poſterior ſanè ratio nobis arridet, & noſtrum ſic

vid. infrà p. 116. §. 5.

ſentiendi animum firmiſſimè ſuffulcit modus prædicta Medicamenta parandi, dum beneficiô ☿ & ♁, quibus vermiculis nil magis eſt lethiferum, id confieri, nobis quàm evidentiſſimè conſtat; ſudorem verò tunc veneramur tanquam fauſtum exoptati effectus ſignum, ſiquidem exinde virtutem Medicamenti ad penetralia corporis tunc perveniſſe, ſic poſtmodum concludere, ac certi eſſe poſſimus.

Ad §. 23.

Externa Medicamenta tandem contra cephalalgiam non prætereunda ſic quoque ſignificat Autor, dum caput purgium, & in ſpecie quidem ſternutatorium expreſſis commendat: Vitioſi namque humores in cerebrô jam ſtabulantes per illam ſic dictam cerebri cloacam ſeu nares hôc mediô otyùs educuntur, quod tamen hâc lege concedendum eſt, ùt univerſalia præmittantur; alioquin ſi inferior corporis regio adhuc impuritatum copia ſcateat, caput potiùs replebitur magis; dolor exaſperabitur, aut ſuffocativi catarrhi periculum hinc ſuccedere poterit; deinde ſequentes pariter circumſtantiæ ſunt animadvertendæ, num oculi videlicet ſint affectus, num nares ulceribus obnoxiæ; vel æger in hæmorrhagiam pronus, item an facilè in vertiginem incidat, quam ptarmica cumprimus excitare valent. Hæc itaque ſi obſtent, uſus ſternutatoriorum tunc utique erit ſuſpectiſſimus. Circa formulam remedii iſtius, quam ipſe adpoſuit, nihil habemus, quod monendum ducamus; eſt enim magnæ omninò in hôc caſu facultatis, niſi quòd in ſexu muliebri omittendam indicemus ambram moſchumque, ne matrix exinde rebellis fieri, ac ſuffocatio ejus ſuccreſcere queat. Eximii etiam noſtris ac virtutis ſternutamentum præbet caput mortuum 🜍li in perem ſubtiliſſimum redactum, ut & ▽a noſtra ptarmica ex ⊖ dulcificato parata. Cæterùm appendicis loco operæ pretium arbitramur, ſi modum ac methodum, quâ cephalalgiæ mederi nobis conſuetum eſt, hîc breviter adnectamus: Eſt nimirum ſolemne nobis unum vel alterum clyſterem præſertim nec liquore noſtro virgineô compoſitum ſtatim præmittere; Vel ſi hanc præſidii ſpeciem abhorreat æger, ad pilulas noſtras ☿iales vel etiam ♁iales catholicas, (quarum illas ingreditur ☿ vitæ fixatus; has verò flores ♁ij albi itidem fixati) quarum 4. vel 5. pro unâ doſi præbere ſoleo, confugere, ſi videlicet hoc ſymptoma urgeat abſque malignitatis ſatellitio; tunc enim & in hôc caſu enemata noſtra ſaltim habebunt locum, utpote quæ incendia maligni fermenti maſculè, non quidem purgando, ſed potenter præcipitando, extinguere, & ſic nociviſſimas ad caput exhalationes compeſcere valent: Poſteà præſentiſſimô nec effectu cinnabarim ♁ij, vel hinc paratum ſpeci-

⊖ hoc dulcificatum fit per frequentiſſimã ♌tionem cum ✳. Liquor hic procedit ex Caduca vonenata rectificata & correcta ☿ vita redditur fixatus nec ſpiritu ⊕ duplicato.

ſpecificum cephalicum, aut ſuccin. alb. præparatum, vel perem balſamicum noſtrum, item Ram corall. veram vel ☿ij, vel etiam flor. papav. rhead. aut eſſentias oliban. vel ſuccin. vel tacamahac. ac tandem ſpiritũ cephalicum noſtrum porrigere conſvevi. Quod ſi propter contumaciam mali adhibitis hiſce Medicamentis nihil profecerim, nec datô etiam emeticô ſcopum attingere potuerim, ad aſtrum meum anodynum vel opium ☿iale Fabri actutum recurrere non deſtiti: quorum virtus etiam juvandi deſiderium nunquam deſeruit. Ad extra toties mihi probatam habeo ▽am ſpecificam nec °8° ⊖is confectam, quâ vertex ſæpiùs & cum quadam frictione eſt madefaciendus; deinde etiam ⋇ cephalicum meum ex ⊕ factum ſuas hîc laudes meretur, quod per aſſiduum odoratum adflicto capiti egregium adferre ſolatium ſolet. Atque his remediis ſolis totâ die cephalalgiam ſanare feliciter ſoleo.

CAPUT II.

De

Inveterato Capitis dolore.

§. I.

INveteratus Capitis dolor ortum ſuum à contumaci recrementô aliquo habet, quôd ab alimento capitis corruptô producitur, & ob peculiarem ſuam ac viſcoſam tenacitatem expelli nequit à ſpiritu vitali, qui caput ejusque partes vivificat, & tam actiones vitales in iis, quàm morbificas efficit, atque has quidem, dum ſpiritus iſte ab excrementis & hinc exhalantibus ſpiritibus læditur: Secundùm enim læſionẽ & ejus diverſitatem morbi varii diſtinctique oriuntur, materialiter verò juxta diverſam excrementorum, in capite ex variâ alimenti capitis alteratione aut corruptione productorum, naturam diſtinguuntur: ſæpiùs nempè alimentum noſtrarum partium corrumpitur, ſecundùm quam corruptionem poſtmodum ipſi etiam variantur morbi.

§. 2. Itaque ſi corruptio iſtius alimenti tenax, viſcoſa, & glutinoſa exiſtit, ita ut partibus capitis pertinaciter adhæreat, ac difficulter hinc explodi poſſit, tunc ob difficile illud & vix expugnabile excrementum pertinacem etiam, & difficilem curatu inveteratumque ibi dolorem parit.

§. 3. Imô ab excrementis illis difficillimè expugnabilibus ſæpiſſi-

mè vermes,ſerpentes,ſcorpiones, & alia hujuſmodi monſtra per leviſſimum etiam partium calorem ac humiditatem enaſcuntur. Hæc inſecta igitur partes ita corrodent poſtmodum, ut ſpiritus ceu veriſſimum ſenſus organum à cauſâ continuâ,& ipſi perenniter negotium faciente hinc ſummoperè doleat. Atque hæc eſt veriſſima & materialis ipſius capitis doloris cauſa,efficiens verò ſpiritus animalis,parteſque capitis vivificans, iiſque ſenſum impertiens.

§. 4. Totius curationis cardo conſiſtit in auferendâ materiali cauſa inveterati doloris,ac roborando ſpiritu noſtro animali, qui primùm in ſe ipſô ſentit & patitur dolorem,ſecundariò autem eum partibus cunctis,quibus præeſt,& in quibus dolet, communicat.

§. 5. Ad tollendam cauſam materialem, excrementa illa omnia acria,ſalita,pungentia & urentia,quæ ex errore (id eſt corruptione) coctionis alimentorum in capite oriuntur,♁iô noſtrô præparatô vel Crocô metallor. vel Xô emeticô expurganda veniunt, quod ſequenti modô paratur: ℞. Vin. alb. opt. ℥iij. vel iv, cinam. opt. ʒß. vel Scrupel per emetic. noſtr. vel C. metallor. gr. viij. maneant per noctem integram in infuſione, manè filtr. X, filtrato, claroque, & limpido add. ſyrup. viol. aut capill. ♀ q. ſ. M. f. potio gratiſſima & ſuaviſſima, ſummô mane nec cuſtodiâ Artis & regimine propinanda, quæ porro bis vel ter ſecundùm vires ægrotantis,& ſi copia excrementorum expurgandorum id indicet,iterari poteſt.

C. metallor. ita præparatur, ut ♁ nec ⊕ unica tantum vice igniatur, ſi ſæpius hoc fit, vim ſuam emeticam amittit. In locum ſyrup. viol. confert etiam ſubſtituere julepum roſar. vel viol. quum ſyrupus iſte nimis craſſus ſit.

§. 6. Expurgatis ſic recrementis totum caput ſummô manè in valdè robuſtis corporibus frigidâ fontis ▽â lavetur, in aliis verò tepidâ ſaltim: Deindè per Caput purgium ſuperiori capite deſcriptum purgetur,inſufflando per nares ter vel quater in die parum hujus peris; poſtmodum gratiſſimis odoribus nempe roſis,violis,ambrâ ac moſchô cerebrum recreetur.

§. 7. Si dolor his remediis non ceſſet, ſuſpicandum eſt crudele aliquod animal in quadam capitis cavitate,ubi dolor potiſſimùm urget, productum,quapropter de trepanô cogitandum, & hôc ipſo pars illa capitis aperienda,ut animal iſtud tollatur: Càvendum tamen ne trepanum ſuper capitis adponatur ſuturas. Nam etſi dolor eſſet in ipſis ſuturis, nihilò tamen minùs longè ab ipſis trepanum eſt adplicandum,craniumque ſic aperiendum,ut remotô pericraniô,vulnere crucis formâ in ipſo pericraniô priùs factô perioſtium cum caudâ ſpatulæ ſuſtolli, & ſuper cranium probè denudatum adponi trepanum poſſit. Quô factô perforata cranii pars

Trepanum duplex eſt, mas, quod in ſua medietate cuſpidem habet; fœmina, quod cuſpidem non habet.

pars linteis eſſentiâ menth. vel calaminth. aut rorismar. vel V myrrha aut thure imprægnatô madidis ſtatim tegenda: ſic enim animalia ex alimenti excrementis producta foràs per apertum cranium, tum odore ipſarum eſſentiarum adlectantur, tum expultrice ipſius ſpiritus facultate ejiciuntur.

§. 8. Extracto igitur ſic illo animali, conſolidandùm rurſus eſt vulnus, quod ſolis jam dictis topicis, ſpiritu ſcilicet vini thure ac myrrha imprægnato peragitur. Poteſt etiam emplaſtr. de beton. nec V in unguenti conſiſtentiam diſſolutum, vel balſam 🜍ris ſupponi, quod ſequenti fit methodo: ℞. 🝆 oliv. comm. ℔j, 🜍 flav. ℥j (meliùs flores 🜍ris adſumuntur) bulliant ſimul in vaſe fictili, donec 🝆 rubeſcat ut ſanguis, deinde auferatur ab △e, add. ceræ opt. novæ ℥iij, terebinth ℥ij, thur. myrrh. ariſtoloch. rotund. & nicot. in perem redactorum omnium aa. ℥j, M. ſimul, dum adhuc calet 🝆 prædictum, & f. linimentum, quo capitis vulnus tractetur, & DEO dante ſic breviſſimo tempore ad cicatricem conducetur, veluti omnia etiam vulnera hoc ſolo balſamô tutiſſimè ac jucundiſſimè brevi ad cicatricem perveniunt.

🝆 quoque amygd. amar. inſigne eſt vulnerarium, it. 🝆 expreſſ ex nucl per ſicor. quæ ambo corruptioni & putredini utiq; præſtanter reſiſtunt.

§. 9. Atque ſic dolores capitis inveterati quicunque curantur, ut & hemicrania ipſa, de quâ peculiariter agendum non eſt, quod ea ſuprà dictis Medicamentis & vel ſolâ frigidæ ▽æ lotione curari queat, utpote quâ capitis calor naturalis & ſpiritus ipſe factâ ſic repercuſſione caloris externi refocillatur: Per hanc enim antiperiſtaſin calor naturalis in capite angetur, & proinde fortior fit ſpiritus, unde fortius etiam cauſæ materiales ipſius doloris à ſpiritu, qui à dolore ſe vindicare geſtit, expelluntur. Unumquodque ſiquidem ſe ipſum adverſus ſuos hoſtes defendit ac conſervare nititur.

Animadverſiones
Ad
CAP. II. in genere.

Licet uno capite utramque doloris cephalici ſpeciem expedire, ideoque una fidelia duos parietes dealbare potuiſſet Autor, quum, qui unam norit, ambas pariter norit; cui accedit, quod capite priori adpoſitâ curandi ratio, ſi rectè obſervetur, omni capitis dolori ex ſententia ſanando ſufficere queat; nihilominus tamen voluntas Autoris, qui hoc ne-

gotium ſic diſponere,& inſolita juxtim præſidia hîc afferre ſtatuit, haud ſusque deque habenda erit.

Ad §. I.

Contumax affectus contumacem utique & tenaciſſimam præſupponit cauſam juxta illud: Qualis effectus,talis cauſa. Gravi autem corruptioni proprium eſt,ut hinc humores evadant mucoſi, & facilè viſcoſam fracedinem ac glutinoſam tenacitatem conſequantur, veluti quotidiè, v.g. in decimô (vappam tunc vocant) & aliis quibuscunque liquoribus putreſcentibus & corruptionem incurrentibus id demonſtratum dari poteſt, ſiquidem illi ſic ſtatim putidam fracidamque mucilaginem adſciſcant,ac in viſcidos grumos coagulentur.Quò major ergò corruptio liquidis contingit, eò etiam glutinoſa magis & pertinacior fit eorum viſciditas, quæ verminoſæ poſtmodum familiæ commodiſſimam præbet matricem aut domicilium, atque exinde ſuſpectiſſima miaſmata (Autor ſpiritus vocat) Archeum noſtrum graviſſimè lædentia ſpargit, quæ pariter non niſi tenaciſſima,utpote à tenaci materia provenientia ac partibus pertinaciter adhæreſcentia exiſtere poſſunt. Significat ſic inſimul Autor, unde morborum differentiæ potiſſimùm ſint petendæ; nempè à diverſitate materialis cauſæ ac humorum corruptionis: Quò enim levior,vel major,aut maxima eſt eorum pariter atque excrementorum corruptio,eò leviores etiam vel graviores,aut vehementiſſimi morbi hinc fieri ſolent, ita ut morborum varietas ex diſtinctis hiſce corruptionis gradibus præcipuè depromenda ac ponderanda veniat.

Ad §. 2.

Per contumacem morbum in Medicinâ innui curatu difficilem, & ubi cauſa morbifica expugnari aut exterminari non poteſt, vel quæ generoſis remediis nequaquam cedit,collectu ſtatim promtiſſimum eſt. Ergo quod obiter monendum,ad potentiora arma tunc recurrendum eſſe, bonus actutum argumentabitur Medicus.

Ad §. 3.

Vermes generari in corpore noſtrô & omnibus ejusdem partibus, jam indubitatum eſt,ac abundè id teſtantur hiſtoriæ aut exempla, quæ in Arte noſtrâ plurimum momenti magnumque pondus ſuſtinent: Nihil enim in Medicinâ non incertum eſt, quod non firmaverint infallibiles obſervationes. Nec deeſt etiam huic themati oppidò patrocinans ratio, quæ ex phyſicâ baſi,unius corruptionem eſſe alterius generationem egregiè ob oculos ponit. Quæcunque, inquit Helmontius,ſitum ac fracedinem putredinemque contrahunt, neceſſariò etiam vermes concipiunt:

Con-

Conſtat enim generatio eorum ex rebus abjectiſſimis ac contemtiſſimis, cœnô videlicet aut ſterquiliniô, quô tamen damnatiores longè ac deteriores eſſe vitioſos corruptosque in corpore humores (hinc non immeritô excrementitii etiam vocitantur) pronunciamus. Singularem inde notam meretur Ebraicum idioma, quô per putredinis vocem propriè ſignificatur vermis, adeoq; effectus pro cauſa accipitur. Sicuti ergo humorum corruptionem aut putredinem in cerebrô confieri vel eidem communicari poſſe, indubitatô patet; ita & verminoſa exinde fœtura, præſertim in febribus malignis, morbô Hungaricô, aut conſimilibus, qui ab excellentiori & ſonticâ putrilagine oriuntur, in capite progigni aut cumulari non nequit. Unde Practicis compertum eſſe novimus, narium hinc purgamenta, oculorum lacrymas, auriumque putridos humores in ∇am cadentes confeſtim in vermes fuiſſe converſos, vel ex naribus auribusque veros ſtatim vermes, ſive ut loquamur nec Mercuriali, viventes beſtiolas ejectas. Non ineptè hanc calamitatem quis vermicularem, & corruptionem iſtam dixerit ſerpentinam: Imò nos quemvis acutum ac perſeverantem Capitis dolorem à vermiculari aut ſerpentiformi vel ſcorpionum etiam horridas imagines referente hac genitura (quæ ſpiritum noſtrum & partes, quibus is inhæret, perpetim rodendo radendoque, aut morſicando, pungendo, ac veluti urendo graviſſimè lancinat) provenire aſſerimus; quod qui nobiſcum ſibi perſuadebit, curandi ſcopum ex votô etiam conſequetur, ſi hujusmodi remedia tam interna quàm externa, quæ ſingulari efficaciâ verminoſum hoc ſeminium enecare valent, ſedulò adhibere ſtudebit. Genuinum autem modum, quomodo ex putrilagine eximia vermes pronaſci queant, hîc adponere prolixitatis crimen vitaturi ſuperſedemus, quod illum magnus Kircherus in ſcrutiniô ſuô de Peſte nuper à nobis editô graphicè & luculentis coloribus depinxerit, ad quem curioſos amicè remittimus.

Ad §. 5.

Nidus ac fomes Corruptionis, qui circa primas vias & earum anfractus reſidere ſolet, exoptatiori ac celeriori ratione vix eradicari poteſt, quàm beneficio Emeticorum ſpagyrico artificio paratorum, in quorum claſſe ♁ Autoris præparatum (vulgò ☿ vitæ dicitur) & crocum metall. (quibus non injuria etiam accenſemus ⊖ ⊕ ritè purificatum, & in ∇ beton. aut ſpecifica alia diſſolutum) eminere ſcimus. Pro delicatulis, & quorum palato blandiri Medicus neceſſum habet, infuſum ex utroque conficere docet Autor, ubi loco decimi ejus ſpiritum etiam, præſertim ſi clientes ipſi hujusmodi ∇am vitæ purgantem aut emeticam eligant.

gant, ſubſtitui, & ad ℥iij vel ij. nec ſyrupo quodam aut julebo potiùs edulcoratum commodè porrigi poſſe commonefacimus; His ipſis autem remediis non tantùm præſtantiſſimè reſolvitur, & attenuatur viſcida illa ſeu mucida humorum putrilago, ut poſtmodum absque ullâ difficultate per meatus naturales eliminari poſſit, verùm etiam, ut ex ſuprà dictis jam nobis eſt notum, verminoſæ putredini ac geniture præſentiſſimum exterminium ſeu internecionem illa adferunt.

Ad §. 6.

Quemadmodum in omni morborum curatione ſemper præmittenda ſunt univerſalia aut evacuantia, antequam ad alterantia nos accingamus; ſic quoque Autor expurgatis priùs recrementis ad externa tandem media progreſſum ſuum inſtituit. Cùm autem ſpiritum in capite dominantem ſtudioſè tunc roborandum (veluti ſemper bono Medico de refectione aut conſervatione virium ſolicitè eſt cogitandum) exiſtimet Autor, quò cauſa materialis potentiùs propulſari ac evinci queat, præ cœteris ſubſidiis lotionem capitis ▽â fontis actu frigidâ factam commendat, non ſecùs ac Practicis quibusdam uſu receptum legimus, ut ſcrotum aut teſticulos in ▽am frigidam nec ✕ miſtam immergendos tunc conſulant, hâc videlicet fini, ut calor naturalis per externarum & remotarum partium ſuperficiem diffuſus ad interiora revocetur, atque ſic robur ipſius ſpiritus conduplicetur, prout vis unita & coacta fortior ſemper deprædicari ſolet: Verùm enim verò utut accuratiſſimo alioquin Autori contradicere nollem, nihilominus tamen interiori adſectu rationibus ac veritati, quàm autoritatibus nos obſtrictos perſentiſcentes, quid nobis hôc de conſiliô videatur, paucis expediemus: Suſpecta nempè nobis ſunt omnia illa, quæ inſenſibilem tranſpirationem impediunt, quoniam fuligines & miaſmata maligna ſic quaſi ex ἰδροκιρέσει retinentur aut coacervantur, vel à periphoriâ ad centrum reducuntur, adeoque aucto hinc fermento morbifico affectus mirum quantum exaſperatur, imò materiæ peccantis delapſus à capite ad præcordia ſeu vitalia ſummô cum vitæ periculô hâc ratione non raró acceleratur; deinde etiam ſeriò ducimus repellentia quævis inſigni cum cautelâ magnoque cum judiciô uſurpanda eſſe, ne vitium à partibus ignobilioribus ad nobiliores temerè præcipitetur. His prælibatis quilibet facilè jam concludere poterit, in ancipitem valdè aleam hos trahi, quibus in hôc caſu ▽ frigida caput tantoperè affectum lavatur: Cæterùm noſter eſt Autor, dum iterato præconio caput purgium ſuum ſeu ſternutatorium extollit, nec non odoriferis caput conſolandum ſvadet: Quâ occaſione recordamur, Hel-

Helmontium ad interimendos vermes ſæpiùs laudare ▽am communem nec ☿ vivo pauliſper bullitam, quam pauco & innoxio potu (impregnatur enim ſaltem ſic ▽ radiali virtute ☿ij, ſicuti etiam abſolutâ hâc ebullitione planè nihil de pondere ☿ij deceſſiſſe deprehendimus, licet millies etiam ☿ nec ▽ coqueretur) vermes in inteſtinis abſque partibus internis, item & extrà adhibitam, in ulceribus ſuccreſcentes, effectiſſimè perimere dictitat. Quid ſi ergò ▽am v. g. majoran. vel aliam cephalicam (quæ tamen nos ſpirituoſa, nec acida eſſe debet) accipiamus, & prædicto modo ☿iali hoc radio eam imprægnemus, poſtmodumque liquorem ptarmicum exinde paremur, ſanè vermes in cerebro & capite ſtabulantes hoc ipſo remedio tanquam Herculis quadam clava tutò, citò, ac potenter occidere atque exterminare poterimus.

Si ptarmicum hoc fortius eſſe debet, ſtimuli locô grana aliquot ⊖ ⊕ vel ☉ dulcificat. ſimul addi poſſunt, atque ita unà cum ☿ in laudata ▽ bullire.

Ad §. 7.

Trepanum ſeu terebram profuiſſe multis, præſertim hærente & graviter putreſcente ſub cranio cruore, ex vaſorum rupturâ effuſo, qui ſic in tempore extrahi poteſt, quò minùs lethalium inde ſymptomatum ſcaturigo pertimeſcenda, multis teſtimoniis ſtabiliunt artis chirurgicæ magiſtri: Quod inſuper hoc ipſum præſidii genus, ſi præſertim grandis fortè vermiculus, vel ſerpentinum aut ſcorpioni non diſſimile monſtrum in quadam capitis cavitate ſit enatum, ſicuti Obſervationum ſcriptores rara & pertentoſa hujusmodi exempla adnotaſſe meminimus, præſens auxilium juxta Autoris mentem præſtare tunc potuit, nulli pariter dubitamus. Veruntamen quum noſtrates & harum regionem incolæ à ſæviore iſta medicina, quam proinde hujus oſores Hippocratis lanienam adpellitant, impenſè abhorreant, ac citiùs mortis periculum ſubire malint, quàm ut ferrum Chirurgi ferre adnuant, ideoque alia media, quæ in deſperatis hiſce caſibus conveniunt, quorum etiam ſuprà eſt facta mentio, omnibus ingenii viribus tunc excogitanda veniunt. Cœterùm peritam manum cautumque & animoſum juxta virum hæc trepani adminiſtratio ſibi depoſtulat, in quâ cumprimis obſervandum ab Autore inculcatur, ne cranii perterebratio in ipſis ſuturis inſtituatur: Matres namque ſeu meninges cerebri ad pectinatim coëuntes ſuturas haud contemnendam fibrarum multitudinem transmittunt; ut ſic non tantùm dura mater ſuſpendatur ac firmiter alligetur, ne interiores cerebri partes comprimantur; verum etiam ut perioſtium ac pericranium ex harum fibrarum concurſu aut texturâ conſtitui queant. Ut ergo trepanum tunc non rejicimus,

mus, quoniam vermis intra cranium & duram matrem latitat, ſic illud locum planè non habebit, vel fruſtra adplicabitur, ſi inter piam matrem ac cerebri corticem, vel in ipſa ejus medulla is contineatur: Quomodo enim integris cerebri hiſce membranis tranſitus patere ipſi poterit, quarum diſſectio minimè concedi ſolet, quod omni ex parte ſit periculoſiſſima.

Ad §. 8.

Ex gummoſâ ac reſinoſâ familiâ deſumtæ ſpecies virtute emplaſticâ ſeu balſamicâ, ſive balſamo naturali ſingulariter amicâ pollent; quum juxta Spagyricorum doctrinam ex 🜁; ▽ & 🜃æ ſuccolentâ pinguedine, adeoque ex iis rebus, quæ calido innato & humido primigenio adipoſo turgent vel abundant, primordialiter exoriantur, & proinde nihil aliud ſint, quàm meræ ſuperfluitâtes alimenti pinguioris & unctuoſi per poros arborum exſudantes, unde & principiorum ſuorum conditiones aut energias non ſortiri non poſſunt. Philoſophi reſinas & hæc balſama elementorum nuncupant 🜍, in arborum nempè viſceribus quàm optimè digeſtum. Ergo in vulneribus feliciter cicatriſandis mirabilem gummoſæ hæ ſubſtantiæ, veluti ſunt myrrha, olibanum, maſtiche, ſuccinum & alia, obtinent poteſtâtem, quod corruptioni ac putredini maſculè reſiſtânt, ac ſpiritum vitæ ſeu balſamum Naturæ, cujus cooperatio hîc potiſſimum requiritur, potenter confortent: Qui enim ex Chirurgis putredinem ac ſuppurationis fermentum à vulneribus citò conſolidandis veluti in manu habent. Balſamus 🜍ris traumaticus, quem Autor parare docet, ſuo encomio utique dignus eſt, majoris tamen momenti erit, ſi locô oo olivar. comm. adſumatur oo hyperic. quod Poterius omnium balſamorum aut oleorum cruentis ac recentibus vulneribus dicatorum eſſe præſtantiſſimum adfirmat; Deinde conſultius loco 🜍ris crudi ſubſtituuntur flores 🜍ris ex ⊖e comm. ſæpiùs ♎ati ʒj. Sciendum injungimus olibanum & myrrham in majori doſi, & quidem ad ʒij vel iij, quàm ut præſcripſit Autor in hâc ſuâ compoſitione utiliter recipi; Tandem ſi ingredientibus hiſce addamus 🜃 ⊕ dulc. balſamic. ʒij. generoſiſſimum ad vulnera celeriter ſananda impetrabimus medicamen.

Flores 🜍ris optime nec ⊖e comm. ♎antur, ſi 🜍ris contuſi accipiatur pars j. & ⊖ comm. præprimis decrepiti partes iij, ut ita ♎atio hæc ter vel quater repetatur, ſemper adjecto novo ⊖e.

Ad §. 9.

Miſcella omninò, & tantâ Autoris eruditione indigna eſt illa inveterato capitis dolori ac hemicraniæ medendi ratio, quam vel ſolummodò cum ſimplici ▽â frigidâ celebrandam ibi percepimus: Hæc enim

nisi

niſi ſpiritu aliquo minerali aut rectificatiſſimô ſpiritu vel 🝆 Θis ſit decenter dotata (tunc enim epithema nullatenus pœnitendum contra capitis dolorem pollicemur) multis peſſimisque modis Medici famam potiùs proſtituent; ut non minus rectè quàm verè hinc dixerit Helmontius: Deſperantes, inquit, Galenici (ſic eos nempe nominat, qui pyrotechniæ aut Ckymiæ nomen gehenna pejus fugiunt) & copioſam morborum incurabilium cohortem effingentes palliativam curam calamitate ac deſperatione plenam introduxerunt. Reliqua per ſe clarent.

CAPUT III.

De *Dolore Dentium.*

§. I.

Alimentum proprium innatumque dentibus ſæpiſſimè depravatur, & in excrementum mordax & cauſticans vel pungens ac corrodens non nunquam degenerat; unde ſpiritus, quo alioquin vivificantur dentes, laborem & dolorem protinùs ſibi ineſſe ſentit. Eſt enim dolor dentium paſſio & affectus p. n. ipſius ſpiritus dentem vivificantis, ortus ab excrementis præternaturalibus, hunc ſpiritum graviter afficientibus.

§. 2. Hinc nempè fit in dentibus dolor: Non verò à pituita, nec ab utraque bile, nec per vapores etiam in caput adſcendentes, quos hinc in fauces, in dentes, ac gingivas deſcendere, ibique dolorem acutiſſimum, dum in nervum radicibus dentis inſertum incidentes eum hinc vellicant ac pungunt, facere, merum commentum eſt. Non datur namque pituita in corpore, nec utraque illa biles, neque illud etiam, quod ex alimento corrumpitur, abire in pituitam aut geminam bilem poteſt, quum tempus, locus, & agens in varias ac diſtinctas res, ſecundùm diverſas alterationis ſeu corruptionis vires, corruptum mutent; Id quod ex doctrina Galenica diduci non poſſent, ſi ex pituita & bile utraque alimentoſa exoriretur ſemper pituita illa ac bilis corrupta. Poſtquam enim corrupti ſunt iſti humores, non ampliùs nomen humorum merentur, quòd totô cœlo per illam corruptionem ab humoribus ipſis differant.

 §. 3. Non

§. 3. Non ergo dentium dolor ex his humoribus corruptis & pravè alteratis provenit, quum nullo pacto in corpore reperiantur, nec reperiri poſſint, ſed tantùm excrementa quamplurima hîc attendenda ſunt, quæ ex uno latice ſeu unico humore alimentitio per corruptionem ejus ortum habent. Et hæc quidem excrementa variantur & diſtinguuntur ſecundum tempus ac loca, in quibus putreſiunt, & ex varietate aut diſtinctione ſpirituum, quos excrementa illa in ſe comprehendunt, variantur etiam morbi aut dolores ab iis provenientes. Sic dolor dentium variatur, & vel major acutiorque, vel minor ac optuſior fit ſecundùm excrementum magis pungens, vel minùs ſpiritum noſtrum laceſſens.

§. 4. Facili autem via methodoque hic morbus & dolor Medicamentis ex Chymicorum fonte deſumtis curatur, ſiquidem tota dentium doloris cura ex allatione excrementorum acrium mordaciumque, quæ dentium laceſſant ſpiritum, dependeat: Sublata enim cauſa tollitur ſtatim ejus effectus.

§. 5. Deinde cura etiam conſiſtit in horum excrementorum mutatione: Sæpius enim non purgato corpore aut capite vel partibus dolore affectis ceſſat dolor, nec redit, quod excrementa illa acria ac mordacia ſeu cauſtica dolorem inferentia à ſuis cauſticis & mordentibus qualitatibus ſic mutentur alterenturque; ideò, cùm ampliùs acria, mordacia ac cauſtica non exiſtant, neceſſum etiam eſt, ut dolor ipſe ceſſet.

§. 6. Mutantur autem illa excrementa adpoſitis remediis pariter cauſticis vel mordentibus aliis, quæ mordacitatem acredinemquè excrementorum extinguunt, uti ſolet contingere in adpoſitione 🜆 vel 🝆 ⊖ aut 🜍, item 🝆 caryophyll. vel camphor. aut cinam. deſtill. 🝆 itidem lign. juniper. rectificat. aut lign. quajac. vel 🝆 ac eſs. thym. calaminth. origan. zinziber. & eſs. ſaturej. quæ ad miraculum uſque dolores dentium ſedant. Guttulis nempe non nullis harum eſſent. dens aut gingiva dolens perfricatur, ſicuti etiam guttula auribus impotenter, ut caput excaleſiat, ſpiritusque roboretur, ac fortior ad expellenda illa excrementa, quæ ipſi ſunt nocumento, evadat.

§. 7. Hiſce remediis non inveni ad dolores dentium ſedandos meliora: Adhibentur tamen Medicamenta etiam narcotica, quæ ſummoperè ſpiritum noſtrum ſtupefaciunt per ſomnum, ac indolentem reddunt: Sed hiſce remediis uti volentes moneo, ut priùs caput ipſumque

que corpus ☿iô dulci ſequenti modô purgent: ℞ ☿ dulc. diagrid. vapore ac nidore 🜍ris ardenti præparat. & ▽ roſ. ſolut. ad gr. VI. Conſerv. viol. ʒj, hiſce f. bolus, D. manè cum regimine ac cuſtodiâ.

§. 8. Poſt utatur anodyno ſummo ſequenti methodo præparato, ℞. Opii torrefact. ſuper laminam ferream calidam, donec optimè ſiccetur, ℥ij, deinde ſolvatur 🜊ô roſac. (quod anteà filtrandum) huic opio ſic diſſoluto add. Confect. Alkerm. hyacinthin. theriac. opt. & per electuar. diarhodon. Abbatis aa ℥j, moſch. ambr. aa gr. VI. ⊖ margarit. & corall. aa. ʒj. M. & f. opiata ſatis dura, vitreis vaſis ad uſum conſervanda, cujus doſis eſt ad gr. x, ex quibus fiat pilula unica; ac detur tempore ſomni poſt purgationem corporis: Atque ſic evaneſcent dentium, imò omnes alii quicunque, ut & colici arthriticique dolores.

Medicamentum hoc aliàs quoq; ab Autore Laudanum Paracelſi nuncupatur.

Animadverſiones

Ad

CAP. III. in genere.

DOloribus capitis qui citò & feliciter mederi callet, is pariter adflictis dentibus haud difficili labore obviam ire, ac medelâ debitâ conſulere poterit: Unam namque & eandem cauſæ indolem eodem quoque fræno edomare ac emendare licebit, prout antecedentia id confirmant, & mox conſequentia evidenter conteſtabuntur. Non immeritò autem Medicus ſolicitum ſe præſtat circa hujus affectus curam, ſiquidem vulgò nullus creditur tantus dolor, ut dentium poſſit æquare cruciamentum. Unde etiam Autoribus ſolemne eſt, maximis id tormentis adnumerare. Imò non paucos ex dolore dentium auriumque intolerabili mortuos propter exquiſitiſſimum ſenſum, quô pollent illæ partes (ſunt enim ſpiritu plenæ) Epiphanium Ferdinandum referre meminimus.

Ad §. 1.

Quali nutrimento augeatur & ſuſtentetur dentium mirabile ac marmoreum ebur, multi aut ignorarunt, aut confuſæ tradiderunt.

Paracelſus quidem de 🜿 dentium operoſè ſcripſit, attamen acu rem magis feliciusque tetigit Helmontius, quàm nec quiſpiam alius fecit hactenus; Nempè nutrimentum partis nutriendæ genio haud diſſimile eſſe debet. Ergo quum dentes petroſam oſtendant nobis ſubſtantiam, neceſſariò etiam ſemen ac nutrimentum petroſum, ſeu tale, quod à multipotente Naturâ aliqualem determinationem ac potentiam dentalis duritici jam ſuſcepit, requiritur, ut eodem debitâ ratione oſſea hæc ſtructura conſervari poſſit. Satis eleganter hinc expreſſit hujus alimenti naturam Helmontiùs, dum dicit, nutrimentum dentis ſigillum coaguli ac lapideſcentiæ ſperma luculenter obtinere, ac proinde non injuriâ mucilaginem lapideſcentem id nuncupari. His ex fundamento naturalis doctrinæ ſic præfloratis, ultrà argumentari, & conſequentiam hinc pandere ad familiam excrementi dentalis, ſive degenerantis ac corruptionem incurrentis nutrimenti, tantæ difficultatis non erit. Dentalis igitur lapis & dentale excrementum non eſt filius ſalivæ, nec 🜿rus ex aſſumto cibo potuque proſiliens, ſed dependet ex indole petraſi & ſuprà nominati dentium nutrimenti, quod ſicuti determinationem, duritiei jam ab initiô ſui hauſit, ita in ipſo etiam corruptionis actu poſtmodum petreſcit, ſive hoc intùs & circa dentium radices fiat, ſive forinſecùs, & eorundem lateribus cruſta lapidea ſeu 🜿rea adnaſcatur, ut hinc facilimô negotiô, unde tanta feritas & tam immanis contumacia iſtius doloris, & unde pariter tam exoptatum ſubſidium ex remediis ab Autore commendatis proveniat, ariolari nunc liceat; qua de re tamen poſteà. Nec tantùm ob corruptionem aut depravationem proprium ſeu adpropriatum cujuslibet dentis nutrimentum putreſcit ac petreſcit, verùm etiam experientia teſte non raró vermineſcit, ita ut ſub mucilagine iſta petreſcente infiniti vermiculi tanquam ſub antris ac conchis ſuis reconditi deprehendantur, de quo vermium genere ſciendum adjungimus, quòd duriuſculas ſcabraſque cuſpides & ſubtiliſſimè acutos aculeos habeant, adeoque peculiari conformatione gaudeant, & tanquam materiatum ſuam materiam referant, ſicuti ex teredinum ſpecie videre eſt, quæ ligni quandam aſperitatem oſtendit: Hinc conſimiliter, cauſam iſtius exquiſitiſſimi doloris cognoſcere, dabitur, quem fricando, pungendo, ac morſicando verminoſa hæc putredo inducit, ut cauſticatione propterea ſeu uredini haud ineptè aſſimiletur, veluti urtica urere videtur, quæ tamen reverà ab ſummè aculeatam ſuperficiem ſuam pungendô ſaltim uſtulantem hanc pruriginem ſeu dolorem uſtioni ſimi-

ni ſimi-

ni ſimilimum infert. Vermes autem in cavernis gingivarum ac dentium generari palàm declarabit ſuffumigium ex fructibus Alkekengi & cera vel autem invicem commixtis factum : Catervatim enim ſic vermiculos cum copioſo ſputo rejectos , ac dolores dentium crudeliſſimos ſic deſubitò ſanatos aliquoties obſervavimus atque vidimus. Sed & curioſis aut ſcire geſtientibus hîc ſatisfaciendum exiſtimamus , unde generationis ſeu corruptionis illa facilitas , quam recipit nutrimentum dentale , oriatur : Nimirum dentes creſcere deſinentes , & alimento vix vel pauculo indigentes faciunt , ut gingiva poſtmodum copioſioris excrementi (illa namque ſubſtantia ægrè difflabilis eſt , & quod ſuperfluum exiſtit , facilè poſtmodum corrumpitur aut excrementitium fieri ſolet) ferax evadat; quam putredinem & ejus promtitudinem excrementitia ſaburra in inferiori corporis ſentina fortè præſens , & hinc perpetim adſcendentes olidæ exhalationes omni dubio ſine facilitant atque ac celerant.

Contundatur fructus Alkekeng & cōmiſceantur cum cerâ , ut maſſa fiat.

Ad §. 2. & 3.

Ampliſſimus de humorum excrementitiorum quaternione in ſcholis ſolemniter recepto controvertendi campus hîc ſeſe nobis offert quidem , quem tamen ex profeſſo ingredi , foret prolixitatis aut remoræ crimen committere. Quid ergo noſtra mente hîc ſentiendum ſtatuendumque putemus , paucis explanare conabimur. Humorum diviſio juxta Dogmaticorum ſententiam in Inſtitutionibus Medicinæ nobis jam notiſſima & omnibus tritiſſima eſt , quàm proindè ruminare nolumus ; Neoterici autem & eorum anteſignamus Helmontius uſitatam hanc diviſionem damnant , & nugacem eſſe pronunciant , quod epatis actio ſit unica , nempè ſanguificatio , quæ unô pariter caloris regimine perficitur , ut hinc non niſi homogeneum quiddam ſeu ſanguis ſimpliciter ſic dictus naturaliter generari poſſit : Impoſſibile enim eſſe dicit Helmontius , unum calorem iſtos diverſæ temperiei humores poſſe unô eodemque temporis momentô ac in unâ actione producere , atque hujusmodi confuſam anomalamque humorum connexionem moliri. Quod ſi verò heterogeneum aliquid aut à colore ac ſubſtantiâ ſanguinis alienum in purpureâ hâc maſſâ conſpiciatur ; id planè corruptionis præſentis ſeu incipientis putredinis vitio adſcribendum is dictitat. Ergo hos ipſos corruptos & excrementitios ſuccos nil aliud eſſe demonſtrat , quàm moras ſanguinis degenerationes aut depravationes , quarum permultæ omninò obſervari poſſunt ; imò adpoſitum eſt , quod ulte-

ulteriùs monet Helmontius, diverſitatem colorum in ſanguine eſſe adæquatum corruptionis indicium, in quô partium heterogenitas ſeu diſſimilitudo naſci non poteſt, niſi diſponatur ad mox inſtantem putredinem; nec diverſitas in ſanguine fieri ſolet, niſi per præſentiſſimum ipſius interitum. Quapropter notandum rectè inculcat, diverſos in ſanguine colores ac fraternas eſſe dumtaxat putredinis comites, ac quosdam quaſi cometas, ſemper aliquid mali portendentes, quemadmodum etiam id in omnibus facilè putreſcentibus manifeſtò animadvertere licet. Si itaque in ſanguine videamus adeſſe colorem albicantem, vel flavum, vel viridem, cœruleum, fuſcum, aut nigrum, atque hujusmodi peregrinum alium, certos putredinis corruptionisque gradus ſub diverſâ hac pictura latere, ſtatim conjiciamus. Aſt quomodo Neoterici cum Anteceſſoribus noſtris conciliandi veniant, quis ſciſcitabitur forſan? ℞. detur, in terminô ſimilitudinis alicujus ſi maneamus, atque ſi hôc vel illo modo corruptos excrementitiosque humores iconem bilis flavæ vel atræ, vel pituitæ Veteribus ſic dictæ, & ſic porrò afferamus, repræſententur; concordiam in promtu fore non deſperamus. Stat itaque ſententia, nec bilem, nec pituitam alimentitiam dari, ſed ſi hujusmodi effigiei humores in ſanguine commixti deprehendantur, nobili ſanguinis proſapiâ eos penitùs indignos, & proinde tanquam vituperoſos, nec intendente Naturâ factos in exilium proſcribendos adfirmamus. Quænam igitur ſit genuina doloris dentium cauſa, brevibus quidem, ſed claris indicavit Autor, dum corruptum nutrimentum ſeu humorem excrementitium, & hinc prodeuntes maleficos, hoc eſt, Naturam ſeu Archeum noſtrum ſummoperè turbantes ſpiritus denominavit, juxta quorum diverſitatem diverſas etiam morborum dolorumque differentias exſurgere docet. Variare autem hanc corruptionem inſimul innuit ſecundùm locorum ac temporis varietatem: Loca enim quæ vitioſis exhalationibus perpetuô inquinantur, & anni tempora, quæ impurum aëris tractum pariunt, aut ſibi conjunctum habent, majoris ac vehementioris corruptionis anſam cauſamque luculenter ſuggerunt. Benè tandem concludit Autor, quò major ſanguinis & ſpecifici dentium nutrimenti corruptio adſit, eò acutiorem etiam & atrociorem hinc dentium ſuccedere torturam, veluti indubitatum eſt magnos & vehementes morbos ſummam quoque & ſonticam præſupponere corruptionem, atque hinc natam Archei ſeu ſpiritus vitalis inſignem offenſam, cui non niſi magnis ac generoſis remediis occurrendum, quivis facilè ſecum reputabit.

Sed aliâ occaſione de hâc humorum aut ſanguinis corruptione plura atque ſublimiora.

Ad §. 4.

Quantoperè dentium dolor ſuâ contumaciâ ſæpè Medicorum conſilia atque auxilia eludat, id tota die vel oculis noſtris concernere licebit. Mirum igitur cuipiam videri poſſet, cur Autor hunc adfectum curatu facilem adſeveret, atque hac ratione ipſam refutare experientiam non vereatur? Verùm ſi ponderemus errorem hunc ſeu culpam non Arti, ſed artifici minùs docto, qui rectam adpoſitorum medicaminum adplicationem ignorat, imputandam, adſertum hoc ſuô ſtatim lumine ſplendebit. Medicus ergo qui non vulgaria, ſed quæ ad cotem rationis ſunt exacuta, & per △em verè philoſophicum probata, ſapit, ante omnia cauſam radicitùs removere, ac centrum ægritudinis eruere laborabit; quô factô effectus & malum ipſum, quodcunque illud etiam ſit, unà cum univerſo ſuo ſymptomatum ſatellitiô vel ſpontè evaneſcet. Quænam vero ſint illa cauſam morbificam commodè ac potenter removentia ſeu evacuantia Medicamenta, partim ex præcedentibus capitulis repetere poterimus, partim paulò poſt §. 7. nobis innoteſcet.

Ad §. 5. & 6.

In dolore dentium ex ſententia ſanando non tantùm cauſæ remotionem, verùm ejus pariter & quidem potiſſimùm immutationem nobis commendat Autor, qua debitè peracta, ſine etiam corporis aut capitis expurgatione, dolor tolli confeſtim poteſt; Ideoque non tantùm media, ſed & modum immutandi & alterandi hæc excrementa, dolorem in dentibus efficientia conſimiliter explicat, dum videlicet vim ſeu qualitatem acrem, mordacem & cauſticam, quâ pollent eadem, eſſe quantocyùs corrigendam & proſcribendam ſuadet. Verùm de modô infeſtam hanc excrementorum qualitatem transmutandi reticere nequimus, intimiorem & ex arcaniore Spagyricorum diſciplina depromendam hîc deeſſe rationem, cur & quomodo adhibitis mox adpellandis remediis fiat humorum acrium immutatio, aut cauſticæ aciditalis correctio, adeoque hanc conſequens doloris licet vehementiſſimi tam adproperata remiſſio? Ad pyrotechniam itaque provocabimus actutum, ex cujus ſinu tam veras quàm varias depromere hujus affectus cauſas, oppidò nobis concedetur. Primò autem dicimus illum, qui dulcificationem ⊖ium callet, & ex fundamento intelligit,

Optimè dulcificantur ⊖ia per creberrimam affuſionem propriorum ſuorum ſpirituum.

rationis nervum omninò tenere. Non tantùm enim ingenioſis Chymicis cognitum eſt , à ſpiritibus & ſubſtantiis mineralium volatilibus bellum indici corporibus craſſis ſeu ≂is , verùm in hac ipſa pugna & reſiſtendi labore ſingularem ſpirituum potentiam ita vincere atque enecare corpora iſta , ut omnem hoſtilitatem & acrimoniam protinùs deponant , atque amicabilem dulcedinem adſciſcant , aut ad minimum penitùs inſipida evadant. 2. Ex Helmontio hîc revocandum arbitramur , quod de acidorum correctione , & quibus mediis aciditas vel cauſtica acrimonia miteſcere ſoleat , paſſim adnotavit : Mirabile nimirum eſt , quod ipſe ſtatuit , aut quod ipſa pariter experientia quotidiè ob oculos nobis ponit , quod vis alkali ſeu quamvis fixam 🜍ream que & ſtygiam ⊖is naturam (quam non niſi ſumma & exquiſitiſſima calcinatione ac purificatione , ſive per artificioſum mgrm , ſive per Naturæ induſtriam facta , impetrare corpora iſta poſſunt) omnem imò & cauſticam aciditatem , quam attingit , citiſſimo negotio ſic perimere , ut hinc ambo dulcedinem ◯ſam confeſtim acquirant , ac proinde omnem infeſtam exſuant acrimoniam. Ex hac ipſa baſi obiter intelligere poterimus , quid ⊖ nutritum ſeu ſaturatum ſit , & quomodo illud per combinationem duorum fiat ſpirituum fortium ſeu ⊖ium etiam igneorum vel alkalium (v. gr. ⊖e 🜍ri) ad igneam & valdoperè mordacem naturam redactorum , quæ factô quaſi concubitu ſic ſaturantur ac miteſcunt , ut hinc ſuavia evadant planè ac dulciſſima , de quô ex recentioribus non ita pridem Joachim. Polemann. in aureolô opuſculô ſuo , ſeu Novô Lumine Medico de 🜍re Philoſophorum admodum opportunè ac egregiè ratiocinatus eſt , qui videatur. Porrò ſi thema hoc ipſum jam adplicemus ad acre , mordax , acidum , 🜍reum , cauſticumque & per corruptionem ſic degeneratum nutrimentum , quod dentibus tantos cruciatus conciliare ſolet , concluſu non difficile erit , unde cum pauxillô goſſipiô adhibitis quibusdam ſpirituum mineralium (electio enim horundem penes Medicum erit) guttulis tam cubitanea metamorphoſis , omniſque acredinis interemptio , ac doloris tam immenſi levamen conſequatur : Unô verbô , myſterium veræ ≂ationis , vel ut Poterius loquitur , Philoſophicæ repercuſſionis , & radicalis corporum craſſorum reſolutionis , nec non impuritatum baſilicæ emendationis ſub hac medendi ratione deliteſcit ; Vel , ut progrediamur ultrà , ſi animata jam ſit nutrimenti dentalis corruptio , adeò ut à vermium aſſidua lancinatione aut compunctione dolor hic ſcaturiat , tunc vel ſpontè liquet , ferale ac funeſtum vermibus hoc eſſe ferculum , quod

△ca

△ea ſpirituum mineralium acrimonia ipſis deguſtandum præbet: Summatim tanta eſt horum ſpirituum poteſtas, ut metallorum denſiſſima lapidumque duriſſima penetrent corpora, & in momentô firmiſſimam cujuscunque mixti compagem ſolvant: Tanta, inquam, eorum eſt utilitas & virtus, ut admirabiles ac multiplices in Medicinâ effectus ob citatas anteà rationis præſtare potuerint. Deinde 🝆 ♌lata aromatica & his conſimilia deprehendimus contra hoc malum ab Autore laudata, de quibus adnotamus hujusmodi 🝆a analogicè nec 🜍re comparari. Jam qui 🜍 omni corruptioni, ſive incipienti, ſive jam animatæ potenter reſiſtere, ad animum ſibi revocat, is cauſam acceleratæ medelæ vel manu palpare ſtatim poteſt: Inſuper qui perpendit, 🝆is ♌latis tanquam 🜍reis ſubſtantiis præcipuas vires inſidere, dum in iisdem eſt ſubjectum △ & vitæ pabulum, is ipſe contra morboſam materiam Archeum noſtrum pugnantem mirificè ſic confortari protinùs ſubolfaciet, ut haud difficulter is poſteà depravatum hoc nutrimentum penitùs expugnare valeat: Addimus quoque quod 🝆 hæc pariter vim non tantùm quasvis reſinoſas gummoſasque ſubſtantias, verùm ipſas etiam ſaxiformes cruſtas aut pumicia ſubjecta alia, ad quorum tribum nos quoque dentium recenſemus damnata recrementa, fortiter reſolvendi poſſideant, ut taceamus de vi anodynâ, quam in 🜍reâ hâc 🝆rum ſubſtantiâ conſiſtere aſſerit Poterius. Inſinuat nobis denique Eſſentias Autor, & miram earum præſtantiam magnis extollit encomiis, neque ab orbitâ rationis aberrat: In genere namque nobis conſtat, has Eſs. vel ope V̇, vel proprii (plantarum etenim ſuccus, teſte Helmontiô, itidem in penetralibus ſuis vinoſum fermentum comprehendit, ut ſpiritus ſeu ▽æ vitæ exinde non ſecus, atque ex ipſo vino elici poſſint) beneficio confici: Jam de V̇, quem tanquam regem aliorum ſpirituum ex regnô vegetabili per ſpagyricam fermentationem impeteratorum veneramur, ex Poteriô diſcimus, quod quævis mordax ſalſedo & cauſtica acrimonia miniſteriô vitalis hujusce liquoris (hic titulus enim non immeritò ſpiritui vini rectificatiſſimo tribuitur) ad jucundam dulcedinem deduci queat; unde etiam ⊖ quodvis per impigerrimè celebratam cum horizontali ſpiritu vini (ſic ſcilicet nuncupatur ſummè rectificatus) ſolutionem ac coagulationem in dulces cryſtallos concreſcere docet. Habemus hîc primum rationis veſtigium, cur deprædicatæ eſſentiæ vel tantùm reſpectu monſtrui ſui dolores dentium mirificè ſedent; cui & hoc adnectendum cenſemus, quod

Horizon apud abſtruſiores Chymicos notat alembicum; ſic apud Helmont. horizontale ☉ notat aurum perfectiſſimum vel auri animam.

Helmontius exiſtimet , vix generoſum & penetrans dari remedium , niſi quod cum optimo 🜄 ſit nuptum. Poſtmodum , adhuc geminum eſſentias vegetabiles parandi modum ſubeſſe ſilentiô non præteribimus , quorum alter inſtituitur cum ▽is vitæ ſeu ſpiritubus alkaliſatis, alter cum acidô ☿ij , juxta Excellentiſſimi Autoris præſcriptum , cujus mediô ipſe ex Vegetabilibus eſſentias atque Ras ſingulari efficaciâ nobilitatas præpare admodum conſuevit : De utroque monebimus pauca. Primus pulcherrimô Helmontii effatô declarari poteſt, dum dicit : Si ſordes & mordacia quævis excrementa interioribus partium latebris adhæreant , tunc ad reſolutiva & abſterſiva nobiliora exemplò recurrendum , & proinde aſſumenda alkalia rurſus volatilia facta (quod m̄grm non niſi ſublimioris Chymiæ myſtis hactenus notum fuit) quæ inſtar efficaciſſimi ſaponis (hinc etiam ſaponaria Medicamenta vocitat) cunctas excrementitias ac mordaces impuritates ſtrenuè abſtergunt , & acidiſſimam cauſticamque humorum acrimoniam (maſcule ≂tando.) mitem benignamque reddunt. Mirum eſt , inquit is ipſe , quantum vel unicum ⊖ 🜿ri rurſus volatiliſatum , ita ut ſpiritus exinde eliciatur , hîc præſtare ſoleat : Omnem enim è venis & penitioribus etiam partium cavernulis amurcam detergit , ſanguinem inquinatum probè mundificat , atque jam ſuſcepta infeſtiſſimæ corruptionis conciliabula fortiter diſpergit. Quid alterô valeant modô ſeu acidô ☿ij præparatæ Eſſentiæ , id quivis ad amuſſim protinus determinare poterit , ſi medicamina ☿ialia quis ritè parata omne corruptionis incendium indubitatò extinguere , ac putredinem animatam funditus eradicare, ex prædictis fuerit rerordatus. Reſtat ergo ut brevibus quoque ſpeciatim ab Autore contra hanc dentium ærumnam decantata remedia diſcutiamus. De 🜅 & ſpiritubus mineralibus præter jam ante edicta nil occurrit ampliùs , quod monita quædam ſibi depoſcat , niſi quod advertendum ſit , quoſdam ex his ſpiritubus non prorſus vacare noxâ , propter occultam nempe arſenici infectionem , quam ſibi 🜖lum præſertim ac 🜍 à nativitate ſuâ in iis locis , ubi arſenicalia & realgaria (id eſt arſenicalia volatilia) effluvia redundant, admiſtam habent. * Ut verò eò tutiùs uſurpari hi ſpiritus poterint, ſæpiùs rectificando , illos ab hôc arſenicalis malignitatis charactere liberari poſſe , obſervandum eſt. ** Ideoque ad ºoºa nos convertimus , inter quæ illud ex [illegible] cam.

Alkali nil aliud eſt, quàm ⊖ per ſummã calcinationem præparatum ſive ex facibus, ſive ex magmatis, &c.

Præparatur 🜅 ex part. j. Ⓣ & part. iij. 🜖li.

Optimè obſervanđũ eſt, ne ſpiritus Ⓣ & 🜖ſi ſimul in Iulapiis præſcribantur, quum hoc modo nil aliud fiat, quàm 🜅.

* *Spiritus Ⓣ valet in febribus malignis; 🜖li verò ad præcipitationem & confortationẽ.*

** *Spiritus ⊖ & 🜖 poſſunt ſimul proſcribi , quemadmodum etiam ſpiritus 🜍 & 🜖, in affectibus pulmonum & ſtomachi.*

camphor. primitiùs nominatur: Camphora igitur ut ipſi etiam peſtilenti veneno ac cuivis malignitati putredinique egregiè reſiſtit, ſic multò magis iſtam corruptionem evincet, quâ dentium depravatur nutrimentum, & mordax ipſi acrimonia inducitur, vel verminoſa progenies exinde producitur; Habet illa etiam vim abſtergendi & nitorem conciliandi, adeoque ſanguinem inquinatum oppidô purificandi: 🝆 porrò tam caryophyll. quàm cinamom. (quorum hoc in ſapore peculiarem gratiam, quam in ullô ſimplici aliô vix reperias, habere refert Helmontius) propter ſpiritum vitæ, quô abundant, præter excellentiſſimam penetrandi & roborandi, itemque ſpiritus vitales in corpore noſtro multiplicandi energiam, virtutem efficaciter diſcutiendi ac reſolvendi, adeoque nutrimenti in dentibus corrupti cruditates evincendi inſuper obtinent. In ſuo Myrothecio ſpagyricô inquit Autor, 🝆 caryophyll. in dentium doloribus ſummum ultimumque refugium eſſe, quia, quùm illud △eæ ſit virtutis, adita nervorum, quibus dentes gaudent, confeſtim ferit, & humorem acrem dentis nervorum, quibus dentes gaudent, confeſtim ferit, & humorem acrem dentis nervo illabentem ſtatim mitiorem reddit, & in aliam planè atque nequaquam pungentem, dentibusque non improbam mutat ſubſtantiam: 🝆 lign. juniper. nervoſum genus inſigniter confortat, & ſi adflictum ſit illud, virtute ſuâ balſamicâ mirè demulcet; unde in Odentalgiâ poſtmodum ſpecificè id convenit: Lignum ſanctum ſeu guajac. ut ſanguinem probè mundificat (ſpecificum eſt in lue ♀reâ) & putredinem inhibet, ſic multò magis 🝆; Uſus tamen ejus eſt præcipuus in omnibus affectibus à 🜿reâ mucilagine & putrilagine acidâ oriundis. Rectificanda autem hæc 🝆a ſuadet Autor, id quod ut vel autem faciundum, ſic & hâc ipſâ induſtriâ ab omni empyreumate ita vindicantur, ut ſint pellucida pariter, atque jucundam fragrantiam adipiſcantur: Thymus tartareis malis ſpecificè adverſatur, ac virtute attenuandi incidendique dolores cunctos hinc promanantes ſubigit, imò & dentes à glutinoſâ corruptione penetranti ſuâ facultate egregiè liberat: Calamintha tenuium eſt partium, ac propterea attenuat, diſcutit, extergitque humores mordaces ex votô. Inter præclarè abſtergentes herbas Origanum quoque reperitur; unde cauſa virtutis in doloribus dentium mitigandis in propatulô ſtatim exiſtit: Zinziber præter poteſtatem attenuandi, reſolvendi, ac transmutandi, humorum putredini ſingulariter

Camphora nec 🝆 amygd. dulc. vel nec 🝆 citr. diſſoluta, tutiſſimum & egregiũ antipeſtilentiale eſt, & ob id à Medico quodam vocatur 🝆 ſanctũ.

Camphora nec ⊖e 🜿ri optimum eſt coſmeticũ pro puellis in expurgandis manibus vel aliis corporis partibus.

Optimè rectificatio hæc fit, juxta Fabrũ in Myrothecio ſuo, cum propriis cineribus, adeo ut 🝆 ſuis cineribus affundatur: Rectificantur itidem hæc 🝆a nec calce 🜿ri, & quidem perfectè, quod etiam & adeo ſumptuoſum non eſt, ut prædicta rectificatio nec propriis cineribus.

Egregia ▽ diaphoretica ♌atur ex lign. ſanct. & zinz. iberna.

riter reſiſtit: Tandem quod ſaturejam ſpectat, hæc ipſa eandem atte- nuandi, & diſcutiendi ſymbolam confert, præſertim in omnibus omnium partium tumoribus atque doloribus, cumprimis tamen ut pulices, ſic & vermes omnes necare dicitur, quâ ratione etiam verminoſam corruptionem in dentibus compeſcere valebit. Hæc nimirum ſunt illa Medicamenta, quæ Autor ad transmutationem acrium & cauſticorum in dentibus excrementorum nobis de meliori commendat. An verò Eſſentiæ illæ inſtillari auribus in odentalgiâ cum fructu queant, & an adhiberi ſic ſub tutelâ rationis debeant, eſt quod nos dubitamus, & propterea ſicco pede transmittimus.

Ad §. 7.

Sæpiùs autem contingit, ut dolor dentium omnem medelam ſpernat, & tanquam indomita bellua magis magisque ita effereſcat, ut vires ad ultimam planè ruinam delabantur. Hoc ergo neceſſitatis caſu urgente ad Narcotica prudenti conſiliô devenitur: Non tantùm enim Naturæ vehementer adflictæ ſic requies ac ſomnus, quô ſpiritus vitæ valdoperè roboratur recreaturque, inducta nempe ſenſuum ſuavi quadam hebetudine, paratur, verùm hôc etiam modô ⊖ia corrupti in dentibus nutrimenti mordentia, corroſiva, & cauſtica vim ſuam amittendo egregiè mitigantur ac corriguntur. Illotis tamen manibus non tangendum eſt hoc præſidii ſacrum, ſed prius tam caput quàm corpus debitô modô eſt expurgandum, ne forſan humores vitioſi in capite ſcatentes vel circa præcordia aut alibi præſentes ſic figantur (excretiones enim ⊡æ & fæcum potenter ſupprimunt Narcotica) atque hinc vel lethargus aut Apoplexia, vel catarrhus etiam ſtrangulativus ſuperveniat, æternusque ſomnus concilietur. Licet autem convenientibus clyſteribus hoc indicatum quàm optimè ac celerrimè expediri poſſit, nihilominùs tamen nec diſplicet nobis bolus ille catharcticus, quem adpoſuit Autor. Dulcem itaque ☿ium (quem alioquin Draconem mitigatum vel Mannam etiam ☿ij adpellant) adinſtar baſis bolo huic immiſcendum porrigit, eique haud incaſſum adjicit ſcammon ♁rat, quod pariter ſeroſos acresque humores valdè expurgat; Acuendum namque ſemper purgante aliquo fortiori eſt illud pharmacum, quod ingreditur dictus ☿ius, ut eò citius operationes ſuas perficiat, nec diu in corpore permaneat; ſic autem & obſervatâ hâc cautelâ omnes humores noxios in corpore ſtagnantes nullâ moleſtiâ, ac ſine perturbatione hoc eſt blandè evacuat, & proinde tutò etiam ad 𝔖crup. vel ʒß. exhiberi poteſt, ſed in forma pilularum ſecurius utique ☿ius iſte uſurpatur.

Ad

Ad §. 8.

Ut ergo niſi præmiſſa ſint Univerſalia, opio non utendum, ſic & huic neceſſitati ſuo quoque loco nunc ſatis fecit Autor. Maximi ſanè eſt ſolaminis hoc medium, ſed tam crudum propinare, ſua non caret malignitatis ſuſpicione, ideoque exſiccando atque ab humiditate ſuâ excrementitiâ (ſub quâ exulcerandi vis deliteſcit) liberando opium præparare docet. Notandum autem nos ſubjungimus, △em cautè eſſe adminiſtrandum, ne empyreuma contrahat, aut planè calcinetur, atque ſic 🜍 anodynum, quod in viſceribus ſuis habet reconditum, perperam deperdatur. Quod extractionem opii concernit, quidam ſunt, qui juxta Crollianum modum nec V̄, quidam verò nec ✳ potius celebrandam eſſe conſvadent. Sed reprehenſionem omninò incurrere videtur illa extractio cum nudò ſpiritu vini facta, ſiquidem V̄ ſuâ naturâ nil præter 🜍 extrahat, & ⊖ intactum, quod tamen potiſſimùm hîc quoque requiritur, quum in ⊖e ſit robur ejus vitale, relinquat: Cum ✳tô igitur, quod utrumque aſſumit, extrahere omninò præſtabit, ut taceamus, beneficiô aceti malignitatis tyrannidem opportunè inſimul edomari. Tandem locô peris diarhodon. Abbatis nobilioris virtutis ingredientia potiùs eſſe ſubroganda monemus, qualia ſunt ♁ diaphoreticum, perlæ aut corallia diaphoretica Autoris, bezoard. ⊙, ſpecific. cephalic. cum mgris exornatum, & hujus gloriæ conſimilia; ſic namque dubium eſt nullum, quin opiatum hoc in omnibus dolorum cruciatibus ſolatium ſit allaturum tam præſentiſſimum, quàm tutiſſimum, quemadmodum etiam corrigentia & confortantia hujusmodi ſapienter admodum opiatis iſtis adponuntur. Nos in noſtra praxi eandem methodum exoſculari ſolemus, niſi quod convenientia clyſmata præmittamus, & ad immutationem humorum cauſticorum adhibeamus loco commendatorum ſpirituum, °°rum, vel Eſſentiarum ſolummodô Ꝛam noſtram corall. veram eodem modo, quô Autor, quâ vel unicâ hactenus ad miraculum uſque hos dolores refrænare valui. Quod ſi contumacia doloris quandoque probatiſſimo huic remedio cedere negaverit, ad Ꝛas & Aſtra noſtra anodyna tanquam ad ſacram confugimus anchoram, atque ſic non tantùm hâc medicinâ illinendo dentes atrociter excruciatos, ſed & guttulas xx. & xxx. nec vehiculô convenienti internè aſſumendas præbendo ſcopum curationis feliciter fuimus conſequuti: ſin verò propter ipſius dentis corruptionem totalem & carioſam ejus labem dolor ferocire perſeveret, tunc

Laudan. opiat. nec Ꝛra corallior.

tunc dentem carnificem ſine morâ à peritô Chirurgo evellendum præcipimus.

CAPUT IV.

De Dolore Aurium.

§. I.

IN cavitate cerebri circa aures, ſive in interioribus earum partibus non nunquam fit dolor acutiſſimus à tumoribus p. n. qui in hiſce locis ab excrementis hûc à ſpiritu ſanitatis noſtræ œconomô demandatis progignitur: Hæc enim calore & humiditate partium facilè putreſcunt, & in pus convertuntur, quod ruptô poſtmodum tumore foris exiens dolorem rurſus compeſcit.

§. 2. Dolor aurium ergo nihil aliud eſt, quam affectus aurium p. n. ortus ab excrementis cerebri putreſcentibus & ſæpè tumorem excitantibus, ibique ſpiritum aurium laceſſentibus, & cum dolore afficientibus: Spiritus enim ut ſenſus organum dum ab excrementis corruptis adficitur, illa excrementa perferre non poteſt, quin doleat, quum acria ſint atque mordacia; atque dum corrumpuntur ea, ipſas quoque partes tanquam continentes ſuas corrumpunt, unde ſpiritus harum partium propter corruptionem dictam maximè dolet, donec corruptio abierit, & quod illi eſt dolori, forâs ejecerit.

§. 3. Non minùs autem ſpiritus dolet in aliis partibus corporis, dum excrementa alimenti inibi putreſcunt, & tumorem aliquem efficiunt, quàm in ipſis auribus: In his enim, ut in omnibus aliis partibus excrementa ab alimentô ſeparata non verò putreſcunt, & in tumores abeunt, atque dum pus generatur, & ſpiritus proptereà excandeſcit, pars quoque illa hinc inflammatur, ubi fixus & permanens eſt ſpiritus; ſpiritus autem influens ſæpiſſimè non excandeſcit, & ſi pars, ad quam influit, jam effervuerit, niſi in magnis & valdè urentibus influit, jam effervuerit, niſi in magnis & valdè urentibus inflammationibus: Tunc enim & influens ſpiritus unà cum fixô & permanente excandeſcit, atque ſuo ad cor refluxu ſedem quoque cordis inflammat; unde

unde febris, inflammatô nempe per totum corpus influente ſpiritu exoritur: Hic enim quum totum corpus permeat penetretque, ſingulas etiam corporis partes inflammat, in quas influit; id quod clariſſimè in tractatu noſtro de febribus oſtendemus.

§. 4. Manifeſtâſſe hîc ſufficiat, quâ ratione aures ex dolore & ab excrementis in eas demiſſis inflammentur, & unde dolor exoriatur, quod quidem admodum luculenter omnibus Medicinæ Candidatis expoſuimus: Jam verò curationem doloris aurium declarare ſupereſt.

§. 5. Tota aurium doloris curatio à ſublatione cauſarum materialium ipſius doloris, atque corroboratione ſpiritus dolorem ſentientis patientisque dependet.

§. 6. Tolluntur cauſæ materiales & occaſionales ipſius doloris ☿iô dulci, capite antecedente deſcriptô, quod remedium per ℨ. ♂ ſummo mane jejuno ventriculo adſumi debet eadem planè methodo ac viâ, ut locô jam allegatô dictum.

§. 7. Deinde caput eſt roborandum anodynô ſummô ſeu laudanô Paracelſi pariter ſuprà deſcriptô, quod eadem doſi etiam adſumendum: Interim verò in ipſas aures inſtillandus eſt balſamus ♄ris vel eſſentia ſaturejæ, ut ipſa pars dolens reboretur; vel ſi adſit aliquid tumoris, rumpatur ille, ut ruptô tumore pus exire poſſit.

§. 8. Si ægrotantes ſanguine turgeant, ex cephalicâ partis dolentis, aut ex venis frontis vel temporum mittendus eſt ſanguis, ut ejus ad locum adfectum accurrentis fiat revulſio: Adauctô enim ſanguine excrementitio accreſcit dolor, cauſâ nimirum accreſcente; quapropter mittendus ſanguis pro revulſione ex his partibus, ut jam dictum; ſic nempe tumor diminuitur, aut, ne fiat, impeditur, quia cauſæ doloris diminuuntur. Sic ſenſim igitur ceſſat affectus, præſertim, ſi unà purgetur corpus & caput caput purgio noſtro Cap. I. jam deſcriptô.

§. 9. Si autem hiſce remediis adhibitis adfectus adhuc perſiſtat, tunc recurrendum eſt ad Sudorificum noſtrum ſummum, quod ſequenti paratur methodo: ℞. ♃ Anglic. ℔j, liquetur in tigillo, & poſtquam fuſum eſt, auferatur ab △e, & adjicitur ipſi ☿ij crudi optimi pariter ℔j, ut fiat amalgama: Amalgamati huic trito add. ☿☉ itidem, ℔j, *Si probare velis ☿☉tum, an ſcilicet rite c. ⊖e ⊕, ⦶, & ⊖e comm. præparatus ſit, affunde illi ipſi guttulam unicam de ⚲ri per deliquium facto; Hoc facto, ſi ☿ flaveſcit vel flavũ colorem oſtendit, verus & ritè præparatus eſt ☿; ſin verò oſtendat nigrum vel fuſcum colorem, ſpurius eſt ☿, et c. ♂ ſublimatus.*

& permiſceantur inſimul ac probè contundantur in mortario marmoreo; poſtmodum 🝭æ forti hic per indatur, & leniſſimo cinerum △e ♌etur, quo ipſo ▽ perclara deſtillabit in vas recipiens, cui tamen in anteceſſum etiam ▽ comm. ſtillat. ℔j infuſa eſſe debet. Poſtquam ergo omnis liquor ſtillaverit, & 🝭 refrixerit, tunc 🝭æ illi, ſi adhuc ſit integra, omnis illa ▽ recipientis cum liquore ſtillat, juncta infundenda eſt, & ſuper cineres calidos ponenda, ut materia, quæ remanſit in 🝭, cum hâc ▽â liqueſcat, tunc temporis amalgama ☿ij & ♃ ſeparatur à ♁, quod quum ⊖is ♃is ſapiat naturam, ſic reſolvitur cum hoc recipientis liquore. Hæc ipſa autem cùm ſit turbida, ideò filtranda eſt, ut ſolutio illa ⊖is ♃ialis clareſcat, filtrum verò chartaceum infundibulo aliquo vitreo eſt ſtabiliendum, ne à pondere ipſius ▽æ filtrum rumpatur. Poſtquam ſic clarificatus eſt liquor, ♌landus eſt △e cinerum in 🝭â vitreâ nitidâ ac novâ, & ſtillatus hinc liquor magmati in fundo 🝭æ ſuperſtiti denuò eſt reddendus, ut diſſolvat illud; quæ ſolutio poſteà iterum filtranda eſt ac ♌landa, atque hic labor quater aut quinquies repetendus, donec ⊖ in fundo 🝭æ ſuperſtes ſit albiſſimum, tunc enim denuò ſolvendum eſt, ac diſſolutum filtratumque 🝭æ vitreæ quam maximæ imponendum, cui ⊖is ⊕ri opt. & purificatiſſimi ℥vj. ſint injectæ; 🝭æ autem maximum recipiens jungendum eſt; hæc etenim materia valdoperè ebullit, ac materia elevatur, & foras exit cum vento & impetu maximo: Niſi itaque recipiens ſit magnum & 🝭a maxima, materia illa perdetur. Ebullitione igitur ſuper cineres tepidos transacta, ex 🝭a ſtillandus eſt liquor ad ſiccitatem uſque materiæ, quæ in fundo 🝭æ albiſſima remanet: Et hæc ſine ulla alia præparatione & lotione ſudorifera eſt, cujus doſis à gr. IV. ad VI. in ▽is ſudorificis ulmar. card. benedict. & ſcabioſ.

§. 10. Hoc nempe ſudorifico infiniti curantur morbi, cujus præparationem non repetemus amplius, ſed ad hoc Caput ſolicitos remittemus. Dolores igitur aurium hoc ſudorifico pariter curabuntur, dando ægrotanti hujus peris gr. vj. in ▽ ulmar. ℥j. Æger autem ſedulò cooperiatur in lecto, atque ſic transacto ſudore à dolore ſuo liberabitur; hocquè ter vel quater repetendum eſt, donec dolor omninò ceſſaverit: ſic enim Natura ipſa excitatis ſudoribus atque h. m. incandeſcente calore & ſpiritu ſuo innato ſeu primigenio à dolore aurium & capitis ſe liberat, ut ipſa experientia cuilibet id manifeſtum faciet.

Animad-

Animadverſiones Ad CAP. IV. in genere.

TAntus utique eſt hic aurium cruciatus ac tormentum, ut ulteriò-rem doloris acceſſionem non recipiat, nec magnitudinem ultrà admittere poſſit. Quadrat hîc quod Seneca innuit: Maximi dolores, inquit, in corporis partibus macerrimis conſiſtunt; in nervis (his tunicas nos addimus atque membranas) articulisque, & quicquid aliud exile eſt, acerrimè ſævit, quum in arcto vitium conceperit. Hinc & aurium dolor (quem vermitationem ſeu morſicationem vocat) ob hoc ipſum acutiſſimus atrociſſimusque exiſtit, quod inter anguſtos, cavernoſos, ſinuatosque capitis anfractus nervulis ſuis ac tunicis delicatiſſima circumveſtitos naſcatur, atque facta ſic moleſtiſſima pulſantis doloris quaſi refractione ſeu repercuſſione, ingens quantum ingeminetur. Ergo tortores illi ſeu humores excrementitii quàm fieri poteſt citiſſimè ſunt exturbandi, ne crudelitatis ſuæ inſtrumenta in nobiliſſimô hoc acroateriô ſine impedimentô experiri queant, neve miſerrimis modis ſic diſtractus ad ipſam mortis neceſſitatem deducatur, quum facilè hinc lethales convulſiones ſubſequi ſoleant.

Ad §. 1.

Admirabilem aurium ſtructuram artificioſa cadaverum diſſectio luculenter ob oculos ponet, & docta Anatomicorum volumina, præſertim verò mellita noſtri Veslingii Svada, cuivis abundè dilucidabunt, ut proinde hac de ipſa nil ampliùs, quàm graphicas illas aurium deſcriptiones adjicere, quas apud venerandos Patres, Clementem & Ambroſium deprehendere licet, allubeſcat. Aures, ait ille, ad audiendum ita efformatæ ſunt, ut cymbalo ſimiles ſuſcepti verbi repercuſſum ſonitum altiùs reddant, & ad cordis uſque ſenſum dimittant. Sinuatio interiorum aurium, inquit B. Ambroſius, modulandi quendam numerum ac diſciplinam præſtat, ſiquidem per anfractus aurium, quidam rhytmus efficiatur, & modulis quibusdam ingreſſæ vocis ſonus ſine offenſione exprimatur. Cur itaque & unde dolor acutiſſimus in hac conchata auditus ſpelunca poſſit ſuboriri, Seneca paulò antè nobis pulcherrimè explicuit: Nempè ut loci anguſtiam atque macritudi-

tudinem taceam ob nervoſi ac membranacei generis delicatiſſimum adparatum, quem hîc concernere licet; cui accedit ſpiritus (veteres ...em implantatum & auram congenitam nominarunt, quibus titulis inſigniri nequaquam abhorret Archei majeſtas) qui ut in ſenſoriis omnibus; ſic hîc quoque viget atque redundat; unde exquiſitiſſimi doloris ratio in promtu protinus: Poſtmodum doloris acerbitatem adauget natus intra oſſeam & membranoſam (hac etenim illa circumvelata eſt) ſubſtantiam tumor, qui ut diſtenſionem tunicæ vehementem, ita & vehementiſſimum parit cruciatum; ſic nempe veluti ſacculus quidam conſtituitur, in quo ſpiritus contra materiam excrementitiam ibi conlectam, & vitali liquori infeſtè repugnantem, impetuoſum facit tumultum atque adpulſum, quem triſtiſſima ſenſatio inevitabiliter comitatur. Sed unde in hac partis macie excrementorum copia? Vicinas reſpiciamus partes, quarum quædam vel copioſo egent nutrimento, ut cerebrum, quod alioquin commodum ſuperfluis humiditatibus præbet hoſpitium; quædam copioſè id vehunt, ut vaſa non pauca, ſed effatu ſatis digna; quædam ſpirituum ſibi depoſcunt abundantiam, & ſufficiens eorum augmentum aut reſtaurationem, ut ſenſoria ſingula. Igitur neceſſariò toties confectæ nutritionis, toties peractæ refectionis reliquiæ perpetim expectandæ, quas receptiſſimo nomine Excrementa, inquam, non tantum quod ſint ſanguinis excreta, verùm & potiſſimùm quod ſint excernenda. Sin igitur excretio illa differatur, aut decenter non eveniat, ſciendum, quod variis de cauſis id fieri queat, ſed potiores ſignificabimus tantùm: Vel enim ob depravatam nutritionem cum excrementis unà corruptum accumulatur nutrimentum, ut hinc ſpiritus copioſam ac duplicatam utriusque malitiam proſcribere non valeant; vel partis fortè imbecillitas expellendis ſordibus non ſufficit; hinc remanentes poſteà magnetiſmi conditionem acquirunt, & quicquid in corpore ſcatet impuritatum, avidiſſimè attrahunt, nec tantùm remanendo & ſeſe coacervando, verùm putredinis malignum fermentum incendiumque concipiendo poſtmodum potiores turbas moleſtiasque adferunt. Tandem quod tumor internus, & inibi contentus humor excrementitius ad ſuppurationem devenire, ac tumor ſic ad rupturam, qua impetrata doloris remiſſionem ſtatim favere ſcimus, promoveri debeat, operæ pretium cenſemus, ut inquiramus paucis, an per coctionem ac digeſtionem id fiat? Sed pro nobis reſpondeat Helmontius, qui, fermentorum, inquit, eſt transmutare: Hæc ipſa enim ſunt, quæ materiam morbificam ſubigunt, & de-

bita

bita ratione poſteà exterminant. Natura enim nec quicquam coquit (propriè loquendo) niſi quando adſumta in ſuum redigere alimentum tentat, adeoquè coctio ſolùm præparationem alimentorum competit. Ergo abutuntur multi hâc coquendi notione, dum materiam vitioſam coqui digerique dicunt, quam tamen fermenti poteſtas ac ejus balſamica ſalſedo (ſub hac namque phraſi totius latet fermenti ratio) ſaltim transmutat, emollit, ſubigit atque evincit, h. e. ita fluidam reddit, ut ſine difficultate poſtmodum turgendi ferocia per ☿ationem planè depoſita eliminari poſſit.

Ad §. 2.

De Corruptione & putredinis fermentô, quomodo videlicet nutrimentum partis degenerare, quomodo excrementa putreſcere, eaque malignos ſuos ſpiritus confertim exhalare, ac ſpiritum vitæ inſultando demum turbare graviter aut contriſtari queant, vel quomodo etiam partes, ubi hæc lucta ac fermentatio morbifica committitur, in corruptionis perniciem & inquinamenti rebellioniſque conſortium trahatur, nil ampliùs factâ repetitione adjicere placet, quùm Capitibus præcedentibus jam aliquoties, & nî fallor, abundè hujus rei hiſtoriam fuerimus arbitrati: Quæ enim ibi dicta ſunt ac monita, pariter in hoc etiam adfectu ſine omni propemodum exceptione adplicationem ſuſcipiunt, ut ▽a ▽æ ſimilior eſſe nequeat, quàm dolorum illorum pariſſimam undique conſpicimus rationem ac fundamentum.

Ad §. 3. & 4.

Per ſpiritum fixum atque permanentem ab Autore intelligi inſitum, ſeu calidum cuivis parti ingenitum, factâ paulò pòſt ſpirituum influentium mentio ac contextus ipſe ſatis confirmat. Quum ergò ſuppuratio fieri haud poſſit ſine fermentationis ebullitione ac ſine hinc promanante inflammatione aut incendiô aliquô, vel potiùs ſine ſpiritus inſiti effervescentiâ, quam ſuo domicilio ſeu parti, cui inhæret, extemplò quoque communicat, veluti tritiſſimè id notum eſt; facilè imò & totâ die exinde accidit, ut, ſi intenſum præſertim ac vehementius ſit illud, ex copioſè congeſtis ſordibus emergens, vel in iisdem latens, incendium, perpetim adpellentes ſeu influentes ſpiritus pariter, tam ex impuritatis hâc peſſimâ ſobole, quàm ex furore Archei flammivomô, exitiali hâc ſævientis æſtus impreſſione impleantur. Ut ergo omnes morbi, qui à ſpiritu vehementer corrupto naſcuntur, ilicò vicinis nobilioribusque partibus contagium ſui adſpirant, eò, quod ſpiri-

tus influentes præternaturali hoc fervore jam flagrantes, vel potiùs pravô cum vitioſarum fuliginum ſodalitio mixti, perpetuo circulationis motu hinc inde per omnes corporis angulos meatusque penetrando trajiciantur, ita & refluxu ſuo ad cordis vitalem officinam pervenientes (renovationis nempè perenne beneficium denuo hîc inſtauraturi) facilima ratione eam quoque cum omnibus reliquis corporis partibus inflammare poſſunt; unde febris ſeu univerſalis incendii ſcaturigo ex particulari inflammatione haud obſcurè ſe cognoſcendam præbet: A leviden ſi autem labe alicujus partis ſpiritus influi non ſtatim affici, neque ad compaſſionis neceſſitatem adigi queunt, quum ibi non permaneant, ſed celerem valdè tranſitum recurſumque habeant.

Ad §. 5.

Columna veræ curationis gemina innititur radice juxta nobiliſſimum Autorem, prima materiam peccantem ac corruptam, unde dolor provenit, penitùs proſcribendam nobis inſinuat; altera indicationem vitalem ſeu ſpiritus ac Naturæ corroborationem, quò eò faciliùs feliciusque cauſa materialis morbi exterminare poſſit, ſuggerit: Circa materiæ morbificæ ablationem hoc tamen animadvertendum eſt, quod non ſemper purgantia aut Emetica, ſed etiam Diaphoretica ac Diuretica, imò & particularia quoque evacuandi media, qualia ſunt Errhina, apophlegmatiſmi, &c. item etiam ſpecifica Epithemata ac ſuffitus, qui per inſenſibilem tranſpirationem vel magneticæ extractionis modum materiam ream eliciunt atque abſorbent, aut ad minimum immutant ac ⚗ant ejus rabiem, hîc ſubaudienda veniunt, adeoque variis diverſisque modis remotio hæc pro re nata inſtitui debeat.

Ad §. 6.

☿ dulcis hîc dulce iterum ſonat Autori noſtro, ac delectat eum ob dulcem ſcilicet hoc eſt exoptatiſſimum effectum, quem & materiam vitioſam radicaliter auferendo, & putredinis nequitiam potenter refrænando, in ſedandis doloribus præſtat: Unde epitheton dulcis pro eo quoque uſurpatur, quod dolores ſopit; & hinc Poëtis dulcis ſomnus ob eandem dicitur cauſam; Gallis etiam dulcis idem eſt ac lenis, fortè quod ☿ius ritè paratus leniter & cum ἐυφορίᾳ humores delinquentes educat. Alioquin nos Clyſterem noſtrum, qui ⚹ noſtrum ☿iale nec ☉ pro baſi habet, non poſſumus non in hoc caſu præferre, dum ſubitanea virtute exſpectationi noſtræ reſpondet, quod ☿ dulc. cujus

jus tamen ritè parati uſus pariter à nobis maximi penditur, non niſi exacto quarundam horarum vel integri diei ſpatio perficere poteſt.

Ad §. 7.

Sicuti de ☿ dulc. ita & de anodyno, cujus medii inventorem Autor celebrat illum tot arcanorum Monarcham, Paracelſum, qui illud anodynum ſummum ob ſummam, & laudanum ob laudabiliſſimam præſtantiam, quâ in deſperatiſſimis malis pollet, nuncupavit, aliquid ulterius hîc adjicere ſuperſedemus, quoniam Caput antecedens nobis undique in omnibus jam ſatisfecit. Innuit verò caput anodynô hoc ſummô roborandum eſſe, id quod intuitu primô abſonum cuipiam videri poſſet, ſi quidem ſenſus, ac per conſequens ſpiritus, ſic potiùs hebetentur ac obſtupeſcant, vel ut mitiùs loquamur, obtorpeſcant, ac proinde nulla partis adfectæ confortatio hinc ſperanda veniat. Verùm Reſpondemus licet non immediatè, tamen mediatè, quatenus ſic requies ac ſomnus conciliatur, per ejus verò inductionem Natura valdoperè demulcetur, irrigatur ac confortatur, deſideratam roboris acceſſionem exinde indubitatò expectandam. Unde alibi Faber rectiſſimè ſentit dicendo, ſemper aliquid heroicum ac magnum ex ipſa quiete ſomnoque erui, atque in lucem erumpere. Mirabiliter namque ab improbis etiam laboribus (inter quos agmen dúcit dolor) per ſomnum recreamur, & quietis beneficio rurſus ad virium vigorem adducimur, ut hinc ad fabrè Syconii ſomnum leones edomantem, puta crudeliſſimos morbos evincentem pingere conſveverint. Ulteriùs alium modum partem adfectam, & ipſi ingeneratum ſpiritum corroborandi, ut ruptura tumoris potiſſimum maturari, & puris exitus ſic promoveri poſſit, ſubjicit Autor, quem ponderatu non indignum quoque ducimus: Monet autem auribus aliquas guttulas de balſamo 🜍ris vel Eſs. ſaturej. inſtillandas, ut ſcopum hunc feſtinatâ ope conſequi valeamus. De 🜍re quidem non incognitum nobis eſt, illud magnam poteſtatem ad arcendas aut evincendas putredines, nec non ad diſcutiendam duritiem tumorum obtinere, quâ ratione etiam non pœnitendum hoc Autoris conſilium cenſemus, dum 🜍ris balſamum auribus decenter inſtillandum tunc ſvadet: Sed hoc nos remoratur pauliſper ac hæſitare facit, quis nam 🜍ris hîc conveniat balſamus, aut quo modo iſte ad hanc intentionem ſit parandus. Communiter quidem beneficiô oo terebinth. cum vini ſpiritu probè rectificati, vel ipſius etiam ſpiritus terebinth. flores 🜍ris diſſolvuntur, atque ſic balſamus ſeu rubinus.

binus 🜍ris præparatur ; deinde etiam ſubeſt in officinis balſamus 🜍 aniſatus , hoc eſt 🜍 nec 🝆 ſtill. aniſ. ſolutum ; ſed quinam horum jam eligendus exiſtat ; omnibus haud planum erit , forſan neuter eorum in caſu dicto conveniet , quod △eus nimis uterque ſit , & hâc ratione △em ſuppurationis accedere ac dolorem exacerbare potius queat. Quicquid tamen ſit , utrumque ſine periculô uſurpari hîc poſſe exiſtimamus, quod facultate corrodenti omninò careant , deinde etiam quod in pauca admodum quantitate, id eſt, ad unam vel alteram guttam , quæ auribus inſtillatur , dumtaxat adhibeantur. Ad hoc ipſum verò magis idoneum ac præſtabiliorem illi balſamum 🜍 terebinthinatum reddunt , qui hoc menſtruum affuſâ ▽ ♌lando ſeparant , ac poſtmodum relicto balſamo , qui ſuaviſſimus ſic evadit , tantùm utuntur. Nobis ſingulare quoddam 🝆 in uſu eſt ad quosvis aurium adfectus à corruptorum humorum factâ ibi congerie oriundos , quod ex 🝆 nucleor. perſicor. per expreſs. factô , & poſtmodum cum flor. perſicis infuſo , tandemque vel autem clarificato parare ſolemus , cujus 🝆i gutt. iij. vel IV. auribus inſigni cum auxiliô in doloribus vel etiam in tinnitu ac ſtrepitu aurium , nec non in difficultate audiendi inſtillamus Quod ſi hoc ipſo igitur 🝆o noſtro otico flores 🜍ris benè ♎ati ſolvantur , non ambigimus, quin balſamus 🜍ris probè adpropriatus etiam contra dolores aurium ſic impetrari queat.

Ad §. 8.

Verò ſectionem eatenus quoque non improbamus, quatenus ante omnia nulla malignitatis nota eſt præſtò , ac poſteà quatenus humorum, vel ſanguinis ad locum affectum afflictus ſic cohiberi poteſt , alioquin ſi liber ad illum acceſſus ſanguini concederetur , putredo hæc manifeſtum augmentum (ſanguini enim affluenti ſtatim eundem ſordidæ corruptionis characterem imprimit) tumor evidens incrementum , & dolor ipſe majorem atrociam inevitabiliter hinc accipiet ; Ipſa imò experientia in praxi phlebotomiæ probatam utilitatem tunc ſatis ſuperque conteſtatur.

Ad §. 9.

Magni nominis magnæque virtutis remedium contra magnos & conclamatos adfectus hîc nobis ſincerè communicat Autor, quod proptereà etiam Sudorificum Magnum vel Maximum paſſim nominare ſolet. Baſin hujus Medicinæ conſtituit ♃ , quod multis & inſignibus ornatum viribus ad omnes fermè morbos expugnandos alibi deprædicat Autor: Huic metallo factâ prius fuſione additur ☿ currens , liquor ille

ille ſine pari (fluit enim nec madefacit) ac metallicus, qui ut volatilis valdè ac fugitivus exiſtit, ſic & volatile magis ipſum ♃ reddit; atque ut clauſtra hujus metalli adhuc magis reſerentur, & repagula ejus aperiantur, adjicitur quoque 🜹, quæ omnia inter ſe mixta ita ♃is diſponunt intima, ut vel affuſa etiam ſimplex ▽ adſugere eadem, atque centrale ſeu ⊖inum robur in eô deliteſcens extrahere poſſit, veluti hoc ipſe etiam proceſſus dilucidè oſtendit. Amalgama exinde præſcriptô modo factum in nullô aliô mortariô, quàm marmoreô aut lapideô vel etiam vitreô comminui contundique debet; metallica enim mortaria illud amalgema atque hanc mixturam manifeſtè ſuis veſtigiis confundunt, aut peregrinâ qualitate ſuſpectam efficiunt. Porro 🝭 fortis ſed vitrea tamen requiritur, ne, quum materiam continere acerrimam ac valde rodentem debeat, (qualis præcipuè eſt 🜹) tam facilè diſrumpi aut diſſilire queat; receptaculo vero ▽a deſtill. ſimplex immittitur, partim ut liquor hinc adſcendens craſſiuſculus ac butyroſus ſtatim diſſolvatur, partim ut ▽a illa ſic decenter acuatur & ita inſtruatur, quò accommodatiùs poſtmodum magmati affuſa illud diſſolvere, & quod in eô ⊖inum eſt, debitô ſufficientique modô extrahere valeat. In ipſâ ♌latione hæc quoque cautela non negligenda eſt, ut, ſi materia ♎ata in collo concreſcere ac congelari incipiat, adhibitis actutum prunis id ipſum calefaciendo illam liquemus, attenuemus, fluidamque reddamus, ne obſtipatô ſic collô 🝭æ diſruptio totius vitri, adeoque univerſi laboris jactura hinc conſequatur: Sed prudentius hujusmodi eligitur 🝭a, quæ ampliore collo gaudet. Quando autem magmati affuſus eſt jam laudatus ☿ialis & ♃ialis liquor, tepidis cineribus 🝭a non tantùm eſt concredenda, ſed & collum ejus ſurſum ſpectare debet, ne in hoc ſolutionis actu liquor hinc exſtillare poſſit; factâ poſtmodum ſolutione ſeu extractione ⊖is ♃iales, quæ turbulenta undique eſt, per filtrationem ea modô conſuetô ac præſcriptô eſt clarificanda, veluti notiſſimum. Ex reſiduo autem magmate ☿ reſuſcitatus ſtudioſè eſt colligendus, & pro nova ſudorifici hujus nobiliſſimi confectione aſſervandus: Eſt enim hic ipſe ☿ non tantùm animâ ſeu fulmine ♃is admodum locupletatus, verùm ob factam quoque reſuſcitationem depoſitis ſcilicet hâc ratione recrementorum ſuorum exuviis quisquiliisque longè purior, ac propterea citra ullam controverſiam efficacior præſtantiorque vulgari ☿iô evaſit. Poſteà liquor ille filtratus atque ſic clarificatus, uti jam diximus ex cineribus per novam 🝭am vitream lento △e ad ſiccitatem uſque eſt ♌landus, reſiduum verò affuſo liquore

jam ♋lato ſolvendum ac filtrandum, qui labor ♋lationis, ſolutionis ac filtrationis toties repetendus, donec iſtius, quod in fundo remanet, ſplendeſcens albedo de puritate impetratâ nos certiores fecerit; quod ſi verò prima ſtatim vice poſt liquoris hujus ♋lationem illud reſiduum candorem ſuum tanquam deſideratum puritatis indicium nobis oſtendat, iteratione ♋lationis ac ſolutionis minimè opus erit. Hâc operâ ſic juxta Fabri præſcriptionem transactâ ⦶ri purificatiſſimi ac cryſtallini (hujus namque beneficio ☿ialis malignitas & ſuſpecta qualitas penitùs emendatur) ad minimum ℔ß ⌒æ ſatis capaci eſt committenda, & poſtmodum reſidui hujus prædicti ad debitam albedinem deducti denuò filtrata ſolutio pedetentim pariter infundenda; (ſi enim confertim invicem miſceantur, impetuoſè ebulliunt, & vel junctim foras prorumpunt, vel vitrum diſſilire cogitur) donec ambo probè ſint unita; poſtmodum ⌒æ ampliſſimum receptaculum eſt adaptandum, ut acidum ⦶ri ac ☿ij perquàm ſpirituoſum ſufficientem ſpatii latitudinem invenire poſſit. Peractâ tandem hac per —E ad ſiccitatem uſque reſidui, quod candidiſſima ſtatim puritate gaudebit, ♋latione, non tantummodò Sudorificum illud maximum ex voto & feliciter paratum habebimus, ſed & acidum ☿ij, liquorem nempe & menſtruum nunquam ſatis laudandum juxtim impetrabimus, quod ad gratam acetoſitatem cum vehiculo aliquo conveniente aut alterante datum, vel ſi exinde Julapium fiat, febricitantibus cunctis, item hecticis ac phthiſicis ſuaviſſimum refrigerium ſingularemque recreationem, confortationem, atque ſolatium adflicto defatigatoque Archeo efficaciſſimè præſtat: Deinde egregium etiam menſtruum ſufficit illud ad extrahendas ex floribus vegetabilium ℞as ſeu colores, 🜍 vitæ continentes; quæ ℞æ duplici nomine, hoc eſt tam ratione virtuoſiſſimi menſtrui, quàm reſpectu Eſſentiæ ex vegetabilibus eductæ adfecta viſcera potenter corroborant, atque ſpiritum vitæ iratum oppidò demulcent. Sed & hoc inſuper de commendato hoc acido obſervandum, ab eo ▽am illam ſimplicem, quæ in primordio hujus laboris adjecta fuit, non nihil abſtrahendam eſſe, donec guttæ ſubacidæ exſtillare incipiant, ut eò præſtabilius hoc ☿ij acidum ſic efficiatur. Sudorificum hoc ſecurè ad gr. viij. vel x. etiam exhiberi poteſt, quoniam iſtud medicamen nullâ ratione ſuſpectum, ſed præter inſignes virtutes ſuas tutiſſimum omninò exiſtit: Quibus verò hoc ſudorificum à ⊖ penitus liberare, ac pro delicatulis planè inſipidum reddere placet, tunc doſis

Inſipidum hoc medicamen redditur per infuſionem & edulcorationem nec ▽ comm. fontana.

doſis erit à gr. ij. vel iij. uſque ad vj. nec vehiculo ſpecifico exhibenda, velut rectiſſimè jam ab Autore ſuprà monitum eſt.

Ad §. 10.

Hoc Sudorificum Maximum panaceæ dignitatem & excellentiam utique attingit, ſiquidem & ipſe Autor adſeveret, hoc remedium infinitos curare morbos, atque tot corporis noſtri hoſtes tam edomare, quàm cum depuratione organorum eximiâ poſt ſe vinctos educere poſſe; adeò namque contra omnes malignitatis gradus, corruptionis ac putredinis licet ſummæ vel jam animatæ etiam vitia, nec non quorumlibet dolorem tormenta, item pro radicali ſanguinis mundificatione hactenus illud probatiſſimum præſentiſſimumque deprehendimus. Cœterùm ea circa uſum hujus præſidii poterunt advorti, quæ Autor notanda nobis ibidem loci ſubminiſtravit. In noſtrâ Praxi eandem retinemus doloris aurium curandi methodum, quam Autor & animadverſiones noſttæ partim in hoc Capitis, partim etiam antecedentis diſtrictu præſcripſerunt, niſi quod præterea ▽am noſtram ſalino-balſamicam probè calefactam, ita tamen ut tolerare hunc fervorem queamus, parti adfectæ ad extra nec linteolis ſedulò adhibeamus, vel etiam vaporem bullientes vini ejusque generoſi aure illâ, quæ hoc dolore excruciatur, excipiendum ſvadeamus: Utroque enim hôc medió tumor emollitur, atque ad rupturam maturatur, imò tympanum ita diſponitur, ut materia corrupta profluere & ex ſententiâ evacuari queat.

CAPUT IV.

De *Vertigine.*

§. I.

VErtigo capitis dicitur, cum omnia circumagi atque gyrari videntur, etiamſi caput & corpus foriſque adſtantia reliqua cuncta ſint firmiſſima, nulloque pacto in gyrum vertantur.

§. 2. Fieri autem vertigo illa ſolet, quando excrementa alimenti noſtri vaporetenùs ad caput adſcendentia, à ſpiritu vitali fugantur, quæ dum ſpiritus noſtri repugnantiam fugiunt, in cavitate cerebri oculique noſtri pupillâ, in quâ præcipuò iſta gyratio adparet, circumgyrantur:

 tur:

tur: Non enim hæc rotatio videtur in cerebrô, quia cerebrum non videt, ſed oculus tantummodò videndi hanc facultatem obtinet.

§. 3. Si ergo rotatio ſeu gyratio illa in oculo conſpiciatur, fieri id oportet in propriâ ejus ſubſtantiâ, non verò in cerebri cavitatibus, niſi ex turbatâ imaginatione, quæ tale quod repræſentat; Unde etiam tenebræ aut ſpectra rubentia in vertigine oculis quandoque objiciuntur, quod ſignum evidentiſſimum præbet, hoc vitium ſimul in imaginatione oculique pupillâ, & humore cryſtallino fieri debere, ubi excrementorum vaporoſa quædam & tenuis ſubſtantia ſpiritubus animalibus (qui caput oculumque vivificant, & viſionem in oculô efficiunt) permiſcetur. Hæc igitur excrementitia ſubſtantia dum ab ipſo ſpiritu vitali & animali aliena ſeu heterogenea exiſtit, ipſi permiſceri non poteſt, ſed ſtatim ab hôc ſpiritu eliminatur, atque in fugam vertitur. Unde quum peccans hæc materia per capitis concava, per oculum atque pupillam ejus in hâc fugâ gyretur, omnia etiam ibi gyrari ac circumrotari poſteà videntur. Atque ſic vera fit vertigo, quæ eſt proſorius innatusque capitis, atque hinc phantaſiæ pariter & oculi adfectus, id quod Medicorum aliquem adhuc non animadvertiſſe miror.

§. 4. Definimus ergo vertiginem, quod ſit affectus p.n. oculorum & cerebri, læſæque pariter imaginationis ab excrementis ſubtilibus in cerebrum oculique pupillam, ac humoris cryſtallini ſubſtantiam demiſſis ortus, quæ dum à ſpiritu noſtro fugantur, in rotundo hoc certaminis locô in gyrum vertuntur; & ſic vertigo efficitur, donec hæc excrementa fuerint expulſa.

§. 5. Sic fieri planè ſolet in ebrioſis vinoque madidis, in quibus vapores & ſpiritus vini incocti ad caput adſcendunt, ibique imaginationem lædunt, & per nervos opticos in oculum & humorem cryſtallinum deferuntur; cùm verò de ſubſtantiâ ſpiritus animalis vitalisque non ſint, permiſceri etiam cum eô nequeunt; itaque ſpiritus noſter hos ipſos vini ſpiritus crudos ſeu indigeſtos aggreditur, atque in fugam conjicit, qui poſtmodum in illô rotundô locô, dum eos perſequitur ſpiritus noſter, neceſſariò quoque ſic circumgyrantur, ut ita extrinſecùs omnia quoque in gyrum verti videantur: Nempè dum interiora in capite & pupillâ oculi, præcipuè autem in cryſtallinô humore circumgyrantur, imò dum ipſe etiam cryſtallinus humor in hoc certamine commovetur, atque à ſpiritu ſuo animali, quo vivificatur, in gyrum vertitur, ſicut & ipſe ſpiritus quoque hanc gyrationem ſuſcipere cogitur, neceſſum omninò eſt, omnes ſpecies externas viſibilesque etiam in gyrum ſic converti.

§. 6. At-

§. 6. Atque hoc ipſum clarè admodum conſpicitur in ſpeculô, quod dum commovetur ac gyratur, univerſa domus & omnia ea, quæ in ſpeculô repræſentantur, commoventur ac circumgyrantur: Conſimiliter planè fit in capite & oculo noſtro; ſpecies namque viſibiles in humore cryſtallinô tanquam in ſpeculo repræſentantur. Si itaque humor cryſtallinus moveatur, & in gyrum agatur, moventur etiam ac in gyrum ducuntur omnes ſpecies viſibiles in humore cryſtallinô repræſentatæ.

§. 7. Hæc ſanè eſt veriſſima Vertiginis cauſa, quam in capite & oculô fieri neceſſum eſt, imaginatione nimirum ab excrementis ſubtilibus caput parteſque viſionis & imaginationis noſtræ ferientibus turbatâ & læſâ: Hæc verò excrementa ſubtilia vaporum more ad caput adſcendunt, quæ ut plurimum in ventriculô ſtabulari ſolent, & ſolô vomitu ejici poſſunt, veluti jam ex curatione ipſâ id manifeſtum fiet, ubi in Vomitu certiſſima vertiginis cujuſcunque remedia exiſtere docebitur.

§. 8. Curatio vertiginis ex ſublatione cauſarum materialium dependet, quæ utpote circumgyratæ caput oculoſque noſtros & partes ejus, quibus viſio celebratur, in gyrum agitant. Hæc autem cauſarum materialium ſublatio abſolvitur purgatione ipſius potiſſimum capitis ac ventriculi; quibus expurgatis excrementa quoque expurgantur, quæ in illis continentur, atque hinc ad partes cerebri demandantur.

§. 9. Hæc ipſa autem purgatio inſtituenda eſt per ⊖ ⊕li, vel per ♁ noſtrum ſuperiùs allatum, item beneficio ☿ dulc. ſpagyricè præparati, vel etiam ſequentis arcani ſeu extracti ellebor. alb. quod hâc paratur methodô: ℞. radic. ellebor. alb. ℔j. reduc. in pulverem tenuiſſimum, deinde maceretur in ✳ ♌lat. ℔iij. per 8. ☍ in vaſe vitreo optimè clauſo ſuper cineres calidos; transactis hiſce diebus fiat expreſſio fortis, quæ per chartam bibulam filtranda; pòſt lentè ♌letur per alembicum vitreum ad mellis conſiſtentiam, poſtmodum cum eodem ✳ ſtillat. ex ſequenti perre ℞a eſt extrahenda, ℞. pulv. electuar. diarhodon. Abbat. Aloës epatic. aa ℥j, cinamom. caryophyll. aa ʒij. moſch. ambr. gryſ. aa gr. viij. f. ex omnibus pulv. ex quo beneficio dicti ✳ repetitis cohobiis ℞a extrahatur, donec nil amplius ℞æ exinde extrahi poſſit; deinde extracta hæc ℞a nec extracto ellebori, quod in fundo alembici remanſit, quam optimè permiſceatur, & abſtrahatur per lenem ♌lationem, quicquid ✳ti poterit abſtrahi, donec in fundo remaneat extractum ellebor.

elleb. alb. c. ℞a conjunctum ad conſiſtentiam inſtar ⊖is durum, ut ex eô pilulæ ponderis gr. x. vel xII. fieri poterint.

§. 10. Hæ pilulæ caput & ventriculum, ubi potiſſimum eſt focus nidusque vertiginis, mirificè & ſine ullo convulſionis metu aut labore expurgant: ſummoperè enim elleborus ✱o ſtillat, factâ ſic diſſolutione corrigitur, in quâ quicquid habet veneni amittit, atque ex ſententiâ alteratur. Et quid nî corrigeretur elleborus hâc ratione quàm & ☿ ac ipſe ♉ ✱ô illô ♌latô maximoperè corrigantur, ita ut benigniſſima fiant Medicamenta, quemadmodum id cuivis experto Chymico eſt manifeſtiſſimum. Atque hæ pilulæ ſolæ tutò, citò & jucundè vertiginem curant.

§. 11. Poſt purgationem ternam vel quaternam his pilulis factam, vertiginoſi capitis purgatio noſtrô Cap. I. declaratô ubi poterunt; quo obſervato totaliter evaneſcet vertigo ac radicitùs expelletur: Neque ullo pacto eam in epilepſia tranſire ſic timendum eſt, veluti alioquin ſæpiſſimè hoc fieri adſolet ex uſu Medicamentorum vulgarium ac trivialium; ſic namque cùm ea hunc morbum non curent, nec ejus cauſas radicitùs tollant, cauſæ materiales in capite radicantur, atque in ventriculo ita fixantur, ut non ampliùs in oculum incidant, ſed pariant potiùs epilepſiam vel aliquando melancholiam atque maniam: Spectra namque rubra illa, quæ cuicum circa conſpiciuntur: indicant, materiam hanc tandem inflammari & △em concipere poſſe, unde poſtmodum, imflammatis ſpiritubus cerebri, fit mania; de quibus cunctis ſuo loco peculiariter tractabitur.

Animadverſiones Ad CAP. V. in genere.

VErtigo virus rotans ac venenum inebriativum Helmontio adpoſitè vocatur: Cauſa enim materialis hujus adfectus ſpiritui ſeu Naturæ noſtræ tam infenſa ac infeſta eſt, quàm ſæpe venenum quoddam, ſicut excrementa omnia, aut quæ conditiones excrementi putridi acquiſiverunt, humori vitali impenſè repugnant. Deinde venenum hinc dictum ex Philologis quidam exiſtimant, quod citò in venas id veniat, atque per eas tranſcurrat: Eadem planè comparatum eſt ratione cum excre-

excrementis ſubtilibus ac vaporiferis, quæ cerebri anfractus ac meatus celeriter pervadere, ac lumen vitale vehementer perturbare valent. De venenis etiam certum eſt, ea deſubitò agere in ſpiritus noſtros; ſic & flagitioſæ fuligines iſtæ in capitis ſacra tumultuoſè irruentes, ſpiritubus plurimum negotii faceſſunt, ac moleſtiſſimum rotæ ſupplicium, ut ſic loquar, iis conſtituunt. Tandem nec abſonè hoc virus inebriare veluti divam hanc palladem adferitur; vix etenim vini fumus tam graves confuſaſque nebulas cerebro offundere poteſt, quàm ille excrementitiorum vaporum importunus turbo nobiliſſimam capitis ac delicatam oculi ſphæram exagitare atque divexare ſolet. Cœterùm vertigo nobiliſſimum utique eſt malum & vulgare ſatis, ſi nempe affectum ipſum ac creberrimos ejus inſultus reſpiciamus; ſin verò ad genuinam hujus ægritudinis cauſam provocemus, diverſiſſima ſanè ſtatuendi ratiocinia, an potiùs obſcura conjectaria ſuper ambigendâ tantæ varietatis veritate neminem non ſolicitabunt. Sed inter varias haſce Autorum ſententias flùctuare non poterimus, ſi cynoſuræ locô Autoris acutiſſimi Philoſophiam venerari non reſpuamus.

Ad §. 1.

Vertiginoſos utique ſic ſolari conſvevimus; quibus omnia circumvotari ac gyrari videntur, ne metuant, quod domus non gyret, & quod gyrus (rerum ſcilicet conſpectarum) non ſit in re, ſed in phantaſia dumtaxat. Atque ſic ſanè eſt: Externa namque omnia & quæcunque in vertiginis moleſtiâ circumagi videntur, firmiſſima omninò exiſtunt, nec corpus noſtrum aut ipſa cerebri ſubſtantia circulatione iſta afficitur, attamen contenti & habitantes inibi ſpiritus unà cum fuliginum turbâ, ſicuti etiam ipſum humoris cryſtallini ſpeculum, in gyrum aguntur, eorumque integritas ſtatu ſuo manifeſtiſſimè movetur.

Ad §. 2.

Excrementa (quo nomine non immeritò etiam indigitari poteſt nutrimentum degeneratum, & quod ad interitum corruptionis jam redactum eſt) potiſſimum ab alimento noſtro provenire, indubium planè eſt: Omne enim quod concedimus, mucilaginoſas ac lutoſas partes Naturæ noſtræ noxias in ſe comprehendit. Si ergo recrementa hæc debitô modô à robore digeſtricis noſtræ non ſubigantur & ſeparentur, ſed remaneant, tunc non tantùm hoſtili corruptione morbida & exotica evadunt, verùm etiam cum illô, quod purum eſt, ad membra

bra poſtmodum tranſeunt, atque ſic quoque ad ipſum corporis faſtigium adſcendunt; cumprimis verò vapores & exhalationes, quia valdè volatiles ſunt, ac ſuâ naturâ ſurſum tendunt, infernè ſurgunt, & cavitatem capitis occupant, vel potius ingens quantum aggravant. Quemadmodum autem excrementitia hujusmodi nequitia intra Naturæ limites nunquam probatur; ſic impetum faciens Archeus ſeu ſpiritus vitæ confeſtim aggreditur eam, ut fugare & expellere quantocyùs queat: Ambo igitur dum inter ſe pugnant, valdoperè commoventur, præſertim verò materia peccans hinc inde impellitur; quod cùm in capitis capacitate rotundâ fiat, & ſanguinis ſpirituumque canales pariter circulatoriô ambitu diſſeminati ibi exiſtant, violentæ circumgyrationis motus inordinatus ac irregularis, quem unà cum ſpiritubus vapores excrementitii neceſſariò ſic ſuſcipiunt, ob hanc figuræ rationem protinùs eluceſcit. Inſuper πρῶτον πάσχον vertiginis hîc ſatis dilucidè tangit Autor, quod plerisque hactenus ipſum fuit cerebrum; verùm rectiſſimè communibus quaſi ſuffragiis recepto huic errori occurrit Autor, dum primariò hos circumgyratarum rerum lemures in oculo comparere, quod ipſum cerebrum videndi poteſtate & aptitudine non gaudeat, opportunè ſatis oggerit; Veluti etiam certiſſimum eſt, utroque lumine orbos hâc vertiginis ærumna non affligi. Igitur primariò aut proximè iſta rerum circumactio & turbata hæc viſus œconomia oculo & ejus ſtructuræ adſcribenda eſt, ſecundariò autem ac non difficulter phantaſia poſtmodum hinc decipitur quoque & ſic adæquati ſubjecti munus cerebro competere non negamus; in hoc quidem paſſionis cauſa præparatur, ſed ipſa paſſio aut vitium circumgyratæ viſionis præcipuè ac primùm in oculo tam perſentiſcitur, quàm peragitur, aut in actu deducitur. Deinde hîc non confundendi ſunt termini circumgerationis & nutationis, quarum hæc cœcis quoque aut qui in tenebris ſunt conſtituti, contingere poteſt, quod à vehementiori fuliginum aſſultu cerebri reſpublica conturbetur, atque ſic phantaſia ſenſusque communis naturalem agendi orbitam deſerere, aut vacillare cogantur.

Ad §. 3.

Repetit hîc itidem certamen ac repugnantiam ſpiritus vitæ contra excrementoſum ſcandalum, quod vapores putridi locis ab illuſtri functione nobiliſſimis inferunt, de qua ſatis jam dictum putamus. Aſt unde tenebræ ac ſpectra rubentia, quæ in vertigine oculis quandoque obſeruntur, genuinam trahant ſcaturiginem, nunc declarandum ſe exhibet:

hibet : Nebulas ergo quod attinet , illas vel obſtructio nervi optici, quæ facili negotio præparat: irregularem Archei & vaporum hoſtilium in cerebri meantris ac diverticulis commotionem ſeu jactationem accidit, parere, adeoque denegatus vel inſufficiens ſpirituum animalium influxus privativè , ut Scholaſtici loquuntur , caliginem iſtam inducere poteſt, vel poſitivè hoc ipſum fit, quatenus vapores ad ſidera capitis ſublimati in nebulas extenuantur, & cum ſpiritubus ad penetralia oculi irrumpentes in rei veritate ſplendorem cryſtallini humoris obſcurant, atque ſic illam vertiginis ſororem , quæ à tenebris lumina noſtra fuſcantibus σκοτομία dicitur , progenerant. Sed de rubentibus ſpectris vel ſcintillis aut ſplendoribus illis , quæ oculis obſervari aut in 🜁re volitare videntur, judicium tam promtum forſitan non erit; Autor dumtaxat ſignum hinc elicere tentat , dum hæc ipſa meteora vel potius ludibria in Imaginatione, cujus thronum eſſe cerebrum jam ſcimus, item in pupilla pariter atque cryſtallo oculi, ob prædictas cauſas fieri, concludit; aſt rationis centrum hîc nos deſideramus , unde ſpectrorum hæc rubentium geneſis dependeat , quod paucis eruere etiam non negligemus. Helmontius ex ipſô ſublimioris Phyſicæ fundamento eleganti diductione demonſtrat omnia illa , quæ facilè putreſcunt, aut ipſi jam putredini obnoxia exiſtunt , atque ſic heterogenea evadunt, facilimè etiam putredinis comites, nempe diverſa colorum pigmenta, quæ ſecundùm varios putredinis gradus etiam variare ſolent, admittere, hoc eſt conditiones materiales repetere , quibus res putredinis gymnaſio ſubjectæ obligantur. Ergo nullum ampliùs eſt mirum , varios in oculô colores aut eorum monſtra quandoque adparere , quùm ex putredis humoribus putridi etiam progignantur vapores , & propterea ob putredinis continuationem, à qua nec capitis majeſtas eximitur, quum inibi contenta conſimiliter putreſcere queant ſoleantque , ſpiritus animales & optici variegatis hujusmodi effluviis inquinentur turbenturque; Citiùs verò rubentibus ac quaſi igneis atomis ſpiritus illi à colliſione ſeu inquietudine ſummâ ſpiritus videlicet noſtri & vaporum iſtorum proſilientibus ſtipantur : Hos etenim dum tanquam peregrinos hoſtileſque hoſpites excutere ſpiritus ſeu Archeus noſter , qui ſuâ naturâ etiam luminoſus, conatur, △eum ac veluti flammantem furorem impetumque concipit , cujus ratione rubentia aut ignea ejusmodi ſpectra vel miaſmata cum ſpiritubus opticis facilè immiſceri, ad oculos pervenire, atque ſic deludere vertiginoſos queunt.

Ad §. 4.

Libertas Medicorum logico rigori ac ſtrictis hujus diſciplinæ legibus ſe adſtringere nequaquam patitur, ideoque foro ſuo ſic uti, ac tales etiam pangere definitiones conſveverunt, quorum ſtructura ad medendi ſcopum citra ambages ullas nos traducere poteſt. Ut itaque juxta Helmontii doctrinam, quæ ſemper radicalem curandi ſpectat methodum, morbi ipſius definitio non à genere definiti nec differentiâ conſtitutiva eſt petenda, nec prorſus à centrali cauſarum, videlicet materiæ & efficientis (quarum illa eſt removenda aut immutanda, hæc verò pacanda) connexione; ſic & Autor, ut ex allata definitione id liquidiſſimè patet, in hac vertiginis deſcriptione preſſo pede veram hanc totius Medicinæ baſin ſequitur, quam qui pariter olim amplecti non faſtidiet, ab exoptatæ curationis orbita tam in hoc affectu, quàm reliquis omnibus non faſtidiet, ab exoptatæ curationis orbita tam in hoc affectu, quàm reliquis omnibus non facilè aberrabit. Cœterùm ipſa definitionis hujus viſcera paulò antè præmiſſorum ſeries abundè jam expoſuit.

Ad §. 5. & 6.

Quadrat valdè exemplum omnibus modis præclarum, quo vertiginoſos & madulſas æquiparat Autor, quod in illis propemodum atque in his neque pes, neque mens, nec phantaſia, ſed & cumprimis nec oculi ſuo ſatisfaciant officio, dum objecta vel per tranſennam, vel duplicatò, vel confuſè, aut gyrata cum titubatione agnoſcunt atque conſpiciunt. Hinc Hoffmanni etiam effatum nobis arridet, dum vertiginem quoddam delirium nuncupat, quòd falſa illa circumrationis imaginatio referri aliò non poſſit. Præterea dum vertiginem fieri ob reverà à ſæpius jam nominatis cauſis circumgyratos tam ſpiritus opticos, quàm ipſum humorem quoque cryſtallinum afferit, pedibus nos confeſtim in hanc ſententiam deſcendimus, ſeriò ſtatuentes, veram vertiginem oriri aut nos infeſtare non poſſe, niſi potiſſimum à tumultuoſo ac confuſo ſpiritus optici & vaporis excrementitii in oculi adyta influxu humor glacialis ſeu cryſtallinus, qui nullam planè cum ſede ſua aut ambientibus cum particulis cohærentiam habet, ad titubantiam & vacillationem quandam adigatur, veluti bujus rei ſcenam approbè per ſimilitudinem ſpeculi commoti inſuper ob oculos noſtros poſuit.

Ad §. 7. & 8.

Ventriculus unica quaſi eſt ſanitatis origo ac ſuſtentaculum publicum,

cum, qui ſi rectè & athleticè ſe habet, omnia in corpore juxtim vigent, ac ipſe Archeus ridet, ſin debilitate is præoccupatus exiſtat, communem illam audiemus querimoniam, vitium coctionis primæ non emendari in ſecunda, multò minus in tertia poſſe; unde & circa unici ventriculi tutelam ac curam eſſe Medicorum numeroſiſſimam operam plus ſatis novimus. Ut ergo vario culpæ reatu non raiò diſtrictus eſt ventriculus, ſic & inter cœteros ſuæ debilitatis fructus aut ſymptomata vertiginem frequenter deprehendimus, quòd à collectis inibi cruditatibus, quæ malitiam corruptionis promtè poſtmodum arripiunt, copioſa vaporum proles èlevari ad caput ſoleat: Unde Helmontius etiam cerebrum obſequioſô cultu auſcultare ventriculi defectibus, & quaſi per adſpectum hujus adflictionis (eleganti nimirum penicillô ſic deſcribit ſympatheiam & conſenſum exquiſitiſſimum, quem hæc vel illa membra ob nervorum aut aliarum integrantium partium communionem inter ſe fovent) miſeris inſimul modis languere docet. Non immeritò igitur, quum fomes & radix vertiginis ſtabuletur plerumque ventriculo, in vomitu certiſſimam veramque, ſed & acceleratiſſimam hujus mali profligationem conſiſtere, à Fabrô noſtro adſeritur, ita tamen ut non tantùm & primitùs univerſalis ſeu ventriculi (is enim publici organi dignitatem ſuſtinet.) poſtmodum verò particularis ſeu cerebri expurgatio, quarum illam Vomitoria & Catharctica potiſſimum, hanc verò ptarmica ſeu Errhina expediunt, diligenter obſervetur.

Ad §. 9. & 10.

Societas Emeticorum & purgantium nobiliorum ex ſuperioribus, ſicuti pariter certitudo probatiſſimæ efficaciæ, quam iſta remedia Chymica opportunè data præſtant, jam nobis abundè innotuit, dum ex alto contumaciſſima etiam humorum extremè corruptorum vitia, unde tantorum montes malorum ſuccreſcere poſſunt, maturè vel in tempore tam infringunt, quàm provocant atque eliminant; Ergo de his in præſenti nil amplius. Quum verò excellentiſſimi tituli arcanum, & ſingulare ex elleboro albo extractum aut purgans cephalicoſtomachicum Autor nos parare docuerit, fatemur illum ſincerè nobis id conficiendi modum communicaſſe, ita ut nulla ulterius explanatione indigeat, niſi quod pauxilla hæc ac monitu non indigna adjungere inſuper operæ pretium exiſtimemus. Geminatam autem ellebori proſapiam advertere Medici ſolent, quarum altera ab albedine quadam, altera à nigrore epitheton ſuum impetravit: Album elleborum Paracelſus vocitat

 junio-

juniorem ; atrum verò ſeniorem : Illum junioribus ; hunc ſenioribus convenire aut magis adpropriatum eſſe, dictitat: Illum juniores, hoc eſt valdè ferocientes vires obtinere ; hunc ſegniorem & contemperatam purgandi energiam exſerere innuit, utrumque tamen contra cephalica pariter ac ſtomachica mala, eſſentiam humani corporis velut in vigore ſuo conſervando, præſtabiliſſimum ſuggerere arcanum dicit ; Cui Helmontius adſtipulatur ſtatuendo, tam pro amente aut exorbitante cerebro, quàm pro errante ſtomacho peculiarem virtutem in elleboro conſiſtere. Verum quum de elleboro albo vel Medicorum ſervis etiam notum ſit, ob violentiam purgationis vehementiſſimam, quam per ſuperiora & inferiora furioſè exercet, intrinſecùs crudum eum nequaquam adhiberi, ſiquidem hæc radix Archeum in ſpasmi & lipothymiæ lethale diſcrimen ⊽tare ſoleat, beneficio tamen ſpagyrici mgrii ex peſtilentiſſimo etiam veneno ſaluberrimum tutumque medicamen confici ; ideoque Autor benignæ artis memor elleborum album, non, ut vulgò id fieri in pharmacopoliis cimus, virtutibus ſuis caſtrare, ſed ita emendare ac virulentiâ ſua ſpoliare docet, ut ſine ullo periculo & magno cum fructu, quod impuritates ac putredines radicitùs tollat, ad uſum internum is traduci poſſit. Circa hanc radicem rectè corrigendi aut præparandi modum nil occurrit, quod cavendi regulas poſcat, quum fideliter omnes ſingulasque circumſtantias Autor tradiderit. Sed ambigere hîc aliquis poſſet, num 🜊o ♌lato, ad frænandam venenatorum perniciem, tanta facultas juxta Autoris fidejuſſionem attribuenda jure veniat ? Non ignoramus equidem, quosdam de 🜊 minùs honorificè loqui aut ſentire, dum modò cadaver 🜊i, modo proverbiali ironia, quâ filium omnimodè degenerem ſignificant, 🜊um 🜊i filium adpellitare conſveverunt ; unde & Plinius mentionem nequitiæ 🜊i facit, cui tamen ad maximos uſus virtutem egregiam ineſſe ſubjunxit. Atque ſic ſanè eſt : Vix fructuoſum quidpiam in Alchymiâ parari patrarique poteſt, niſi 🜊i auxilium accedat, quemadmodum Chymicorum πονητήελα ſine hoc 🜊i ac ſpiritus vini quaſi ſacrificio profana omninò ac contemtiſſima ſeu nullius pretii exiſtunt. Ut autem alias multasque 🜊i, quibus abundè in mineralium commodâ putrefactione aut præſtantiorum medicaminum adornatione pollet, virtutes ſilentio involvam, ſaltim ex Baſileô Valentinô venerandi nominis Spagyricô, & adeptæ Sophiæ poſſeſſore indubitatò diſcimus, 🜊 efficaciſſimè purum ab impurô ſegregare, inſuperque mineralibus corrodentem vel cauſticam acrimoniam præſtanter adimere, volatile oppidò

dô figere, atque ſic venenatas proprietates tam in vegetabilibus quàm mineralibus, juxta Autoris aſſertum, potenter edomare aut reprimere ob fixam ⊕olatamque naturam; quæ ✳o non immeritò aſſignatur, poſſe; ſicut etiam de ✳ô communiter nulli non conſtat, illud in ſe vires bezoardicas inſignes, & à contagioſis morbis præcavendi, adeoque putredinis malignitatem probè compeſcendi, eidemque ex ſententiâ reſiſtendi efficaciam effatu dignam obtinere. Ratio debitè ♌landi acetum ex ſcriptis diverſis jam liquet; acrius tamen & ad corrigendum excellentius id redditur, ſi à ⊖e comm. ſeu ⦶ô etiam purificatô, quorum utrumque venenatas qualitates egregiè diſcutit, aliquoties cohobetur, hoc eſt ſi affuſo uni ex his ⊖ibus ✳ô bis, ter vel quater illud abſtrahatur aut rectificetur. Circa hoc arcanum elleborinum id inſuper adnotamus, ambram & moſchum omittenda, ſi pro ſexu muliebri hæc medicina paretur, ſiquidem odorifera hyſtericis ac fœminis pleriſque ſint ſummoperè exoſa atque infeſta; deinde ambram & moſchum minùs rectè extrahi unà cum pulveribus reliquis opinamur, quoniam vix vigeſima pars utriusque (quorum etiam terreſtreitas aut fæces ſunt pretioſæ) laudatæ mixturæ ſic accreſcit, ideoque poſtquam extractum ellebori & ℞a ex pulveribus aromaticis confecta invicem ſunt mixta, atque ad juſtam conſiſtentiam perducta, ambra pariter ac moſchus vel autem pulveriſata huic maſſæ in ſubſtantiâ exquiſitè ſunt commiſcenda. Doſin quoque hujus eſſentiæ elleborinæ determinat Faber, quæ ad gr. x, vel XII. ſe extendit; atque ſi connexionem ipſius contextus inſpiciamus, unicam exinde pilulam eſſe efformandam conjicimus; Verùm quùm grandis nimium & deglutitu difficilis hujusmodi globulus hâc ratione ſit evaſurus, quasdam potius hinc pilulas, easque tamen majuſculas conficere præſtabit, ſiquidem neque nos fugiat, pilulas capitis expurgationem concernentes ſemper eſſe grandiores debere, quòd ſic tam citò non diſſolvi in ventriculô queant, ac proinde diutiùs in eodem permaneant, ut humores corruptos eò robuſtiùs conſtantiusque ex capite ad inferiora prolicere; atque cerebro prodeſſe ſpecificô beneficiô ſic poſſint.

▽ ſicca Philoſophor. item Azoth Philoſophor. vel lac virginis vocatur ✳ Philoſophorum perfectiſſimum. Tali aceto optimè quoque præparantur & ſolvuntur corpora pro mgriis.

Ambra & moſchus non facilè teruntur in pulverem in mortario per contuſionem, quia fermè hac ratione in gummoſum corpus concreſcant; ſed optimè raduntur cultris vel aliis inſtrumentis.

Ad §: II.

Radicaliter hîc quoque cauſam vertiginis materialem tam univerſalibus jam commendantis, quàm particularibus evacuantibus, in ſpecie autem caput purgiô ſuô ſeu pulvere ſternutatoriô ſuprà laudatô proſcribendam, iterum hortatur Autor, ne morbus radice non evulſâ

denuò germen accipere ac repullulare, imò ita recrudeſcere poſſit, ut priſtinæ difficultates non tantùm redeant, verùm mirè duplicentur etiam, & ingens quantum ingraveſcant, vel ne planè in graviores affectus, nempe Epilepſiam aut Apoplexiam, quarum præco alioquin eſt vertigo, præſertim ſi vehementior ea ſit, atque tenebras oculis jam obducere ſoleat, vel in ipſam quoque maniam (ex hiſce enim vertiginis cineribus effrænatam ac furibundam ejusmodi flammam exſurgere poſſe, rubentia ſpectra præſagiunt) degenerare queat, ſicuti hoc peritis Medicis novum inauditumque non eſt. Cæterùm ex praxi noſtra producere quædam adhuc ſpecifica placet, inter quæ primas obtinet Spiritus noſter cephalicus, Eſs. radic. doronic. (pro menſtruô hîc convenit ſpiritus lil. convall. vel lavendul.) ſpagyricè præparata, & tragea ex fol. ellebor. nigr. c. ſacchar. parte æquali facta, quam ut Helmontii filius contra vertiginem probatiſſimum ac ſingulare robur oſtendere, præmiſſis tamen ſemper univerſalibus iſtis, ſeriò atteſtatur, ita & nos hujus effati veritatem hactenus non rarò fuimus comperti.

CAPUT VI.
De
Phrenitide.

§. I.

PHrenitis eſt propriè inflammatio ſpirituum animalium in cerebrô, quibus ſic ignitis delirium, febris continua & ardens, ac vigiliæ ſine ullâ intermiſſione fieri, adeôque febrim illam hæc ſymptomata omnia conſequi poſſunt.

§. 2. Febris autem primò incipit, cùm ſpiritus vitalis in ipſo corde excandeſcit, qui conſequenter ignitionem hanc in quibusdam febricitantibus pariter ſpiritubus animalibus in cerebro imprimit, quo facto poſteà tota Palladis domus quoque exardeſcit; unde phrenitis & delirium illud cum vigiliis non intermittentibus & febre continuâ: Anima enim flagrante hoc incendio quieſcere non poteſt.

§. 3. Cauſæ materiales hujusce febris, quæ dicta ſymptomata progignit, ſunt potiſſimùm alimenti noſtri excrementa, quæ per corruptionem in △eam hanc ſubſtantiam degenerant. Hæc itaque cum ſint calidiſſima ac veluti △eæ naturæ, totum ſanguinem poſtmodum per-

perturbant, eumque ita inflammant, ut perinde etiam ſanguinis igneſcat, quô inflammatô inſuper proprium ejus domicilium quoque inflammatur; ſic namque cor, & cum eô totum corpus excandeſcit, ut proptereà non mirum, ſi unà per ſpiritus vitalis inflammationem cerebrum etiam cum ſpiritu ſuô animali exardeſcat, atque ſic phrenitis cum vigiliis minimè intermittentibus producatur.

§. 4. In omnibus tamen febribus hoc fieri non ſolet: Quamvis enim cor ac ſpiritus ejusdem vitalis ab excrementis △eis, quæ in ſanguine continentur, inflammetur, prætereaque ſic inflammatus cerebrum conſcendat, tamen ob cerebri frigiditatem ac humiditatem innatam ſpiritus iſte rurſus ibidem temperari, vel aliquatenùs frigeſcere poteſt, ita ut in quibusdam febricititantibus præparat; jam dictam naturalem cerebri temperiem, quâ unus vel alter peculiariter pollet; nulla planè intercurrat phrenitis, quod non ſtatim quoque inſimul cerebrum ac ſpiritus animalis ſic incandeſcere neceſſum habeant; Unde etiam in cerebro præparat: factam hanc inibi ſpirituum incenſorum & ad alta conſcendentium contemperationem & refrigerationem tunc omnia rectè nihilominus fiunt, & anima functionis ſuas naturales ſine impedimento exercet.

§. 5. Atque hæc eſt veriſſima phrenitidis cauſa, quâ ſic perſpectâ cuivis manifeſtum fiet, non vapores ex utraque bile in caput adſcendentes id efficere, quùm ad caput nec pertingere, nec functiones ejus interturbare queant; Minimè enim horum vaporum eſt, actiones morboſas facere, cum nec ſanas legitimasque naturæ actiones peragere poſſint, ſed hoc ipſum ſolius eſt ſpiritus, qui ſi læſus ſit, eas etiam actiones naturales, quas perficere debet, depravatas læſasque faciat oportet. Nec valet inſtantia, bilem præternaturalem utramque & in corpus ſanguineque corruptam lædere ſpiritum poſſe, & ipſum hinc exardeſcere, quod calida & △ea utraque bilis exiſtat; Hôc namque ut à nobis jam diu refutatum eſt, ita & adhuc clarius huic objectioni reſpondemus dicendo, ex corruptioni ſanguinis ſeu alimenti noſtri homogenei non poſſe fieri ſimile aliquid, quod utrique bili reſpondeat: Quod enim inflammare ſpiritum noſtrum poteſt, ut ſit tenuiſſimum, 🜁eum, & ſpirituoſum, ſeu naturam ſpiritus redoleat neceſſe eſt; utraque verò bilis eſt craſſum ac materiale quidpiam 🜃eum potiùs quàm △eum, unde etiam ſpiritum noſtrum inflammare, & propter craſſitiem ſuam ſeu molem 🜃eſtrem totum penetrare corpus non poteſt, ut partes noſtras easque cunctas lædat, veluti hoc in Tractatu de Febribus

bus DEO dante demonſtrabitur clariſſimè : Oportet enim materiam febrilem eſſe tenuiſſimam & ſubtiliſſimam , ut poros corporis omnes permeare , ibique ſpiritus exagitare ac inflammare poſſit; ſed utraque bilis tantæ ſubtilitatis ac tenuitatis non eſt , ut totum permeare corpus queat.

§. 6. Itaque cauſas materiales phrenitidis in ſubtiliſſima ac tenuiſſima ſanguinis noſtri excrementa collocavimus , quorum ſubſtantia ſpiritus eſſentiam ac naturam habet, ut ſic facilè totum corpus permeare, ac ſpiritum noſtrum exagitare & inflammare poſſit : Sic enim inflammatis vel ignitis ſpiritubus ad caput adſcendentibus , ſpiritus quoque animales cerebri ipſius inflammantur vel accenduntur ; unde poſtmodum phrenitis cum vigiliis phrenitidem comitantibus ortum habet.

§. 7. Cauſis hiſce probè ſic cognitis , ſequentia adhiberi remedia poſſunt, ut hæc mala tollantur, ſpiritusque tam vitales quàm animales ad ſuam naturalem temperiem redire poſſint.

§. 8. Igneſcentes autem ſpiritus iſti, & ſuo præternaturali calore ſacram Palladis arcem accendentes compeſcendi ſunt , ac temperandus eſt ille calor , evocatis nempè ſeu eliminatis ſpirituoſis excrementitiisque his ſubſtantiis, ſpiritus naturales inflammantibus.

§. 9. Si igitur phrenitis in adoleſcente εὐσάρκῳ occurrat , audacter ſanguis eſt mittendus : Unà enim cum ſanguine exeunt & expellenda ſunt hæc ſanguinis excrementa ſpirituoſa , ignea, atque calida , quæ ſpiritus noſtros excandefaciunt & accendant , ſiquidem focus nidusque , ex quô ſæpiùs hæc excrementa ſpirituoſa ad cerebrum adſcendunt , eſt meſenterium à liquidâ ſtercoris noſtri ℞â obſtructum , quod quidem ſtercus liquidum ex ultimis extremisque inteſtinis à venis meſaraicis exugitur, & unà cum ſanguine poſtmodum miſcetur , unde ſuâ 🜍reâ & inflammabili ſubſtantiâ , niſi ea à ſpiritu ſanitatis noſtræ œconomô , ejusque facultate expultrice per ⊡as maturè projiciatur (quâ ratione etiam tinguntur ac colerantur ⊡æ ſuô colore naturali flavô vel rubro febrili , ſi videlicet iſta liquidi ſtercoris ℞a adaugeatur.) totum ſanguinem ita inficit , ut totus etiam cum ſpiritu ſuo excandeſcat , atque hinc ℞a illa ſtercoris liquida cerebrum quoque adſcendat , & â ſanguine ad iſtud transferatur. Hinc fieri poſteà experimur , ut in phreneticis ⊡æ albeſcant, quod ℞a hæc △ea ac rubra , dum per ⊡as non propellitur, ad caput cerebrumque demandetur.

§. 10. Maximum ergo in phrenitide arcanum eſt , habere venarum

rum meſaraicarum deobſtructivum ac diureticum, ut via illa, per quam ab ipſâ Naturâ liquidum iſtud excrementum propellitur, pateat & aperta fiat; ſtatim namque ſic ceſſat hoc febrium ardentium ſymptoma. Itaque poſt ſanguinis ex cephalicâ vel baſilicâ miſſionem ſufficientem, & viribus ætatique ægrotantis congruam, deſubitò recurrendum eſt ad Medicamentum illud diureticum atque deopilativum.

§. 11. Eſt autem remedium hoc curandæ phrenitidis nil aliud, quàm ♀rus ⊖olatus, qui variis modis apud Chymicos præparatur, melior tamen & penetrantior eſt ſequens: Diſſolvitur nempe cremor ♀ ſubtiliſſimus in °oli ⊖ii non rectificatô, nec à ſuo phlegmate denudatô, qui bis aut ter in die ad quantitatem cochlear. j. in juſculô datur: Poſtea corpus phreneticorum purgetur, ſi vires ſint ferundo ac ſufficiant, pharmacô ſequenti: ℞. ☿ dulc. ſpagyricè præparat. *diagrid. eodem modo parati*, ut Cap. II. docuimus, aa. gr. x. conſerv. viol. ℥j. M. f. Bolus, qui cum regimine ac cuſtodiâ exhibendus eſt, vel diſſolvantur hæc omnia c. ſyrup. roſac. ac viol. ut commodiùs phrenetici hanc poſitionem deglutire queant. *vid. ſuprà p. 26. §. 7.*

§. 12. Purgato ſic corpore, ad laudanum illud (cujus confectio videatur itidem ſuprà Cap. III.) deveniendum, cujus pilula unica ponderis gr. x. eſt devoranda, vel c. ▽ roſ. diſſolvenda ac propinanda tempore ſomni; ſic namque conciliatur ſomnus, cujus tepore ac humiditate ſpiritus accenſi phrenitidem parientes temperantur. Summoperè etiam confert, ſi ſternutamenta Caput purgio noſtro excitentur, quoniam ſic materia accenſa foras propellitur, & cerebro multum ſolatii hinc ſucceſcit.

§. 13. Quod ſi hæc omnia ſint fruſtranea, affectusque nihilominùs perſiſtat, (eſt enim curatu difficilis, quod ſpiritus inflammatus & partes cerebri omnes vix ad temperiem naturalem reduci queant, quin ipſa mors ſubſequatur, præſertim cùm à malè curatâ febri ſuboriatur phrenitis) tunc deveniendum erit ad ultimum phrenitidis curandæ arcanum, videlicet ad liquorem ☿ij acidum, qui penetranti ſuâ facultate & frigidâ humidaque natura inflammationem illam non in cerebro tantùm, verùm per totum etiam corpus temperat. Acidus autem hic liquor ex ♉ & amalgamate ☿ij crudi c. ♃ Anglico æquali in pondere per ⌒am in frigidam ▽am in recipiente contentam, vel meliùs adhuc in ✻ illud, quod ex lotione pulveris emetici elicitur, ♌latur, poſteaque ſeptenâ ♌latione rectificatur. Si itaque acidum iſtud opio torrefacto per diſſolutionem hujus imprægnetur, habebis arcanum curan-

randæ phrenitidis ſummum, quod ad VIII. aut X. guttulas in ſyrup. roſac vel papaver. tempore ſomni datur, quâ potione gratiſſimâ cerebrum ejusque ſpiritus oppidò temperantur, imò febris ipſa evaneſcit, quod acido illo ☿ij opiato cauſa febrilis materialis periat ac deſtruatur: Laudanum ⊖li etiam tutò ad curandam phrenitidem adhibetur.

Animadverſiones.
Ad
CAP. VI. in genere.

PHrenitis à mente dicitur, quæ tunc ardore ſpirituum turbata & alienata errore inſigni atque luculentâ confuſione adficitur: Deinde: quùm φρένες & præcordia denotent, eundem nihilominùs valorem obtinebit dicta hujus adſectus denominatio: Præcordia enim ſeu cor ipſum (unde ſpirituum hoc incendium medio circulationis perenni vivæ ad alta ſublimatur) radicalem ſedem ſeu domicilium animæ præbent, ſicuti facultatem iraſcibilem atque animi pathemata hinc prodire Anteceſſoribus cunctis indubitatum eſt; ut ita cerebrum juxta Helmontium rectiùs ſit pars conductrix ſeu organum exſecutivum, animæ conceptibus conſecratum, quatenus præſidet nervis, motus nimirum inſtrumentis, & ſpirituum animalium geneſin molitur, nec non quatenus facultates memoriæ ac imaginationis in ſe poſſidet, in phrenitide verò utrumque viſcens, tam cordis atrium, quàm cerebri aula miſeris modis inſimul flagrare ſolent, veluti pauló poſt id clariùs exponetur. Sed dum Helmontii mentionem nunc fecimus, quid de ejus ſententiâ habendum, non immeritò hîc quæritur; Statuit autem ille præcordiorum nomen nil aliud ſonare, quàm quod ſtomachus ſeu orificium ventriculi cordis ſubeat vicem, vel ut alibi loquitur, quod actio ſtomachi vicariatum cordis in ſe habeat, ejusque mania manifeſtò exequatur. Orificium ventriculi, expreſſis verbis ſic idem innuit, eſt viſcus, quod cordis rhytmos graphicè exprimit, ejusque ſenſum, nobilitatem, teneritudinem, ac paſſiones luculenter comprehendit: In hôc enim tanquam centrali punctô aut radice ſtabulum vitæ archivum ac principium aſſerit, ut hinc ciborum digeſtio ad vitam dirigatur, & poſtmodum in omnes digeſtionum particularium familias vitalis hic

vigor

vigor exinde evidentiſſimè manifeſtetur: Adeò magnam prærogativam ſibi vendicare membranam ſtomachi is ipſe pergit, ut cordis nomen, autoritatem, ac proprietates præ cæteris ad ſe rapiat. Ergò concludit locum affectum primarium in omnibus deliriis, & proinde etiam in phrenitide non in cerebrô, ſed præcordiis potiùs atque duumviratu ſtomachi ac lienis eſſe indagandum, utpote quorum viſcerum archeô, qui tunc ad furorem redactus eſt, placato mitigatoque ſymptomata illa demum reverà extirpari poſſint. Verùm, ut quædam hîc ſubſunt, quæ non ſtatim ſusque deque habenda, ſed ſingulare omninò acumen in perſcrutandis arcanioribus morborum cauſis oſtendunt; quædam verò accuratiſſimam diſcuſionem, & proinde prolixam declarandi operam expoſcant, aliam potiùs occaſionem expectare placet, quâ arduo huic themati ex aſſe ſatisfactionem nos præſtituros pollicemur. Phrenitis igitur ut in latâ ſignificantiâ quodvis delirium, ita propriè ac ſtrictè, ſic docente Hipp. perpetuam nec febre acutâ amentiam (unde etiam à non nemine febricitantium vocatur inſania) denotat: Ubi notandum protinùs ſe offert, quod quùm delirium forte non ſit perpetuum, παραφρενῖτις nuncupari tunc ſoleat. Tandem inter phrenitim & phreniſin nullum diſcrimen in ſcholâ medicâ attenditur, quicquid Philologi etiam hîc meditari adſudent.

Deliriorum omnium ac phrenitidis πρῶτον πάσχον juxta Helmontium.

Ad §. 1.

Phrenitidem ſub inflammatione deſcribendam eſſe, omnes conſentiunt Autores, id quod etiam noſter hîc animadvertit. Sed dubitandi anſam injiciunt plerique, dum in phrenitide potiùs de inflammatione cerebri ac ejusdem involucrorum eſſe loquendam ſtatuunt. Verùm litem hanc absque difficultate dirimi poſſe, ambigimus nulli, ſiquidem ſecundariò & conſequenter tam cerebrum, quàm illud cingentes meninges tunc inflammari ambabus manibus largiamur, nec ipſe Faber negaverit unquam; primariò tamen de incendiô, ſpirituum animalium ac vitalium flamma, furibundum hunc impetum faciente hîc agendum, tam ipſa ratio, quàm praxis ac uſus potiſſimum conſuadent. Ut itaque æſtus aëris ambientis omnia, quæ attingit, potenter excalefacit, ſic & ſpiritus noſtri, ſi incendium impetuoſi fermenti (Autor ignitionem vocat, vehementiam ejus ſic ſubindicans.) conceperint, habitacula ſua ac loca, quibus continentur, promtè pariter inflammant, & æque ardentia reddunt; ſin verò auræ iſtius fervor contemperetur, & accedente refrigeriô corrigatur, partes quoque illam con-

continentes evaneſcente hôc incendii fomentô , vel ſponte ardorem illum amittunt , ac priſtinæ conſtitutioni reſtituuntur. Ergo definitionem cujuslibet adfectus p. n. cauſa principalis & proxima potiùs exornare aut ſtatuminare debet , quâ nimirum ablatâ , malum obſequioſiſſimè exſpirat. Neque de particulari aliquâ inflammatione hîc ſermocinatio eſt , ſed univerſalis utique requiritur , ac febris continua ſeu cauſas , ſine quô nec phrenitis ſubſiſtere poteſt , nec hôc nomine inſigniri meretur : Illa enim deliria , quæ febris ſatellitiô non ſtipantur , longè aliud ſcrutinium ſibi depoſtulant , & diſtinctam curandi rationem incurrunt. Phrenitis igitur cum febre ſemper & neceſſariò nupta ſit oportet. Tandem & vigiliæ continuæ phrenitidis ingrediuntur definitionem , quarum conſortio ſi ſomnos ac ſomnia valdoperè turbulenta , hoc eſt , laborioſiſſima jungamus , ab orbitâ rationis non aberrabimus , quoniam hæc pariliter vires enervant & frangunt , totumque corpus & facultatum œconomiam potenter deſtruunt , imò ſanguinem ſpiritusque magis magisque accendunt , quàm ipſa continentium pervigiliorum calamitas , quæ non immeritò à Medicis magna & operoſiſſima vocatur propterea turbidus hujusmodi ac levis ſomnus quaſi inſomnis ſeu intervigilius , terrificus ac infauſtus dicitur , & delirantium corda audiunt eodem titulô non ineptè leviſomnia , quod veluti dormiendo vigilent , & vigilando dormiant ; præſertim verò ſomnia , quæ alioquin quædam phantaſiæ ludibria , ac velut dormientium deliria exiſtunt , mente laborantibus plurimum negotii faceſſunt , & horribiles in animo tumultus mirum quantùm adaugent , ut experrecti poſtmodum de longè vehementiori & quaſi extremâ virium proſtratione conquerantur. Inſomniâ autem perpetuâ ſeu turbulentiſſimis ſomnis inquietantur phrenetici ob ſummam ſpirituum inquietudinem , quam illa exæſtuatio & flagrantia eorum indubitatò parit.

Ad §. 2.

Notorium eſt ſpiritus vitales unà cum vehiculô ſuo ſeu arterioſô ſanguine eum quoque in finem ad capitis ſublimia beneficio aſſiduæ circulationis elevari, ut exinde ſpiritus animales producantur. Ergo protinus liquet , quomodo ſpiritus vitales inflammati incendium illud in ſpiritus animales transferre poſſint : Ex quô enim quid conſtat , ejus quoque indolem ac naturam referre, & tam virtutem ipſius , quàm contractum vitium non difficulter adſciſcere ſolet.

Ad §. 3.

Per cauſas materiales intelligi materiam peccantem morbiq; pabulum atque fomentum, citra ullam controverſiam claret. Dum verò Autor hôc locô determinat alimenti noſtri excrementa, ſciendum ſubjungimus, quod vel ipſa nutrimenti noſtri, ob pravam & imperfectam digeſtionem, à quacunque etiam cauſâ ortam, degeneratio, vel excrementorum p. n. retentorum pernicioſa corruptio hîc ſubaudienda veniat: Chylus etenim ſub errore digeſtionis facilè alienatur, ac præmaturè ſæpiùs excrementi malitioſum vultum adſumit, qui poſtquam corruptus, & horridâ excrementi larvâ indutus eſt, promtè admodum, quicquid attingit, fermentô ſuô virulentô etiam inquinat, & in deterrimam Naturæ ſcoriam absque ceſſatione transmutat. Quod ſi inſuper mora accedat, & unà cum meſenterii obſtructione alvi urgeat conſtipatio, 🜍 illud excrementitium tunc cumulari, nullum planè eſt dubium; Imò putredo & corruptio repudiandi omninò & horridi illius inutilisque excrementi graviter potius ingraveſcit, quæ cùm ſine fermenti efferveſcentiâ eſſe nunquam ſoleat, confeſtim patet excrementitiæ ac peſſimæ indolis ſpiritus, ſeu effluvia tenuiſſima, calidiſſima & △ea, hoc eſt, ſpirituoſa ac 🜍rea (omnis enim fermentationis eſt attenuare ſibi ſubjecta.) hinc elici, ut proptereà quomodo nempè ſpiritus vitalis poſteà accendetur, ac velut igniatur, collectu nequaquam ſit difficile. Ut namque impuritates omnes monarchiæ vitali crudeliter inſidiantur, eique infeſtiſſimæ exiſtunt, ſic multò magis atomi illæ ſeu ſpiritus impuriſſimi per corruptionem producti ſuffitu ſuô undique nidoroſo ac fœtido ſpiritum noſtrum impenſè turbant, ipſumque conſimili nidoris flammâ contaminant, & in perniciem inordinatiſſimi motus præcipitant. Inflammatâ igitur parte contentâ ſeu ſpiritu, continentem quoque ſeu domicilium ejus neceſſariò poſtmodùm inflammari, atque hâc ratione per univerſam denique corporis compagem incendium illud à continuô ſpirituum ignitorum influxu diffundi, prout rapax vis ignium eſt, nullâ ulteriùs indiget declaratione.

Ad §. 4.

Dixit Autor, in omni verâ phrenitide ſemper adeſſe juxtim febrile incendium non immeritò, ſiquidem impoſſibile ſit, ignitis ſeu inflammatis ſpiritubus non inſimul quoque inflammari vel inflammatum exiſtere ipſum corpus, quod illi aſſiduè & quam proximè contingunt:

 Verùm

Verùm non ſequitur ſtatim , in omnibus febribus ſubeſſe phreniticam quoque paſſionem ſeu delirium debere, ſiquidem experientia quotidiè contrarium conteſtetur , quòd multi , qui acutiſſima etiam febre affliguntur , integrè nihilominus ratiocinentur , & mentis ſuæ nequaquam deſipiant, nihilque incompoſiti vel abſurdi meditentur aut eloquantur. Rationem hujus effati ipſe ſuppeditat Autor,opponens nobis naturalem cerebri temperaturam. Certum autem eſt , cerebrum eſſe frigidiſſimum ac humidiſſimum earum partium viſcerumque omnium , quorum utpote calidiorum influxu tota corporis gubernatur reſpublica , quæ vulgô principalia dicuntur , ut Cor , Epar , Lien , &c. unde etiam Hipp. in hâc capitis medulla ſeu cerebro metropolim frigidi & glutinoſi (qua notione humiditatem ſine pari & ſingularem is denotat) collocavit , nec injuria : Frigidum enim cerebrum & peculiariter humidum non tantùm eſt , ut congenita frigiditate ac humiditate ſua ſpirituum vitalium fervorem contemperet , verùm etiam ut ſubſtantifica hac refrigeratione ſedatioribus factis iis , actiones animi concinniores ac ſtabiliores efficiat : Ideoque præmiſſis hiſce protinus conſtat , cur ſpiritus vitales ab △eis excrementis inflammati , non ſtatim ſpiritubus animalibus ignitionis iſtius nocumentum imprimere, adeòque animæ facultates principes confundere , phrenitidemque inducere poſſint : Nimirum cerebri humiditas cum frigiditate conjugata egregium moderamen atque effectiſſimum infrigerii ſubſidium ſpiritubus animalibus tunc præſtat , ne tam facilè exardeſcere illi cogantur. Tunc verò phrenitidem facilius fieri , & ſpiritus animales conſimili quoque inflammatione affici poſſe ſtatuimus, ſi nativa cerebri intemperies adſit , atque ſi quis cerebrum ſua natura habeat plus æquô calidius ſicciusque , ita ut beneficium debitæ refrigerationis illud ſpiritubus ſuis ſic exhibere nequeat.

Ad §. 5. & 6.

Denuò hîc exploditur ab Autore ſuſcepta illa in ſcholis utriusque bilis ſententia, de qua quid habendum ſit, jam ſuprà commonefecimus. De colore illô etenim & ſapore humorum corruptorum adnotandum eſt , quòd tantò magis illi flaveſcant, virideſcant, nigreſcant, amareſcant , acreſcant , aceſcantque , quantò longiùs à ſtatu ſanitatis receſſerint, & quæ ſunt alia hujus characteris indicia , quæ nos ad malignæ fermentationis ac graviſſimæ corruptionis certitudinem perducere poſſunt. Tenuiſſima igitur & flammea excrementorum liquidorum miaſmata ſeu 🜍rei ſpiritus circa febrium omnium ac phrenitidis pariter

riter

citer ſcaturiginem unicè attendendi ſunt, qui ipſi demum omnes corporis anfractus & angulos, omnesque & quasvis meatuum anguſtias citiſſimè permeare ac penetrare, iisque mutuam inflammationis neceſſitatem communicare valent.

Ad §. 7. & 8.

Et hæc eſt ſuccincta & nervoſa disquiſitio, quam cauſæ phrenitidis dedicavit Autor: Sufficit enim ad veræ curationis impetrandam felicitatem facilitatemque, ut cauſam principalem ac proximam unà nec fomite ejus ac focô probè perſpectam habeamus, quum hæc ipſa, ut ſcopum hunc conſequi queamus, compeſcenda, edomanda, ac eliminanda veniat. Ergò & in phrenitide ſpiritus inflammatos ad priſtinum temperamenti ſui ſtatum ac placidam tranquillitatem, à quâ omnis æſtuatio quàm longiſſimè aliena eſt; reducendos dictitat Autor, quod partim per præcipitantia (hæc enim per τὸ compeſci verbum implicitè innuuntur.) ac temperantia, partim evocando relegandoque ſpirituoſas ſubſtantias & excrementitia effluvia effectum dari poſſe, hîc ſignificatur: ſic enim & hâc obſervatâ methodô tam ſpirituum inflammatio emendari, atque eorum inquietudo tolli, quàm ipſa etiam febris ac vigiliarum contumacia radicitùs, percurari poterit; veluti ex ſequenti remediorum catalogo id concernere licebit.

Ad §. 9.

Venæ ſectionis præſidium primitùs commendatum hîc conſpicimus, quod tamen non niſi adhibitis cautelis conceditur: Virium enim & ætatis robur niſi intentioni reſpondeat, abſtinendum omninò à phlebotomiâ exiſtimamus; ſin requiſita hæc faveant, beneficium exoptatæ ventilationis exinde ſperandum, quod tumultuantibus ſpirituoſis effluviis foràs erumpendi feneſtra ſic oppidò aperiatur: Sunt enim volatiles valdè excrementitii hi ſpiritus & perinde citra magnam ſpirituũ vitalium jacturã (quos magnetiſmus inſiti ſpiritus magis ligat, ac adamantinô velut ſympatheiæ vinculô retinet.) venæ ſectionis mediô diſpelli poſſunt. Neq; venarum electio, quam ſubſequente paragraphô tangit Autor, nos remoratur, quam rei anatomicæ periti non injuria, utpotè ridiculam negligunt, optimè ſcientes, ex uno ramo ſubclaviô ſingulos venarum canales per totum brachium diſpenſari; niſi quis pervulgatæ conſuetudini aliquid indulgendum callidè arbitretur, quemadmodum non paucis ſæpè vanitatibus ac fabulis ſubſcribere coguntur Medici, ut diffidentiæ an am ſic in tempore abſcindant. Eligendum ergo illum hujus rami ſurculum in brachiô tunc pronunciamus, quem tutiùs ac commodiùs

diùs ferire Chirurgus poterit. Obiter etiam ſed explicitè magis origi-nem inflammationis iſtius ſeu Ram🜍ris excrementitii hîc proponit Au-tor, & cauſæ antecedentis ſeu oppilati meſenterii mentionem pariter hîc facit, unde incunabula plerorumque in corpore malorum, ac φλογώσεων cumprimis provenire ſolent. Atque hac ipſa itidem occa-ſione Autor coloris originem adjicit, qui in 🝕is comparere ſolet; atque inſimul rationem adnectitet, cur albidæ 🝕æ aut phrenitidem jam præ-ſentem indicent, aut imminentem præſagiant; Aſt nos luculenter ma-gis nervum hujus thematis adducere nitemur: Notum videlicet eſt, ſerum in primis viis ſcatere ac colligi, atque unà cum chylo per tubulos meſaraicos transmitti ad ſanguificationis officinas, ut munus ac titu-lum vehiculi ſuſtineat, quò omnes ſingulosque vaſorum, præſertim verò anguſtos & capillares eorum meantros aureum hoc ſanguinis chy-lique argenteum flumen eò liquidiùs permeare, promtiùsque de locô in locum transferri alimentum, atque ſic vitale iſtud circulatorii mo-tus negotium absque difficultate ulla perpetim ac indeſinenter expediri poſſit. Cæterùm quùm ſerum ſeu ▽a illa chyli id beneficii ventricu-lo præſtet, ut officium elixationis ille rectiùs obire queat, patet confe-ſtim, *cur ſerum illud multa ſalſugine eſſe impragnatum ſoleat*: Deinde de hoc ipſo ſero (ideo fortaſſis ſic dicto, quia ſerum hoc eſt extremum eſt, quod poſt coctionem relinquitur.) ulteriùs ſciendum, quod in tranſitu à ventriculo ad inteſtina tenuia Ram🜍ris excrementitii ſeu ſter-corei (quemadmodnm 🜍rea omnia ſalino contubernio valdopere de-lectantur, & propterea peritiores etiam Chymici ſalina cumprimis clave utuntur, ut corpora facilius reſerare, & 🜍ra ſ. Ras hinc extra-here ſic valeant.) prono pariter complexu concipiat, atque ſic unà nec chylo ad ſanguinis conceptacula, id eſt, tam ad arterias quàm venas haud fruſtrà tranſeat; non fruſtrà inquam, quod hac ratione & be-neficio 🜍ris iſtius c. 🜔e nupti providiſſima Natura prohibeat, ne vel ſanguis vel etiam excrementa ſecundæ tertiæque coctionis perperam concreſcere, coagulari, ac lapideſcere poſſint, prout ambo tam 🜔 quàm 🜍 ſtrenuè reſolvendi & affatim attenuandi poteſtatem poſſident, ſic docente ipſomet Autore noſtro, qui profunda etiam Naturæ lati-fundia probè perſpecta habuit: Poſtquam verò ſerum (quod non im-meritò commune omnium coctionum audit excrementum) officio ſuo functum eſt, ad renes naturaliter abit, atque per venas arteriasque e-mulgentes ſanguini, cum quô defluit, ſubtrahitur, tanquam olim regno vitali inutile ac oneroſum; (nimis enim alioquin cumularetur,

hoc

hoc ſerum; quùm perennes ſucceſſores ſuos habeat, & ſic occaſiones morbiferæ neceſſariò ſuborirentur, prout, niſi excrementa decenter ſeparentur à corpore, homo perpetuò etiam ægrotaret) inde per Ureteres ad veſicam, & tandem extra corpus effertur. Atque ex hâc brevi diductione, unde ⊡a tingatur, & ⊖ſa atque 🜍rea eſſe nunquam non conſveverit, cuilibet manifeſtò conſpicuum eſſe poteſt. Sed neque hoc ſicco pede præteriundum, cur obſtructum meſenterium ab Autore tanquam nidus hujus mali accuſetur, ut nempe ſpirituoſa ſeu 🜍rea excrementa ad caput adſcendant? Paucis id quoque explanabimus: Nimirum quùm chylus ſit craſſiuſculus, obſtructis canalibus lacteis ſeu vaſis chyliferis vel chyliſugis ad deſtinatam ſanguificationis tabernam is pervenire non poteſt, ideoque remanet in inteſtinis, ibiq; poſteà inquinamentum ſtercoreum ſuſcipit, corrumpitur ac putreſcit, ut ex hâc ipſâ putridâ fermentatione nil niſi ſpirituoſa excrementa, hoc eſt ſpiritus excrementitii putridi ac 🜍rei progenerari queant, qui cùm habeant vim potenter quasvis locorum anguſtias penetrandi, locô ſalutiferi & alimentitii chyli catervatim perrumpunt, ſanguineam maſſam inficiunt, ſpiritus vitales conturbant & accendunt, poſtmodumque ad caput adſcendunt, (quia tanquam leves ſurſum vel ſpontè feruntur) atque ſic illud ipſum efficiunt, de quô hactenus in hôc capite actum eſt. Quod autem obſtructô meſenteriô reliqua etiam viſcera, & præcipuè renes facilimè etiam obſtruantur, ex inflammatione partium hinc productâ, id quivis ariolari ſtatim poteſt; Unde 🜍 illud excrementitium debito modô ad illam ⊡æ urnam poſteà non demandatum, ⊡as Ra ſua privat, ut hinc peſſima quæque non immeritò ominentur Medici.

Ad §. 10.

Medicamina deobſtruentia ac diuretica ſingulari præconio hic extolluntur, quorum baſilicam virtutem in phrenitide cumprimis decantat, & tanquam ſummum in ea ſecretum aſſeverat Autor. Atque ſic etiam ſe res habet in omni inflammatione ſeu corporis noſtri incendiô, ut illud vel pariant vel valdopere exacerbent viſcerum, præſertim verò meſenterii obſtructiones; Ideoque etiam ex fundamentô ardores illi vix compeſci ac radicaliter ſedari ponunt, niſi obſtructionibus illis dextrè medendo, easque quantocyùs probatis remediis reſerando, ut meatuum naturalium redditâ libertate, quæ oppreſſa hactenus erat, excrementa decenter rurſus propelli, atque ſic inflammationum fomenta eliminari queant. Sed & Diureticorum ratio præcipuè hîc habenda

eſt, non tantùm quod magni æſtimetur eorum efficacia in omnibus Febribus malignis ardentibusque, dum miaſmata illa 🜍rea ac inflammabilia oppidò ſic propulſari ſolent, verum & potiſſimum, quod Phrenetici tanta quandoque capiantur oblivione, ut 🜕am reddere illi planiſſimè negligant. Ergò vel propterea atque hôc ipſo nomine Diuretica generoſa, & quæ potenter 🜕am provocare ponunt, Phreneticis copioſè ſunt porrigenda, ne vel ſola illa 🜕æ ſuppreſſio ac retentio iis interitum afferat, ſiquidem hac ratione inflammationis atrocia ad extremum gradum exacerbari ſoleat: imò Phrenetici hujusmodi ad 🜕am reddendam ſæpiſſimè ſunt ſolicitandi, vel manu locum illum, quem veſica occupat, comprimendo 🜕a propellendi, vel etiam genitale membrum contrectando ea omni ſtudiô elicienda.

Ad §. 11.

Ergo Autoris juſſu ad deopilativum ac diureticum illud medicamen nunc refugere noſtrum erit, cujus & nomen & præparationem hôc in locô is candidè proponit: 🜿rum nempe 🜖latum iſtud famigeratiſſimæ virtutis digeſtivum ac univerſale maturativum ſub adplauſu totius chymiatrici chori nobis commendat, de quo pauxilla hæc inſuper monebimus: Modum autem præparandi ponderabimus primùm & ex textu ipſo geminum 🜿rum 🜖latum in uſu eſſe adnotabimus, alterum quidem ſolidum ſeu in pulveris vel cryſtallorum forma, quem ex tyrociniis chymicis vel etiam ex Baſilica Chymica Crollii diverſis rationibus conficere diſcemus; alterum verò liquidum, de quo in præſenti, utpote paratu faciliore, meliore, ac majorem penetrandi vim habente, veluti omnia remedia liquida excellentiori penetrabilitate gaudere ſolent. Modum ipſum parandi quod ſpectat, is nihil aliud eſt, quàm cremonis ſeu cryſtallorum 🜿ri c. ſpiritu vel 🝫 🜖li nondum de phlegmato decens diſſolutis, quàm phlegma illud absque difficultate omni accelerat, ſicuti 🜄æ tanquam communis & adhuc famelici menſtrui beneficiô 🜔ia omnia faciliùs reſolvi ſolent, quod ſpiritus utpote 🜍rei vel 🜔e ſuo 🜍reo ſaturate jam impraegnati per ſe non præſtant: Deinde prudenti conſilio Medicamentum hoc non c. 🜔e 🜿ri, quod 🜂eum ac ſtygium nimis, hoc eſt reverà 🜍reum eſt, pariterque minus gratum ſaporem conciliat, ſed cum cremore ejus, qui acceptiſſima aciditate pollet, parandum dictitat Autor, ut hac ratione ventriculo, cui ſubacida ſemper ſunt jucunda, veluti palpatur, ac ſcopo ſuo patrocinantem illum efficiat. In doſi hujus 🜿ri 🜖lati menſura obſervabitur

rectius

rectius, ſi detur cum juſculo q. ſ. ad gratum ſaporem, id quod ſub judicio palati & guſtus cenſura Medicus facilè determinabit. Rationem virtutis, quam hoc remedium exhibet, paucis etiam libare lubet: Tam ex 🜿ro quam 🜕lo integras, officinas conſtitui, & celebris præſtantiæ numeroſa medicamina confici poſſe, adeoque quartam quaſi Medicinæ partem in utroque latere, ſpagyricorum nemini ignotum eſt. Verùm ne intentionis limites videamur transgredi, hoc tantùm de utroque, tam de 🜿ro (regii illius vegetabilis regiis egregiisque fæcibus.) quàm 🜕lo (Chymicorum non pauci aquam vivam, & metalla oppidò vivificantem illud adpellant.) hîc adnotabimus, quòd inter Præcipitantia ſeu importunam fermentationem compeſcentia principatum obtineant. Jam ergo nobis demonſtrandum veniet, quo nomine Phreneticis tantoperè 🜕latus 🜿rus prodeſſe queat: Videlicet phrenitidem eſſe ex illis affectibus, qui ex impuritatum ſobole cruda tumultuante maligna & inflammatoria, adeoque Ras 🜍ris excrementitii difficiliores ac contumaciores ſub ſe comprehendente, oriuntur, inficiabitur nemo. Hoc itaque ſic ſtante, præſidiis illis, quæ per humorum crudorum Hippocrati ſic dictam concoctionem, vel per mitigationem Paracelſi, vel per ϑπικεϱειν Galeni, ſeu præcipitationem Neotericorum (quæ indicationes curativæ omnes exiſtunt æquivalentes.) ſic veniunt, tutò utique graviſſimo huic malo medendi votum tunc conſequemur, ut ſpirituum morboſorum ferociente hac efferveſcentia edomita, meatus ſeu emunctoria naturalia vel ſponte poſtmodum aperiantur, atque hac ratione materia peccans, quia tyrannide ſpirituum excrementitiorum jam deſtituitur, facilimas evacuationis obſequioſè admittat. Ergo hinc dilucidè adparet, quod refrigerare ac crudos humores coquere nihil ſit aliud, quàm fermentum morbificum & miaſmata 🜂ea ſeu 🜍rea periculoſiſſimum impetum facientia continuò eructans præcipitare, compeſcere, expugnare, ac penitùs evincere; quo facto incendia & fervores illi unà cum tota tot pernicioſorum ſymptomatum caterva promtè poſtmodum ceſſant atque evaneſcunt. Poſt deopilativi ac diuretici uſum Faber nos remittit ad pharmacum purgans, ſi vires reſpondeant, internè adſumendum: Verùm cùm pace incomparabilis Chymiatri ſuſpecta in hoc affectu nobis videtur hæc medendi aut purgantia, quæcunque etiam ſint illa, porrigendi ratio, ſiquidem hoc modo dum purgantia corporeis ſuis crudisque ſpiritibus operationem ſuam exſerunt, non tantùm fermentatio & efferveſcentia ſpirituum excrementitiorum in corpore noſtro ſic potiùs ex-

exaſperabuntur, virtusque vitalis magè dejicietur turbabiturque, verùm malignitatis etiam noxa à circumferentiá ad vitæ centrum repelletur, atque ſymptomatum feralis gravitas hinc evidenter ingensque quantum adaugebitur. Ergò clyſteres non tamen purgantes illos, ſed tantùm abſtergentes & ſingulari energiâ vitioſorum humorum colluviem placantes alectantesque (quorum utpote fermentationem maligni incendii potenter extinguentium mentio à nobis jam ſuprà celebrata eſt) rectiùs hîc ſubordinandos ſvademus, ut poſtmodum ad Narcotica tutiùs inſtitui refugium queat, quæ niſi præmiſſis Univerſalibus minus prudenter adhibentur, Extemporale Enema, ſed præſtantiſſimi ac ſecuriſſimi in hôc caſu valoris ſic ſtatim parari poterit: ℞. ▽ calid. comm. ℥vij. vel viij, vel quantum lubet, inibique diſſolv. mell. deſpumat. ℥ij, ⊖ c. ♀re præpar. vel etiam (in defectu hujus) crudi ʒij vel iij, & f. l. a. clyſter ſtatim adplicandus; hujus ſanè clyſteris mediô æſtus ille intenſiſſimus egregiè contemperari ac rebellantium excrementorum furibunda nec non maligna fermentatio, præſertim ſi ejus applicatio aliquoties iteretur; oppidò mitigari poterit: Sin nimium ferociens & quaſi recalcitrans phreneticus hoc remedium admittere renuat, tutius ad Emetica ſæpius paſſim jam laudata, quàm ad hujusmodi purgantia tunc recurret ſolicitus & ad Narcoticorum auxilia poſtmodum provocare geſtiens Medicus; Purgantia verò propriè ſic dicta, ut & ſternutatoria ſequenti paragrapho commendata tandem in ſtatu declinationis ac poſt uſurpata Narcotica, ut ſpiritus noſter penitùs à morbi cineribus liberari, cerebrumque intemeratô ſolatiô recreari queat, fructuoſè ac tutò dari poſſe non negamus, præſertim quod hâc ratione periculum recidivæ indubitatò præcaveatur.

In febribus malignis l. peſtilentialibus ſummum eſt medicamẽ, ſi Recipiatur ⊖ præp. ein halbe Hand voll vel Scrup. et bezoard ☉ gr. v. ad viij. M. per pulv.

Ad §. 12. & 13.

Attalicis opibus quàm rectiſſimè is dicitur inſtructus, qui eſſentiali aliquô Anodynô ac Narcoticô ſeu Hypnoticô, eôque ritè recteque præparatô, Naturæ ut ei amicam quietem (in Medicinâ enim ſuper pretioſiſſimos etiam theſauros magnifaciendum eſt arcanum ſomnus.) properatâ ope reddat, convenienter ſuccurrere callet; Cumprimis autem excellentiſſimi momenti ſuppetias ſpiritubus vitalibus in Phreneſi afflictiſſimis ac inflammatis ſvaviſſimè humectans refrigerium affert artificioſè ſed & cautè conciliatus ſopor, ut ad orbitam ordinatæ conſtitutionis ſic redire, & hoſtem ſuum absque periculo mutuæ cladis edomare poſteà atque exterminare queant. Quæ itaque de laudanis

(quaſi

(quaſi nunquam ſatis laudandis) in ſuperioribus capitulis jam prolixè monuimus, ea hîc ruminare nolumus, niſi quod commodiùs hanc laudani pilulam in ſyrupo quodam adpropriatô v. gr. flor. papav. rhead. l. nymph. &c. diſſolvi, & poſtmodum ut potiuncula fiat dilutior, aliquid non tam de ▽ roſac. quàm bezoardicam potiùs vim obtinente, ut Scorzoner. galeg. card. bened. ſcord. & ſic porrò admiſceri exiſtimamus: Bezoardica enim diaphoretica, cordialia atque confortantia junctim c. opiatis ſapienter valdè porriguntur, quod effluvia ſeu ſpiritus illi excrementitii 🜍rei ac inaflmmatorii per inſenſibilem tranſpirationem aut ſudorem inſenſibiliter etiam & ſine omni angore ſub halcioniis illis, quæ Natura hactenus miſeris miriſque modis jactata ſvaviter quieſcendo ac ſe refocillando ſic celebrat, propulſari queant. Verùm ut minora lumina ſplendidiſſimè coruſcans ☉is claritas notoriè obſcurat, ſic laudanum prædictum ſubſequentis ac ☿ij (cujus conſanguineum magneticumque affectum ☉is mineralis majeſtas in ſecretum ac intimum quaſi admittit conſortium.) aſtro illuminati excellentia multis paraſangis antecedit: Quùm enim phreneticæ inflammationis pervicacia vehementiſſimam, & in minutiſſimos vermiculos animatam omninò malignitatem, ſeu vivam malignantis putredinis matricem, viva quoque ſeu verminoſa miaſmata copioſè exhalantem, præſupponat, talia etiam infeſtiſſimo malo contraponenda ſunt arma, quæ vivam ſeu verminoſam hanc malignantis corruptionis progeniem citò enecare ac funditùs extirpare poſſunt; cui intentioni majorem faciendi promptitudinem vix quicquam potentius commodabit, quàm ☿iales radii, qui præſentiſſimum animatæ jam putredini, & aculeis ſuis plusquam △cam irritationem aut lancinationem incutienti exterminium exiliumque adducunt: Acidum autem ☿ij (de quo in Animadverſionibus noſtris ad §. 9. Cap. IV. circa præparationem ejus adnotatu neceſſaria abundè jam ſuppeditavimus) tanquam ultimum ſeu præ cæteris cunctis generoſum ſummumque in phrenitide etiam deſperatá curandâ arcanum digno ſanè præconio commendatur, modò hoc ipſum ex nobiliorum Chymiæ artificum fide inſpiciamus: Quùm enim hîc deprædicatum remedium ☿ialis luminis virtute oppidò illuſtratum conſpiciamus, ☿ialia verò Medicamenta vermibus omnibus adeoque verminoſæ etiam putredini ac malignitati effectiſſimè infeſta eſſe inſimul perpendamus, confeſtim aſſerti certitudo confirmari poterit; videlicet liquorem hunc ☿ij acidum exiſtere maſculum Herculeumque phrenitidis, imò & omnis inflammatoriæ malignitatis aut corruptionis averruncum:

cum: Huic virtuti inſuper accedit ſtrenui alexipharmaci vigor, quem liquori laudatiſſimo ⊕ri purificati congreſſus abundè inſinuat. Tandem miro pretio mirè pretioſiorem reddit hunc liquorem Autor, dum loco communis ▽æ in præparatione ſudorifici maximi ex ♃ confecti vaſi recipienti immittendum illum liquorem dictitat, qui poſt ≂ationem ☿rij vitæ ſeu ♁ij præparati remanere ſolet, ex quo alioquin decenter abſtractâ ▽â communi (ea enim butyro ♁i tunc affunditur, ut fieri præcipitatio iſta queat.) ſpiritus ⊖li philoſophicus ſic dictus, quòd 𝔅tus quoque ex ⊖lo fixo conſtet, parari ſolet; hâc utique ratione & hac obſervata cautela virtus Acidi ☿ij non tam duplicabitur, quàm inſigne quantùm multiplicabitur. Hunc ergo heroicum liquorem non tantùm cum Julepis more conſvetô mixtum (velut ex Animadverſionibus noſtris locô paulò antè citatô id ſufficienter jam liquit.) phreneticis familiariter porrigere, verum etiam cum eô laudanum omninò regale, & quo non eſt præſtantius ullum conſtruere poterimus eô planè modo, quem candidè nobis Autor cum omnibus maximis minimisque circumſtantiis communicavit, ut proinde nequaquam ſit opus aliquid ulterius circa hujus opii ☿ialis præparationem explicationis cauſa adjicere, niſi quod in praxi noſtra bonâ fide adverterimus, doſin hujus liquoris ☿ialis opiati tutò utique à gutt xv. vel xx. vel xxv. uſque ad xxx. extendi poſſe. Formulam adhibendi nos obſervare circiter talem ſolemus.

℞ Syrup. papav. erratic. ℥ß
Opii ☿ial. g. xxv. vel xxx.
▽ ſcorzoner. ℥j.
cordial. Saxon. ʒiij.
ſpecif. cephalic. Hartmann. gr. xv.
bezoard. ☉ar. gr. v. vel vij.
M. f. hauſtus.

Kräfftig oder köſtlich Nacht-Träncklein auff einmahl/ wohl umbzurütteln.

vel locô ſpecifici cephalici ac bezoardici ☉aris admiſcere margaritæ ſeu corallii bezoardici aut diaphoretici, vel tantummodò ♁ij diaphoretici comm. Scrup. conſvevi. Atque hæc medendi ratio ſtupendam efficaciam in celeriter curanda phrenitide præſtat, & ad miraculum uſque cuncta ſymptomata utut graviſſima componit. Quale demum ſit remedium laudanum ⊖li (ſine opiô nempe paratum) cujus honorificè hîc etiam meminit Autor, curioſum fuſè docebit peritiſſimus Chymia-

miater Crollius in ſuâ Baſilicâ, quæ conſuli poterit. Sed ne quicquam ſilentiô transmittere videamur, quod ſolicitæ vigilantiæ nos commonere poteſt, paucis hîc attingemus etiam, cur ex malè curatis febribus oriunda phrenidis ſit curatu difficilima & plerumque funeſta: Malè igitur curari febrim, ac curam ejus minùs rectè abſolvi dicimus, ſi cineres malignitatis ac corruptionis febrificæ in declinatione morbi debitæ purgandô non educantur exterminenturque: certum etenim eſt, quod ſcotiæ illæ ſeu cineres ac veluti ☿ cauſæ febrilis habeant vim magneticam quasvis impuritates (cruditates enim ex quibus illæ oriuntur, quod in convaleſcentiæ ſtatu conſtitutis ventriculus ſit adhuc debilis, ac proinde in coquendo errorem facilè committat, promtè colligi poſſunt) & quævis ſuſpecta miaſmata ex ≏ ambiente potenter attrahendi, unde poſtmodum tam novam citò concipere fermentationem ſolent, quàm ſic malum longè atrocius, præſertim quod virium robur à priori morbo fractum nondum ſit refectum, priſtinis difficultatibus ad mortis uſque neceſſitatem hinc duplicatis, recrudeſcere poteſt: Deinde malè etiam curantur febres, ſi in principiô ſeu incrementô earum præpoſterâ venæſectione ac purgantium veſanô uſu (præſertim ſi febres illæ ſint malignæ atque ardentes) vires temerè proſternantur, fermentumque febrilis incendii ac malignæ putredinis magis exacerbetur, ſpiritus vitales vehementi conturbatione laceſſantur, malignitatis virulentia ad fontem ſeu centrum vitæ detrudatur, atque hôc modo acutiſſima ſymptomata concitentur: Hinc namque ſtatim in aprico eſt, cur periculoſiſſima & interfectiva phrenitis ex malè curatis febribus proveniat. Quod ultimò praxin noſtram attinet, in eâ conſimilem praxin noſtram attinet, in eâ conſimilem planè circa phrenitidis curam amplectimur methodum, qualem hîc Autor expreſſit, nisi quod locô ♆ri illius ⊖lati liquidi utiliùs adhibeamus poſitionem panchreſtam, nobis feliciſſimo cum ſucceſſu uſitatam, & quod prætereà etiam nobiliora diaphoretica aut bezoardica quotidiè & ab initiô ſtatim porrigere juxta non negligamus &c.

CA-

CAPUT VII.

De *Apoplexia*.

§. I.

GAlenus cœterique Medici omnes, qui ipſum ſequuntur, Apoplexiam eſſe obſtructionem quarti cerebri ſinus, à pituitâ craſſâ & glutinoſâ ortam aſſerunt: Hæc enimdum in quartum cerebri ſinulum à cerebello ſeu initio ſpinalis medullæ incipientem ſubitò irruit, eumque replet, fit etiam inſtantiſſima hinc Apoplexia; ſiquidem Natura nolens vel dumtaxat non valens retrahere aut reducere hujusmodi pituitam eò ſemel delapſam, ſatagit ſaltem quantum poteſt eam in alterutrum latus illius medullæ canalis deponere; unde conſequenter iſtius lateris etiam fit paralyſis, in quod hæc pituita deponitur.

§. 2. Commentum ſanè ridiculum: Nunquam enim quartus ille cerebri ſinus pituitâ repletur, nec unquam repletus in Apoplexiâ repertus eſt; fuerunt ſiquidem Medici multi, eique fide digni, qui Apoplexia mortuos diſſecuerunt, & quartum hunc cerebri ventriculum omnino omni humore vacuum repererunt.

§. 3. Apoplexia igitur tali modô ac via non fit; ſed vacuus omnino manet quartus iſte cerebri ventriculus aut ſinulus, viſcera verò interiora ac canales tunc potiùs replentur, quorum beneficiô ſpirituum vitalium & animalium commercium inter partes ſuperiores inferioresque peragitur: Commercium hoc, inquam, quô partes ſuperiores ab inferioribus ſpiritubus vitalibus, & inferiores ab animalibus foventur, craſſis, viſcoſis, glutinoſisque (nullo tamen pacto pituioſis.) humoribus præcluditur, unde ſic præcluſa illa via ſtatim Apoplexia exoritur, ac moritur æger, niſi citô via illa expediatur, ac libera ab illis humoribus excrementitiis aut præternaturalibus viam illam præcludentibus fiat.

§. 4. Hoc ſanè patet in ſtrangulatis, in quibus chorda ſeu ligamine viæ illæ, per quas ſpiritus vitalis ad cerebrum adſcendit, & ſpiritus animales viciſſim ex cerebrô in partes inferiores deſcendit, præcluduntur, atque ſic verè etiam moriuntur, niſi citò ruptis ligamentis, quibus illæ ſpirituum vitalium animaliumque, viæ intercipiuntur, ipſis ſuc-

cur-

curratur: Tunc enim denuò apertis illis viis redeunt ſpiritus, ac vitale eorum commercium redintegratur. Et hoc ipſum etiam conſpicitur in aquâ ſuffocatis: ▽a namque rejecta, quæ pulmones ac ventriculum inundabat, ſæpiùs ad vitam redeunt, modo non nimis diu hujusmodi ſuffocati ſub ▽a permaneant. In promtu eſt ratio, reſidui ſiquidem adhuc in corpore ſunt ſpiritus vitales & animales, quibus ſi citò rurſum apertis eorum canalibus vitæ commercium agentibus ſuccurratur, vita etiam revocari poteſt, ut muneribus ſuis denuò fungi incipiat.

§. 5. Eadem planè viâ ac modô Apoplexia fieri ſolet; ſi enim alimenti noſtri excrementa ſenſim congerantur, & magna copia aliquando in thoracis capacitate accumulentur, pulmonesque hinc aggraventur, & omnes pulmonum pori repleantur, tunc via ſeu vitalium ſpirituum cum cerebro commercium intercluditur, atque ſic Apoplexia oritur, aliquando etiam venæ & arteriæ colli tanquam ſpirituum illorum meatus ab excrementis illis tenacibus, viſcidis aut glutinoſis, ex cruditate vel incocto alimento progenitis intercluduntur: ſæpius pariter viſcerum inferiorum pori ac meatus omnes ab his ipſis excrementis obturantur, ita ut hinc ſpirituum vitalium interclusio ſequatur: Totum namque corpus noſtrum perſpirabile eſſe debet, ut ſpirituum communicatio perennare queat, alioquin vita perſiſtere non poteſt. Atque hac ratione, & non ex repletione quarti illius cerebri ſinus fieri Apoplexiam ſtatuimus.

§. 6. Notandum prætereà eſt, quod etiam præter illa excrementa obſtruentia & Apoplexiam ſic conſtituentia dentur alia, quæ frigida ac narcotica exiſtunt, quorum peculiari poteſtate Apeplectici evadunt, ut hinc protinus ſtertant, altiſſimoque & inexcitabili ſopore afficiantur: Hujus autem peculiaris proprietatis ratione eadem hæc excrementa, quibus Apoplectici turgent, glacialis & ſummè frigidi veneni naturam eſſentiamque induunt, cujus vi poſtmodum motu ſenſuque privantur, ac veluti mortui jacent. Hinc febris Apoplexiæ ſuperveniens optima eſt, quod glaciale illud frigidumque venenum calore ſuo ſolvat extermınetque, ſicut etiam calida cuncta ac ſummoperè tenuia Apoplecticis proſunt, quod ipſum ex ſequenti curatione omnibus manifeſtum fiet.

§. 7. Curatio Apoplexiæ certa, tuta, & jucunda in ſublatione cauſarum materialium ipſius Apoplexiæ conſiſtit: Cùm enim Apoplexia dependeat à ſummâ venarum & arteriarum partiumque omnium,

quæ commercio ſpirituum vitalium atque animalium inſerviunt , obſtructione , quumque ea in veneno quodam glaciali ac ſummè frigidô, partes illas valdopere conſtringente & quaſi glaciante conſiſtat, adeò ut ſpiritus vitales atque animales liberum patentemque aditum ad partes omnes, quas alioquin ſuis vitalibus radiis illuminare ac colluſtrare debebant , non habeant , ideoque ſi quis citò tutòque ac jucunde Apoplexiam curare cupiat, has cauſas omnes tollat neceſſum eſt.

§. 8. Non poſſunt autem hæ cauſæ omnes citiùs, tutiùs, jucundiusque eliminari; quàm remediis ſequentibus. Inprimis ergò nativus calor , qui glaciali illo veneno fermè extinguitur , eſſentiâ roris marini & ſpiritu ✕ alchoholiſatô inſimul in quantitate æquali mixtis , & ad ʒj aa propinatis, refocillandus eſt, ut, ſi fieri poteſt, excitetur febris.

§. 9. Deinde elapſâ horâ poſt propinatam iſtam eſſentiam, vomitus datâ ⊖ ⊕li ʒj, & in ▽ ſalv. aut alterius alicujus vomitivæ ℥j diſſolutâ provocandus eſt : Secretum namque curandæ Apoplexiæ in vomitu conſiſtit , quoniam per motum illum , quô ventriculus pectusque ſurſum atque deorſum commoventur , ſumma illa obſtructio tollitur; Unde vinum emeticum, ut & flores ℈ij aut pulv. emeticus , atque omnia ea in Apoplexia ſummoperè tunc proſunt , quòd vomitum excitando omnia illa viſcoſa & glutinoſa venenoque glaciali infecta protrudant, idque citò, tutò ac jucundè.

§. 10. Cœtera autem quæ communiter præſcripta videntur , teſte experientia , inutilia , ut frictiones & ſanguinis miſſio , reperiuntur , niſi corpus apoplecticum ſit valdè plethoricum aut ſanguine turgeat , in quo caſu ſanguinem mittere licet ad quantitatem ſatis maximam , alioquin tunc miſſio ſanguinis mortem potiùs accelerat , quum corpus ſic magis refrigeretur , & venenum illud glaciale , quo corpus conglaciatur, potius augmentetur, aut ſaltem diminuto hinc calore nativo proprietas hujus veneni propagetur.

§. 11. Purgato corpore poſtmodum ad Sudorifica maxima deveniendum eſt : Illa enim radicitùs ea omnia tollunt , quæ in Apoplexiâ relinquuntur, quæ paralyſin facere ſolent. Si igitur corpora Apoplecticorum ritè purgentur , & poſt purgationem terque quaterque iteratam ſudorifica adhibeantur , ita ut ſudor copioſus provocetur , tunc in Paralyſin non incidunt , atque ſic ab Apoplexia omninò ex votô ſublevantur.

Alkalia dicuntur omnia ⊖ia fixa per incinerationē præparata, ſic v. g. dicitur ſpiritus ✕ alkaliſatus, qui ſuo ⊖e ♀ri impregnatus eſt. Alchool autē ſummam ſubtilitatē innuit, & in rebus ſolidis quidē minutiſſimum, ac ſubtiliſſimū pulverem, in liquidis verò rē per toties iteratam deſtillationem ſumme Volatilem factam, unde ſpiritus Vini alchooliſatus eſt, qui per frequētiores cohobationes eſt rectificatiſſimus & ad penetrantiſſimam, ſummeq; volatilem ſubtilitatem redactus. Ergò inter alchool & alkali diſtinguendū.

§. 12.

§. 12. Sudorificum igitur illud, quô maximè ſublevantur Apoplectici, eſt ♃ ſudorificum ſuprà Cap. IV. declaratum, de quô gr. x. accipienda ſunt: Permiſceri autem id remedii debet cum eſſent. ſalv. ℥j, & tantundem 🜍 optimè rectificati; quæ ſimul mixta ægroto ſunt propinanda; deinde ſtatim cooperiendus quàm maximè eſt æger, tegulisque & aliis vaſis ▽â bulliente plenis, adeoque omni arte ſudor eſt provocandus, quòd profecto eo æger dehinc in tutô exiſtat: Neque calidarum Eſſentiarum exhibitio timenda eſt, quùm valdoperè hæc omnia Apoplexiæ curandæ proſint, utpote quæ febrem pariter atque ſudorem excitare poſſunt.

Animadverſiones Ad CAP. VII. in genere.

NOminum magna circa magnam hanc & ſonticam ægritudinem confuſio occurrit, veluti rectè doctiſſimus Hoffmannus conqueritur. Nos propterea digitis quod dicitur primoribus hanc ſcopo noſtro ſervientem tangemus nomenclationem, ne planè aſymboli hîc tranſire videamur. Veteres, inquit ab acumine ſingulari nobis clariſſimus Autor, agriculturæ ſtudioſi nomina ſua transferebant à plantis frugibusque ad animalia ſicuti itaque in agris non nunquam fieri ſubitò conſpicimus, ut v. g. ab caniculæ aſtrô ſata aut arbores aburantur, vel fulmine tonitruve feraliter afflentur: ita etiam cùm inopinatò animantia collabuntur quaſi mortua, ἀστρόβλητα ſeu ἐμβρόντητα, hoc eſt, ſiderata & attonita dicuntur, veluti affectus ipſe ſideratio ſeu affulguratio audit: Hæc nempe eſt ratio, cur his notionibus quoque deſignetur Apoplexia; adpoſita ſiquidem eſt comparatio à vehementi ictu ejusque ſummè ſubitaneô inflictu depromta: Homo etenim hujusmodi fulmine tactus ſeu vehementi Apoplexiâ oppreſſus non aliter quàm victima ad aram proſtrata atque unicô percuſſa ictu concidere ſolet, omnibus ſenſibus tam internis quàm externis deſtitutus, pariterque omni motu cum univerſi corporis reſolutione & conſternatione privatus: Unde etiam ſtupor attonitus ſeu ſtupor mentis corporisque præparat: planè deficientem hanc ſenſuum motusque uſuram, & quod citiſſimè conſveverit ſtrangulare, hoc nuncupatum malum. Ergò apoplexia derivatur ab

ab ἀποπλήττειν ſeu vehementiſſimum ictum inferre verbô, quod quid differat à ſimplici πλήττω, in propatulô ſtatim eſt: τὸ ἀπὸ namque ſignificantiam hîc adauget, & affectus horrendam gravitatem evidenter intimat. Atque hic ipſe etiam percuſſionis terminus nobis Germanis eſt receptiſſimus, ut proinde der Schlagk oder das Schlagkrühren vocitare Apoplexiam non dubitemus. Cæterùm antiqua ſed ridicula eſt illa denominandi ratio, dum guttæ voculâ in præſenti conſiderandum inſigniunt affectum: In utroque namque temporum latere ſanguinis dependere guttam exiſtimabant, quæ ſi fortè in alterutrô latere decidat, in eodem etiam motus deliquium (hemiplexiam nominant) contingere, ſin verò in utroque, in totô etiam corpore fieri Apoplexiam aſſerebant. Unde & illi, qui rerum ſignaturis delectantur, ab ipſa Natura velut digitô efficaciſſimum contra hanc calamitatem monſtrari remedium innuunt. Lilii convallii flos, ait Crollius, guttæ ſignaturam manifeſtè oſtendit, quòd ille quaſi gutta inclinetur ac pendeat; unde etjam in Apoplexiâ, quam Priſci guttam dixerunt, luculentus & famigeratiſſimus ejusdem eſt uſus. Sed poſterius uti veriſſimum ipſa jamdudum experientia probavit, ita prius admodum vano ratiocinio ſeu fabulæ potiùs quàm viciniſſimum exiſtit. Tandem ad præliminaria quoque referendum eſſe cenſemus, apoplexiam ſuis diſcrepare gradibus, ita ut quædam ſit validiſſima, cum evidenti nimirum & inſigni ſenſuum motusque eclipſi; quædam mitiſſima ac levis curatu facilior; quædam mediô ſe modo habeat, quam ipſam propterea differentiam probè ducimus advertendam, ut extremis morbis extrema & exquiſitè generoſa Medicamenta competere, magnisque affectibus non pygmæos, ſed gigantes remediorum eſſe opponendos recordemur.

Ad §. 1.

Apoplexia πρῶτον πάϑχον Galenus & ejus ſequaces, ſtatuũt quartum cerebri ſinum obſtructũ, ſed falſa.

Apoplexiam eſſe obſtructionem, & hanc unicam (proximam & principalem puta.) graviſſimæ iſtius ærumnæ cauſam exiſtere, Medicorum quilibet citra contradictionem fatebitur atque agnoſcet: Aſt de loco affecto, cui nimirum hæc obſtructio, ut talis affectus producatur, ſit adſcribenda, ancipites valdè & titubantes plerique ſe exhibent. Galenus & ſequaces ad quartum cerebri ſinum ſeu ventriculum religioſè provocant, cujus potiſſimùm obſtructione oriri apoplexiam adſtruunt. Ut itaque erroris iſtius cunas conſpicere queamus, paucis hîc priùs repetendum arbitramur, quænam priſcorum Medicorum Philoſophorumque de hiſce cerebri ventriculis eorumque uſu communis

Quatuor cerebri vẽtriculorum uſus.

nis fuerit ſententia: Videlicet ventriculos hoſce præprimis conditos eſſe dictitant, ut ſint ſpirituum officinæ ſeu conceptacula atque promtuaria eorum. Vulgò autem quatuor horum numerari ſolent, quorum anteriores duos delicatiores atque candidiores, poſteriores verò minùs ſplendidos ac tenſiores aſſerunt, quod hi ipſi in parte cerebri minùs delicatâ ſeu candida exſculpti exiſtant. In ſpecie tamen de poſtremô ſeu quarto cerebri ſinu, cujus tanta in hôc affectu celebratur ratio, ſciendum, quòd ille communis ſit cerebro initioque ſpinalis medullæ, à quorum ſinubus velut inchoatur, & à membranâ circumjectâ abſolvitur, nec non ab ampliore principiô ſenſim anguſtatur, donec in acumen deſinat frameam calami ſcriptorii nactus. Diverſæ igitur hujus conformationis operoſas poſtmodum adducunt rationes, quarum ſpecioſis pigmentis hos ſuos de iſtis cerebri anfractibus adumbrare conceptus ſatagunt:

Quartus cerebri ſinus quid, & ejus principium ac figura.

Verùm enim verò ut Priores noſtri obſcurius longè genuinam cerebri conformationem ſeu ſtructuram cognoverunt aut deſcripſerunt, prout ea in illorum oculos minùs ex votô incurrit, qui diſſectionem cerebri à ſuperna parte moliuntur, ita feliciores ſucceſſus hâc in re adeptus eſt Varolius, Anatomicus ille inſignis, qui cùm ſectionem auſpicatus eſſet ab infernis, negotium multò aliter ſe habere circa cerebri fabricam, & cumprimis circa ventriculorum tam numerum quàm magnitudinem ſitumque luculenter deprehendit, unde poſtmodum de verô uſu cerebri & ejus ventriculorum longè rectiùs, quàm hactenus factum, Philoſophari aut ſentire docuit; itaque per hanc infernam cerebri anatomiam patefecit ſtatim, non niſi duos eſſe ventriculos cerebri genuinos legitimoſque, totam utique cerebri longitudinem implentes, eos nempe quos ſuprà nuncupavimus anteriores, quorum vix quarta pars in communi ſeu deſuper inſtitutâ ſectione demonſtrari poteſt, reliquos autem duos, tertium ſcilicet & quartum non magis eſſe ventriculos ſeu cavitates cerebri adpellandos, ſi propriè loqui amemus, oſtendit, quàm externa illa ſpatia inter inteſtinorum ſpiras nomen cavitatum mereri queunt; Nequaquam enim illi in ſubſtantiam cerebri internam inſculpti ſunt, nec ab eâ etiam undique ambiuntur, ſed tantùm à contactu mutuô illorum radicum proceſſuum protuberantiarum aut truncorum tam ſpinalis medullæ, quàm ipſius cerebelli invicem coëuntium formantur, ut hâc ratione indubitatum ſit, iſtos vulgò creditos ventriculos planè extra cerebrum conſtitui, & minimè in eodem contineri. Hæc ergo ut vera & ſenſibus noſtris toties teſtata ſunt, ſic etiam inania valdè ac commentitia eſſe illa, quæ de horum ventricu-

Duo tantũ genuini legitimiq; ſũt cerebri vẽtriculi.

Tertius & quartus cerebri, ventriculus unde à Galenicis excogitatus.

lorum officiis & affectibus quondam in vulgus differta fuerunt, liquidiſſimè comparet. Sed progrediendum ultrà & diſpiciendum, quænam ſint horum ventriculorum (de veris namque hîc nobis ſermocinatio eſt, non autem de fictis illis, quorum etiam nullus eſt uſus, ſicuti non-Entis nulla eſſe accidentia ſolent.) munia, & quomodo pariter quaſi cœleſtis illa animalium ſpirituum geneſis in cerebrô à Natura expediatur; quibus probè perſpectis ſcholarum abſurda dogmata (veritatis enim & boni publici affectus hæc antilegomena extorquet) vel ſponte non tantummodò cadent, verùm ipſius etiam Apoplexiæ radicalis cauſa perſpicuè ſe cognoſcendam præſtabit. Nulli igitur ſunt veri in cerebrô ventriculi præter binos illos, qui per totam cerebri molem exporrecti concernuntur. Statuimus igitur miſſis ambagibus, ſed rationibus diligenter penſitatis, hoſce ventriculos tantùm impuritatum vel recrementorum in cerebro genitorum aut conlectorum gratia productos & efformatos, ut ea undique ex cerebro genitorum aut conlectorum gratia productos & efformatos, ut ea undique ex cerebro affluentia in ſe recipiant, ac commodiuſculè porrò in ſubjectam pelvim derivent, penitusqae dimittant; Subſtantiam namque puriſſimam & & quaſi æthercam, qualis eſt ſpiritus, neutiquam locus decet ſordidus, excrementitius, & tantùm non abominabilis, ſed mundus undiquaque, ſed elegans, ac omni ex parte nitidus, ſiquidem haud rectè nec ſapienter cibus, ut eſt in proverbiô, ponatur in matulâ; ſin ſecùs actum omninò ageretur, neque ſcopum conſervandi ſpiritus in ſuâ naturali puritate Natura obtineret. Si ergo in his cavitatibus adſervarentur ſpiritus, eadem planè eſſet officina proxima illuſtriſſimi ſpiritus & ipſius excrementi, idem, ut ſic loquar, regis & ſervi conclave, eademque culinæ & cloacæ dignitas. Nec obſtat in hominibus ſanis valdè exiguum eſſe hoc quicquid eſt ſordium: Nam quantumcunque tandem ſit, certum eſt, quod etiam parum cœni immundi multum limpidi collutulet inficiatque. Imo haud incaſſùm iſtos ventriculos tam amplos & tot ſinubus circumductos fecit Natura, ut ea quâ pollet ſapientiâ futuræ proſpiceret neceſſitati, quum levi de cauſa ſuperfluæ humiditates, ut potiſſimum eſt, confertim ex cerebro ſuccreſcere, & ibidem cumulari queant; Deinde nominatos ventriculos ſuperfluitatum excrementitiarum emunctoria eſſe, glandulæ plexibus adjunctæ ad oculum monſtrant, ſatisque nobis inculcant, utpote quarum officium aliud nullum eſſe ſcimus, quam præſertim ſeroſitates in

Legitimorũ duorum cerebri ventriculorum genuinus uſus.

Spirituum animalium ſedes non eſt in cerebri ventriculis

Glandularum uſus.

in ſe ſorbere, atque in ſubjectas veluti truas ſeu lacunas deſtillare, cum
quibus adpoſitè ventriculi illi conferri poſſunt. His argumentis con-
victi Galeni ſententiæ non immeritò nuncium mittimus, ſuccinctâ conſi-
deratione arbitraturi potiùs, quomodo ſpiritus animales generentur, &
cum vitalibus mutuum commercium foveant, ut intentionem noſtram
eò faliciùs conſequi poſteà valeamus. Ergò ſpiritus animales nequaquam
in cerebri ventriculis gigni aut continere percepimus anteà, quùm de
eorum uſu in contrariam diſſeruimus partem. Unde ſequitur unicè ipſi
cerebro hanc provinciæ autoritatem eſſe tribuendam, cujus tantam
molem Natura quoque conſtituit, & per eam vaſa, nempe venas ar-
teriasque numerô plurimas ac pœnè infinitas diſſeminavit, ut viſcus il-
lud ad ſpirituum animalium (qui copioſi ſanè requiruntur.) genera-
tionem ſufficeret. Veriſimilimum itaque affirmamus ſpirituum ani- *Spirituum*
malium generationem nil aliud eſſe, quàm ſingularem depurationem *animalium*
ſpirituum vitalium à recrementis fuliginoſis & vaporoſis, hoc eſt, tam *generatio*
craſſis terreſtribusque, quàm humidis cum ſanguine (quô ſpiritus vita- *quid?*
les tanquam vehiculô ſuo ac velut balneô utunrur) permixtis, perinde
ut △ noſter diaconicus ſeu uſualis multas partes impuras 🜃eſtres & a-
queas ſibi admixtas habet: Ut autem hic △ perfectionem ſuam adipi-
ſcitur, quando recrementis craſſioribus depoſitis aut conſumtis ſubti-
lior aut purior lucidiorque evadit; ſic quoque ſpiritus vitalis per repur-
gationem illam commixtarum fuliginum & vaporum ſeu terreſtrium
humidarumque partium multò ſplendidior fit, atque hâc ratione quaſi
ætherascit. Hanc autem depurandi ſpartam conceſſam obtinet cere- *Spirituum*
brum, ſive id officii jam ſpecificâ & ſingulari virtute ac fermentô, ſive *animalium*
etiam congenito frigidiore temperamento exequatur: Videmus enim *generatio*
frigus etiam vim ſequeſtrandi & velut exprimendi partes heterogeneas *ubi fiat?*
ſive aqueas habere; ſegregatis autem hoc modo partibus impurioribus,
eadem cerebro ingenerata frigiditas relictas nobiliores ſinccrioresque
partes & ceu eſſentiam cœleſtem modicè incraſſat ac figit, ne tenuitate
& volatilitate nimiâ exhalet, atque in auras abeat: Pari etenim pruden-
tiâ eſſentiam ſpiritus ✕ (quam utpote ſubtiliſſimam & ad ſummam pu-
ritatis faſtigium deductam ſolertiſſima ſæpiusque iteratâ cohobatione
ſeu exaltatione impetramus.) in locis frigidiuſculis conſervamus, quæ
in locis tepidioribus aut calidis facilè avolaret atque evaneſceret. Ita- *Spirituum*
que generatio ſpiritus animalis in duobus præcipuè videtur conſiſtere, *animalium*
primùm in remotione impuritatum ſeu craſſiorum viſcidiorumque par- *generatio*
tium, & ſecundò in ejus, quod ſic purificatum eſt, convenienti con- *in duobus*
conſiſtit.

ſerva-

ſervatione ſeu fixione, ac veluti quadam condenſatione. Quibus ſic ponderatis concludimus ſpiritus animales generari in cerebro, quod ex puritate materiæ inſigni, quâ excellenter donatum eſt utrumque, tam cerebrum, quàm ſpiritus animalis manifeſtò liquet: Unde cerebrum haud ineptè olympus dicitur, quod intra ſe multum ſplendentis lucis contineat, cujus beneficio ſpiritubus animalibus conſimilem fulgorem imprimit, atque ſic illi non tantùm perpetuò illuſtrantur, verùm etiam reverâ ſic fulgentes per organa influxui deſtinata ſeu nervos in totius corporis membra ſingula, ut ea pariter illuminentur, & ad obeundas functiones alacriora ac decenter agilia efficiantur, ſufficienter diſpenſantur. Hæc ſingula atque cuncta ſi accuratiùs jam à nobis inſpiciantur, & Anteceſſorum ſententiæ opponantur, dubitamus nulli, antiquam illum de obſtructo cerebri ſinu quarto pro generandâ Apoplexiâ commentum ac errorem totum vel ſponte dilapſurum, veluti in ſubſequentium paragraphorum enucleatione id ſingulatim, ſed clariùs monſtrare, & ex fundamentô eruere, adplicando ſcilicet hanc de cerebri ejusque ventriculorum uſu ac geneſi animalium ſpirituum, juxta Neotericorum mentem, Philoſophiam docto Medico ſcitu perneceſſariam, allaborabimus. De locô igitur affectô apoplexiæ quodammodò ſeu implicitè inſtructi, & poſtmodum explicitè magis inſtruendi, ad cauſam iſtius obſtructionis, unde poſtmodum Apoplexia oritur, deſcendimus, quam fieri à pituita viſcida & glutinoſâ Galenicæ diſciplinæ addicti ſtatuunt, quos tamen hîc penitus non audiendos hortatur Autor, nos deducens ad congeſta alimenti noſtri excrementa (dubiô ſine cum ſanguine adhuc confuſa) & ad interiora viſcerum vaſorumque nobiliorum delata. Unde dilucidè ſatis hujus rei cardinem tradidiſſe fatemur Hoffmannum, qui materiam obſtruentem non poſſe aliam eſſe argumentatur, quàm ſanguinem, eumque vel copiâ peccantem vel qualitate, quarum hanc & ejus vitium in craſſitie, vel ut cum Fabrô dicamus, in glutinoſâ quadam viſciditate ab inquinamentô excrementorum à ſanguine decenter non ſegregatorum oriundo conſiſtere, ecquis eſt, qui ambigere hîc autumaverit? Propterea verò devolvendum ad ſanguinem excrementitium cum Fabrô cenſemus hoc negotium, quod πρῶτον πάσχον Apoplexiæ conſtituant inſerta ſeu mirificè intertexta cerebro millena vaſa, quorum uſus quúm ſit ſanguinem continere, ac materiam pro generandis ſpiritubus animalibus ſubminiſtrare, ſtatim quoque claret, cui materiæ hic obſtructioctionis partus veniat adſignandus. Tandem de paralyſi, illâ nimirum famo-

Cerebrum dicitur olympus & cur.

Apoplexia πρῶτον πάσχον.

Obſtructionis, unde Apoplexia oritur, cauſa quæ.

Sanguis apoplexia cauſa eſt.

famoſâ Apoplexiæ pediſſequâ, hic quicquam addere ſuperſedemus, quùm effectui huic peculiare Caput Autor deſtinaverit infrà, quod ſuo etiam tempore nobis perluſtrandum occurret.

Ad §. 2.

Ut abſurdum eò manifeſtiùs in oculos incurrat, ſinum cerebri quartum nequaquam pituita vel humore aliquô repleri poſſe, ad fideliſſimum αὐτοψίας teſtimonium nos remittit Autor, quod in reſeratis Apoplecticorum capitibus nihil ejusmodi à præſtantiſſimis Medicis fuerit repertum deprehenſumque: Imò ipſa ratio has inſuper nugas revellit, quòd non tantùm hunc quartum ſic vulgò vocatum cerebri ſinum nil aliud eſſe, quàm inane quoddam ſpatium, abundè jam ſupra demonſtraverimus, verùm præterea etiam inſtar pertuſi & rimarum pleni dolii hoc ſpatium eſſe conſpiciatur, hoc eſt, illud ipſum quendam quidem quaſi ſuſpenſum obtinere fornicem, quem cerebri cerebellique confinia externa effingunt, veruntamen fundô potiùs carere, ut ſic impoſſibile ſit, humiditatis aliquid recipi ac contineri ibidem poſſe.

Ad §. 3.

Dilucidè ſatis licet ſucciſè cauſam Apoplexiæ proximam nunc tangit Autor, tam removendo Priſcorum vanas argutias, quàm adducendo ſuam ſub tutela ipſius rationis ſententiam. Apoplexiam igitur à repletione viſcerum capitis interiorum (cerebrum cum cerebello ac principio ſpinalis medullæ hîc dubio ſine innuit.) & canalium per ſubſtantiam eorundem diſſeminatorum (quorum reſpectu repletio illa ſeu obſtructio malum hoc efficiens potiſſimum æſtimanda eſt.) fieri docet. Quod ipſum ut pleniùs adhuc capere ac planiùs intelligere queamus, de vivicante illâ ſanguinis circulatione ſeu perenni vivô ſpirituum influxu refluxuque quædam ſed paucis adnotabimus. Sanguinis nempe circulationem gemini finis gratiâ à providâ Naturâ ordinatam eſſe, Neotericis præſertim notiſſimum eſt: Primus & præcipuus eſt, ut adſiduô hôc ſanguinis & cum eô ſpirituum quoque affluviô non tantùm ſpiritus partium inſitus ſeu calidum congenitum fomitem ſuum aut pabulum indeſinenter accipere, & ſic velut experge fieri, ut cum Helmontiô loquar, queat, verùm etiam ut partes ſolidæ eodem beneficiô foveantur, nutriantur atque conſerventur: Alter eſt, ut per refluxum ad vitæ officinam & fontem ſanguis (totus enim in alimentum unâ vice transcurrendo tam repentè mutari non poteſt.) in hoc circulationis itinere

Circulationis ſanguinis duplex finis.

nere ob præſtitum nutritionis uſum inevitabiliter debilitatus, ſeu ſpirituoſa ſua ſubſtantia valdoperè ſpoliatus, rurſum deferatur, atque ibidem denuò informetur, animetur, ac vitali autoritate ſeu luce potiùs illuſtretur, hoc eſt aptus natus de novô reddatur, quò priorem & jam declaratum influentiæ iterum inſtituendæ finem decenter expedire valeat. Idem planè circulationis feſtum, quod tam influxu ſeu affluxu, quàm effluxu refluxuque continuo celebratur, ut ſuprà dictum eſt, in capite locum habere, nullâ penitùs probatione indiget, quod non ſolummodò cum ſanguine ſpiritus vitales confertim per conſpicuos omnino tubos ad Palladis hoc ſacellum adſcendere ſoleant, & in illud perpetim influere debeant, ut vitali ſplendore illud pariter illuminetur, ſpiritus animales hinc progignantur, & partes caput conſtituentes debita nutritione ſuſtententur, verum etiam ſanguis quaſi exanimatus, ut robur ejus redintegretur, ad vitæ thronum evidenter poſtmodum recurrat refluatque. Exinde & hac ſplendente lucerna facilè nunc colligere poterimus, quid præſtare impeditum hoc ſpirituum vitalium animaliumque commercium, vel uno verbo præcluſa circulationis iſtius neceſſitas ſoleat. Ecce apoplexia & ſuffocatio indubitata obſtructionis iſtius eſt ſoboles, ac ſoror hujusdem ipſiſſima mors exiſtit, niſi omnibus viribus feſtinata celeritate motus ſanguinis circulatorius vigori priſtino reſtituatur. Obſtructionem autem in capite non adeò difficili negotio fieri poſſe, hoc cumprimis probare argumentum valebit: Nimirum ſanguis & cum hoc ipſo vivificus ſpiritus ut totum corpus, ſic & caput tortuoſis ambagibus penetrat, & per venarum arteriarumque ductus ſinuatim anfractimque ad illud deportatur, adeoque mirum circulationis curſum hîc quoque inſtitui ex αὐτοψία compertiſſimum eſt. Hoc ita ſtante noſtrum erit concludere, particularem obſtructionem in tanta vaſorum, quorum non pauca hinc inde ſunt anguſtiſſima, multitudine, caput levi de cauſa ſuſcipere, veluti hoc ex ſymptomatis, nempe tinnitu & ſtrepitu aurium, dolore capitis ejusque gravedine, potiſſimùm verò vertigine (quam, ſi contumaciter urgeat, certiſſimum apoplexiæ præcurſorem eſſe, neminem fugit:), ſufficienter patet, donec uberiùs cumulata materia peccante univerſalis ſpirituum influorum obſeſſio, hoc eſt apoplexia ipſa ſuccedat. Reſtat hîc quoque ut de materia peccante, quænam illa ſit, & unde oboriatur, aut quomodo generetur, pauxilla adjiciamus. Autor craſſos glutinoſos ac viſcidos tenacesque humores hîc denominat, qui vel in primis ſtatim viis venas intrant, atque ſic à ventriculi vitio communicati

Apoplexiæ proxima cauſa.

Obſtructio facilè ſubori-tur in capite.

Tinnitus & ſtrepitus aurium, dolor capitis ejusq; gravedo, atq; vertigo unde.

nicati ad ſublimiores partes perveniunt, vel in ipſo etiam capite, ubi conſimiliter ſi imbecillum id exiſtat, mala nutritio ac proinde nutrimenti corruptio fieri potius cui accedit, ut ejus, quod inutile eſt, tam ſegregatio quàm excretio pariter ab impeditâ Naturâ negligatur, colligi coacervarique queunt. Putida ergo humorum vel ſanguinis mucilago aut glutinoſa eorum putrilago eâ, quâ pollet pigritiâ ſuâ, & adhæreſcenti contumaciâ, vitalis commercii porticum occaſione leviuſcula præcludere poteſt, ita ut nec partes ſuperiores à ſpirituum vitalium accurſu, nec inferiores ab animalium defluentium patrociniô foveri, hoc eſt utriusque ſpiritus miniſteriô deficiente facultates & actiones corporis noſtri ampliùs perfici nequeant; unde inevitabiliter Apoplexia poſtmodum exoritur. Ideoque ſi hoc cauſæ apoplecticæ tam principalis quàm materialis ſpeculum ſedulò inſpicere non faſtidiamus, & Veterum errores & Neotericorum accurationem oppidò perſpectam habere, ac proinde ex quavis difficultate affatim nos extricare poterimus. Sed majorem adhuc lucem ſuppeditabit infrà ex noſtris meditationibus oriunda catarrhorum doctrina, ubi vel ob oculos cuivis clariſſimè ponemus, afflictionem hanc ab alterâ circulationis parte, ubi ſanguis ob exantlatam nutritionem partium quaſi exanimis, ac propterea multis excrementis ſcatens refluere ad vitalis fermenti tabernaculum debet, provenire: Hic enim ſi nimiopere qualitate ſua aut quantitate peccet, varias catarrhorum ſpecies progenerare poteſt. Ergo hic ipſe ſanguis à nutritione jam celebratâ reſiduus ſi debitè ad fontem ſuum non refluat, ſed in capite ob craſſitiem ſuam remaneat, obſtructionem ac conſequenter attonitum hunc ſtuporum non difficulter accelerare poterit. *Obſtructionis, unde apoplexia oritur cauſa materialis.*

Ad §. 4. & 5.

Adpoſitis comparandi exemplis hîc oſtenditur, quomodo Apoplexia propriè fiat, & quâ ratione ab excrementorum cumprimis verò viſcidorum congerie obſtipatis vaſorum meatibus ad vitæ ſuſtentationem ſummè neceſſarium utriusque tam animalis quàm vitalis ſpiritus commercium & circulatio ſanguinis intercipiatur, videlicet non ſecus ac hoc fieri in iis videmus, quorum cervix laqueô frangitur, vel qui fluctibus hauriuntur: Quum enim meatibus his vel violenter interſtrictis vel aqua oppletis ſpiritus liberum tranſitum habere nequeant, & ſanguis propterea tam in capitis quam præcordiorum antris motu ſuô deſtitutus veluti congeletur aut concreſcat, vitale lumen neceſſariô hinc poſtmodum ſideratur atque extinguitur, niſi in tempore fune- *Strangulatio & aqua ſuffocatio qua ratione mortem inducant.*

ſta hæc removeantur obſtacula. Sed hæc omnia jam ex ſuperioribus tam conſpicua ſunt, ut ſupervacanea opera proinde circumſtantiarum repetitio inſtitueretur. Pauliſper tamen remorari hîc nosmet poſſet, quod apoplexiam & catarrhum ſuffocativum in paragrapho quintô invicem confundere Autor videatur, dum obſtructis pulmonum poris bronchiisque ſpirituum vitalium cum cerebrô conſpirationem intercludi, adeoque apoplexiam (vel rectiùs forſan catarrhum ſtrangulativum, qui nihil aliud eſt, quàm impeditus circa præcordia ſanguinis ac reſpirationis motus.) ſic oriri demonſtrat, unde crimen læſæ differentiæ, quâ reſpectu loci affecti uterque affectus à ſe invicem diſtinguitur, quod in apoplexiâ cerebri ejusque vaſorum, & in catarrhô ſuffocativô pectoris atque partium vitalium inibi diverſantium obſtructio attendenda veniat, extorquere quaſi poſſet: Verùm nulla proinde ſollicitudo aut cupido Autorem culpandi nos occupabit, ſiquidem non tantùm experientia teſtetur, hos affectus utplurimum concurrere, & apoplexiam maximam ſine catarrhô hôc ſuffocativô ac contrà nunquam exiſtere, verùm ipſa etiam ratio comprobet tam ab unâ materiali utplurimum causâ ſeu viſcidâ humorum mucilagine utramque ærumnam deſcendere, quàm eandem quoque curandi rationem ac methodum ſuſcipere. Inſuper animadvertendum nobis imponit Autor, Apoplexiam non ſemper præſupponere interanea cerebri obſtructa, ſed prodire etiam poſſe eandem à vaſorum jugularium in collô obturatione, quam conſimiliter inibi ſe accumulans excrementitia humorum viſciditas efficere valet. Quid quod etiam inferiorum viſcerum partiumque, hoc eſt meſenterii, epatis, lienis, renum, matricis &c. ab eadem materia glutinoſa vel cruditatibus (in cruditate autem ſemper latet impuritas, ut proinde non immeritò morborum fœcundiſſima parens audiat.) provenientes obſtructiones ad ſuſcitandam apoplexiam nos diſponere, adeoque cauſæ antecedentis officiô defungi queant: Certum namque eſt, quod hujusmodi obſtructionibus præſentibus impurum à purô ſeparari, & excrementitia ſaburra aut glutinoſa humorum tenacitas ritè evinci atque propulſari nequaquam poſſit; unde poſteà increſcentibus obſtructionibus mirè inſpiſſantur & adaugentur quoque in ſanguine excrementa, donec nobiliora tandem loca obſideant, atque interfectivos hujusmodi affectus inopinatò ſæpè accelerent. Tandem hûc pertinere etiam inſenſibilis tranſpirationis ſeu evaporationis impedimenta, nulli ambigimus: Ut enim per illam, ſi rectè ſuccedat, noxia quævis oppidò è corpore propelluntur; ſic impedita ea ſanguis ſuſpectam graviorem-

Catarrhus ſuffocativus quid propriè.

Apoplexia & catarrhus ſuffocativus utplurimùm concurrũt.

Obſtructiones aliorum quoq; viſcerum apoplexiam cauſantur.

Obſtructio viſcerum aliarumq; partium interiorum maximè nociva.

Inſenſibilis tranſpirationis ſumma utilitas.

remque ſordem protinus induit, & exinde poſteà humorum excrementorumque putrilago, eamque aſſiduò comitans mucilago producitur, quæ ſubindé progreſſu temporis facilima incrementa capeſſit.

Ad §. 6.

Ex coronide præcedentis ἐκθέσεως perſpicere confeſtim licet, quid per narcoticum illud ſummeque frigidum & peculiarem vim obſtruendi ſtupefaciendique obtinens excrementum, quod titulô glacialis veneni ab Autore inſigniter, is intellectum velit: Nempè nil aliud hâc ipſa periphraſi is innuit, quàm viſcidum & glutinoſum phlegma, ſed ad ſummum viſciditatis gradum perductum, ita ut plane gypſeum & cryſtallinum quaſi eſſe compareat, unde hoc Autor etiam nominat glaciale, Veteres verò pituitam vitream. Dubium ergò nullum eſt, ſi ſanguis extrema hac viſciditate ac tenacitate ſit inquinatus, ſubitaneam & vehementiſſimam obſtructionem hinc contingere, ut veneni adinſtar omnia in corpore tam ſervilia quàm regalia ſeu nobiliora membra, cumprimis tamen unà cum ſanguine ſpiritus influentes torpidos ſtupidosque, imò ſideratos atque attonitos, hoc eſt motu ſuô ac ſenſu penitùs privatos reddat; unde non ineptè etiam hanc excrementi ſpeciem is venenum glaciale adpellitavit. Atque ſic omnimodè ſe rem habere, vel ex praxi noſtra evidenter nobis conſtat, dum provocatô vomitu apoplecticos feliciter ex faucibus mortis eripuimus, magnam & mirandam hujusmodi ſummè viſcidi ac velut gypſei ſeu glacialis phlegmatis aut vitreæ mucidæque gelatinæ ſperma ranarum omninò referentis copiam per vomitus iteratos educendo, atque poſteà aquis ſpirituoſis ſpecificis tam viſcera ab infauſta hac humorum glacie ſtupefacta & quaſi jam funerata calefaciendo ac refocillando, quàm excrementum hoc glaciale ſeu vitreum adhuc in corpore reſiduum ſic ſolvendo attenuandoque. Ex hoc ipſo inſimul eluceſcit ratio, cur febris apoplexiæ ſupervenieus cenſeatur optima atque auxiliaris: Nempè de Natura reſuſcitata atque ad pugnam contra materiam peccantem fortiter inſurgente ſic reddimur certiores, ut hoc modo non tantù m fluida hæc evadere, verùm penitùs etiam exterminare poſtmodum queat.

Sanguis quomodo vehementiſſimas obſtructiones pariat.

Ad §. 7.

Tutior certiorque curandi ratio vix excogitari poteſt cauſarum materialium & morbo occaſionem præbentium remotione, qua præſtita

Confortatio juxta Hermeticos

nil aliud eſt, quàm cauſarum morbificarum ſeu materialium remotio.

ſtita morbus evaneſcit utique, & vigor priſtinæ ſanitatis oppidò efflo- reſcere rurſus incipit. Et hoc ipſum de Apoplexia nobis etiam exiſti- mamus dictum, cui id inſuper notandum adjungimus, quòd cùm for- tiſſimæ apoplexiæ contumaciſſima etiam ac vehementiſſima exiſtat cau- ſa, generoſa etiam & validè magna, præſentiſſimam ſcilicet damnatam illam materiæ pertinaciam expugnandi facultatem habentia, tunc ad- hibenda eſſe, velut hoc quoque ex remediis ab Autore laudatis jam luculentum evadet.

Ad §. 8.

Apoplexiæ curam cur Autor à Confortantibus & calefacientibus auſpicetur.

Sed ſciſcitabitur hîc protinùs quispiam, cur Autor, qui tanto- perè anteà cauſarum remotionem citò moliendam commendavit, à Confortantibus & generoſè calefacientibus remediis curæ auſpicium nunc faciat: Ratio nempe in proclivi eſt: Quum enim apoplecticô ſtu- pore tacti ſenſu motuque propemodum exiſtant deſtituti, ac proinde conſopitæ in illis ſint omnes facultates & actiones, adeoque inſimul et- iam Medicamenta deglutiendi poteſtate pariter tunc careant, incaſſum ſanè porrigerentur pharmaca, licet præſentiſſima virtute celeberrima, niſi deglutiri atque in ventriculum devenire, adeoque in actum deduci iſta queant: Ideoque prudenti conſilio hujusmodi ſpirituoſa ardentia & penetrantiſſima medicamina tunc prius exhibere jubet, ut calor nativ⁹ ad incitas redactus, atque in proximo extinctionis gradu conſtitutus hoc modo non nihil refocilletur, atq; ſic deglutiendi facultas quodammodò ſaltim irritetur, quò Vomitivum, in quô reverà curandæ apoplexiæ ar- canum conſiſtit, ut mox id demonſtrabitur, in ventriculum demitti poſſit. Neque dubitamus etiam hâc ratione ſpiritum ſeu calorem no- ſtrum, niſi penitùs jam extinctus ſit, fervorem quendam (Autor fe- brem vocitat) concipere, atque ſic officii ſui de novo quaſi memorem fieri poſſe, præſertim ſi cautela illa juxtà advertatur, quam ſubſequen- ti paragraphô adjicere conſtituimus. Præ reliquis autem ſpiritubus & aquis antiapoplecticis ſeu ſpecificis Eſs. roriſmar. dubiô ſine cum V rectificatiſſimô parata (magis tamen pretioſa & adpropriata evadet hæc eſſentia, ſi propriô ſuô ſpiritu, qui ſcilicet elicitur ex ſiccô roriſmar. fermentatô, & ſuô etiam ⊖ e fixo impprægnatur, conficiatur.) hîc com- mendatur, quòd magnæ virtutis ſit roſmarinus, & ob effectum pro- batiſſimum herbæ ſalutaris adpellationem à Latinis hinc acceperit: Pol- let namque excalefaciendi, attenuandi, reſolvendi, & obſtructio- nes reſerandi virtute non tantùm egregiè, verum ad frigidos etiam & ſtupidos reſolutosque capitis morbos (id eſt ſoporoſos capitis affe- ctus,)

ctus.) cum applauſu Practicorum maſculè præſtat. Deinde huic eſſentiæ ſpiritum 🜹 alchoboliſatum, id eſt per frequentiores cohobationes ſeu ♌lationes ad ſummè volatilem ſubtilitatem perductum, & in virtute ſuâ mirè exaltatum aſſociat Autor, quod ineffabilem vim penetrandi & Naturam tunc conſopitam ardoris ſui ſtimulo irritandi excitandique poſſideat. Verùm quid nobis hîc potiùs agendum eſſe vigeatur, & quomodo una fidelia duo parietes ſint dealbandi, hoc eſt uno Medicamento ſcopi principales expleri poſſint, jamjam monebimus.

Ad §. 9.

Quòd ſecretum & ſingulare quaſi myſterium feliciter curandæ Apoplexiæ in vomitu conſiſtere affirmet Autor, nos omnibus modis approbamus, & partim hoc thema jamdudum in Miſcellaneis noſtris curioſis per partes ſuas diduximus, partim etiam in præſenti verbis tamen ad compendium coadditis adhuc nunc arbitrari non pigebit: Nempe viſcidiſſimum & quaſi glaciale, adeoque contumaciſſimum hoc excrementum non niſi vehementiſſimâ commotione reſolvi & protrudi poterit, id quod nullâ meliùs ratione quàm generoſo remedio vomitum ocyſſimè provocando impetrabitur: Per hunc enim vehementiſſimæ commotionis impetum ſeditio quædam ac veluti tumultus in toto corpore & omnibus ejuſdem partibus effectiſſimè concitatur, Natura alto & funeſto quaſi ſopore ſepulta ſuſcitatur, eaque ad arma ſic cogitur, & hoſtile hoc excrementum valde commotis concuſſiſque partibus viſceribusque pariliter commovetur, atque ex voto tandem exturbatur, ut ſic Natura ab infeſtiſſimâ & glaciali hâc humorum viſciditate hactenus graviſſimè oppreſſa unà cum viſcerum meatibus pertinaciter obſtructis rurſum ſui juris fieri queat. Quod verò vehementer commoto ventriculo confeſtim quoque in conſenſum trahatur & consimili vehementia vellicetur aut concutiatur cerebrum, non tantùm ex communitate nervorum recurrentium, qui à cerebro oriundi orificio ventriculi implantantur, Anatomicis tam famigerata, verùm etiam ex interiore ventriculi tunicâ faucibus quoque communi, & à cerebri membranis ſeu meningibus producta ſatis conſpicuum eſſe poteſt. Dum enim per impetuoſam hanc ex vomitu commotionem nervi recurrentes quoque & interior ventriculi tunica fortiter convelluntur, neceſſariò quoque tota cerebri & ejus membranarum nervorumque inibi exorientium œconomia contremiſcit quaſi & lancinatur; adeoque facta hac irritatione, vel ſi ſic loqui liceat, partium trepidatione, ſpiritus ad redin-

Curandæ apoplexiæ ſecretum in vomitu conſiſtit.

Viſcidiſſimum atq; contumaciſſimū excrementum optimè expurgant vomitoria.

Cerebri cũ ventriculo conſenſus unde.

redintegrationem motus & actionis ſuæ exſtimulantur. Clariorem uberioremque hujus negotii qui expoſtulat expoſitionem, haud gravatim Curioſorum noſtrorum circiter adeat primordium. Deinde Vomitoriorum excellentiſſimam præſtantiam in curâ Apoplexiæ dicteria Helmontii adſcriptu digniſſima pulcrè etiam confirmant, quæ adponere non diſplicet: Ens apoplecticum, inquit ille, in ſtomachô præſens animam quatit.

Apoplectica materia ſẽper ex ventriculo oritur.

Item Apoplexiæ ſcena circa ſtomachum ſeu orificium ventriculi præcedit atque peragitur: Certum etenim eſt, ſuſceptum in ſtomachô excrementitiæ mucilaginis vitium ac rudimentum latè & ad remota in corpore noſtro potenter diſpergi, unde remediis quoque ſtomachicis in tempore oblatis beneficium reſtitutionis in hôc caſu, utpote in quô mali origo & nidus utplurimum reſidet in ventriculô infirmô aut cruditatibus præpeditô, facilè præſtari poteſt, imò nobiliora ſtomachica cerebro ſemper ſunt accepta, & ex adverſo cephalica ſpecifica ventriculum præſtantiſſimè etiam ſolari ſolent, atque id quidem ſub fide rationis & teſtimoniô experientiæ indubitatiſſimæ.

Stomachica Medicamenta cerebro, & contrà cephalica ſpecifica ventriculo ſemper ſunt acceptiſſima.

In hoc ipſo igitur nec Autore conſentimus, quod medendi jam dictam rationem aut arcanum attinet, ſed in eâ ſtare ab ipſius parte non poſſumus, dum obſervatâ unius horæ pauſâ poſt adhibitam rorismar. eſſentiam demùm ad Emetica accedendum eſſe ſtatuit: Anima namque curandi dicitur fine cunctatione arrepta occaſio, & tempori ritè obſervato magnum eſt ponendum pretium. Pindarus εὐκαιρότατον laudibus multis extollit Medicum, qui tempeſtivè omnes commoditatis articulos in curatione amplectitur: Proinde occaſionem etiam medendi Hippocrates momentoſam vocat ac præcipitem: Hæc enim elapſa inevitabilis ad ferale exitium approperat non tam inclinatio quàm præcipitium.

Occaſio medendi ſemper curæ ſit Medico.

Ideoque monemus ne citò auxiliari in apoplexiâ quis differat, quia irreparabilis eſt hoc in caſu opportunitatis jactura. Atque propterea aſſerimus ſeriò, ut vel ſtatim poſt propinatum ſpirituoſum medicamen omnis moveatur lapis, quò Emeticum apoplectico pariter ſine morâ inſinuari queat, vel quod conſultius unà c. eſs. rorismar. tanquam vehiculo porrigantur, aliquot ☿ij vitæ philoſophicè præparati (nempe v. vj. vel vij.) grana, vel tale infuſum, dum videlicet ut artis eſt; ✕ generoſum vel V rectificatiſſimus ſeu ▽ aliqua antiapoplectica pretioſa Croco metallorum vel laudato vitæ ☿io (qui ſanè ſic nominari meretur, quod vitam jam abeuntem potiſſimè valeat revocare.) vel floribus ☿ij affunditur (hûc recenſemus ▽am Rulandi benedictam) atque eadem ſic emetica virtute imprægnatur, citô citiſſimè pro-

In apoplexia cura medicamẽta ſine mora propinẽtur.

Mercurius vitæ unde ita dictus.

propinetur, vel juxta Autoris manuductionem ⊖ ⊕li curioſè purificatus in ▽æ hujusmodi ſeu eſſentia ſpirituoſa diſſolvatur atque ſic exhibeatur: Sic enim geminæ ſtatim ſatisfiet indicationi, dum & calor nativus hinc potenter excitabitur, & ratione energiæ emeticæ partes membranoſæ nervoſæque faucium ſtomachique vellicabuntur, atque ſic citiori negotio vomitus provocabitur, ſummeque glutinoſa excrementorum viſciditas propulſabitur: Et quamvis primâ vice hujusmodi remedium in ventriculi fundum non pervenerit, tamen fauces ad minimum eâ quâ pollet lancinandi poteſtate irritare valebit, ut degluticndi facultas exinde pariter exſtimuletur, atque iterata doſis poſteà minùs impeditum per orificium ventriculi conſequi tranſitum queat. Quò magis itaque acceleratâ ope vomitus concitari poterunt, eò certior etiam ſpes reſtituendi apoplecticum adfulgebit, modò tunc ulteriùs præſtanda perperam non negligantur.

Ad §. 10.

Levioris monetæ præſidia in paroxyſmo apoplexiæ frictiones & cucurbitulas utrasque tam ſcarificatas quàm non ſcarificatas ſeu ventoſas, nec non ipſam venæſectionem eſſe (niſi ſumma plethora ſonticam hanc obſtructionem efficiens ac ſanguinis circulationem ob nimiam vaſorum repletionem cohibens hanc expoſcat, in quo caſu copioſè emittendum ſanguinem nos ſeriò quoque hortamur,) Autori ambabus manibus largimur, atque ratiocinio ipſius hac de re inſtituto album quod dicitur calculum promti addimus: Ad quam claſſem clyſteres etiam utut acres referendos eſſe exiſtimamus, ſi neglectis nimirum Emeticis in paroxyſmo apoplexiæ illi adhibeantur: Tanti enim tunc valoris non ſunt, ut unica opitulandi fiducia ab excellentiſſimis etiam Practicis in eos collocetur; poſt uſurpata priùs verò Vomitoria, & quando ad ſe non nihil rediit æger, convenientia Enemata ſæpiùs iterata fructuoſè admitti nequaquam negamus, quòd hâc ratione tam fomes mali, quàm id, quod de ſuſpectiſſima excrementorum viſciditate aut materia peccante circa vias primas reſiduum eſt, penitùs penitusque ſic eliminari queat.

In apoplexia cura an clyſteres quoq; quid præſtent.

Ad §. 11. & 12.

His in curatione apoplectici paroxyſmi præmiſſis, & corpore ritè rectèq; poſtmodum expurgato ad ſudorificorum maximorum, quorum mentio in antecedentibus capitulis paſſim facta fuit, nos remittit

 uſum,

uſum, ut omnia & ſingula hujus characteris recrementa, quæ in vaſis aut corporis habitu adhuc deliteſcunt, ne paralyſis exinde fiat, radicitùs exſtripentur removeanturque. Cumprimis autem hîc laudat ♃ diaphoreticum ſeu Sudorificum ſuum maximum, cujus virtus ut nobis ex ſuperioribus jam nobis cognita eſt, ita notatu exiſtit dignum, quod ſudorifica illa cum Eſſentiis calidis (quo epitheto ardentes & cum 🜄 optimo factas denotat.) porrigere præcipiat: Ut enim juxta Helmontium Medicamenta vix nobilitatis alicujus aut ſingularis præſtantiæ titulum ſibi vendicare poſſunt, niſi c. 🜄 ſint nupta, ita tantum abeſt, ut noceant eadem, ut potiùs abditiſſima corporis noſtri loca penetrare, ac ſudorem efficaciter ſic ſuſcitare queant. Atque hæc ſunt, quæ Autor pro Apoplexiæ medela hîc adnotavit, quam nos etiam in praxi noſtra omni ex parte obſervamus, eamque cum fortunato ſucceſſu hactenus præſertim in ipſo paroxyſmo alchohol ✕ virtute vomitoria nobilitatum, cui inſuper unam vel alteram guttam de ℅ cinam. ♌lato. (quod ſpiritus vitales mirè reficit, & proinde hoc ipſo nares apoplectici etiam intrinſecùs illinere tunc ſolemus.) addere conſvevimus, ſine ulla dubitatione adhibendo ſequuti fuimus: Ubi pariliter fatemur amiſſam loquelam, nempe familiarem illam Apoplexiæ prolem certiori ſubſidiô reſtitui non poſſe, quàm Emeticorum iteratorum auxilio, id quod toties probatâ experientiâ fulti bonâ fide teſtamur. Oleum ſuccin. alb. ſtillat. tam extrà quàm intra adhibitum probatiſſimi experimenti laudem ſuſtinere ſæpiùs ſæpiùſque etiam comperti ſumus: Poſt vomitoria utiliſſimè omninò Enemata nobis ſvetaaliquoties iteravimus, ſpiritum noſtrum cephalicum, item ſudorifica nobiliora & ſanguinem pariter renovantia, nempe ℞am corall. veram atque ℞am ☿ij utramque noſtram dedimus, & ita apoplexiæ curam ex votô abſolvimus; Non enim pluralitas, ſed bonitas remediorum hîc reſpicienda eſt, quæ Medicum verâ celebritate ac felicitatis famâ unicè exornat. Reliqua, quæ hîc animadvertenda fortè ſe offerunt, morbi circumſtantiæ docto Medico facilè inſinuabunt, &c.

Medicamēta niſi c. ſpiritu ✕ ſint præparata, præſtantia non ſunt.

Spiritus hic cephalicus procedit ex ⊕lo, & quidem ex ejus △re. †

CA-

CAPUT VIII.

De *Hydrocephalo.*

§. I.

HYdrocephalus, velut ipſum vocabulum ſonat, eſt capitis aqua, cujus ratione caput magnitudine præternaturali nimis increſcit: Et hæc ▽ excrementitia variis in ipſo capitis locis colligitur; vel enim inter pericranium & cutem carnoſam; quæ pilis adornatur; vel inter pericranium & cranium ipſum, vel inter cranium ac cerebri membranas potiſſimum tamen duram matrem, vel inter membranas ac cerebrum ipſum congeritur. His inquam in locis excrementum alimenti, quod ad caput demandatur, ob depravationem & alterationem in ▽am illam præternaturalem commutatur, atque ſic hydrocephalus generatur.

Caro quadruplex datur in corpore humano 1. muſculoſa ſeu propriè ſic dicta caro. 2. viſceroſa ſeu parenchymatoſa. 3 glanduloſa. 4. membranoſa.

§. 2. Calor namque nativus debilitatus dum alimentum capiti deſtinatum propterea coquere & in ſuis ſubſtantiam convertere non poteſt, in ▽oſam excrementitiamque ſubſtantiam illud protinùs degenerat, quæ cùm poſteà à facultate ſpiritus noſtri (ſanitatis œconomi) expultrice expelli nequeat, tunc cumulatur ibi, & auctam capitis magnitudinem conſtituit.

§. 3. Infantibus autem hic morbus familiaris ac communis eſt, quùm excrementis aquoſis valdè turgeant: Dum enim plurimum habent alimenti & parum caloris coquentis aſſimilantisque, copioſum eorundem alimentum poſteà in aquoſam illam excrementitiamque ſubſtantiam degenerare ſolet, quæ cùm ob facultatis expultricis debilitatem non expellatur, colligitur intra partes illas jam nominatas, ac hydrocephalum parit.

§. 4. Hæc igitur aqua niſi Medicamentis adpropriatis ſpecificisque calorem nativum refocillantibus expellatur, citò ad interitum ducit, qui tamen affectus ſequenti methodo tutò citò ac jucundè curabitur.

§. 5. Curatio hydrocephali in infantibus adhuc lactantibus admodum difficilis eſt, quòd infantes ſint tenerrimi, & Medicamenta purgantia non tolerent, quocirca cautè admodum & ſummâ cum prudentiâ cum his procedendum eſt.

§. 6. Solis topicis fovendum eſt caput, ut roboretur calor eorum nativus, & ſic per inſenſibilem tranſpirationem materia hydrocephali evacuetur. Topicum autem Medicamentum, quô ſolô tenellorum infantium caput refocillari, & materia hydrocephali evacuari poteſt, ſic componi debet: ℞. Eſs. rorismar. & ſalv. aa ℥j pulv. cinamom. & nuc. moſch. aa ʒß. caryophyll. ℈j. ceræ ℥ij, picis navalis ℥iij, fundatur & liquetur cera cum pice, quibus liquefactis adde pulveres, & ultimô infunde eſſentias, dum materia ſaltim tepet, ne eſſentiæ evaneſcant, & lege artis fac cerotum, quod deraſo capillitio ſemel in die capiti infantium applicetur, donec caput omninò detumeat.

§. 7. Quod ſi verò infantes ſint robuſti, ut purgantia Medicamenta ſuſtinere poſſint, ☿iô dulci ſpagyricè præparatô purgentur ſequenti modo: ℞ ☿ij dulc. ℈j. diagrid. c ſucco liquiritiæ diſſoluti & rurſus exſiccati gr. vj. conſerv. viol. ʒj. M. f. bolus, D. manè c. regimine & cuſtodia artis.

§. 8. Per capitis purgium noſtrum ac ſternutamenta etiam expurgari queunt, ut materia hydrocephali per nares educatur, ſicuti pariter per ſudores & ⊡as hæc affectio exterminari poteſt. Sudores ſudorifico noſtro cum ♃ & ☿ parato ſuperiusque declarato promoventur; per ⊡as autem ſequenti diuretico hæc materia facili negotio expellitur, ℞ Milii ⊙is ℥j, ſaxifrag. & reſt. bovis aa Mj, terebinth. Venet. ℥iij, mell. opt. ℥iv. ſpiritus ✕ rectificat. ℔j, f. omnium ♌latio per alembicum vitreum in cineribus ad materiarum ſiccitatem, ita tamen ut caveas, ne materiæ comburantur: Hujus liquoris ♌lati ʒß miſceatur c. juſculô pulli, & D. manè ſemel in die.

Sæpiſſimè infantium naribus illinitur balſamus majoranæ, & felici c. ſucceſſu in eorundem obſtructione.

§. 9. Eſsent. etiam ſalv. gutt. iij. aut iv. in juſculo pulli propinatæ ad hydrocephali curationem valdè conferunt.

Animadverſiones
Ad
CAP. VIII. in genere.

HYdrocephalus eſt hydrops particularis, atque non ſecùs ac omnis generis hydrops ad veros in magnitudine morbos pertinet. Hujus affectus nec Hippocratem nec Galenum in ſcriptis genuinis meminiſſe certum eſt, id quod CL. Hoffmannum in admirationem traxit, qui ſemel

mel tantùm in infante annali hoc mali genus ſe vidiſſe fatetur, & Veſalius quoque unicum dumtaxat exemplum recitat in puerô ſeptimeſtri, habente caput ad virilis capitis magnitudinem accedens, & intra cranium novem ▽æ libras continens. Carolus Piſo in Obſervationibus de morbis à colluvie ſeroſâ ortis paucula admodum de hujusmodi tumore capitis commemorat, ejusque prodigioſi unici in puellâ mentionem fecit. Uno verbo rariſſimus hic morbus eſt, & proinde jejuna admodum circa hoc malum exiſtunt Practicorum monumenta. Hinc etiam nosmet rem iſtam breviter inſinuabimus, ac curſim perſtringemus, præſertim quod genuinus hydrocephalus in praxi natura nobis quoque non obviam venerit.

Hydrocephalus admodũ rarus affectus eſt.

Ad §. 1.

Denominatio hydrocephali plana eſt, quem Poterius cerebri vel rectiùs capitis hydropem adpellitet. Non dubitamus autem eodem fermè modô generari in capite ac in inferiore ventre hydropem, & proinde easdem utique circumſtantias tam quoad generationem iſtius, quàm quoad curationem propemodum hîc animadverti poſſe. Quatuor tamen hydrocephali ſpecies ſeu differentias pro diverſo materiæ decubitu in hoc textu exprimit Autor, quarum priores binæ hydrocephalum externum, poſteriores verò duæ internum ac periculoſiſſimum conſtituunt. Cauſa inſuper materialis accuratiùs & magis medicè ſerum ſeu colluvies ſeroſa diceretur, quàm aqua excrementitia: Serum enim ut eſt commune omnium coctionum excrementum, ita etiam in tertiâ coctione, quæ ſola excluſis reliquis in capite locum habet, id ſegregari & vel inſenſibiliter utplurimum per poros ſeu ſpiracula cutis, vel ſenſibiliter per ſudores relegari ſolet. Serum ergo eſt illud excrementum alimenti ſeu ſanguinis, cujus anteà, ut in intima nutriendarum partium pervadere poſſet, vehiculum erat, quod poſtquam inutile penitùs factum eſt, niſi decenter expellatur ſed retineatur, non tantùm depravatur, verùm impenſè etiam cumulatur, donec hujusmodi pariat in capite tumoris monſtrum, aut alias affectuum miſerias.

Ad §. 2.

Calorem nativum, qui vicem ☉is in microcoſmô ſuſtinet, eſſe primam principemque omnium naturalium operum cauſam, ex Phyſiologicis abundè conſtat, ideoque ſtatim liquet etiam, hunc ipſum alimentum corporis noſtri conficere ac coquere, hoc eſt naturali ſvavique fermentatione ita diſponere, ut poſtmodum non difficulter pu-

rum & utile ab impuro inutilique ſegregare, & purum quidem nutriendis partibus adponere vel aſſimilare, impurum verò quantocyùs per ſtata ad hoc emunctoria expellere queat. Ergo ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcere perpetim ſolent, ita facilè jam ſubſumi poteſt, quid ſperandum, ſi calor nativus ſeu ſpiritus noſter (æquipollent enim hæ notiones Accuratioribus.) imbecillitate laboret: Nempè ſuo tunc officio non ſatisfacere, digeſtionis opus decenter non expedire, nec alimenti aſſimilationem, neque excrementorum hinc cumulatorum expulſionem præſtare valet; Unde alimentum c. excremento p. n. retentô poſteà fermentum corruptionis concipit, & in corporis conſtitutione phlegmaticâ aut temperamentô humidiore vel ſpontè aqueſcit (ſequitur enim corruptionis natura utplurimum temperamenti & complexionis rationem.) atque ſic colluviem ſeroſam enititur, quæ ſi in capite aut ejus ſuperficie contingant, hydrocephalum cœteris tamen paribus hinc generari poſſe, nemo non ſibi perſvadebit.

Ad §. 3.

Quamvis ætatem peculiares ſuos habere morbos ex Hipp. aphoriſmis ſat conſpicuum eſt, ideoque & infantiæ hydrocephalum magis familiarem eſſe, quàm ætatibus reliquis, tam ex humidiore tenellorum temperie ac molliore corpuſculi conſtitutione, quàm exinde etiam concludi poterit, quod liquidis utplurimum copioſè nutriantur, & ſic pariter naturâ calorem poſſideant debilem, hoc eſt à nimiâ humiditate illâ obtuſum, cujus ratione alimentum minus rectè coquitur, & cruditates aquoſæ poſtmodum hinc generatæ & cumulatæ non ritè expelluntur: Unde non mirum, ſi accedente inſimul ad hoc malum ſingulari ſeu catarrhali capitis diſpoſitione hydrocephalus tandem oriatur.

Ad §. 4.

Autor hîc docet, quid ſolicito Medico in curâ hydrocephali cumprimis agendum, ut ſcopum ſuum conſequi feliciter valeat: Nimirum talia eſſe adhibenda dictitat, quæ calorem nativum ſpecificâ virtute (Medicamenta cephalica, eaque calida dubiô procul hîc ſubaudit) exhilerare ac recreare ita queunt, ut refocillatus denuò functiones ſuas exſerere, ac potiſſimùm collectam aquoſorum recrementorum copiam expellere auſpicetur: Hoc enim niſi fiat, prognoſticum mali ominis inſtituit Autor, & infantulis hinc moriendi neceſſitatem imminere non immeritò prædicit: Exinde enim non tantùm calor nativus penitùs demum

mum extingui aut ſuffocari poteſt, verùm etiam tenelli cerebri violenta ob pondus retenti copioſiſſimi ſeri compreſſio vel lethalis ejusdem obſtructio ac per conſequens aut apoplexia aut lethargus pertimeſcendus erit.

Ad §. 5.

Duo ſunt in Arte Medicâ juxta Epiphan. Ferdinandum ardua, quæ difficultatibus ſcatent non contemnendis, ac titubantem proinde Medicum faciunt, gravidis nempe & infantibus mederi. Infantes enim quod attinet, ipſi ſanè ſecundùm ipſius Galeni confeſſionem quàm maximè intractabiles exiſtunt, præſertim quòd Medicamenta convenientia, prout par eſt, inſinuari ipſis nequeant, & quod tantò inſuper robore non polleant, ut remedia illa & exillis quidem purgantia, quæ tunc eaq; fortiora medendi methodus requirit, tutò porrigi poſſint. Ergò ut indubiam aliam hîc utiq; itur, & valdè anceps propterea infantilium morborum curatio deprehenditur, quapropter cuncta prudenter & cautè hîc peragenda erunt, ne conſcientiæ ſuæ Medicus injuriam faciat, hoc eſt neq; temerarium nimis, neque formiduloſiorem etiam ſe in hôc caſu exhibeat: Hâc ratione enim penitùs vitanda non adhibebit, & uſurpanda non expaveſcet aut abhorrebit.

Ad §. 6.

Tutô autem hîc progredi circa tenellorum lactentiumque hoc malô afflictorum curam ſe exiſtimat Autor, ſi ad ſola Topica tunc refugiat: Unde etiam hujusmodi formulam remedii ſeu ceroti adpoſuit, quod tamen utut juxta componendi leges ſe rectè omninò habeat, noſtro quidem animô niſi univerſalia hoc eſt clyſteres ad minimum ac ſudorifica debitè præmittantur, non tantùm nequaquam ſecurè, ſed cum exitiô potiùs applicabitur, quoniam eô ipſô pori potius (qui nil aliud ſunt, quàm quædam inſenſibilis tranſpirationis ac ſenſibilis pariter ſeu ſudorum portæ.) ob admotam undique cum pice ceram conglutinabuntur aut obſtruentur, adeoque materiæ peccantis vitium quò minus excerni queat, citiùs retardabitur, verùm etiam quum topicum iſtud vim calefaciendi ac fundendi habeat ſic confortatô calore nativô aut ſpiritu, ac proinde exſtimulatâ inſimul expultrice colluvies ſeroſâ deorſum citiùs pelli, atque ad vitalia ſeu præcordia præcipitari poterit, ut vehementiſſima tuſſis, gravior anhelandi difficultas aut catarrhus ſuffocativus facilè hinc accreſcere valeret. Nós itaque hujusmodi characteris topica niſi balſamicâ & ſecretè habendâ virtute (ſic namque efficaciam præſtabunt aquoſam ſeu ſeroſam hanc colluviem quaſi magneticè extra-

Topicum hoc ab Autore præſcriptum rejicitur.

trahendi.) ſingulariter dotata ſint, niſique in framea liquidâ præſcribantur, nullo modo commendare poſſumus: Aut ſi nihilominùs cuipiam hic curandi modus vel hoc ipſum Autoris topicum arriſerit, ſvademus ut in anteceſſum clyſteres ſuprà à nobis deſignatos, & poſtmodum ſudorifica nobiliora pariter ſuperiùs laudata præmittantur: Hâc enim ratione tutiùs quodammodo Autoris methodum ſequi licebit.

Ad §. 7.

Quid faciundum cum robuſtioris conſtitutionis infantibus hydrocephali ſarcina onuſtis nunc ſubjicitur, & propterea purgans iis porrigendum, utpote cujus vim ſuſtinere ſic valebunt, absque hæſitatione ullâ conſvadetur. Verùm nec forma catharctici illius nec doſis approbanda nobis videtur, ſiquidem tam in formâ boli Medicamenta infantibus vix ac ne vix quidem inſinuari poſſe ex praxi conſtet, quàm ipſam doſin ☿ij dulc. videlicet ad ℈j pro hâc ætatulâ eſſe evidenter nimiam, vel quilibet ſtatim conſpiciat. Verùm inſtabit fortaſſis quispiam primò, remedia ex ☿iô præparata tutiùs exhiberi non poſſe, quàm in formâ pilularum aut boli vel etiam electuarii, quod ☿ialia exactiùs ſic ſubigi ac commiſceri queant, ut in deglutiendo faucibus vel œſophago non adhærere, adeoque ſalivationes aut hujusmodi incommoda alia exinde alioquin provenientia oppidò ſic præcaveri poſſint: Deinde in hujus mali curâ ☿ium dulc. nequaquam negligendum eſſe, quod is ſeroſitates & humores noxios præ reliquis omnibus purgantibus maſculè ſed ſine perturbatione ulla ac blandè educat, & proinde infantibus etiam ſecurè præbeatur. Recidemus his omnibus nos etiam nullatenùs contradicere, ſed tantummodo in doſi hujus ☿ij primò deſiderare, quòd tunc gr. v. vel vj. ejusdem & diagrid. gr. iij. vel iv. (acuuntur enim ☿ialia purgantia non absque ingeniô cum fortioribus purgantibus, ut eò citiùs nactô hôc ſtimulô operationes ſuas perficiant, nec diutiùs in corpore permaneant) ſufficere poſſint: Deinde quod formam pharmaci concernit, rectiùs electuarium liquidiuſculum hinc conficietur, addendo ſcilicet conſerv. viol. ℈j, & parum inſuper de ſyrup. viol. admiſcendo, quo modo ſicut nec minùs vel c. Syrupô ſolô purgans illud faciliùs inſinuari poſſe infanti hydrocephalico non deſperamus.

☿ius dulcis per ſe ſolũmodo non datur, quod ſtimulo careat, ſed ſẽper porrigitur commixtus cum aliis, ut dictum ſup.

Ad §. 8.

De Caputpurgiis ſeu ſternutatoriis, quorum quidem uſus præmiſſis itidem univerſalibus in hôc affectu plurimi valoris eſt, dum ma-

teria peccans per nares velut per propiorem viam & confertim ſic edu- ci poteſt, adnotamus, quòd infantes valdè inepti exiſtant ad applican- dum ſibi hoc remedii genus, dum fortiter naribus id attrahere, prout requiritur, non callent, niſi pulveris cannulæ beneficiô naribus inſuf- fletur, aut ſi liquidum ſit ptarmicum per ſiphunculum immittatur. Id- eoque tunc balſamus majoranæ commodiùs ſubſtituetur, qui narium interioribus inunctus ſvaviori modô ac pedetentim ſternutationem con- citabit. Deinde circa ſudorificum maximum ſeu ♃iale nullum eſt du- bium, quin id cum fauſtô ſucceſſu tunc adhiberi poterit, præſertim ſi ad gr. iij c. ▽â quadam ſudorifica ac cephalica propinetur, ſicuti et- iam diuretica ſed pariter præſtantiora multum auxilii præſtare hîc pote- runt, quorum mentio & catalogus alibi pleniùs oblata occaſione exa- minabitur. *Egregium vim diureticã habet Ra ♀ri.* Illud verò diureticum, quod in præſenti ab Autore adſcri- ptum concernimus, tenellorum conſtitutioni itidem valdè ingratum ac horridum erit, cum primis in tantâ doſi ad ʒß nempe cum juſculô porrigendum: Cui accedit, ſi ingredientia nullô præoccupati affectu æſtimare non vereamur, quòd ſingularis aut nobilis tantoque Chymia- trô digni remedii titulus huic diuretico nullâ ratione attribui queat. *Inſigne diureticum eſt ſpiritus ille, qui procedit ex ♈ ⊖lis et ♀ro crudo per ♌lationem ex aperto △e.* Præſtantiora ergò quùm habeamus hodiernô ſeculô hujusmodi effica- ciæ medicamina, & quùm ipſe Autor & alibi in hôc tractatu ſuo excel- lentiora diuretica nobis communicaverit, quorum doſis ad quasdam gut- tas dumtaxat aut grana ſe extendit, non injuriâ levioris conditionis Me- dicamenta proſcribimus, aut ſiccô pede præterimus.

Ad §. 9.

Specifica cephalica, quorum numerum adornare etiam poſſunt Eſſentiæ rorismar. & ſalv. ſpagyricè aut peculiari menſtruô paratæ non pœnitendam operationem exſerent, modò præmiſſis univerſalibus cu- ræ hujus primordium fuerit inſtitutum. Quod autem tam frigidè hujus affectus curationem tractaverit Autor, forſan deficienti occaſio- ni, & dum malum hoc (prout rarum id eſt, ac proinde Medicorum paucis hujusmodi obſervatio contingit.) ipſi curandum non occurrit, non malè adſcribemus: Unde & nobis conſultiùs videtur, hîc noſtro quoque locô abſtinere manum, quod ſub ſcutô experientiæ de hydro- cephalo teſtatum dare parum aut nihil valeamus. Interim tamen hoc ſaltim adjicimus, Medicos illos non aberraturos, qui ad nobilius Eme- ticum aliquod in paucâ doſi datum in principiô mali, ubi vires adhuc conſtant, præmiſſô tamen convenienti Enemate, confugiunt, utpote *Hydrophali cura juxta D. Langiũ.*

cujus beneficiô ex capite (factam exinde concuſſionem compatiente) ſeroſa hæc materia commodiuſculè & moveri & promoveri, hoc eſt evacuari poterit: Deinde quùm ſpiritum noſtrum cephalicum in percurando hydrope tanquam ſingulare & probatiſſimum ſpecificum fuerimus experti, quantò magis is & quidem duplici ut patet vel multiplici potiùs (viſcera enim mirè confortat, calidum innatum recreat, ſudorem & [illegible]am ſvaviter provocat, imò cruditates digerit, ac ſuperfluitates omnes potenter conſumit.) nomine ad hydrocephalum ex ſententiâ tollendum conducet, videlicet in ▽a quadam cephalica v. g. ſalv. vel ceraſ. nigr. vel flor. tiliæ &c. ad gutt. vj. vel vij. ſedulò exhibitus: Ad extrà tandem ▽am noſtram ſalutarem (unſer Heilwaſſer vocamus.) nunquam non feliciter in ſublevandis omnis generis tumoribus calidè adhibitam uſurpavimus.

CAPUT IX.

De *Lethargo.*

§. I.

Lethargus eſt ſatis profundus ſopor excitabilis tamen, cum febre, oblivione, & delirio conjunctus, ab excrementis cerebri frigidis & humidis aliquid narcotici veneni redolentibus ortum habens.

§. 2. Lethargi autem cauſa non eſt intemperies cerebri frigida & humida, ut communiter in ſcholis Medicorum docetur: Infiniti enim ſunt, qui humida frigidaque cerebri intemperie laborant, & tamen lethargici non exiſtunt. Ergo cauſam veram & legitimam conſtituunt excrementa cerebri, quæ ex ipſius alimentô depravatô oriuntur, & frigida ac humida ſunt, præterque illam frigiditatem ac humiditatem aquoſam, qua prædita ſunt, aliquid veneni narcotici aut ſoporiferi ſapiunt, cujus ratione ſoporem ſeu ſomnum illum p. n. inducunt; unde ſpiritus animales nimium infrigidantur, & narcotica iſta vi inficiuntur.

§. 3. Quod verô lethargum febris, oblivio, ac delirium ſubſequantur, hæ dari poſſunt rationes: Febris igitur lethargum comitatur, quòd à dictis excrementis frigidis narcoticisque ſpiritus animalis in cerebro irritetur, & proinde excandeſcat, ut illa eliminare ac foràs propellere

pellere poſſit ; quô excandefactô irritatur etiam ſpiritus vitalis propter commercium illud, quod inter ſe fovent: Irritatô hinc ſimul ſpiritu vitali, domicilium quoque ejus ſeu cor incandeſcit, atque ſic febris ortum ſuum habet. Et hæc ipſa febris tunc etiam neceſſaria eſt, ut materia lethargi vincatur ac debelletur, quæ tantummodò ab hôc ſpiritu ſic excandefactô irritatuque expelli poteſt, veluti experientiâ quotidianâ comprobatur, lethargum non niſi adauctâ febre curari poſſe, quod materia lethargi non niſi à ſpiritu (ſanitatis œconomô veriſſimô) propulſari ſoleat: Spiritus autem non expellit, niſi irritetur & excandeſcat, præcipuè in magnis expulſionibus, ſicuti in criſibus omnibus id adparet.

§. 4. Oblivio inſuper conſequitur lethargum, quòd materia hujus affectûs ſit narcotica ſeu ſoporifera, ac proinde hâc ipſâ qualitate ſuâ memoriam lædat; unde Lethargici omnium rerum obliviſcuntur, ſic v. g. dum matulam petunt micturi ſtatim mictionis obliviſcuntur, tenendo adhuc matulam, atque hoc à memoriâ læſâ ex naturâ lethargi dependet, & inde originem habet: Nihil enim magis memoriam lædit, quàm ſoporifera & narcotica. Unde Lethe Inferorum fluvius fingitur à Poëtis omnium rerum oblivionem inferens, quòd aqua ejus ſit narcotica, ſoporifera & lethargica.

§. 5. Delirium etiam in lethargo ſupervenire ſolet propter excandeſcentiam ſpirituum animalium ab excrementis illis narcoticis factam: Hæc namque dum ſuâ frigiditate ac humiditate ſpiritum animalem extinguere tentant, ad ſui defenſionem is irritatur & accenditur; unde accenſis ſpiritubus animalibus delirium oritur: Non poteſt enim anima humana ritè ratiocinari, accenſis nimiumque excandefactis ſpiritubus animalibus, quibus alioquin ad functiones ſuas ritè peragendas utitur: Hi namque ſi temperati exiſtant, moderatæ etiam eorum ſunt actiones, ſi verò immoderati, intemperatas quoque ac proinde phreneticas, maniacas, delirioque plenas actiones edunt.

§. 6. Cœterùm Lethargus difficilis eſt curationis, &, ſi phrenitidem conſequatur, longè majorem adhuc difficultatem in curatione habet, eò quòd calor nativus jam ſit à calore phrenitidis præternaturali depaſtus multumque diminutus: Cauſa verò materialis lethargi tunc evaſerit copioſior longeque turgentior, ac proinde curatu etiam difficilior. Sed quicquid ſit, ſequenti methodo curari nihilominus poterit.

§. 7. Imprimis igitur evacuanda eſt materia lethargi Medica-

mentis appropriatis, uti eſt ✕ emeticum, quod peculiari præparatione pro lethargi curâ ſic componimus: ℞ ♁ij crud. opt. ℥iv, ⦶ri tantundem, & contundantur in mortariô æneô, inſimulque permiſceantur optimè, poſtmodum pulvis ille eximatur ex mortario, & carbo ardens in illud imponatur, ſuper quem parum de pulvere hoc ♁ij & ⦶ri immittatur ac comburatur, deinde iterum parum hujus pulveris injiciatur, & ſic deinceps ſenſim pedetentimque, donec totus pulv. fuerit impoſitus atque combuſtus. Pulvis autem hic combuſtus teratur, ſive in Alchohol tenuiſſimum redigatur, poſtmodumque ▽a laudati fontis, ad tollendam omnem ⦶ri ſalſedinem, abluatur, & △e vel ☉e deſiccetur. Hujus pulveris accipiatur ℈ß, cinam. opt. ʒj, caryophyll. ℈ß, vin. opt. ℥iv, ſacch. cand. ʒß, quæ omnia per σ integram in infuſione absque tamen calore relinquantur. Deinde filtretur infuſum, aut quod clarum limpidumque per inclinationem effundatur, & lethargico ſummo manè jejuno adhuc ventriculo propinetur, quam poſitio utpote ad curationem lethargi mirè efficax ter repetenda eſt.

§. 8. Caputpurgium etiam noſtrum ſuprà præſcriptum ſummæ pariter efficaciæ hîc eſt, ut materia lethargi per ſternutamenta evacuetur, ſed hoc demùm poſt purgationem cum ✕o emetico fieri oportet. Pulvis itidem emeticus noſter ſummoperè prodeſt, ac ejusdem utilitatis & efficaciæ exiſtit, ut ✕ emeticum.

§. 9. Poſt purgationem caput lotione c. V optimè rectificato roborandum eſt: Spiritus ✕ enim exteriùs adplicatus ſpiritus animales roborat ac reficit, ita ut potentiores ſint ad debellendam materiam frigidam lethargi; nec timenda hinc uperveniens eſt febris, quia iſta neceſſaria eſt, & ſummoperè ad curationem lethargi confert: Febris namque potens lethargo ſuperveniens tutiſſima ejus eſt cura; unde & Eſſentiæ calidiſſimæ c. V poſſunt propinari, ut eſſ. rorismar. ſalv. majoran. calaminth. & origan. ex quibus ſic componere poſitionem licebit: ℞ V opt. ℥j, Eſſ. majoran. ʒß, M. f. potiuncula, & D. longo tempore à juſculo ſumto quacunque diei hora: Qui verò ſpiritum ✕ nimis ardentem palato ingratum propter ardorem ſuum exiſtimant, illi loco iſtius utantur vino; ſpiritus tamen præſtat propter tenuitatem ſuam ac penetrandi potentiam.

§. 10. Sed hæc propinanda veniunt in lethargo primario, non verò febribus ſupervenienti: Hîc enim ſolis Medicamentis purgantibus aut

aut catharcticis ut & roborantibus cephalicis externè adplicitis ſubveniendum eſt.

§. 11. Eſſentia ☽æ ſi ritè facta ac vera habeatur, in hoc affectu curando eſt tutiſſimum certiſſimumque arcanum: Paratur autem hæc Eſſentia ☽æ cum liquore ☿ij rectificato, cui imponitur argentum purum limatum ſeu foliatum, & diſſolvitur in eo liquore, veluti glacies in aquâ calidâ; diſſolutum circulatur per menſem c. V in æquali quantitate commixtum, & deinde reponatur ad uſus miros: Doſis eſt à guttulis x ad xx cum juſculis.

§. 12. ⊖ etiam verum ac dulce ☽æ & ☉is ſummoperè conducit ad curationem lethargi, imò in eodem tutiſſima, certiſſima, ac jucundiſſima hujus mali cura conſiſtit, quicquid dicant non nulli verum chymicarum ignari, aurique & argenti naturam neſcientes: Aſſerunt autem illi ☉em & ☽am nullam vitæ noſtræ proportionem habere poſſe; aſt ſi eſſent veri legitimique ſcrutatores Naturæ, intelligerent etiam ☉em ☽amque cum reliquis metallis in ſua principia ſeminalia reducta ſummam cum principiis vitæ noſtræ conformitatem habere, eaque tutos & inoffenſos nos reddere poſſe adverſus quoscunque Naturæ noſtræ morbos ac inimicos, ut experientia id cuivis manifeſtum facit, quùm metalla nobiſcum unam & eandem, ultimam ſcilicet materiam ac proinde primam habeant.

Animadverſiones
Ad
CAP. IX. in genere.

PHrenitidi contrarius eſt ille lethargi voculâ celebratiſſimus morbus, juxta hos verſiculos:

> Eſt quidam morbus, lethargus nomine dictus,
> Oppoſitum Medici quem dicunt eſſe Phreneſi,
> Quod vetat hic ſomnum, ſomnô gravat hic nimis ægrum.

Ut enim in phrenitide difficilis valdè ſomnus exiſtit, & promtus ad omnem audaciam conatus, ſic ex adverſô marcorem & fermè inexpugnabilem dormienti neceſſitatem lethargus habet comitem, id quod ipſa denominandi ratio luculenter demonſtrat, dum hâc nihil aliud denotatur, quàm obliviosus torpor aut inertia: Sunt enim non nulli, qui ab

Lethargus quid proprie denotet.

ab ὀξὺς celer vocem hanc diſcupiunt derivatam, quod hôc affectu capti celerrimè omnium rerum obliviſcantur. Dicitur à Macrô vitium deſidioſi aut pigri ſomni, quòd nihil ſit ſegnius, fractius ac enervius, quàm lethargici: à quibusdam etiam Veternus, nempe à veteri ſenectô, ſeneſcentibus videlicet magis familiari malô adpellitatur. Nos inſuper hunc affectum non adeò ineptè nominari poſſe lethalem torporem adſerimus, ſiquidem lethargia ſit infirmitas, quæ hominem dormire ac dormiendo plerumque mori, niſi generoſis Medicamentis huic occurratur, compellit.

Lethargi adpellationes variæ.

Ad §. 1.

Logicorum rigori nequaquam ſe adſtringens Autor liberô pede pulſat theatrum medicum, & tales morborum definitiones pangit, quales ad uſum practicum immediatè accommodari poſſe ipſi videtur, concernendo potiſſimum cauſam materialem, cujus remotione factâ malum unicè ac radicitus etiam tollitur. Ergo dum ſoporem ſatis profundum cum oblivione junctum vocat lethargum, implicitè innuit eundem eſſe deperditionem facultatum principum, præcipuè tamen memoriæ: Formaliter enim conſideratus lethargus ad claſſem ſymptomatum, & in ſpecie quidem ad nullam aliam eorum differentiam, quàm ad læſas animales actiones commodiùs referri poteſt, quòd morbum pariter atque cauſam is conſequatur, ut notorium. Porrò lethargum ex unâ parte altum ſatis ſoporem, ex alterâ excitabilem nihilominus nuncupat; qua ipſa circumſcriptione tam ſoporis illius contumaciam, quàm inſimul ab eodem excitandi difficultatem quidem exprimere, impoſſibilitatem verò totalem excludere, adeoque ſontico huic malo medendi ſpem haud obſcuram polliceri voluit. Reliquas demum circumſtantias, quibus definitionem illam exornavit, ſpeciatim poſteà ad examinis trutinam revocabimus.

Lethargus formaliter conſideratus ſymptoma eſt.

Ad §. 2.

Cauſam antecedentem & diſpoſitionem præternaturalem ad hanc vel illam ægritudinem cum proxima cauſa non eſſe confundendam hinc diſcimus, ideoque intemperies cerebri frigida pariter ac humida ad cauſæ antecedentis tribum hîc recenſenda, & alia in medium producenda veniet, quæ proximæ legitimæque cauſæ munia complere poterit. Excrementa igitur cerebri frigida & humida tanquam hujus morbi genitalia determinat Autor, ſed hac tamen conditione, ut juxtim nequitiam veneni alicujus narcotici ac ſoporiferi illa in ſinu ſuô foveant, cujus violentia ſpiritus animales poſtmodum hunc torporem, ſtuporem,

ac vitæ infeſtam deſidiam hanc concipere queunt. Aſt unde excrementa hæc frigido humida in cerebrô colligi ſoleant, dictu haud operoſum eſt, ſi primò diſpiciamus locum affectum, qui ſua natura hanc frigiditatem præ reliquis partibus ſibi vindicat: Deinde ſi attendamus ſibi viſcidum frigidumque phlegma quaſi naturaliter reſidere, quod poſtmodum accedente alimenti his partibus deſtinati corruptione aut degeneratione, facili negotio talem frigidam hnmiditatem adſciſcit, & ſuperveniente majori putredine aut corruptione (cujus aſſidua comes nunquam non eſſe vis deleteria quædam ſolet) narcoticam virulentiam induit. Ut autem hujus negotii rationem penitiùs capere queamus, hæc inſuper adjungere præſtat, quòd humores excrementitii & multô magis corrupti à vitæ communione ſint planiſſimè alienati. Quodcunque ergò in corpore numero vitæ commerciô penitùs orbatum exiſtit, illud putreſcendo cadaveroſam ac proinde glacialem quaſi (cumprimis in loco frigido conſtitutum.) virulentiam aut malitiam maligniſſimam adſumit: Unde & poſitiones venenatæ ſæpiùs à Philologis adpellantur frigidæ; ac multa omninò venena exiſtunt, quæ ſtuporem ſtatim ac torporem infeſtiſſimè frigida ſua qualitate inducunt, hoc eſt ſpiritus ignavos reddunt, & facta hac ſuſpecta infrigidatione quaſi ſtupefaciunt ſeu attonitos reddunt: ſic de aſpidis veneno narratur, quod hoc ipſum principiò non ſentiatur, ſed ſvavem confeſtim ſomnum id concitet, poſtquam verò conſopitum ſomnô eſt corpus, celerrimè ad cor penetret, ac hominem inopinatô enecet. Jam fiat adplicatio ad hanc materialem ac veram lethargi cauſam paulò ſuprà adductam, & tota hujus rei hiſtoria ac deductio evadet evidentiſſima. Verùm de hâc eximiâ & ſingulari putredine jam ſuprà aliquoties & hinc inde effatu non indigna ediſſeruimus, ut exinde plenior hujus rei intellectus non difficulter hauriri queat.

Excrementa frigido humida unde in cerebro colligantur facilimè.

Corruptionem & putredinem comitatur ſemper deleteria vis.

Venena unde ſuam in corpora agendi potentiam habeant.

Ad §. 3.

Symptomata hujus ſymptomatis præcipua ſeu lethargum præprimis conſequentia Autor trina cujusvis cauſam ſigillatim poſteà arbitrando hîc proponit. Quùm autem inter hæc ipſa febris mentionem primo loco faciat, ſtatim pariter, quomodo ea ex frigida cauſa ſcaturire queat veluti per quandam conſequentiarum catenam demonſtrat. Et quamvis id abſonum, & à canone illo (qualis cauſa talis effectus) remotius videri cuipiam poſſit, præ ertim quòd inflammationem frigidam aut phlegmaticam inſuper aſſerere ſoleant ſcholæ, nihilominus tamen

Ignis frigidus Chymicorum. men & frigida materia haud levidenſi non rarò putrilagini (quam re-bus ſic ſtantibus elegantiores Chymiæ antiſtites frigidum △em adpellitant, hujusque beneficiô miras rerum reſolutiones, præſertim ſi indolem & baſin frigidi iſtius Vulcani exactè calleant, inſidioſâ quaſi prudentiâ præſtare valent) ſubjici ſolet, quam efferveſcentia quædam inevitabiliter poſtmodum excipit. Perſentiſcitur ergò & hîc calor p. n. hoc eſt calor nativus ſeu ſpiritus vitæ contra hanc frigidam narcoticamque excrementorum mucilaginem inſurgit, & proinde neceſſariò fervoris quendam furorem ſucceſſu temporis concipit ſeu fermentationis (quâ ipſâ purum ab impurô ob factam ſic humorum peccantium attenuationem ſegregatur, & id, quod impurum eſt, expellitur, ut notum.) ſalutare negotium moliri incipit; quod niſi tunc fieret à narcotica hac humorum frigiditate, vitalis luminis extinctio certò certiſſimè conſequeretur: Ubi enim febris lethargum non comitatur, ibi affectus hic ſolenniter pro conclamato habetur; unde & hoc ipſum febris in lethargô ſodalitium tanquam perutile ac neceſſarium in textu ſuo valdoperè approbat Autor. Itaque nullum ampliùs eſt dubium, febrim ſymptomaticam ſeu comitantem in lethargo vero ac propriè ſic dicto (ſpurius enim febrim primariam agnoſcit) ſubeſſe, de quâ notandum, quod partim ſit lenta ob lentam ſpirituum ac materiæ à viſcoſæ tenacitatis ignaviâ infamis accenſionem, partim etiam continua, quod viſcera principalia tunc occupet hoc incendium. Nec ulla etiam hîc obſtare difficultas poteſt, unde febris tunc, quæ originem ſuam in capite ſaltim capit, univerſum protinùs corporis habitum occupare queat: Id enim tam ipſe Autor clarè exponit, quàm ex conſenſu, connexione & commerciô per reciprocum influxum celebratô partium ſpirituumque, quivis vel promtè conligere poterit, qua etiam de re ſæpiùs jam fuit alibi dictum.

Febris in lethargo unde.

Lethargo ſupervenienſ febris duplex.

Febris in capite exorta unde univerſum corporis habitum permeet.

Ad §. 4.

In lethargô præcipuè lædi memoriam & oblivionem in rebus etiam neceſſariis peragundis, v. g. oſcitatione, reſpiratione, dejectionibus alvi, lotii emiſſione &c. hinc ſubnaſci nemini non conſtat: Sæpius enim lethargici oſcitando claudere maxillam non recordantur, ac micturientes ſcaphium ſe poſtulaſſe non meminerunt, rariùs itidem ſpirant, verba ſua quaſi in faucibus interque labra adhuc hærentia perdunt, & quæ ſunt hujuscemodi alia. Atque ut memoria ab Helmontiô inter facultates animæ caducas ac fugitivas reponentur, ita teſtatur expe-

Memoria valdè labilis eſt.

experientia, eandem ſeniô (quod utplurimùm viſcoſi frigidique phlegmatis redundantiá affligitur.) ac morbô facilimè lædi; præſentiſſimum tamen memoriæ ſuccreſcit nocumentum, ſi ad excrementorum frigus narcotica virulentia accedat: Unde vel obiter hâc occaſione animadvertere licet, remedia narcotica & anodyna non adeò frequenter eſſe porrigenda, quòd nobiliſſimo memoriæ dono indubitata ſic fieri injuria poſſit.

Ad §. 5.

Quæ de ſuperveniente hîc demum deliriô ratiocinatur Autor, non malè quidem ſe habent, rectiùs tamen feciſſet, ſi diſcrimen inter delirium verum & adparens attendiſſet. Dicimus ergo adparens ſolummodò hîc ſubeſſe delirium, quale nimirum in ſomnolentis, in temulentis vel ſomniantibus, aut ex altiore ſomnô repentè excitatis antequam ad ſe redeant non nunquam obſervamus: Ut namque hi ſatis indirectè reſpondent, minusque congruè agunt, aut valdè abſurda eloquuntur, quos tamen non delirare propriô ſignificatu, ſed apparenter dumtaxat dicimus; ſic etiam Lethargici, quoniam ex ſopore hôc profundiſſimô excitantur, delirantium geſtus quidem habere videntur, verùm ſi exactiùs eos conſideremus, reverâ non inſanire eos, ſed mente tantùm ſuâ vacillare ex imbecillitate facultatum principum, ab humorum frigidâ narcoticaque contumacia oppreſſarum deprehendemus.

Ad §. 6.

Qualiscunque ſit lethargus, gravis & maximi ſemper eſt momenti, hoc eſt curandi difficultate famoſiſſimus: Sopor enim ille à funeſtâ planè cauſa oriundus adpoſita mortis eſſe effigies poteſt, ad cujus ſimilitudinem quàm proximè accedit, adeò lethargus eſt frater atræ ſororis, & lethi intimus conſanguineus ſopor, cujus lectus eſt ſepulcrum. Non immeritò tamen graviorem pronunciat ſeu periculoſum magis lethargum Autor, qui phrenitidem (vel alios quoscunque acutos morbos) conſequitur, quod vires tunc enormiter ſint conſumtæ, ac proinde ſpiritus vitæ infirmiſſimus ad incitasque quaſi redactus exiſtat, ut ſuccedentem lethargum poſteà evincere palam ſit impar: Deinde ratione cauſæ oritur maximè conſpicua etiam curandi difficultas, quæ ſi copioſior ſit, Natura tunc eam ſuperare vix poteſt. Quicquid tamen ſit, animum in hôc caſu nequaquam deſpondendum eſſe ducit Autor, modò medicamenta fortiora & maſculè materiam peccantem exturbantia muliebriter non pertimeſcantur, aut ſusque deque habeantur.

Ad §. 7.

In curatione lethargi ſapienter utique ſingula & omnia obſervari atque ad amuſſim accommodari poterunt, quæ ſuprà Autor & cum ipſo Nos quoque circa feliciter expugnandam apoplexiam ſtudioſè adduximus, quæ ſi attendere non faſtidiant Curioſi, tam prolixitas quàm repetendi nauſea hîc evitari poterit. Eſt itaque hîc pariter emeticum poculum ſalubritatis ac bonæ ſpei poculum, præſertim ſi principiô morbi & à primo lethargi inſultu id porrigatur, quos laudis articulos emetica omnia ſuperiùs jam aliquoties decantata conſimiliter ſibi vendicant. Modum præparandi vinum iſtud emeticum per infuſionem cum Crocô metallorum, additis inſuper ſpeciebus corrigentibus ac ventriculum (ne toties iteratâ vomendi vehementiâ tonus ejusdem evertatur penitùs.) roborantibus factum ſine ullâ nebulâ ſiſtit, ut proinde nullâ quoque ulteriori id indigeat expoſitione. Hoc tamen monemus Autorem in conficiendo hoc metallorum Crocô non injuriâ à CL. Crollio diverſum non nihil eſſe, dum ille ♁ij & ⦶ri anaticas partes, hic verò unam dumtaxat ⦶ri & duas ♁ij partes accipiendas dictitat: Quâ ratione in propatulo ſtatim eſt, Autoris noſtri crocũ magis correctum exiſtere (hanc enim virtutẽ ⦶um notoriè obtinet.) & propterea vomitus leniori ratione provocare, Crollii verò minùs correctum ob minorem ⦶ri quantitatem eſſe, atque hinc majori cum violentiâ ac frequentiâ operationem ſuam præſtare. Deinde vel obiter hîc adſcribimus, quòd diſtinguendum utique ſit inter Crocum metallorum Rulandi (vercetanique, & inter illum, quem habet Theophraſtus Paracelſus. Ille etenim ſeu prior convenit cum Crollii & Autoris noſtri propemodum Crocô; hic verò roborat tantùm & refocillatis ſpiritubus famelicis totam naturam potenter reſtaurat, ſic adnotante Poterii ſolertiâ. Quô ingenio autem & quo artificio Paracelſi Crocus metallorum conficiatur, partim ex hoc ipſo ſecretioris Chymiæ Monarcha ariolari rectiùs, quàm perſpicere licebit, dum formulam præparandi ænigmaticam planè ac proinde queamus excerpere, quòd hic metallorum Crocus corroborativus ex primo metallorum Ente ſeu ſemine parandum veniat, partim ex Poterio factâ conjectura animadvertendum occurret, quod cum remediis illis nobilioribus ac pretioſis; quorum ipſe ſe inventorem deprædicat, nempe cum ſaccharo metallino ac metallorum 🜍re (quam ex ☉, ♂, & 🜍re communi potiſſimùm conſtare monumenta ejus ſpagyrica oſtendunt) Paracelſi Crocum, ſi virtutis fortè excellentiam reſpiciamus,

Croci metallorum vera præparatio.

Crocus metallorum duplex.

mus, eandem fermè efficaciam ſuſtinere, is aſſeruerit. Sed hæc ipſa cuivis diligentiori ſcrutatione perveſtiganda relinquimus. Vinum igitur hoc emeticum, ut redeamus ad ſcopi carceres, citò, tutò & jucundè effectum ſuum hîc exhibet: Et citò quidem; quod vituperoſiſſimam frigidorum narcoticorumque excrementorum colluviem tam ocyſſimè quàm potenter, & tam ſuprà quàm infrà exturbet: Tutò; Corrigentibus enim eſt munitum, velut ex textu patet: Jucundè tandem; non tantùm enim ſaccharo edulcoratum id concernimus, ut proinde faventem palati cenſuram ſibi vendicare poſſit, verùm accelerato etiam auxilio lethargicum priſtino ſanitatis vigori, quo in vita nil jucundius, reſtituit. Ad materiam pleniùs evacuandam Enemata quoque non negligenda experientia edocti ſuademus, quorum partim in ſuperioribus jam mentio aliquoties celebrata fuit, partim Crollius hîc etiam conſulendus erit, qui ex hoc ipſo metallorum Croco efficaciſſimos & in deſperatis incurabilibusque malis toties totiesque probatos clyſteres parare docuit. *Clyſt. rum uſus ſuadetur.*

Ad §. 8.

Caputpurgia, ut loquitur Autor, ſeu ptarmica magni etiam ponderis eſſe in curando lethargo promti largimur, atque id eò magis, ſi prælaudata evacuantia priùs fuerint decenter uſurpata: Sic enim brevi quod dicitur manu aut viâ à narcoticâ & frigida illâ humorum excrementitiorum tyrannide cerebrum pleniùs liberari ac priſtinæ alacritati reſtitui poteſt. Ubi oblatâ opportunitate hoc quoque attingendum eſſe cenſemus, quod ptarmicorum beneficiô potiſſimum memoria confortari ac vegeta reddi queat. Quùm enim memoria utplurimùm læderur à viſcoſi frigidique phlegmatis copiâ, quâ cerebrum & conſequenter facultates ibi habitantes obtunduntur, patet, ſequeſtrata hac excrementitia immunditie ſpiritus animales ibi reſidentes & cum vitalibus mutuum commercium foventes deſubitò ſereniores fieri, cerebrumque ipſum ſuam ſic priſtinam libertatem ac ſplendorem recipere, atque hinc inſimul memoriam quoque manifeſtò redintegrari. Ideoque ∇am noſtram ptarmicam, quam in hoc etiam caſu cumprimis exhibere ſolemus memoriæ felicitati patrocinante plurimum plurimumque adſerimus præſtare; poſteà intrinſecùs pro augendâ & corroboranda memoria ∇am cinamom. cum ℴℴℴ & ⊖e ſuo eſſenſificatam tanquam ſingulare ſpecificum præ cœteris cunctis deveneramur. *Memoriam confortant ptarmica.*

Ad §. 9.

Lotio capitis c. ſpiritu X: an locū habeat in lethargi curâ.

Lotionem capitis cum V, quam ſpiritus animales corroborandi gratiâ in lethargô extollit Autor, plerique increpabunt, pauciſſimi probabunt, ac proinde non admittendam cenſebunt, quorum his quoque nos adſociamus, quùm ſubitaneô motu humores ſic fundi & vel principium nervorum inopinatò obſtrui, vel humorum copioſus delapſus vitalibus hinc ſuccreſcere, atque hôc ipſô impetu contingere ſuffocatio poſſit, ut taceamus pleriſque hoc auxiliandi medium ingratiſſimum inſuper eſſe. Niſi ergò lotionem cum vino ſolùm factam hîc ſubſtituamus, vel per lotionem iſtam talem hoc præſidium adplicandi modum intelligere velimus, ut vertici capitis lintea ſpiritu X intincta tantùm adponantur, & ſic madefaciendo ſaltim caput foveatur, non videmus quomodo Autoris voluntas cum adplauſu rationis expleri aut ſtabiliri queat. Sed febrem hinc expectandam, quam ad feliciter curandum lethargum neceſſariam pariter ac ſalutarem perhibet Noſter, quis opponet: Noſtrô quidem judiciô valdè itidem ſuſpectum nobis videtur ab hoſte auxilium efflagitare, illumque ex προαιρέσει allicere aut admittere, utpote quod is ipſe poſtmodum cum periculô aut ad minimum cum pernicie corporis evidentiſſimâ ejiciatur, adeoque non rarò in ancipiti ſitus ſit eventus: Qui enim primò alterâ manu, ut ſic loquar, panem auxilii ferre videbatur, is poſteà lapidem exterminii oſtendit, & ſæpiùs planiſſimè ægrum proſternit. Ergò ſvaſores nemini ſumus, ut ad curandum affectum aliquem alius inſuper ſtudioſè concitetur, atque ſic morbus complicatus reddatur: Natura enim facilius meliusque uni quàm duobus reſiſtere hoſtibus poteſt. Deinde magna etiam eſt differentia inter febrem ſpontè ſupervenientem; quæ Naturæ reviviſcentem benignitatem intentionemque contra morbum ſtrenuè pugnantem promittit, & inter febrem, quæ conſultò provocatur, quod ipſum ſine jacturâ virium ac ſine duplicatâ Naturæ afflictione fieri non poteſt: Duo enim h. e. Natura & Naturæ miniſter cum faciunt idem, non eſt idem. Imò ut accuratiori adhuc librâ rem ponderemus, certum eſt, quod per febrem apoplexiæ vel lethargo ſpontè ſupervenientem minimè febris propriè ſic dicta hîc intelligenda veniat, ſed potiùs criſis & Naturæ ſeu ſpiritus exæſtuatio ſic denotetur, quam is concipit, dum arma ad ſtrenuè reluctandum & materiam expugnandam arripit, atque ſic hujusmodi phlogoſin tunc conſtituit, qui tamen paroxyſmus ceſſante aut abſolutâ hâc pugna vel ſpontè evaneſcit.

Febris an ſtudio in lethargi cura concitetur.

Febris apoplexiæ vel lethargo ſuperveniēs non eſt propriè dicta febris, ſed potiùs criſis.

Verùm

Verùm hæc ipſa non propterea monemus, quaſi Medicamenta cephalica calida, quæ poſteà commendat Autor, proſcripturi: Tantum enim abeſt, ut ſi nempe Emetica & præmittenda univerſalia ritè ſint præmiſſa, adhibitis laudatis cephalicis Eſſentiis (circa quarum doſin & uſum, easque uſurpandi cautelam nil habemus, quod monere queamus) febrile incendium protinùs hinc ſuccedere poſſe exiſtimamus (impuritates enim maximam partem tunc temporis exturbatæ ſunt, ſine quarum redundantia febres vix ſuboriri poſſunt) ut potiùs calor nativus & ſpiritus defatigati celerrimè ſic refocillentur, & partes rurſum naturaliter incaleſcere incipiant, quæ anteà à narcotico illo humorum gelicidiô ſtupidæ torpidæque penitùs erant.

Ad §. 10.

Virium debilitas duplex eſt, vel ab aggravatione, ubi omnimode Emetica & alia fortiora purgãtia adhiberi poſſunt; vel à reſolutione, ubi talia applicare medicamina minimè licet.

Tangitur hîc illa lethargi differentia, qua alius ſtatuitur verus ac primarius & alius nothus ſeu morbo alicui acuto ſuccedens; qui ſecundarius etiam dicitur: De primô igitur quùm hîc agatur ſignificatu, in hôc acceptus quoque lethargus prælaudata poſcit vel admittit medicamina, quippe quorum efficacia ſingulis ſatis fieri indicationibus poteſt; ſecundarius verò tanquam ſuſpectiſſimum morbi acuti ſymptomata longè alia & cautiori tractandus ratione eſt, quisquis etiam is ſit, velutì Autor id pariter nos ibi docuit.

Ad §. 11.

Dum inter ſpecifica cephalica principem regiumque locum obtinet, & proinde hoc ipſum metallum ab iis, qui analogias macrocoſmicum microcoſmô diligentiùs exprimere ſtudent, verum unicumque cerebrum microcoſmicum vel ☽a microcoſmi ſalutatur, non ſecùs ac cordis naturam & uſum ☉ ſive aurum præferre docetur. Hinc concludunt Hermetici adhibita ☽ari ſeu ex argentô ritè præparata medicina cerebrum quaſi cerebro jungi, atque cerebrum ſic conſtitui fortiſſimum, ut fortiter omnibus poſteà morbis id reſiſtere queat. Ideoque Eſſentiam argenti in lethargo tanquam certiſſimum arcanum tutò porrigi hîc Autor dictitat, quod cerebrum præſtanter roboret, & ſpiritus animales ita multiplicet, ut humores excrementitios in capite tunc ſtagnantes potenter evincere atque expugnare valeat. Modum hanc ☽æ Eſſentiam parandi, quem addidit Autor, ſua obſcuritate non carere fatemur, quùm non liqueat, quid per liquorem ☿ij, quo ceu ſingulari menſtruo ad confectionem hujus Eſſentiæ utitur, intelligere

debeamus, aut quomodo is ſit parandus: Hæc notio enim multiplici ambiguitati eſt obnoxia, quùm varii paſſim extent paſſimque deſcribantur ☿ij liquores, ſpiritus ac ☿ialia menſtrua, ut propterea hîc planum non ſit, qualem ☿ij liquorem pro ſolutione argenti hîc innuat Autor. Nobis tamen acidum ☿ij ſuprà deſcriptum eligere ad hoc negotium, illudque factâ rectificatione exaltatum accipere placet, cui labori ſi adjungantur Artis inſuper cautelæ in Myrothecio Autoris ſpagyricô l. 2. c. 3. ubi de quinta ☽æ Eſſentia & ejus præparatione agit, appoſitæ, cuncta feliciùs faciliusque ſuccedent. Cœterum doſin hujus Eſſentiæ ſtare poſſe non infringimus, ſed dum porrigendam hanc generoſam medicinam cum juſculis imperat Autor, vehiculum illud minùs conveniens tunc exiſtere, ſed itidem ad generoſum aliquod potiùs recurrendum exiſtimamus.

Acidum ☿ij menſtruum pro ſolutione ☽æ.

Ad §. 14.

Nullum dubium eſt, quin ⊖ia metallorum dulcia, hoc eſt quæ ultimam ſubtilitatis ac puritatis metam attigerunt, mirandas exhibere virtutes valeant; quemadmodum ex Chymicorum monumentis alioquin conſtat, hujusmodi ⊖ia dulcificata nil aliud, quàm balſamos ſeminales in ſe continere, & prorogandæ vitæ imò omnes curandi morbos arcanum in iis latere excellentiſſimum, quod humidò incorruptibili turgeant, & contralem cujusvis mixti vigorem complectantur: Quantò magis igitur ex perfectis metallis ☉e nempe & ☽â talia expectanda venient ⊖ia, quæ multis paraſangis virtute ſua balſamica & radicali reliquarum rerum ⊖ia ſuperabunt. Verùm neceſſum eſt, ut Autor clientem Crœſum hîc ſibi quærat, quod ingentes opes ac ſumtus ad parandas has Deorum manus (quô titulô quævis ſublimiora inſigniri medicamina non immeritò ſolent) utique poſcantur, & quod parum admodum ⊖is ex metallis per improbas illas & ſumtuoſiſſimas calcinationes elici poſſit. Quod quùm ita ſe habeat, alia ⊖ia ex regnô minerali depromta, ſed ad ſummum puritatis & claroris faſtigium, nec non dulcedinis ſvavitatem quantum poſſibile perducta ſubſtituenda cenſemus. Nec curamus præterea frivolam Miſochymicorum inſtantiam, qua remedia ex metallis mineralibusque confecta eſſe adſpernenda ducunt, quòd cum Natura humana nullam planè proportionem habeant. Diſcant modò naſutuli illi artificioſa & ſpagyrica ratione mineralia aut metalla in ſua ſeminalia primordia priùs reſolvere, atque exinde juxta mgrii leges principia, hoc eſt ☿ium ſeu humidum primi-

primigenium, deinde 🜂ur ſive calidum congenitum, & 🜔 nempe ſiccum radicale, quod reliquis principiis baſin præbet, decenter ſeparare, quô præſtitô tam futilia & ſcorrilia nobisogganire deſinent; Imò convenientiam principiorum vitæ noſtræ cum mineralibus metalliſque præſertim reſpectu ſpiritus univerſi, qui omnibus mixtis ineſt, vel manibus, niſi planè ſint ſtupidi, palpare poterunt.

CAPUT X.

De *Caro, Comate, & Catalepſi.*

§. I.

HI ipſi affectus omnes ſunt ſoporiferi, & cum lethargô ſummam habent conformitatem ac ſimilitudinem, nec differunt inter ſe, niſi ſecundùm magis & minus.

§. 2. Carus eſt major profundiorque ſopor, nec carô affecti excitantur ſtimulati, neque interrogati reſpondent, ſecùs nempe ac lethargici.

§. 3. Qui Comate laborant, carotici quidem ſunt, & tanquam ſtipites ſeu marpeſia cautes mortui jacent: Inter coma tamen & carum ea eſt differentia, quòd coma ab excrementô acriori & ſicciori quàm carus, carus verò ab humidiore frigidiorique fiat: Imò magis narcotica eſt materia cari quàm comatis, licet in omnibus narcotica illa materia ſit præſtò, differunt tamen ſecundùm magis minuſque.

§. 4. Catalepſis verò eſt ſpecies apoplexiæ, ac propterea ab Hippocrate etiam Apoplexia dicitur: Ibi enim eſt privatio ſenſus motuſque, & commercium ſpirituum animalium vitaliumque intercluditur, cui etiam privatio vocis ſive aphonia accedit.

§. 5. In hac autem affectione potiſſimum abundat ſanguinis excrementum ſiccum frigidumque, ac venas rubere & tumere tunc conſpicimus; unde etiam ſanguinis miſſio hujus affectionis curandæ eſt præcipuum arcanum. Qui igitur ſanguinis miſſione apoplecticos ſe curaſſe exiſtimarunt, illi catalepticos potiùs quàm apoplecticos veros curarunt: In Catalepticis enim venæ cumprimis turgent, & ſanguine excrementitio frigido atque aliquatenus ſicco repletæ ſunt: Unde ſanguis in venis coagulatur & congelatur, ita ut aditum ac commercium ſpi-

ſpirituum animalium vitaliumque impediat : Tunc ergò ſubitaneâ venæſectione vaſa depleri debent, ne ſpiritus intercludantur, ex qua interclusione ſolâ & ex corpore altiſſimo inſuper interveniente, qui ex frigida & narcoticâ ſanguinis materiâ excrementitiâ provenit, catalepſis originem habet.

§. 6. Adeò enim in omnibus capitis ſoporoſis affectibus adeſt narcotica quædam proprietas, quæ ex peculiari frigidâ ſanguinis qualitate excrementitiâ deducitur, atque potiſſimum poſt ſanguinis evacuationem Medicamentis propriis, uti in apoplexiæ cura dictum, & ſequenti etiam methodô clarius fiet, debellanda eſt.

§. 7. Soporoſi hi affectus omnes ut apoplexia ipſa curantur : Ea namque omnia, quæ ſupremum ſeu maximum inter ſoporiferos affectus debellare malum queunt, inferiora etiam & minora hujus proſapiæ mala extirpare poſſunt, ita ut à majori ad minus quàm optimè hîc valeat conſequentia.

§. 8. Curatio autem ſoporiferorum affectuum verè conſiſtit in Extractô ellebori albi ſuprà in Capite de Vertigine deſcripto: Hoc enim extractum ex capite ejusque partibus materiam omnem ſoporificam potenter educit.

§. 9. Purgatô ſic corpore iterando ſcilicet purgationem hanc per 4. auroras repetitâ doſi ad Caputpurgium noſtrum, deinde ad Eſſentias cephalicas valdè calidas. v. g. roriſmar. ſalv. majoran. &c. deveniendum. Quia autem ☉ & ☽ potabile verum poſſident, illi tutò, citò, ac jucundè utroque tunc ad certiſſimam horum affectuum curationem uti poſſunt.

§. 10. Si autem in curatione catalepſis venæ colli turgeant & rubeſcant, audacter mittendus eſt ſanguis in maxima quantitate, modò vires, ætas, & tempus hoc concedant; Cautè enim & prudenter in ſoporiferis his affectibus cum venæſectione eſt agendum, quia ſi ſanguis contra has leges ac conditiones mittatur, mortem accelerare venæſectio poteſt, ſiquidem calor nativus miſſione ſanguinis valdè debilitetur in his affectibus, qui alioquin calorem nativum ſuâ materiali cauſa nimis frigida & glaciali veneno infecta extinguunt atque perdunt: Quocircà ut dictum circumſpectè hîc procedendum, ne tali imprudentia ægros noſtros ad orci fauces præcipitemus.

§. 11. In omni igitur Catalepſi ſanguis mittendus non eſt, niſi in illa, ubi venæ rubent ac ſanguine turgent, in alia verò, ubi vaſa non turgent nec ſanguine nimiô repletæ exiſtunt, à phlebotomia abſtinen-

mendum, quùm in ea catalepſi frigidus & quodammodò ſiccus excrementitius atque alimentari permixtus ſubſit ſuccus, ex quô tunc oritur hic morbus, qui peculiari hac proprietate frigida ac ſicca nervos ita inficit, ut ægrotantes in eodem prorſus ſtatu perſiſtant, ſicuti eos primùm invaſit iſte morbus, quòd ſpiritus impetum motusque omnes faciens glaciali hoc veneno ſiſtatur, partesque corporis unà cum ſpiritubus ſuis ſic unô eodemque ſtatu & gradu rigidæ permaneant.

§. 12. Spiritus etenim, qui motus ſenſusque præcipuum eſt organum, ſemper in his ſoporiferis affectibus afficitur, & ſi partes inſimul corporis aliæ tunc afficiantur, ut cerebrum, nervi, arteriæ, venæ, &c. hoc fit per conſenſum, quia ſpiritus vitales actiones omnes peragens primariò afficitur, ac deinde conſequenter etiam omnes corporis partes, quæ à ſpiritubus vitalibus animalibusque vitali dote nobilitantur. Non enim mirum, ſi totum corpus in his ſoporiferis affectibus imò & ipſa anima humana quodammodo affligatur ac ſtupida reddatur, ſuarumque functionum hinc obliviſcatur, quod ſpiritus animæ humanæ præcipuum organum narcotico & glaciali illo vitio à propriis ſuis & innatis virtutibus tunc planè dimoveatur.

Animadverſiones
Ad
CAP. X. in genere.

Ad §. 1.

PRofundiorum, quàm ferre Natura valet, ſoporum ſeu affectionum ſomniculoſarum ſpecies hîc enumerat Autor, circa quarum hiſtoriam in genere notandum, quod intimam inter ſe tam quoad cauſam, quâm quoad prognoſtica & ipſum medendi ſcopum convenientiam foveant, ac proinde junctim dictarum circumſtantiarum enotationes expediri quàm commodiſſimè queant. Quod cauſam attinet, cum Hoffmannô ſentimus, verorum affectuum ſoporoſorum rationem ex ſomnô naturali petendam: Sicuti enim ſomnum fieri novimus elatâ ad cerebrum vaporum ex alimentis redundantium benignitate, quâ ſenſus omnes vel potiùs ſpiritus noſtri ſvaviter ligantur; ita ſopores graviores ex vaporibus craſſis iisque longè frigidioribus, vel potiùs ex hujusmodi humoribus morbificis narcotica quædam virulentia, quæ *Soporoſorũ affectuum omnium cauſa materialis.*

facultati ſenſitivæ cumprimis exitioſa eſt, ſuſpectis (Helmontius alienas impuritatum impoſturas facultatem hanc ſeducentes vocat.) oriuntur, hac tamen lege, ut differre hos ſopores per majorem vel minorem humorum ſic peccantium aut copiam aut qualitatis malitiam nobis perſvadeamus: Circa prognoſin hoc tradendum eſt, quod ſuperiùs de Apoplexia & lethargo jam dictum fuit, nempe hos affectus valdè præcipites eſſe ac periculô plenos, præprimis ſi cum magna virium imbecillitate ſint combinati; Ideoque ſolertiorem Medici ſolicitudinem poſtulant, atque in hiſce caſibus proinde feſtinanter acceleranda eſt remediorum probatiſſima efficacia, præſertim verò Medicus ſoporoſô affectu laborantem confeſtim à ſomni illius gravitate omnibus nervis excitare tenetur, offerendo nimirum ſenſibus objecta etiam vehementiſſima, quorum coryphæus abſque mora concitatus vomitus eſto. Cœterum in curatione prætereà ſciendum, quòd hi affectus omnes, qui ex ſoporum familiâ prodeunt, iiſdem Medicamentis ſanari poſſint, ſic atteſtante ipſô etiam Autore noſtro.

Soporoſorũ affectuum ſigna prognoſtica.

Vomitoria commendátur in ſoporiferorũ affectuum cura.

Ad §. 2.

Carus propriè dicitur repentina totius corporis ἀναισθησία καὶ ἀκινησία ſive ſenſus motusque privatio, atque communiter ſignificat profundum excitatuque difficilem vel cum gravedine graviſſimoque ſtertore junctum ſomnum, à κάρα caput, cujus eſt affectio nempe cerebri.

Ad §. 3.

Quodnam inter carum & coma ſit reſpectu cauſæ diſcrimen, ex Autore jam callemus. De comata autem hoc prætereundum non erat, illud geminum exiſtere, nempe ſomnolentum & vigilans: Illud eſt, quando ægri continuò in ſomnum vergunt, eò quô difficilimè excitabuntur, ſine ſymptomatum tamen ſatellitiô, aliàs etiam Cataphora audit, h. e. elapſus, ſubintellige, in ſomni vehementioris impetum: Hoc verò ſeu ſopor vigil eſt, cum æger dormire videtur, ſed non dormit, licet oculos habeat clauſos; vel rectiùs dicitur impotentia vigilandi, quàm ſomnus, ſed ſine ullo alio iterum ſymptomate: Imò etiam apertis ſeu minimè conniventibus oculis tunc non nunquam dormire, adeoque indefeſſo ac torvo adſpectu adſtantes intueri æger videtur inſtar ſcilicet leporis; unde etiam ſopor leporinus dici à quibusdam ſolet.

Coma duplex, ſomnolentum & vigilans.

Ad §. 4.

Catalepſis, ſi habitum corporis in paroxyſmo ſpectemus, tetano non

non diſſimilis videtur: Quidam cum incubô, alii cum epilepſia, Hippocrates autem cum apoplexia hoc malum convenire credunt. Catalepſis autem ſeu catochus eſt ſubita ſenſuum, motus, & mentis prehenſio, qua qui arripiuntur, rigidi in eo ſtatu & gradu, in quo prehenſi fuerunt, hiantibus ac immotis oculorum finibus permanent. Cum paroxyſmus hujusmodi ſupervenit, ait Hoffmannus, totum corpus in eo ſtatu rigidum manet, in quo fuit: Si ſtant, manent tales; ſi ambulant, promoto uno pede rigent; ſi apprehendere velint aliquid, protenſa manu perſiſtunt; ſi ſcribunt, ſic conformata deprehenditur manus, & ſic porrò. Cum comate vigili autem nequaquam confundenda eſt Catalepſis.

Ad §. reliquos.

Curandi technas ac media ut repetitione brevitatis ſtudio adverſi ſuperſedere queamus, petantur ex affectibus illis, ad quos jam Autoris candor nos remiſit. Hoc tantùm ex Riverio de Venæſectione hîc celebranda addimus, quod ea aut confeſtim occidere, aut ſtatim liberare ſoleat: Quòd cùm ita ſe habeat, cum judicio hoc præſidii genus admittendum utique erit.

CAPUT XI.

De *Paralyſi.*

§. I.

CUm Apoplexia utplurimum in paralyſin deſinat, nullo pacto dubitandum eſt, quin Paralyſis ab iisdem cauſis fiat, à quibus apoplexia oritur: Ut autem Apoplexia eſt univerſalis totius corporis paralyſis, ita paralyſis erit particularis apoplexia, quando ſcilicet membrum aliquod corporis per eam reſolvitur.

§. 2. Dum igitur Apoplexiam, definivimus generalem ſeu univerſalem ſpirituum animalium vitaliumque intercluſionem, ab humoribus alimenti noſtri excrementitiis craſſis viſcoſisque, glaciali ac narcotico veneno infectis provenientem, paralyſin per intercluſionem particularem horum ſpirituum ab iisdem excrementis factam definire poterimus, quæ nimirum canales ſeu vias illas dictorum ſpirituum ſua qualitate ita occludunt atque impediunt, ut vitale hoc commercium ex-

exinde protinùs ceſſet,ac corpus quaſi mortuum aut ſenſu motuque privatum corruat: Quod ſi diutius hoc commercium intermittatur, corpus humanum, in quo ſcilicet fit illa commercii ſpirituum animalium vitaliumque intermiſſio,reverà moritur.

§. 3. Sæpiuſculè autem in debilibus apoplexiis ſpiritus vitales & animales laceſſiti, & à materia craſſa, viſcoſâ, tenaci, frigidâ ac glaciali irritati forti cum impetu eandem materiam depellunt in dextram vel ſiniſtram partem, ubi fit illa interclusio: Non ſemper enim fit in cerebrô, ſed in vaſis colli ac pectoris etiam illa contingit; Unde poſtmodum iſta pars,in quam materia hæc decidit, ac commercium ſpirituum intercipit, motu ſenſuque privatur.

§. 4. Nempè ſi hujus commercii interclusio fiat in cerebrô, & ex cerebrô materia illa eliminetur ac delabatur in dextram vel ſiniſtram medullæ ſpinalis partem, fit quoque paralyſis iſtius partis, in quam decidit materia illa viſcoſa, ſalvâ aliâ parte; ſic verò hæc interclusio fiat in vaſis colli, & materia decidat in dextram vel ſiniſtram partem colli, tunc caput manet integrum ſalvumque, imò ægroti perfectè loquuntur ac benè ratiocinantur, aſt media corporis pars, atque inferior, in quam decidit hæc materia, paralytica evadit: ſin eadem hæc materia ſpirituum interceptionem faciat in inferioribus medullæ ſpinalis partibus, fit paralyſis partium inferiorum particularis: Verbi gratiâ ſi hæc interclusio meatuum fiat in fine ipſius ſpinalis medullæ, circa os ſacrum, totalis tunc crurum pedumque ac earum partium omnium fit paralyſis.

§. 5. Adeoque fit paralyſis particularis & univerſalis ſecundùm particularem & univerſalem illam ſpirituum interclusionem, quam materia iſta viſcoſa, tenax, frigida & glacialis parere ſolet. Hæc igitur ſi jam facta eſt, ut tollatur, ſequentibus utendum remediis erit.

§. 6. Omnibus remediis, quibus in curatione Apoplexiæ utimur, poſſumus etiam in curatione paralyſeos uti: Quod enim in caſu majori & univerſali ſpirituum interclusione, qualis Apoplexia eſt, ad ſcopum curationis valet, id etiam in minori caſu & particulari ſpirituum interceptione, hoc eſt in perſanandâ paralyſi multò magis valebit.

§. 7. Purgatô igitur corpore per pulv. emeticum aut Extractum ellebor. alb. ſuperiùs præparatum, ter vel quater per tres vel quatuor dies repetitâ doſi ad ſudorifica & ad remedia topica deveniendum eſt.

Sudo-

Sudorifica ſequenti præſcribantur methodô: ℞ ▽ ulmar. ℥iij ▽ cinam. ſtillat. opt. ʒj, ſpiritus ♀ vel ⊡æ & pulv. ♃ ſudorif. ſuprà c. IV. præſcripti aa ℈ß, M. f. potus, D. ſummô manè jejuno ventriculo, & cooperiatur æger optimè in lectô, omnique arte ſudor provocetur, id quod per 15. dies aut menſem doſibus hujus ſudorifici per ſingulos dies repetitis continuandum: Sic enim materia illa frigida, glutinoſa & viſcoſa, quæ nervos, muſculos & vaſa (quorum mediô commercium ſpiritus tam vitalis quàm animalis exercetur) inficit, attenuatur & evaneſcit: Quô facto redit paulatim jam laudatum ſpirituum commercium, parteſque corporis denuò vitali aurâ foventur illuſtrantur, atque ſic paralyſis tandem curatur.

§. 8. Balnea etiam thermalia ac ſudorifica maximum in curandâ paralyſi præbent uſum, præſertim poſt purgationem cum ☿io noſtro factam, quod ſummopere furſum deorſumque evacuat humores ſeu excrementa illa p. n. alimenti corporis noſtri, obſtructiones illas parientia, & ſpiritum vitalem animalemque intercludentia. His ergo ſic expurgatis, ſi quid adhuc excrementi illius fortè in partibus remaneat, per ſudores ex balneis thermalibus ſuſcitatos penitùs evacuatur, & in auras abit. Atque ut majorem virtutem aut energiam thermæ præſtare queant, paralyticis has ingreſſuris potio ſudorifica uperiùs præſcripta potanda præbeatur, quæ ita hâc ratione actuabitur, ut ægrotantes hinc copioſè ſudare, & materia illa paralyſin efficiens ſic attenuata evaneſcere, adeoque paralytici citò, tutò & jucundè ita curari poſſint.

§. 9. Quod de thermis jam dictum, idem quoque de cavernis ſubterraneis, quæ ab △e ſubterraneo & vaporibus ſeu exhalationibus hinc provenientibus valdoperè excaleſiunt, ſentiendum eſt: Ibi enim vehementer ſudatur, & ſic perfectè etiam paralyſis curatur.

§. 10. Poſtquam ergo ægrotantis corpus à ſudore abſterſum eſt, partes topicis balſamis inungendæ veniunt, ut calor horum balſamorum refocilletur calor vitalis partium paralyticarum, quæ dum ſpiritu animali vitalique defiaudatæ exſtunt, emortuæ quaſi jacent. Sequenti autem methodo perquam optimè refocillari poſſunt partes iſtæ: ℞ Eſs. rorismar. & ſalv. aa ʒj. Eſs. chamadr. & primul. veris, it. ſpiritus ✕ alchoholiſat. aa ʒij, butyr. recent. ℥ij, ⊕ pulveriſat. ʒij. M omnia, & f. balſamum, cum quò frigidè corpus paralyticum poſt ſudores inungatur. Hoc enim balſamo omnes partes veluti emortuæ in paralyſi mirificè recreantur.

Animadverſiones Ad CAP. XI. in genere.

PAralyſin ex graviſſimis, hoc eſt curatu difficilibus eſſe affectibus, nemo nobiſcum ibit inficias, ſiquidem certum ſit, quòd humorum excrementitiorum contumacia, quæ nervos, organa illa voluntatis imperio deſtinata occupat, non ſine maximo labore ac operoſiſſimô negotio amovere queat.

Paralyſeos vox quid propriè denotet.

Vim nominis quod attinet, reſolutionem ſeu diſſolutionem puta nervorum ut intendi nequeant, juxta planiſſimam originem id denotat. Paralyticus ergo eſt nervis ita ſolutus, ut intenti ad motum minimè exiſtant, non ſecus ac reſolutæ fides in organis muſicis planè ſunt inſonæ; atque hinc etiam cum ſanantur nervi, & paralytici ad corporis ſtabilitatem revocantur, dicuntur nervi illi ad motus commoditatem reſtringi, videlicet in ſtatum ſuum naturalem, quemadmodum chordæ ad ſonoræ proportionis harmoniam intendi ſolent.

Paralyſeos ſynonymia.

Circa ſynonymiam notandum occurrit, quod popularis ruditas paralyſeos, arthritidis, contractionis & debilitatis nomina (fortè quoniam hæc omnia inſimul quandam motûs impotentiam adferant) communi adpellatione afficiat, atque ea in unam non rarò nomenclaturam confundat, quam invaleſcente ſic uſu vel rectiùs abuſu rerum etiam periti ſæpiuſculè ſequuntur.

Paralyſis differt ab arthritide.

Et cui notorium non eſt, quàm ex impropriô ſermone vulgi paralyſis & arthritis promiſcuè pro unô eodemque affectu uſurpentur, id quod idioma germanicum ſufficienter confirmare poteſt, quando unicâ voculâ utrumque exprimitur malum, atque receptiſſimâ conſuetudine die Gicht vocitari ſolet, licet accuratiores arthritidem cum additione epitheti die reiſende Gicht nominantes diſtinctionis beneficium inſinuare ſtudeant. Sed quomodo differant hi affectus, ſuô loco, ubi de arthritide agetur, dilucidè ſtatim innoteſcet.

Paralyſis an benè dicatur debilitas.

Debilitatis autem nomen eſt valdè generale, utpote omnibus in aliis conveniens languoribus atque debilitatibus, veluti notiſſimum eſt.

Contractio an rectè pro paralyſi accipiatur.

Sed quod de Contractionis voculâ hic ſentiendum? Nos ſanè eam tunc paralyſeos eſſe ſobolem potius exiſtimamus, ſiquidem illa quandoque in convulſionem aut ſpaſmum abire conſveverit: Vel propterea fortè hîc Contracturæ vocabulo abuuntur non nulli; quod denegato penitùs nutrimen-

ro paralytica membra flacceſcant , extenuentur , corrugentur , & ſic tandem penitùs contrahantur. Aſt Contractionis naturam ad ſpaſmi vel etiam deſperatæ arthritidis pertinere potiùs proſapiam , nullibi non in confeſſo eſt. Cæterùm communi non lato illo ſenſu, quo paralyſis interdum omnem corporis partiumque immobilitatem aut movendi impotentiam à quacunque cauſâ ortam ſignificat , paralyſeos notionem hîc uſurpabimus , prout deſignat nimirum alicujus partis reſolutionem , addendo inſuper diſcrimen illud, quo paralyſis alia ſtatuitur imperfecta, in motus ablatione tantùm conſiſtens, alia verò perfecta, quando deperdictus inſimul eſt ſenſus & movendi ambulandique uſus.

Contractio ſpaſmi vel arthritidis ſpecies eſt.

Paralyſis duplex perfecta & imperfecta.

Ad §. 1.

Salutarem Apoplexiam , & quam Naturæ bonitas materiæ obſtruentis contumaciam nempe propulſando , & ad alia vel ſubjacentia loca relegando exſuperat, utplurimum deſinere in paralyſin , Autori noſtro confeſtim largimur : Cui accedit etiam decentium , & quæ ad funditùs extirpandam apoplexiæ cauſam maſculè conducunt , remediorum neglectus , cujus ratione remanens materiæ peccantis vitium in ſpinalem medullam, & hinc diſſeminatas nervorum propagines decumbit poſteà, atque Paralyſin ſic inducit, veluti id ipſum jam ſuprà Autor Cap. VII. §. 11. ac cum eodem nos in Animadverſionibus etiam monuimus. Ergo nullum eſt dubium, quod Apoplexia & Paralyſis ab unâ eademque progignantur cauſa , nec proinde differant, niſi loci affecti reſpectu , & juxta univerſalitatis ac particularitatis conſiderationem, ut propterea haud ineptiat Autor, dum paralyſin titulô particularis Apoplexiæ inſignivit, quâ unum vel alterum membrum aut dextrum vel ſiniſtrum latus ab obſtructione, & hinc denegato ſpirituum influxu redditur attonitum.

Ad §. 2.

Ab Apoplexiæ definitione ad conſtitutionem paralyſeos tanquam ab univerſali ad particulare ratiocinatur Autor , & hinc peculiarem horum affectuum convenientiam oſtendit , quod ipſum ut ſuo ſplendore claret , ita etiam hâc luce contenti hîc eſſe poſſumus : *Definitur alioquin paralyſis , quod ſit abolitio vel privatio motus voluntarii ac ſenſus partium corporis certarum , dependens ab animalium ſpirituum per nervos prohibito influxu* ; Autor verò idem propemodum aſſerit, dum cauſaliter hujus calamitatis effigiem depin-

depingit, & tam cauſam proximam nempè particularem ſpirituum interceptionem ſeu prohibitam eorum influentiam, quàm materialem hoc eſt excrementum viſcoſum & glaciale obſtructivum pro more ſuô proponit, cœtera non curans, quòd immediatè ad praxin non proficiant: Obſtructis namque hinc nervis ſpiritus animales expeditè in partes ſuas dimanare non poſſunt, ut debent, perinde ut jubar ☉are radiis ſuis per nebuloſum 🜁em aut turbidam cœnoſamque 🜄m penetrare non valet; unde ceu trunci lignei membra ſpiritus animalis lumine orbata rigere poſteà ac obſtupeſcere incipiunt. Patet ex his autem omnibus, paralyſin ad ſymptomata aboliti motûs referendam, quod documentum vel implicitè paralyſis definitio ab Autore exſtructa & adjecta poſtmodum ab eodem explicatio ſub ſe comprehendit. Verùm cur ſpiritus vitalis quoq; mentionem in hâc definitione, quam tamen eſſentialiter ad hanc non pertineant, ſed tantùm de ſpiritubus animalibus hîc ſollicitudo haberi debeat, faciat Autor, offendere aliquem poſſet. Recidetur, ſi conſideremus confœderationem horum ſpirituum, & quod ſpiritus vitales animalibus præbeant fundamentum, imò quòd ſine vitali lumine ac vivificante hâc coruſcatione penitùs torpeant animales ac veluti evaneſcant, Autori non ſuccenſendum eſſe; dum mutuum utriusque ſpiritus commercium & intercluſionem ejus præcipuè hîc inſinuavit, adeoque cum nervis etiam vaſa ſeu conceptacula ſanguinis in communibus operationibus affici tacitè ſignificavit: Præterea etiam ſilentio haud involvendam hîc ducimus rationem, cur Autor in definitione aboliti motus dumtaxat meminerit, ſenſus privationem transmittendo: Nimirum abolita motus læſio de eſſentia hujus mali eſt, quæ ſi non adſit, ne paralyſis propriè ſic dictæ dignum nomine quidem hoc cenſent Practici. Sed in explanatione nihilominùs genium paralyſeos clariùs tradit Autor, & factâ cum Apoplexiâ comparatione membra paralytica tunc velut mortua, hoc eſt motu ſenſuque (cœteris quoque vaſis præſertim ſpirituum vitalium canalibus unà affectus; alioquin enim ſenſus lædi non poſſet) penitùs privata demonſtrat, ita ut juxta Doctorum ſententiam utriusque abolitio ad conſtituendam nempe veram, exquiſitam & perfectam paralyſin eam neceſſaria exiſtat, ut alioquin paralyſis adpellari nullatenùs mereatur.

Spiritus animales niſi ritè in mēbra influāt paralyſis ibi oritur.

Motus ſenſusq; abolitio ſemper comitatur paralyſin.

Ad §. 3.

Mitiores ac debiliores apoplexias (ſupra addidimus etiã malè curatas) potiſſimũ in paralyſin deſinere, hîc docetur, utpote quod ſalvũ vel ſufficiens

ciens adhuc Naturæ robur ac ſpiritus vitæ ſeu Archeus nondum obrutus, ſed tantummodò ab humorum crimine irritatus materiam viſcoſam illam, quæ minùs tunc copioſa, adeoque expugnatu facilior eſt, in ſubjacentes partes detrudere, ac cerebrum ab eadem liberare valeat. Si ergo materia iſta excrementitia decumbat in aliquam medullæ ſpinalis partem, quod faciliſnè tunc fieri poteſt, ſiquidem hæc cum cerebro continuatam foveat neceſſitudinem, paralyſis iſtius membri, quòd hinc nervos ſuos recipit, neceſſariò tunc ſuboritur.

Ad §. 4.

Quum medulla ſpinalis & hinc promanantes nervi ſint primarium paralyſis ſubjectum; non immeritò primùm quæritur, an in paralyſi medulla ſpinalis tota vel ejus tantummodò pars lædatur. Reſpondetur nunquam lædi totam: Quod enim ſi fieret, Apoplexia potiùs conſtitueretur; Ergo particulariter dumtaxat afficitur ſecundùm medietatem ſuam vel dextram vel ſiniſtram partem: Reverà namque bifida eſt, atque una ab alterâ ita diſtincta concernitur, ut una pars ſpinalis medullæ affici, altera planè illæſa officiumque ſuum in illo latere, in quod nervos ſuos diſſeminat, patiente, poſſit: Quàm duplicitatis certitudinem luculenter deprehendere licebit, ſi leviuſculè dicta hæc medulla coquatur. Quæritur deinde an affectâ ſpinalis medullæ dextrâ parte lædatur latus corporis dextrum etiam, & ſic viciſſim? Ita quidem aſſerere placuit Autori, ſed αὐτοψία aliud docente huic ſententiæ nos contradicere cogimur: Quùm enim nervi ſe invicē, ut cum Hoffmannô barbarè loquamur, crucient, & proinde cruciatim fiat eorum inſertio, certum eſt, quod læſo dextrô medullæ ſpinalis latere partes corporis ſiniſtræ paralyſin incurrant, ac vice verſa: Id quod in praxi, & quando topica ſunt adhibenda, ſtudioſè attendendum venit, ſi enim v. g. brachium dextrum ſit paralyticum, tunc regio medullæ ſpinalis circa ſiniſtrum latus ungenda ac topicis fovenda, vel etiam ſi venæſectio tunc locum habeat, ibi inſtituenda erit, atque ſic porrò. Notandum inſuper eſt, nervos obſtructione illâ affici vel in origine ſtatim ſuâ, quâ enaſcuntur ex ſpinali medullâ, quæ tunc primariò affecta exiſtit, vel in inſertione ſeu diſpenſatione, ubi demum materia peccans, quam medulla ſpinalis propulſavit, in nervos ſe inſinuat, eorumque meatus, quos inſenſibiles habet, obſtruit. Reliqua intellectu nequaquam difficilia exiſtunt.

An in paralyſi medulla ſpinalis tota vel ejus tantummodo pars lædatur.

An affecta ſpinalis medullæ parte dextra lædatur latus corporis dextrum, & ſic viciſſim.

Nervi cruciatim ſe inſerunt in partes è ſpinali medulla.

Nervi ubi afficiantur in paralyſi.

Ad §. 5.

Haud ſui memorem eſſe hîc conſpicimus Autorem, qui univerſalem

lem paralyſin ibidem nobis obtrudit; Eam enim nil aliud eſſe quàm apoplexiam is ipſe jam ſuprà edixit. Sed fortaſſis hoc ipſum innuere ac repetere hîc voluit, prout repetitionum alioquin eſt amantiſſimus.

Ad §. 6.

In ſcopo curanti paralyſin inhæret itidem ſimilitudini ac ſummæ affinitati Autor, quam Apoplexia cum paralyſi obtinet, ac propterea iisdem remediis hujus curationem abſolvi poſſe dictitat, quæ in ſananda apoplexia conveniunt. Quum ergò Apoplexia tanquam univerſalis affectus & paralyſi longè gravior majorve ſuprà & ſuô locô commendatis medicaminibus feliciter expugnari queat, quantò magis citiusque iſte, qui ſaltim particularis ac minor utique exiſtit, ſimili medelâ curari poterit, ut hâc ratione appoſita ſit à majori à minùs, & ab univerſali ad particulare argumentatio ac conſequentia. Ita namque certum eſt, quod illa Medicamenta, quæ exempli causâ acutas ac ſonticas febres evincere, aut contumaciſſimas obſtructiones reſerare valent, faciliori etiam omninò negotiô febribus mitioribus ac levioribus obſtructionibus mederi poterunt. Ergô curandæ paralyſeos diductionem eò contractiori operâ expedire licebit, quòd ex ſuprà jam dictis pleraque nobis innotuerint.

Ad §. 7.

Malò nodò malùs & dùrus quærendus eſt cuneus; ſic in paralyſi viſcidiſſima illa & frigida excrementitiæ materiæ putrilago ejusque decantata contumacia generoſis etiam & validioribus remediis, qualia ſunt Emetica & Catarctica iſta toties jam ab Autore laudata, iteratis vicibus exturbanda, atque ex penitioribus corporis noſtri antris prolicienda eſt. Hoc ipſum autem quomodò ſic fieri poſſit, pleniùs planiusque jam ſuprà expoſuimus. Præmiſſis univerſalibus hiſce, quibus ſusque deque habitis, perperam reliqua & ſpecifica adhibebuntur medicamenta, exoptatum fructum præſtare nobiliora & adpropriata poſtmodum ſudorifica poterunt, præſertim ſi uſus eorundem ſolicitè ac ſtudioſè iteretur. Formulam autem diaphoretici ſingularis, quam hîc præſcripſit Autor, non approbare non poſſumus, ſiquidem eam non ſolummodò, ♃ ſudorificum, quod ab excellentiâ ſuâ ſudorificum maximum alioquin dicitur, verùm etiam ſpiritus ♀ri aut ⊡æ (qui diligentiſſimè ſunt rectificandi, & quantùm poſſibile à ſuo fœtore liberandi) luculenter coronet. Quid valeat ſtannum illud diaphoreticum, ex ſuperioribus jam abundè nobis conſtat, quô virium autem robore nobilitatus ſit uter-

Sudorificis præmittantur univerſalia.

Yterque ſpiritus, vel ex Chymicorum Tyrociniis in apricô eſt. Paucis attamen horum virtutem tangemus. Spiritus 🜿ri igitur efficaciam peculiarem incidendi, attenuandi ac reſolvendi mucilaginoſiſſimos etiam humores habet, ac propterea vehementes obſtructiones potenter reſerat, adeoque hoc ipſo reſpectu quàm utiliſſimè in paralyticâ calamitate uſurpatur: Spiritus 🝕æ verò (quem alioquin & gratiori titulô ſpiritum ✕ microcoſmicum vel ſpiritum 🜿 microcoſmicum, item alchohol lixivii microcoſmici vocant) nobiliſſimi itidem auxilii cenſetur in curandâ paralyſi, ob virtutem ſummè glutinoſa etiam excrementa fundendi, attenuandi, atque adprobè tam reſolvendi, quàm attenuatam & reſolutam per ſudorem & 🝕am ex votô purgandi: Imò uterque ſpiritus peculiare inſuper alexipharmacum contra narcoticam hanc humoris viſcidi, glutinoſi, frigidi vel rectiùs putrilaginoſi virulentiam oppidò præbet.

Spiritus 🜿ri virtutes egregiæ.

Spiritus 🝕æ virtutes ſingulares.

Ad § 8.

Novus & planè ſtupidus in hâc mundi plagâ eſt hoſpes, qui vires virtutesque thermalium ▽arum atque balneorum ignorat, aut qui malè conſcius eſt, antiquiſſimô jure ſacras à Priſcis vocitari has lymphas, ob prodigioſas ac nunquam ſatis laudandas pervicacium cumprimis verò frigidorum morborum curationes, quas practicæ Medicinæ monumenta cum applauſu famæ hinc inde conteſtantur abundè. Spatioſiſſimus quidem de balneis ac thermis earumque virtutibus ex profeſſo diſſerendi campus in præſenti ſe offerret, verùm de iis ob tædium prolixitatis jam nihil amplius adjiciemus, quàm quòd præſertim thermæ valdoperè ab animâ mundi ſeu ſpiritu univerſi, quem thermales ac minerales ▽æ magneticâ quadam potentiâ adeoque validiſſimè attrahunt, ac huic ipſi matricem veluti præbent, imprægnatæ celebratam corpus ſubeundi, ac ſpiracula corporis probè aperiendi, adeoque reſiduam peccantium humorum pravitatem ex intimioribus vaſorum anfractibus per ſudorem aut inſenſibilem tranſpirationem affatim eliciendi, ac proinde afflicta corpora egregiè revocandi refocillandique energiam ſuſtineant. Salutarem igitur in hôc caſu balneorum eundemque thermarum promittimus uſum, qui tamen conduplicari & magis in actum deduci omninò poteſt, ſi unà intrinſecùs etiam aliquod ex nobilioribus ſudorificis, juxta Autoris doctrinam, ante balnei ingreſſum adſumatur; Id quod in genere inculcatum illis etiam diſcupimus, qui vel ex conſuetudine uſum amare balneorum aſſolent. Cæterùm thermas naturales dari & artificiales (has balneorum nomine vulgus indigitare conſvevit) in arte

Thermæ ſpiritu mũdi potenter impregnatæ ſunt.

Ante Balneorum uſũ ſudorifica ſemper uſurpanda ſunt.

arte medicâ tritiſſimum, ſicuti etiam de utriusque hîc ſermocinari Autorem conſpicuum eſt. De thermis ergo artificialibus ſeu balneis medicatis reſtat, ut dicamus, ea potiſſimum beneficiô 🜍ris, ○is, ac ⦶ri, vel etiam ex formicis præviâ ebullitione parari, quibus commodiſſimè inſuper plantæ ac flores cephalici adpropriati, qui pariter nervos confortandi virtute pollent, adduntur: Quâ de re conſulantur Practici.

Ad §. 9.

Idem ratiocinium valebit à thermis ad cavernas ſeu ſpelæa illa, quæ circa diſtrictum Neapolitanum cumprimis ac Siculum ſub terrâ artificioſè adornatá conſpiciuntur: Ex his enim vapor ab △e ſubterraneô ac 🜍re, quod ibidem locorum copioſè invenitur, ita exæſtuans exſurgit, ut conclavia ſubterranea hinc impendio fervida reddantur, ac ſudor absque ullâ difficultate ubertim provocetur: Eadem tamen cum cautelâ has ſubterraneas thermas ac hypocauſta (ſic à nonnullis hujusmodi ſpeluncæ vocari ſolent) ingredi recuperandæ ſanitatis Candidati debent, quam circa thermarum uſum attendendam paulò antè ſuggeſſit Autor.

Ad §. 10.

Poſt uſurpatas thermales vel aquas vel vapores, atque hinc ex ſententiâ concitatum ſudorem ad uſum Topicorum ac fomentorum fructuoſus utique inſtituitur acceſſus, ſiquidem apertis tunc poris eorumdem virtus, quæ in præſtanda caloris nativi recreatione conſiſtit, ad penitiores partium adfectarum & calore vitali privatarum receſſus ſe penetrare valebit. Non opus autem ducimus hîc ab Autore præſcriptam balſami antiparalytici formulam ad examen traducere, quùm omnia vel ſponte ibi liqueant: Conſtat enim id ipſum remedium ex Eſs. cephalicis, & nervorum dyſcraſian oppidò emendantibus, iisque ſingulariter amicis: Deinde butyrum recens, quod hîc additum eſt, corpus pro balſami conſiſtentiâ potiſſimum præſtat, Dum verò hoc medicamen ingreditur, quod 🜿ream ſaburram præſtanter incidendi, coagulatosque ſanguinis grumos attenuandi, adeoque per conſequens etiam humorum excrementitiorum tenacem viſciditatem oppidò reſolvendi, imò narcoticam ac virulentam eorum putrilaginem compeſcendi facultatem poſſideat. Frigidè tamen hunc balſamum adhibendum dubiô ſine propterea monet Autor, ne ſpiritus ✕ ſubtiliſſimus & ⊖ volatile vegetabilium, quô cumprimis dotatæ ſunt Eſſentiæ, calefaciendi hôc ſtudiô evaneſcere atque in auras abire potior hujus Medicamenti vir-

tus.

tus queat. Plura qui deſiderat, eum ad documenta cognoſcendæ & ſanandæ Apoplexiæ ſacra, ob jam ſuprà adjectam cauſam, non immerito dimittimus.

CAPUT XII.
De
Convulſione Canina.

§. I.

Quum Convulſio canina ſit paralyſeos ſpecies, illam non ſecùs ac paralyſin dependere ab iisdem cauſis neceſſum eſt. Quemadmodum ergò paralyſis ab excrementis præternaturalibus, viſcoſis, glutinoſis ac frigidis, commercium ſpirituum vitalium animaliumque intercludentibus oritur; ita neceſſariò etiam ac reverà ab his ipſis jam dictis excrementis canina convulſio provenire debet, ut ſic partes hâc convulſione affectæ quaſi emortuæ vel ſenſu motuque privatæ efficiantur.

§. 2. Oritur autem hæc convulſio canina ex infarctu & obſtructione muſculi lati in facie humana circa oris partes collocati, quo ipſo vitali animalique ſpiritu delibutô tota facies movetur, atque os humanum ſecundum neceſſitatem ac uſum diducitur clauditurque. Si ergò muſculus iſte ſpiritubus illis per obſtructionem à glutinoſa & frigida materia factam privetur, tunc pars illa convellitur & ſpiritus ſenſitivus iſtius partis ita contrahitur, ut rictum caninum, quando mordere geſtiunt canes, imitari hac convulſione affecti videantur: Unde hoc malum etiam canina convulſio dici ſolet.

§. 3. Eſt igitur hæc convulſio paralyſis lati humani oris muſculi ab interclusione ſpirituum animalium vitaliumque à materiâ viſcoſa, glutinoſa & frigida facta, cujus tota curatio ſequenti methodo expedienda dependet ab excrementi illius ablatione, quod ſpiritum animalem intercipit, & aditum ejus impedit, quò minùs ille in latum hunc muſculum influere queat, qui alioquin totam faciem humanam vivificat atque illuſtrat.

§. 4. Nempè ut in curatione omnium morborum pulvis emeticus inter prævalet, atque in evacuandis excrementis præternaturalibus, quæ in corpore noſtro ex alimenti noſtri corruptione coacervantur, ad

 mi-

miracula uſque operatur, eoque in totâ Naturâ ad citò, tutò, & jucundè exturbanda illa excrementa nil potentius deprehenditur; ita etiam in curatione convulſionis caninæ hôc ſolô Medicamentô nihil tutius, jucundius ac citius exiſtit, quo ſolo etiam tunc utendum eſſe conſulo, & quidem hâc methodo: ℞ pulv. emetic. noſtri gr. viij, conſerv. viol. ℥j, Moſch. & ambr. aa gr. ij, M. f. bolus, D. c. cuſtodiâ Artis & regim. Addo autem ambram moſchumque ad capitis refocillationem ac roborationem ſpirituum animalium, quos moſchus & ambra fortiores atque potentiores reddit, ut interclusionem ſeu obſtructionem illam meliùs evincere poſſint.

§. 5. Pulvis hic noſter emeticus multis equidem in locis librorum noſtrorum docetur, hîc tamen repetam imò meliorem ac tutiorem pro purgandis Regibus & Principibus enarrabo methodum, qui ſi hôc pulvere purgentur, certiſſimum eſt, eos diutiùs vivere poſſe, quàm ſi ab hâc purgatione abſtineant. Ideoque ℞ regul. ♁ ℔j, liquetur in tigillo, & dum liquefactus eſt regulus, in eundem projice ☉ opt. ℥ß, ☽ opt. ℥j, & M. ſimul, deinde frigeſcant, & in alchohol ſeu pulverem ſubtiliſſimum reducantur: Huic pulveri add. ☿ at. opt. & ab omni arſenico vindicati ℔j, M. ſimul, & in pulverem tenuiſſimum contundantur, vitreæ 🝭æ forti indantur, atque per cineres △e ſatis forti ♌lentur. Deſtillabit autem exinde liquor gummoſus, qui facilè in frigidô glaciatur, itaque cavendum eſt, ne in collo 🝭æ frigeſcat, ac proptereà calidum illud ſemper tenendum eſt, ne liquor egrediens ibi concreſcat. Poſtmodum ♌latus liquor ſub diô in frigidô loco collocandus eſt, ut ſolvatur, quod intra 4. aut 6. dies fiet, ſi vas apertum præſertim in cella frigida & humidâ teneatur: Quô factô liquor iſte ter vel quater in novis 🝭is rectificandus eſt, ac deinde ▽â laudati fontis ſtillatitiâ affundendo maximam ejus quantitatem præcipitandus eſt, quod eò melius fortiusque fiet, ſi vas cineribus calidis imponatur ac digeratur; Atque ſic in fundo vaſis colligetur pulvis albiſſimus, à quô auferenda eſt ▽a illa, & nova ſeu recens ſtillatitia imponenda, & vas illud, in quo pulvis eſt, ſedulò agitandum eſt, ut pulvis optimè edulcoretur, & agitatione illa omnis acetoſitas pulveris in ▽am ♌latam tranſeat, donec is dulcis aut inſipidus relinquatur, qui tandem levi calore aut in ☉e deſiccandus, cumque ſaccharô in pulverem tenuiſſimum redactô in quantitate æquali probè permiſcendus, poſtmodumque vitro ad uſus includendus eſt. Nihil ſanè in tota Natura ad evincendos cujuſcunque generis morbos ſecretius excogitari poteſt.

§. 6.

§. 6. Porrò ▽a illa ſtillatitia, quæ pulveris emetici noſtri acetoſitatem continet, per alembicum vitreum eſt ♌landa, ut ſeparetur ▽a inſipida ab acetoſa, quæ ultimo egreditur: Acetoſa ▽a autem conſervanda eſt ad Ras roſar. viol. & flor. papav. rub. extrahendas, quæ ſummoperè refrigerant, & calidum noſtrum alteratum refocillant.

§. 7. Pulvis autem in fundo 🝭æ remanens ſeu 🝎 pulveris emetici vel liquoris gummoſi eſt cum æquali quantitate ⦶ri optimi in vaſe fictili calcinandum; & deinde poſt primam deflagrationem additô novô ⦶rô iterum eſt calcinandum, hocque ter agendum eſt, calcinatum pulveriſando ſemper ⦶umque addendo: Poſteà edulcorandum eſt calcinatum lotione ▽æ communis, donec pulvis fiat omninò inſipidus; quô factô deſiccandus & ad uſus in vaſis vitreis conſervandus eſt. Hic autem pulvis eſt ſudorificus & cardiacus reſiſtens venenis, ac proinde Bezoar minerale regium vocandus.

§. 8. Atque ſic ex illa compoſitione ♁ij, ☿ij, ☉is & ☽æ habemus tria Medicamenta ſumma, quibus vel ſolis omnes corporis humani curare morbos poſſumus, utpote quæ tria remedia ſola Medico ſufficiunt, ut honorem & decus ſummum in arte ſibi acquirat. Nihil enim eſt in corpore humano noxium ac p. n. quod catarcticô & purgante hoc pulvere noſtro non evincatur: Nihil tam calidum eſt ac febrile, quod refrigerante noſtro Acido non extinguatur; & nihil denique adeò venenoſum, pravum & cacheticum eſt, quin bezoardico hoc & ſudorifico pulvere noſtro ſuperari poſſit. Imò tot & tantæ ſunt in horum medicaminum trigâ virtutes, ut ſi rationes enarrare nunc luberet, unde nimirum tantas proprietates habeant, volumen quàm maximum exinde fieret. Sufficiat veræ ſapientiæ Alumnis dixiſſe in ☉e, ☽a, ☿io & ♁io, quæ ſimul juncta hæc tria Medicamenta conſtituunt, totam Naturæ animalis, vegetabilis, & mineralis virtutem ac proprietatem tanquam in arca quadam pretioſa & arcana concluſum eſſe. Hoc talentum autem quod à DEO ſolo mihi concreditum eſt, libenter propter ſalutem & neceſſitatem generis humani omnibus communicare non erubeſco: Gratias agent illi, qui hac de re certiores experientia fient.

§. 9. Poſt purgationem hanc pars non convulſa fovenda eſt Eſſentia aliquâ calida, ut Eſs. roriſmar. ſalv. thym. cinamom. & aniſ. Hæ enim Eſſentiæ calidum nativum illius partis refocillant, ut, quod illi noxium eſt, ſic roboratum faciliùs vincat, ac ſpiritus partis con-

vulſæ

vulſæ aut paralyticæ ſenſitivus per roborationem hanc in priſtinum ſtatum redeat.

Animadverſiones Ad CAP. XII. in genere.

Convulſionem caninam uſitatiùs adhuc vocitari ſpaſmum cynicum Practicorum monumenta perſvadent. Sed diſceptationem hîc ſuſcipiunt non nulli, illam videlicet oris torturam aut perverſionem (ad ſynonymorum ubertatem hæ notiones pertinent) ſpaſmum cynicum adpellari non poſſe, quæ à paralyſi provenit, quùm paralyſis cum convulſione confundenda nequaquam veniat. Verùm uſui ac conſvetudini libertas hæc condonanda eſt, quæ jam olim obtinuit, ut vocula ſpasmi non ſemper propriè vel tam ſtricti ſignificatus vigore accipiatur, præſertim quod hæc oris diſtorſio non tantùm à convulſione, verùm etiam ſæpiſſimè juxta Autoris mentem à nervorum reſolutione vel ab utraque non raró cauſâ originem ſuam ducat. Sed alia hîc iterum ſuccreſcit ſcholaſtica difficultas, quam amoliri tamen magni Sennerti induſtriâ adjuvante facile licebit: Convulſio nempè aut paralyſis vel unum tantummodò oris latus vel utrumque occupat: Si unum, ſimpliciter oris tortura dicitur, ſin utrumque, rectiùs nominabitur convulſio vel paralyſis canina. Hæc namque non verò quævis irati canis rectum vel in obliquum diſtorti oris turpitudinem exactè exprimit, ſicuti quoque ridentes non unum latus ſolum, ſed utrumque reverà diducunt; unde ritus etiam nuncupatur Sardous ſeu Sardonius: De herba enim Sardoa apiaſtri illa ſpecie, quæ alioquin apum riſus etiam audit, narratur, quod illi, qui eam guſtarunt, labiis dolore in rictum contractis veluti ridentes moriantur: Unde adagium in vulgus infauſtô obiit omine; Riſum Sardonium ridere; quod in eos quadrat, qui utut deplorandis & miſerrimis modis infortunati nihilominus rident atque cachinnis indulgent (die zu ihrem groſſen Unglück lachen) aut ludicris tunc delectantur.

An inter ſe differat oris tortura & ſpasmus cynicus.

Riſus Sardonius.

Ad §. 1.

Autor hîc potiſſimum & quaſi unicè conſiderat convulſionem caninam quatenus eſt paralyſeos ſoboles, alteram ſpeciem planè negligendo,

do, quæ à convulſivo motu ſcaturire ſolet. De priore ſeu paralyſi canina omnia jam ex præcedenti Capite perſpicua ſunt, ubi & indago cauſæ & modus medenni locum habere poterit: Poſterior verò ſeu propriè dicta convulſio canina ex mox ſequenti Capite tam quoad indolis ſuæ notitiam quàm medelam clariùs undique innoteſcet: Minùs tamen approbare poſſumus, quod Autor hujus canini characteris convulſionem ac paralyſin tam luculenter confundat. Obiter autem hîc addimus de illa oris tortura cognoſcenda, de qua Autor noſter hîc agit, quod, ſi à reſolutione nervorum vel muſculi lati proveniat, pars affecta tunc laxa exiſtat, molliſque trahatur ad ſanam, ac ſenſus in parte obtuſus ſit, imò tota facies ſine rugis extendatur, atque ad inferiora continuò inclinet, quùm ex adverſo ſi hic affectus à convulſione prodeat, pars affecta duritiem exhibeat, ſana ad tenſam trahatur, cutiſque in altera parte rugas contrahat; ac præterea plerumque doleat.

Oris tortura duplex, vel à reſolutione nervorum, vel à convulſione.

Ad §. 2. & 3.

Totum hoc ratiocinium pariliter reſpicit iſtam oris diſtorſionem, quæ paralyſin habet genitricem: Fons attamen mali, ſive paralyſis ſive convulſio tunc prævaleat, hîc detegitur, quem præcipuè in muſculo illo faciei latô ac quadrasô tenui ſeu muſculoſa rectiùs latitudine vel expanſione (reverà enim ſed obliquo carnoſarum fibrarum contextu prædita membrana eſt, quam Veteres propterea à cute non diſtinxerunt) atque in nervis à tertia conjugatione ortis, qui invicem commodam oris diductionem & clauſuram præſtant, quærendum eſſe hinc conligimus. De his ergo nervis nullum eſt dubium, quin vitam largiantur muſculis atque vigorem vultus colluſtrent, ſpiritum ſeu aurem animalem decenter advehentes. Jam concluſu facile eſt, quid ex adverſo expectandum, ſi ſpirituum laudatorum canales ac muſculorum meatus glutinoſa humorum viſciditate ac frigiditate infarciantur, obſtruanturque, adeoque eorum influxus prohibeatur: Nempè floridæ alioquin partes illæ faciei flacceſcunt, liveſcunt, reſolvuntur, movendi potentiam amittunt, & hujuſmodi ridiculam deformitatem poſtmodum adſciſcunt.

Ad §. 4.

Ut omnes reliqui morbi, ſic etiam canina convulſio radicitùs curari non poteſt, niſi materiæ peccantis, obſtruentis, & ſpirituum influentiam impedientis obſtaculum effectiſſimè removeatur. Ergò hâc ſini laudes nunquam ſatis deprædicandas pulveris Emetici ſui ſeu ☿ij vitæ

☿ius vitæ quid juxta Helmontium

tæ (qui nihil aliud eſt teſte Helmontio ac veritate ipſâ, quàm integri ſtibii delicatiſſima vel tenerrima proles aut flores ♁ij in butyroſum liquorem aut gummoſam glaciem reſoluti) denuo hîc decantat Autor, quod in toto Naturæ ambitu potentius & efficacius remediũ hôc ipſô Emeticô ad eliminanda quocunque crimine infeſta ac infauſta excrementa, atque ad omnem morbi nervum nidùmque penitùs abſorbendum inveniri aut parari nequeat. Notanter Helmontius inquit: Nobiliſſima hujus pulveris excellentia absque ullâ difficultate poſt ſe vinctum educit hoſtem cum egregiâ, & quod adhuc magis eſt, cum abſolutâ membrorum præſertim verò primarum viarum depuratione. Et alibi: Appropriatæ, ait, & peculiares quædam medicinæ, inter quas hic pulvis emeticus præcipuas quoque gerit, ſunt, quæ peregrinam impuritatum ſocietatem oppidò demunt aut evertunt, contractoque jam humorum vitio planè dominantur, atque radicem morbi non ſecùs atque ſecuris acutiſſima arborem ſecurè vellunt exhauriuntque. Formulam medicaminis quod concernit eam non absque ingenio conſtruxit Autor: Ut enim baſin hujus remedii ☿ius ſeu pôtiùs ♁ium vitæ conſtituit, ita moſchus & ambra utiliter perquàm in hoc caſu commixta conſpiciuntur, quòd utrumque cerebrum ac nervos efficaciſſimè roboret, quòdve ſpiritus vitales animalesque 🜍reâ ſuâ ac ſvavi exhalatione potenter ſuſcitare ac reficere valeat, ut hâc ratione materialis caninæ convulſionis cauſa atque ſumma ejus contumacia eò certiùs contumacia eò certiùs evinci & exturbari, hoc eſt, pervicax illa obſtructio ex ſententiâ referari poſſit. Et hoc ipſo nomine Emeticum illud contra ſæpiùs nominatum malum omnino ſpecificum exiſtit, imò propterea panaceæ amplitudinem in ſpecificis cœterorum etiam morborum directionibus (Helmontii verba ſunt) æmulatur.

Pulveris emetici insignis laus & uſus nobiliſſimus.

Ad §. 5.

Illuſtris celſiſſimique nominis & efficaciæ remedium, quod proinde non immeritò in margine Medicamentum pro Regibus atque Principibus adpellitavit, nobis undiquaque candide & fideliter absque ullis verborum tenebris hîc communicatum reliquit. Ut autem Medicina hæc cum ☿iô vitæ vulgò ſic dictô planiſſimè convenit, niſi quòd virtute radiorum ☉arium ac ☽arium inſuper nobilitatum egregiam magis ac verè regiam facultatem, dum purgando inſimul probè confortat, & confortando humorum putrilaginem fortiter expellit (quum alioquin vulgaria Cathartica haud citra virium jacturam quandam operentur) impetraverit; ita quoque eadem virtutum ἐυλόγια, quæ paulò ſupra

prà meritis præſtabiliſſimi hujus emetici conſecravimus, longè nobiliori titulô ſibi vendicat, præſertim quod inſuper indubitatam ad conſequendum vitæ longæ beneficium autoritatem poſſideat. Modus conficiendi hoc remedium tam planus undique & luculentus, hoc eſt omnibus minimis maximisque circumſtantiis inſtructus exiſtit, ut clariùs vix eum exprimere Autor aut inculcare Artis potuerit Filiis. Sed brevibus paucis nihilominus parandi normam percurrere allubeſcit. Regulus igitur ♁ij facili negotio ac levi △e funditur, qui fuſus laminas ſeu folia, vel quod melius adhuc eſt, calcem ☉is & ☽æ (tunc enim regulum ♁ij ☉arem ac ☽arem habebimus.) promtè abſorbet ac veluti deglutire ſolet, quæ ipſa maſſa utpote friabilis aut minùs compacta poſtmodum conteri ac in pulverem ſubtiliſſimum contundi haud difficulter poteſt. Antimonii regulos præparandi modos varios deſcripſerunt, Crollius præſertim in Baſilicâ ſuâ, Hartmannus in Chymiatriâ, Beugvinus in Tyrociniô, Agricola in Poppium, & Schroderus in Pharmacopœâ, quorum elotio penes quemlibet eſto. Nos tamen illum præ reliquis extollimus, quando regulus iſte cum Alkalibus ſeu ⊖ibus fixis conficitur; ubi notandum, quod ⊖is fixi & ♁ij crudi æquales ſint accipiendæ partes, alioquin ſi ⊖is quantitas excedit pondus ♁ij, hoc potiùs in calcem redigetur, quàm ut metalliformis ſubſtantia exinde acquiri queat. Alkali ergò & ♁ium inſimul probè commixta in crucibulo △i fortiſſimo committantur, ut inſtar ▽æ fluant liquidiſſimè, poſtmodum verò in calicem ſeu vaginam fuſoriam ſævô illitam fundantur, illudque moveatur, ut ſic regulus fundum iſtius calicis eò melius petere ac ibi coaleſcere poſſit. Sed quid reguli nomen ſibi velit, hâc occaſione tribus etiam explanabimus: Nimirum dignitatem & ſingularem præſtantiam terminô hôc techniô innuunt ſpagyrici mgrii Antiſtites, ita ut per regulum hîc indigitare videantur illud, quod à Rege proximum, & quod regalium virtutum corona peculiariter eſt adornatum. Itaque hinc conjicere poterimus, quòd, quum ☉ metallorum omnium Rex vocitari mereatur ac ſoleat tanquam omnium perfectiſſimum pretioſiſſimumque, ♁ium verò flores ſeu ſperma auri confertim continere, imò nil aliud eſſe, quàm immaturum aurum ſeu auri excellentiſſimam mineram (in aurifodinis enim optimum perpetim inveniri ♁ium ſolet, & vice verſa.) aſſeratur, imò aurum minùs coruſcans inſuper ab ♁iô, ſi cum eodem vel autem fundatur, ſplendidiſſimè fulvam atque mirum quantum exaltatam nanciſcatur Ram, adpoſitè omninò metallum ex ♁iô confectum regali titulô honoretur, ac regulus quàm rectiſſimè præ

Atq; hoc modo parātur omnia bezoardica mineralia, v.g. ♃iale, ♂tis, ♀ris &c. ubi unà cum regulo ♁ij fundimus cujusque corpus, v.g. ♃vem, ♂tem &c. loco ☉is & ☽æ.

Antimonii regulum præparandi modus.

⊖ia fixa mineralia optimè præparantur per fuſionē.

Regulus quid notet Spagyricis.

☉ minus coruſcans c. ♁io fuſū, ſplēdidiſſimam hinc nanciſcitur Ram.

cœteris mineralibus fuſis cunctis ſalutetur. Porrò circa ♌lationem ac ♎ationem reguli ♁ij huius ☉aris ac ☽aris cum debita ♉ati optimi, à quo omnis arſenici ſuſpicio quàm longiſſimè abeſſe debet, quantitate permixta omnes illas cautelas exactiſſimè hîc convenire, ac proinde etiam tunc attendendas eſſe monemus, quas ſuprà in Animadverſione noſtra ad §. 20. Cap. I. ſedulò adſcripſimus, quapropter etiam labore id repetendi ſuperſederet unc poterimus. Hoc ſaltim adjicimus, quod propterea cavendum ſit, ne in collô ♋æ concreſcat aut glacietur butyrum ♁ij (quod ob adſcendentes fuligines calidiſſimas & extrinſecùs appellens frigus ambiens per antiperiſtaſin facilè fieri poteſt) ne ob cumulatam ♎atione materiam collum ♋æ obſtruatur, & ſic ob denegatum ♎ati liberum tranſitum totum vitrum penitùs diſrumpatur, adeoque labor iſte prorſum irritus evadat, ſumptuumque jactura perperam hinc contingat. Ut autem præparat: adpulſum ambientis frigoris liquor alioquin gummoſus ♁ij in collo ♋æ facilè concreſcere poteſt, ita ex adverſo butyrum illud ſub diô collocatum ſeu libero ♎ri expoſitum reſolvitur ac penitùs aqueſcit, quod beneficium aëreæ humiditati ac ⊖i Naturæ, quod tanquam genuina matrix ſpiritum mundi (hic enim clauſtra mixtorum potenter pandere ac reſolvere valet.) confertim comprehendit aut conceptiſſimum habet; omnino adſcribendum eſt. Tandem per ♒ationem impetratus pulvis emeticus albiſſimus levi △e deſiccandus eſt, ne albedinis ſuæ gratum adſpectum deperdat, ac livoris turpitudinem adſciſcat; nec minùs ſaccharo commiſcendus eſt, ut facilius deglutiri, ac facilitare ſic vomitum queat, quùm ſaccharum interiores lævigare partes & aſperitatem earum affatim emollire poſſit.

Butyrum ♁ij libero ♎i expoſitum penitus reſolvitur & aqueſcit

Ad §. 6.

Haud inopportunè proverbii iſtius hîc recordamur, optimi vini optimas etiam eſſe fæces, ſic ſenſum hunc nequaquam ineptè ad præparationem nobiliſſimi alicujus Medicamenti accommodare nunc præſtabit, utpote cujus etiam ℞ ac ſuperfluitates, quas imperiti ſub hôc ſepulcro Regem ſeu regiam virtutem abſconditam minimè reputantes ut plurimum temerè projiciunt, conſimili, imò ſæpiùs longè majori nobilitatis præſtantiâ gaudere, ex ſanioribus nemo dubitat. Poſtquam ergò emeticum illud pro Magnatibus mgrum juxta præſcriptam rationem docenter præparatum eſt, liquorem illum ceu balneum regii hujus pulveris per ♌lationem à ſuperfluâ illâ & copioſâ aquoſitate, quæ ſaluberrimam iſtius aciditatem ac per conſequens virtutes inibi latitantes obtun-

Capita mortua medicamẽtorum projicienda non ſunt, ſed ſemper reſerventur ad majorem uſum.

obtundit, liberandum eſſe, inſuper docet Autor: Ubi itidem omnia, quæ circa Acidum ☿ij ejusque rectificationem ſuprà in Animadverſionibus noſtris ad §. 20. Cap. I. ad §. 9. Cap. IV. & §. 12. & 13. Cap. VI. obſervanda inſinuavimus, fructuoſè omninò attendi & appoſitè hoc adplicari queunt. Egregius autem eſt hujus acidi liquoris uſus, quem iſtum in extractione ℞arum exæſtuantia viſcera mirè contemperantium ac refrigerantium oppidò exhibere dicit Autor: Quum verò acetoſus hic liquor ſpiritus ⊕li philoſophicus (ut acidum ☿ij ſpiritus ⓉRi itidem philoſophicus vocari poſſet) receptiſſimô titulô audiat, ſic ℞æ roſar. viol. papav. rhæad. &c. ita paratæ, pariter philoſophicæ non injuriâ adpellitandæ erunt; Imò certiſſimum eſt, quod v. g. ℞a hæc viol. philoſophica totô cœlô ac terrâ quoad virtutis ſuæ nunquam ſatis laudandam energiam differat à vulgari illâ, quæ cum phlegmate ⊕li aut cum ▽â ⊕latâ confici ſolet, quodve illius drachma una plus valeat, quàm hujus libra integra. Denique unde butyrum ♁ij (quod etiam ∘∘um ♁ij ☿iale nuncupatur) virtuoſam hanc ſuam aciditatem obtineat, non reticebimus: Notum eſt Chymicis omnibus ex ♁iô primitùs prodire ſudorem quendam acidum (aliàs acetum ♁ij dictum) eumque valdoperè jucundum; deinde in ♉.ô ratione non tam ipſius ☿ialis ſubſtantiæ, verùm admixtorum etiam ⊖ium fixorum, nempe ⊕li, ⓉRi, ⊖is communis vel etiam ☉is, quorum beneficio celebratur hæc ♎atio, præſentiſſimum deliteſcere acorem, unde ſvaviſſima quædam aciditatis philoſophicæ harmonia conſtituitur, cui tanta efficacia non immeritò poſtmodum adſignatur.

Tinctura vegetabilis philoſophica.

Ad §. 7.

Ex magmate ſeu 🜎, quod in ◯æ fundo à præparatione butyri ♁ij tanquam fixa hujus mixturæ portio remanet, iterum nobiliſſimi tituli & proprietatis remedium Autor elicere docet, quod ſimilimô planè modô conficitur, ſicuti ♁ium diaphoreticum alioquin præparari ſolet, quod nos Bezoar minerale regium ſeu diaphoreticum regale ob ingredientem auri & argenti majeſtatem rectiùs ſalutandum eſſe cenſemus. Rectiſſimè autem in vaſe vitreô aſſervandum hunc pulverem, adeoque probè muniendum eſſe ſvadetur, ut videlicet ob appulſum & contactum humidi ♎is adpriſtinam naturam redeat, atque hinc volatiles partes, quas corpora fixa magneticâ virtute ac propterea avidiſſimè attrahunt, acquirat, quæ vim ameticam ſuſpectamque exinde rurſus diaphoreticè huic conciliare indubitatò valent: Unde etiam non malè in

in locis calidis aut tepidis hujusmodi ſudorifica ex mineralibus parata eſſe cuſtodienda præcipitur.

Ad §. 8.

Autor de ſalute proximi meritiſſimus altioris utique ſubſellii pharmaca, eaque numerô terna hîc nobis communicavit, quibus dubiô ſine hi ipſi laudis articuli competunt, quibus eadem in præſenti adornavit, dum magna hæc arcana ad panaceæ ſeu panchreſtorum medicaminum (id eſt ad omnia conducibilium, vel quibus univerſa morborum cohors propemodum auſcultat.) faſtigium adſcendere innuit. Nullatenus igitur audiendi nec admittendi ſunt illi, qui ex mera ignorantiâ neſcio quam periculi aciem de medicamentis chymicis ſive ex regnô minerali depromtis ogganniunt, ſiquidem certiſſimum ſit, quòd metalla in rei veritate ſint ſpecula quædam lucentia, puta lumine dotali contactuque vitali (ut verè philoſophicè loquitur Helmontius) agentia, quæ vim excellentiſſimam corporis noſtri penitiſſima etiam penetrandi, turbatumque Archeum illuminandi, & à ſuis erroribus aut furore liberandi poſſident. Ad ditiſſimam, pergit ultrà Helmontius, & conſtantiſſimam Naturæ prolem, ad optimam inferioris globi ſobolem & theſaurum præcipuum referuntur metalla & mineralia omnia, quæ ſuis remediorum eminentiſſimis præſtantiis ipſa etiam aſtra ſuperare, hoc eſt humidum radicale vegetare, & calidum innatum de novo quaſi animare (hinc virtutem animalem & plantalem quoque ſeu vegetabilem ſuſtinere laudata mineralia ſtatuit Autor) adeoque totam microcoſmi Naturam renovare queunt. Atque has ſententias haud perperam hîc adſcribimus, ut Filiis doctrinæ & ſublimioris Philoſophiæ alumnis calcar ad majora ſurgendi addamus, quò magnalia Naturæ centrotenùs ſcrutari impoſterum, & medicamenta immortalia, id eſt corruptioni nequaquam obnoxia excogitare, adinvenire, & præparare omnibus induſtriæ nervis olim annitantur. Speciatim hoc ipſum inſuper dilucidare jam poſſemus, ſi ſingulas ſingulorum nempe tam ♄ij & ☿ij quàm ☉is & ☽æ dotales virtutes exponere ob prolixitatis odium liceret, ſed compendioſè tamen & hoc officii præſtabimus. Baſilius Valentinus unus ex Alchymiæ Primatibus tanta eſſe ſecreta naturalia in ♁iô latentia, concludit, ut mortalium nemo capax eſſe queat ea cuncta decenter inveſtigare: Quò enim magis hoc perveſtigandi ſtudium exercebitur, eò abſtruſiora etiam ac pretioſiora inveniri adſerit. Cumprimis verò ſanguinis clarificationem remedia ex ♁io philoſophicè præparata effectiſſimè

Metallorū ac medicaminum inde paratorum nobiliſſima virtus & præſtantia.

Antimonii divinæ virtutes.

Antimonialia medicamenta ſanguinem inprimis purificant.

me exhibent, & totam ejus maſſam à mucoſis viſcidisque inquinamentis (unde & graviſſimi & contumaciſſimi ſcaturiunt plerumque morbi) potenter purificant, atque totam adeò Naturam ♃ium virtute balſami dulcis, quem in ſuô meditulliô continet, reſtaurat, ut læſa vel ſpontè ſic reparari poſſit: Mercurius omnes humores præter naturam in corpore ſtagnantes valdè expugnat atque expurgat: Aurum verò & argentum omnia arcana reliqua in corroborandis viſceribus vitæ conſervandæ principatum tenentibus, ita ſuperant, ut Medicamenta exinde confecta regalem, heroicum aut monarchicum titulum non injuriâ ſibi vendicent. Præclarè tandem demonſtrat Autor, quomodo hæc medicamentorum triga ex jam dictorum mineralium & metallorum quaternione parata cunctis indicationibus in curatione morborum ſatisfacere, adeoque vel omnem morborum tyrannidem ex æquô ſupplantare, vel Archeum iratum in ſcopos deſideratos placidiſſimè revocare aut deducere valeat. Sed pluribus haud opus eſt, quum omnia ex textu Autoris ſuô jam ſplendore coruſcant.

Ad §. 9.

Expoſitis internis remediis hîc convenientibus, ad externa ſeu fomenta more ſvetô pergit, circa quæ tamen nil planè habemus, quod moneri debeat, niſi ut conſimiliter obſerventur ea, quæ circa refocillationem membrorum paralyticorum extrinſecùs præſtandam in fine antecedentis capitis adnotavimus.

CAPUT XIII.

De *Convulſione ſeu ſpasmo.*

§. I.

Convulſio ſeu ſpaſmus eſt motus præternaturalis muſculorum totius corporis vel ſaltem alicujus partis (ſi nempe ſit particularis ſpasmus.) ab Archeô iratô ſuſcitatus, quod fit, ſi malignum aliquod excrementum dolorificè in eundem irruat, & vitæ muſculorum inſidietur.

§. 2. Illud ergò excrementum malignum & dolorificè in ſpiritum noſtrum irruens, ac muſculorum nervorumque vitæ inſidians eſt materialis cauſa ſpasmi, ſpiritus verò vitæ noſtræ, ab illa materiali cauſa læſus,

læſus, eſt convulſivi motus cauſa efficiens: Convelluntur ſiquidem muſculi & nervi ab eorundem innato ſpiritu, ſi tali malignô ac dolorificô excrementô ille irritetur; dum enim ad expulſionem maligni iſtius excrementi tendit, muſculos & nervos convellit. Fortior autem fit expulſio per convulſionem illam, quàm per omnem alium motum.

§. 3. Sæpiſſimè tamen excrementum illud ſpasmum operans non eſt malignum, ſed tantummodo dolorificum, & doloris ratione ſpasmum vel convulſionem faciens. Unde neceſſariò oportet, ut excrementum iſtud ſpasmum materialiter faciens ſit aut maligna aliquâ qualitate prædictum vel dolorificum ſaltem: Malignitas namque ſola vel ſolus etiam dolor convulſionem facere poteſt.

§. 4. Miror igitur, quod Galenus & cum ipſô omnes totius orbis ſcholæ ſpasmum in ſolâ repletione & inanitione nervorum ac muſculorum conſtituant, quaſi verò nervi aut muſculi in corpore tunc vel repleantur vel inaniantur: Sæpius enim nulla ſubeſt repletionis ſuſpiciæ, quemadmodum etiam ſenes vidi macie ſummâ confectos convulſione potiùs affligi, quàm obæſos aut carne ſanguineque repletos. Sanè qui convulſione tentantur, macilenti potiùs & omni repletione carentes, quàm obæſi & ſaginati eſſe ſolent.

§. 5. Quod ſi Hippocrates convulſionem collocaverit in repletione & inanitione; malè interpretantur illi de repletione aut inanitione nervorum ac muſculorum, quùm is potius intelligat pergræcationem ac nimii cibi copiam aut nimiam venarum evacuationem per ſanguinis miſſionem factam: Ex quibus omnibus maligna aliqua qualitas generari, & hâc ipsâ alimenti noſtri excrementa affici poſſunt, quæ ſi in nervos poſtmodum aut muſculos illabantur, ſpiritus eorum innatus irritatur, & motus hujusmodi convulſivus excitatur, ut dictum excrementum unà cum malignâ qualitate ſuâ ſic expugnari & foras ejici queat. His pergræcationibus autem ac commeſſationibus non nervi aut muſculi, ſed ſtomachus ſeu ventriculus replentur, qui poſteà vinum & cibos affatim nimis ingeſtos malè coquit ac digerit: Unde ex digeſtione pravâ excrementa multa coacervantur cumulanturque, quæ facili negotiô ex putrefactione malignam qualitatem induunt, ut hinc ſpiritubus innatus nervorum muſculorumque irritetur, ac irritatione illâ ibidem motus convulſivus excitetur, veluti in venenis adparet, quæ dum corpora noſtra ingrediuntur, ſua ac innata ſibi maligna qualitate ſpiritum vitæ noſtræ aggrediuntur, ut illum extinguant: Quô ipſô ſtatim irritatur ſpiritus tanquam ab inimico potenti laceſſitus, & per irritationem illam fit motus iſte

Convulſivus motus unde?

Convulſivus motus unde fiet.

iſte in nervis muſculisque convulſivus: Dum enim ſpiritus in unum ſe comprimit, ut in hoſtem fortiùs agat, partes etiam ſuas quas vitali aurâ ſuâ fovet, contrahit: Contractô igitur ſpiritu ſic laceſſito partes etiam convelluntur. Atque ſic verè & phyſicè fit in corpore noſtro ſpasmus, non autem ex repletione vel inanitione nervorum ac muſculorum, quam opinionem Johannes Baptiſta von Helmont, Doctor, Medicus Bruxelenſis inſignis & clarus argumentis quamplurimis Cap. IX. de Lithiaſi refutavit.

§. 6. Sic etiam ex dolore concitatur ſpasmus ſeu convulſio: Spiritus enim ſenſitivus partis delentis ſe contrahit in unum, & dum ſe comprimit, pars illa quoque comprimitur, in quâ eſt ſpiritus, ob doloris horrorem ſe contrahens, ut hinc criſpentur & contrahantur, partes omnes corporis, nimirum arteriæ, venæ, membranæ, tendines, muſculi & nervi puncti læſique: Ex dolore autem ſpiritus ſenſitivus ſe in unum contrahit, ut doloris inveniat remedium, & hoſtem dolorificum pro virili expellat; ſi expellere eum non valeat, augebitur dolor. Quamdiu autem viget ſpiritus illius partis, tamdiu omnia in corpore ad ſe advocat, ut hoſtem dolorificum expugnare poſſit, quemadmodum patet in ſpinâ alicui parti infixa, quæ ſi avulſa fit, ſtatim ſpiritus quieſcit, ac dolor ceſſat, miteſcuntque ſymptomata omnia dolorem alioquin comitantia: Eodem etiam modô ceſſabit omnis convulſio & ſpasmus, ejusque ſpecies cunctæ, ſi evacuata & avulſa ſint excrementa illa viſcoſa, glutinoſa, maligna, acria & dolorifica, quæ omnia citò, tutò & jucundè ſequenti methodô evacuabuntur.

§. 7. Ad curationem citam, tutam, jucundamque ſpasmi nullô aliô præſidiô opus habemus, quàm purgatione forti & præpotenti illius excrementi, quod ſpasmum facit. In tota autem Naturâ nihil eſt potentius & efficacius ad expurganda illa maligna & prava excrementa ☿iô noſtrô ſuperiùs de Caninâ Convulſione præparatô; adeò maligna omnia & lethalia, quæ in corpore reperiri poſſunt, efficaciter evacuat, quacunque etiam in parte latitent: Sequenti autem methodô eſt propinandum: ℞ ☿ij noſtri ſuperiùs præpar. gr. viij, conſerv. roſ. aut viol. ʒß M. f. bolus, D. manè ſervatô regimine & cuſtodiâ: Vel grana illa viij ☿ij noſtri infundantur per noctem in vinô merô, & propinetur vinum ſolum delicatulis; Quibus verò Natura eſt fortis & potens, iis inſimul vinum infuſum cum pulvere propinetur. Repetatur hæc purgatio per 4. dies doſi iterata ſervato regimine, quod in eo conſiſtit, ut obſervetur cuſtodia, & poſt tres horas ſumatur juſculum ⊖e optimè conditum, ac

nil aliud toto illo die accipitur, quo ſumtum fuit hoc medicamentum, quàm poſt tres horas juſcula optimè condita: Deinde tempore cœnæ optimè & opiparè cœnare poſſunt, ſi adperitus illud concedat ac conſulat.

§. 8. Peracta purgatione fortificanda eſt pars convulſione affecta Eſſentia ſalv. c. ☍ ceræ permixta, & hac mixtione illinenda bis in die ſerò & manè; ſin per aliquot dies non ceſſet affectus, iteranda eſt ſuperior purgatio, quia totum arcanum curationis conſiſtit in purgatione illa ☿iali noſtra, nec ullo pacto propterea eſt timendum: Tale etenim medicamentum innocens eſt ab omni malo & ab omni veneni ſuſpicione, ita ut rerum naturalium penitùs ignari exiſtant, qui hac ſuſpicione illud damnant: Nequaquam ſanè violenter purgat, ſed cum virtute potiùs ac potentia corporis excrementa evacuat.

Animadverſiones
Ad
CAP. XIII. in genere.

Spaſmi naturam ac cauſam valdè obſcura tractarunt Veteres.

VEteres neſcio quid perplexi & impediti de hoc ſymptomate ſeu depravata facultatis motricis actione (ad abolitam enim paralyſis, & ſtupor ad imminutam refertur) concinnarunt, adeò ut plus nebularum aut tenebrarum, quàm luminis ſplendoriſque Lectoribus atque diſcipulis offudiſſe videantur: Unde Averroi nequaquam crimini vertendum exiſtimamus (ſicuti ab Hieronymo Mercuriali factum recordamur.) dum aſſeruit, verba Medicorum circa hujus accidentis doctrinam eſſe potiùs numeros ſeu verba Muſicorum, quàm virtutem demonſtrandi obtinentia, ſiquidem reapſe hoc ita ſe habere conſtet, ſi Autorum volumina evolvamus, ac præterea conſimilem fermè ſententiam ex ipſius Galeni textu comprobatam dare liceat, quô dictu valdè obſcurum difficilimumque is pronunciavit, quæ ſit accuratè & abſolutè ſeu explicitè loquendo genuina hujus affectus cauſa, à quâ partes convellantur, hoc eſt non nunquam in rectitudinem, interdum verò in anteriora, aliquandò in poſteriora miſerrimis modis diſtorqueantur. Quamvis autem multa non contemnendarum difficultatum obſtacula hîc quoque obviam nobis venire conſpiciamus, nihilominus freti ductore acutiſſimo ſeu Autore noſtro haud deſperamus fore, ut minimè infelici paſſu ad adyta ſeu

ipſum meditullium ſpasmologiæ nos penetrare valeamus, quùm omnia, quæ ad exoptatam hujus mali notitiam ac profligationem neceſſaria, licet ſuccinctè attamen dilucidè propoſuerit. Ideoque miſſis nominalibus aut Philologorum diſceptaciunculis vires noſtras circa hoc thema experiri, & quæ ad utrumque ſcopum adornandum conducere videbuntur, in commune nunc conferre ſtudebimus.

Ad §. 1.

Convulſionis ac ſpaſmi vocula idē notant.

Promiſcuè hîc ac indifferenter convulſionis ac ſpasmi voculas uſurpare concernimus Autorem, quod eandem utique ſignificantiam præ ſe ferant, & τὸ convellere ac contrahere (Græcis σπᾷν, unde ſpasmus deſcendit) idem planè innuere manifeſtò videantur. Quod verò ipſam ſpasmi definitionem attinet, quam Autor adſcripſit, licet ea ad Logicorum normam, quâ genus proximum poſtulatur, tam ſtrictè compacta primô intuitu non videatur, tamen facili negotio adjumentum declarationis admittere aptam natam ſe oſtendit. Genus ergò quod frameæ ſuſtinet vices, in eô conſiſtere deprehendimus, quod ſit motus præternaturalis. Sed hoc remotum nimis eſt, à quô Dialecticorum indoles abhorret, inſtabit Cato fortè quiſpiam; ideoque adjiciendum eſſe cenſemus, quod ſit motus præternaturalis, & in ſpecie quidem depravatus, quô reſpectu hoc ſymptoma ſe à motu ablatô, & per conſequens, à paralyſi diſtinctiſſimum protinùs commonſtrat. Præſupponunt nimirum boni Practici, qui unicè ac primariò ſcopum curandi intendunt, fundamenta illa ac elementa medica, quibus jam munitos eſſe poſtulant illos, quos ad praxin ſine morâ ac citra ambages manuducere geſtiunt: Quô ipſô ita ſe habente, Doctores illi & præſertim Chymiatri propterea non ſtatim laxandi aut damnandi ſunt, quod brevitatis amantes principia ac tyrocinia Medicinæ toties repetere faſtidiant. Deinde Autor in medium producit dicti affectus ſubjectum adæquatum, atque id modo exiſtere totum corpus, modò determinatam aliquam partem (v. gr. brachium, crus, &c.) dictitat. Unde confeſtim concludere licet, convulſionem dari tam univerſalem quàm particularem, quarum hæc minus omninò periculum habet conjunctum; illa verò quæ alioquin tetanus dicitur, omnium periculoſiſſima ſpecies audit, utpote quæ utplurimum ſuffocatione, muſculis reſpirationi deſtinatis inſimul tunc convulſis, ad mortem terminari ſolet. Porrò Autor immediatam mali cauſam præclarè hîc tradit, & commodiorem verioremque pro irritatione Archei (qui muſculorum etiam compagem luculentiſſimè vivificat, ac ſplendore hoc vitali egregiè illuminat)

Spaſmus eſt motus præternaturalis depravatus.

Spaſmi ſubjectum adæquatum.

Tetanus, convulſio univerſalis periculoſiſſima.

minat) vix ac ne vix quidem aſſignari poſſe , cuivis ob oculos ponit. Tandem adpoſita ſic cauſâ principali & efficiente immediata materialem quoque ſupponit, cujus genuinum videlicet tam malignum quàm dolorificum ſubſequentes theſes nobis inſinuabunt, ac utrumq; clarius conſiderandi anſam ſufficientem poſteà ſubminiſtrabunt. De vita muſculorum (hic enim terminus ſcholis inſolitus videtur) cui excrementum malignum aut dolorificum inſidiari docet Faber, id ſaltim addere allubeſcit, quod hunc loquendi modum Noſter ab Helmontio mutuum acceperit, qui ſtatuit muſculis pariter ineſſe vitam peculiarem, hoc eſt naturam ſuam ſingularem atque auram vitalem, quâ illuſtratur vegetaturque muſculoſa caro, per omnes etiam minutiſſimas ſui partes obtinere.

Muſculorũ vita.

Ad §. 2.

Solemne & ſvetum Autori jam ſæpiùs cognovimus, eum cujusvis morbi indaginem inſtituere, denominando tam cauſam efficientem quàm materialem, quarum hanc quantocyùs eliminandam, illam verò placandam, puta Archeum iratum irritatumque placidè componendum, adeoque ab inordinatô motu & irritamento pernitioſiſſimo liberandum ſic innuit. Cauſæ materialis munia ſubire excrementum vel malignum vel dolorificum, hoc eſt ⊖ſa vel acida vel acri aut cauſticâ, uno verbo, mordaci nequitiâ dolorem inferens docet, de cujus utriusq; generatione & accumulatione jam ſuprà in præcedentibus Capitulis datâ occaſione ſæpius dictum fuit, ſicuti nec minùs de cauſa efficiente ſeu Archeo vel ſpiritu vitæ à culpato excrementorum (quæ imperio vitali perpetim eſſe infeſtiſſima ſolent) vitio ad concipiendum furorem & inordinatam commotionem, quam is ipſe contra excrementa hæc vituperoſiſſima impetuoſè pugnans incurrit, irritato, itidem hinc inde in ſuperioribus abundè mentem noſtram expoſuimus, ut proinde nequaquam ulteriori opus ſit explanatione, niſi quod tremente Archeo, & materia vitioſa erumpere geſtiente, ipſius quoque domicilium ſeu partem muſculoſam in quâ Archeus undique & ubique reſidet, unà contremiſcere, & contracto eodem aut violenter commoto, contrahi etiam & convelli, vel horribiliter diſtorqueri partes continentes, nullum ducamus dubium. Fortiorem autem per convulſionem tanquam per violentiſſimum motum materiæ peccantis fieri ex nervis muſculisque expulſionem aut diſcuſſionem, manifeſtiſſimum eſt, id quod ſuprà ex Cap. VII. vomitus exemplo (qui nil aliud eſſe videtur, quàm quædam ventriculi convulſio) quàm dilucidiſſimè demonſtrari poteſt, utpote cujus beneficiô com-

Spaſmi cauſa materialis.

Spaſmi cauſa efficiens.

Muſculorũ tremor ac convulſio unde.

Vomitus beneficio excremẽta viſcidiſſima expurgantur optime,

compactiſſimum & quaſi conglaciatum excrementum, plerumque mox inſtans vitæ gelicidium efficiens, non tantùm ex ventriculô, verùm ex ipſius etiam cerebri ac totius corporis anfractibus & antris expugnari atque exturbari, adeoque v. g. Apoplecticus in limine Fati jam hærens, ad lucem & jucunditatem vivendi, oppidò ſic revocari poteſt. Inſuper quùm præcedente paragrapho de convulſionis adæquato ſubjecto actum fuerit; Autor hîc proprium, principale, ac primarium nobis cognoſcendum offert, nempe (ut rem ipſam clariùs adhuc exponamus) corpora in muſculis nervoſa, quorum eſt, voluntarium motum exequi atque perficere: Quum verò omnes muſculum conſtituentes partes tam compoſitæ (ut ſunt caput, venter, & cauda ejusdem) quàm ſimplices, ſive ſint communes illæ (nempè membranæ, venæ, arteriæ, ac nervi) ſive propriæ (caro ſcilicet & tẽdo) in convulſione ac violenta illa ad principiũ contractione afficiantur, fit etiam ut muſculo nomen loci primariò affecti plerumque attribuatur. Certiſſimum namque eſt, quod in convulſione alicujus muſculi vaſa omnia, quæ per eundem tranſeunt, aut ipſi inſinuata exiſtunt, miſerè concutiantur, venter muſculi carnoſus evidenter intumeſcat, dum in latitudine ſui accreſcit, ac in longitudine decreſcit, item quod fibræ ſingulæ mirum quantum abbrevientur, & tendo denique totius convulſivi motus vehementiſſimum ſuſtineat impetum. Recordamur hâc occaſione, quod Dogmatici in quacunque convulſâ parte ad tria potiſſimum reſpicere ſoleant, nempe ad facultatem, ad muſculum, & totum membrum, quorum quædam partim paſſivè concurrere, ac reſpectum ſubjecti patientis habere (quale videlicet eſt membrum ac muſculus convulſione afflictus, de quibus jam dictum) quædam verò activè tunc conſideranda eſſe docent, & nihil aliud eſt, quàm facultas, vel ut Noſter loquitur, Archeus ſeu ſpiritus vitæ, qui termini ſynonymo planè valore pollent, ita ut Hermetici cum Dogmaticis facilimo modo ſic conciliari queant: Reverà enim Archeus ſeu ſpiritus vitæ eſt facultas ſeu robur illud, quod omnes corporis noſtri actiones expedire valet; ſiquidem Archeus neceſſitati nutriendarum partium, quibus inſitus eſt, providè proſpicere, ac nutrimentum attrahere, attractum benè diſpoſitus aut placidus retinere retentum robuſtus concoquere, concoctum beneque digeſtum benignus nutriendis partibus aſſimilare, vegetus movenda movere, oneratus verò aut irritatus ſuperflua ac vitioſa expellere valeat; ideoque idem ſanè eſt, & conſimilem planè ſenſum exhibet Archeus ſeu ſpiritus attractor, retentor, concoctor, aſſimilator, motor & expulſor, quàm facultas attractrix, retentrix, con-

Convulſionis principale ac primarium ſubjectum.

Cur muſculus communiter pro primario cõvulſionis ſubjecto habeatur.

In quacũq; convulſa parte Dogmatici ad tria reſpicere ſolent.

Facultas nil aliud eſt Dogmaticis, quam Archeus ſ. ſpiritus vita Hermeticis.

coctrix, aſſimilatrix, motrix & expultrix. Atque hoc propterea vel obiter hîc monere voluimus, ut Chymicos cum Galenicis conciliandi facilitas hinc emergere ac ſuccreſcere poſſit, dum illi Archeum irritatum, hi verò facultatem expultricem laceſſitam in determinanda convulſionis cauſa efficiente producere, adeoque ambo unum idemque dicere ac indigitare ſolent.

Circa determinandā convulſionis cauſam efficiētē Dogmaticorum & Hermeticorum ſenſus idē eſt.

Ad §. 3.

Cauſam materialem ulteriùs hîc perputare pergit Autor, ac multas convulſiones, quæ absque ullâ ſunt malignitatis ſuſpicione, dari aſſerit, veluti id conſpicere licet in difficultate dentitionis, contumaci colicâ, inſigni dolore nephriticô, cruciatibus podagricis, & conſimilibus malis à materia corruptâ excrementitiâ exquiſitam acrimoniam habente oriundis: Hæc enim vel exinde diſperſæ fuligines ſi ad Archeum in nervoſis muſculoſisque partibus reſidentem perveniant, eumque laceſſant, ac dolorem inferant, fructus convulſionis protinùs in promtu eſt. Indubitatum igitur eſt, haud omnem convulſionem præſupponere malignitatem, ſed ſolum etiam dolorem, ſi exquiſitus ille cumprimis ſit ac contumax, ſeu matetiam hunc parientem, convulſionis malum efficere poſſe, ſicut hoc etiam de malignitate, quæ Archeo noſtro cumprimis contrariari ſolet, ſatis notorium eſt, quòd vel ſola graviſſimas & plerumque lethales convulſiones accelerare poſſit, id ſatis ſuperque ſpasmis malignis epidemiis, qui non rarò graſſari, ſic conteſtante Practicorum coronâ, quondam conſvevere, confirmantibus: Ita toties obſervatum etiam fuit, convulſiones ad malignarum ac petechialium febrium, item ipſius peſtis pertinere mortifera ſymptomata, nec minùs etiam eas accedere ſæpiùs in morſu aut ictu venenatorum ac rabidorum animantium, quâ de re hiſtoriæ medicæ conſuli poterunt. De malignitate ſciendum hîc injungimus, quod ita Archeum noſtrum non tantùm valdoperè irritare tanquam peculiariter & totâ ſuâ ſubſtantiâ vel occultâ ac veneficâ qualitate, ut ſcholæ loquuntur, ipſi infenſa, quia cadaveroſò fœtere aut nidore jam inquinata eſt, aut quod à ſummâ corruptione proveniat, & proinde lumen vitali extinguere ideonea exiſtat, ſed quòd potiſſimùm juxta recens natam Kircheri ſententiam, verminoſâ pullulagine ſit refertiſſima, vel quod muſculorum penetralia & intima animata hujusmodi putredine tunc omninò ſint infecta. Cum itaque atomorum ad inſtar minutiſſimi hi vermiculi ac effluvia verminoſa vim habeant exquiſitiſſimè pungendi & arrodendi, vel potiùs nervoſas par-

Convulſionis cauſa materialis non ſēper eſt malignitas ſed ſæpius ſolus dolor ſufficit.

Convulſionem ſæpius efficit ſola malignitas.

Convulſiones aliquādo ad malignarū febriū ſymptomata pertinent.

Malignitas quomodo ſpiritū noſtrū irritet, ut cōvulſio poſtmodum fiat.

Verminoſa ac animata putredo cōvulſiones progenerat.

tes

tes lancinandi vellicandique, fit ut Archeus extremè hinc irritetur, atque hujusmodi convulſiva calamitas concitetur.

Ad §. 4. & 5.

Auxiliô diſtinctionis Anteceſſorum opinio defendi poteſt, convulſionem nimirum proven re à repletione & inanitione, ſi ad claſſem cauſarum mediatarum utramque referamus, quod etiam voluiſſe ipſum Hippocratem, qui hujus ſententiæ eſt parens, ſect. 6. aphor. 39. ex Neotericis ſapientiores ſibi non immeritò perſvadent. Errant igitur & totô cœlô aberrant Hippocratis interpretes, dum hôc ipſô aphoriſmô immediatam convulſionis cauſam exprimi ac indicari aſſerunt; Hoc enim fundamentô ſi ſtandum eſſet, omnes plethoricos pariter ac cunctos tabidos emaciatosque aſſiduâ convulſione corripi ſequeretur, quod tamen evidenter abſurdum; unde etiam repletionem, quatenus ſcilicet talis eſt, tollendo vel emendando inanitionem, inanem irritumque omninò convulſionibus medendi experimur conatum. Ergo tam Helmontio quàm ejusdem Encomiaſtæ Fabro non poſſumus non applaudere, qui autoritatem magni Hippocratis ſalvaturi, eum de mediata convulſionis cauſa dumtaxat in hôc aphoriſmô ſolicitum eſſe ſtatuunt. De repletione enim ac intemperantia (quam pergræcationem, hoc eſt nimiam cibi potusque ingurgitationem ſeu luxuriæ ſtudium, quo noctes diesque edendo bibendoque conſumuntur, Autor noſter nuncupat) jam conſtat, quod exinde multæ impuritates ac cruditates colligi, & potiſſimum excrementa corruptisſimæ indolis, vel humores ac vapores nidoroſi ſummaque acrimonia præditi provenire ſoleant. De inanitione itidem non obſcurum eſt, quod ex immodico venæſectionis & purgantium abuſu vires impenſè exhauriantur, & viſcera enormiter debilitentur, ut officio ſuo poſteà ſatisfacere decenter nequeant; unde pariter colluvies damnatæ ac peccantis materiæ hinc confertim ſuccreſcit. Ergo per has notiones intelligit Hippocrates præcedentes vitæ occaſiones, ut Helmontius loquitur. Quod terminum repletionis attamen concernit, ille hîc locum quodammodo habere poſſe videtur, ſi ſpasmum flatulentum examini noſtro ſubjicere amemus: Compertum enim eſt, flatulentam & ventoſam hujusmodi materiam nervoſarum partium & muſculorum intima non rarò ſic occupare, ut quaſi ſufflata conſpiciantur. Dum ergo ſpiritus vitæ ſeu Archeus flatus hujusmodi, præſertim ſi effrænes nimium ſint ac copioſi, diſcutere conatur, & hi ipſi ab Archæo ſic impulſi erumpere coguntur, impoſſibile autem ſit, ut

Intẽperantia ac ingurgitationis nimia noxa.

Immodicus venæſectionis & purgantiũ abuſus ingentia damna parit.

Spasmus flatulentus quid.

per

per ſpiracula ac poros cutis, præcipuè ſi obſtructi exiſtant illi, ſtatim & unâ vice evaneſcere queant, fit ut corpus muſculi non ſecùs ac in terræ motu ipſa tellus attollatur vel intumeſcat, & reliquæ partes muſculi ædificium conſtituentes valdè interim concutiantur, donec flatulenta hæc materia penitùs fuerit diſſipata: Unde Hippocrates etiam flatum jam olim agnovit mirabilem actionum operatorem, & inter primarias atque frequentiores morborum cauſas recenſuit. Admiranda namque flatuum eſt poteſtas, inquit Poterius, & mira eorum natura ac conditio, quæ poſteà in geneſi morborum monſtroſos ſæpiſſimè partus edere ſolet. Sed utut favorabile hoc videatur ratiocinium pro ſententiâ Galenicorum tuenda, nihilominùs & flatulenta hæc materia ad cauſam mediatam veniet referenda, atque ſub hoc flatuum dominiô Archei itidem irritatio latitat: Hic enim dum à flatibus quaſi comprimitur, cum vehementiâ reſiſtere ſtatim cogitur, qui ipſe reſiſtendi conatus cum aliquô partis, in quâ hic repugnandi labos committitur, tremore ac concuſſione non fieri non poteſt: Hinc etiam Helmontius adpoſitè ſpasmum ſpiritus aut vitæ ſenſitivæ accendentes adpellitat, quæ virus & dolorificum quodvis inſigne quantum perhorreſcit.

Flatus non raro ingentes morbos cauſantur,

Ad §. 6.

Non eſt ut in deductione hujus theſis nos detineamus, ſiquidem ex ſuprà præmiſſis & ex ipſo pariter textu Autoris jam ſatis ſuperque nobis innotuerit, quomodo materia ſeu excrementum dolorificum vel dolorem concilians Archeum irritare ac velut in unum comprimere aut coarctare, hoc eſt convulſionem concitare queat, ut ſic fortiùs in hoſtem ſuum ille agere valeat: Ubi approbè cumprimis quadrat ſimilitudo, quam depromſit Autor à ſpinâ ſeu feſtuca membro infixa, quæ quamdiu inhæret, tamdiu ſpiritum ſenſitivum lancinando atrociſſimos ſæpè dolores concitat; extractâ autem eâ, doloris vehementia deſubitò ceſſat ac evaneſcit: Unde concludendi ratio in proclivi, quod ſpasmus aliô melioríque modo curari nequeat, niſi materiâ peccante remotâ, & Archeô hinc placatô ſeu tranquillitati ſuæ reſtitutô.

Ad §. 7.

Præſtantia laudati emetici minimè nos fugit, cujus emeritô præconiô multas hactenus perſonuiſſe theſes recordamur, quarum tenorem virtutes celebratiſſimi pharmaci repetiturus inſpicere poterit. Neque dubitamus, beneficio fortiſſimi hujus purgantis citò & tutò, ἄνω & κάτω peſſi-

peſſimi characteris excrementa convulſivam hanc miſeriam efficientia cum quadam ſingulari virtute propulſari atque exterminari poſſe, modò conſideratè & obſervandis ritè obſervatis illud adhibeatur: Imprudenter enim & planè ἀμεθόδως, ubi inſignis jam adeſſet virium proſtratio, aut ubi ſæviret convulſio, quæ febres exquiſitè malignas & acutiſſimas, item quoque phrenitidem inſequuta fuiſſet, vomitorium hoc præberetur, quod Natura ac virtus vitalis ſic penitùs præcipitari, & malignitatis æſtus à circumferentiâ ad centrum & ipſum vitæ thronum indubitatô detrudi, adeoque fatalis neceſſitas accelerari ſic ſoleat; hujusmpdi enim convulſionis plerumque ſunt deſperatæ ac lethiferæ, ubi nullam curationem locum habere à Practicis non immeritò ſtatuitur. Cœterùm ſi abſint hæc obſtacula, & ſi infirmitas à reſolutione facultatis vitalis non dependeat, doctrinæ Autoris, circa hujus medicamenti in curanda convulſione uſum, album calculum adeoque & noſtrum lubenter addimus. Nec diſplicet quod poſt uſurpatum hoc emet:cum tenuem victum & juſculum dumtaxat hîc præſcribat: Cùm enim ventriculus tunc poſt exantlatum vomendi laborem debilitatus quodammodo exiſtat, ex largiori prandio cruditates ac recidivæ vomitiones expectandæ ac pertimeſcendæ potiùs eſſent, ideoque ſatius erit modico cibo & quidem in ſpecie juſculo quodam ventriculum tunc recreare, quàm ut ille rurſus copioſa eduliorum ſarcina ebruatur: Nec incaſſum ab Autore noſtro juſculum optimè ⊖itum commendatur (nos hujus locô ſubſtituimus juſculum carnis, cui aliquot guttulas ſpiritus ⊖is ad gratam aciditatem inſtillare conſvevimus.) Quum enim ⊖ commune habeat virtutem abſtergendi ac leniter adſtringendi, nec minùs ſuperfluitates conſumendi, fit ut tunc temporis tale juſculum approbè conveniat, quòd ventriculi cruditatibus ⊖ reſiſtat, eumque ſpecifica proprietate refocillet, præcipuè verò appetitum proſtratum nauſeamque omnem, quæ ipſa vomitus alioquin comitari ſolet, oppidò levet. Hac ipſa igitur cautela decenter obſervata, tutiori conſilio lauta cœna poſtmodum, utpote ventriculô ad priſtinum vigorem reductô, concedi poterit.

Vomitoria quâ cautela adhibeantur in curando ſpaſmo.

Convulſiones, quæ febres malignas & phrenitidẽ inſequuntur, pleriũq; lethiferæ ſunt.

Poſt uſurpata Emetica qualis diæta obſervari debeat,

Salis communis virtutes ac energia.

Ad §. 8.

Circa adhibenda topica, quibus partes convulſionibus miſerè affectas corroborare docet Autor, nihil planè occurrit, quod monere queamus, quùm id ipſum jam ſuprà circa documenta membra paralytica externis præſidiis curandi à nobis abundè factum fuerit, niſi quòd °o° a ſuccin. alb. aut caſtor. priùs cum ſpiritu ⊖is ac deinde cum ſpiritu X fo-

lerter digerendo ſæpiusque cohobando ad ſummam ſubtilitatem redacta, claſſem topicorum hîc valentium mirum quantùm adornare aſſeramus. Cœterùm abſolutâ purgatione ſpecifica quoque interna, ut ſpiritum noſtrum cephalicum, ſpecificum cephalicum Hartmanni, vel ſaltem cinnabarim ♁ij optimè paratam, Ram ☽æ & remedia omnia ex ſuccin. alb. vel craniô humano præparata, imò ſingula illa, quæ inter antiepileptica pretioſa numerantur, de quibus mox quoque agetur, hîc nequaquam negligenda ducimus.

Cinnabaris ♁ij optimè paratur ex ⊕, quod poſt ♌lationē butyri ♁ij remanet, ubi recens ☿tus additur, atq; △e forti cogitur, quo facto cinnabaris iſta ſat abundè adſcendit.

CAPUT XIV.

De *Balbutie & his, qui cum difficultate loquuntur.*

§. I.

Ἀγκυλογλῶσσοι & μογιλάλοι vocantur Græcis, qui difficultate loquendi laborant, & qui in ſermone hæſitantes loquelam præcipitant, literas L. R. & K. maximâ cum difficultate pronunciando.

§. 2. Hoc ſermonis ac loquelæ vitium dependet ex vitiis muſculorum ipſius linguæ, aliquando etiam ex depravatâ conformatione ejusdem. Quod vitium muſculorum linguæ concernit, illud originem habet ex horum obſtructione, dum inferciuntur ac replentur excrementis viſcoſis, glutinoſis, ac frigidis commercium ſpiritus animalis, qui ad illos linguæ muſculos influere debebat, impedientibus ac intercludentibus; quô impeditô motus linguæ expeditè fieri non poteſt.

§. 3. Dicitur autem hæc difficilis pronunciatio ſeu loquela non expedita vel balbuties ἀγκυγγαγλωττία ſive μογιλαλία, & provenit ex viâ ſpiritus animalis ad muſculos linguæ ab excrementis viſcoſis frigidisque præpedita, quæ ex capite in dictos muſculos confluunt: Caput enim deponit ſua excrementa in palatum, & per conſequens ea in muſculos linguæ etiam delabuntur.

§. 4. Si itaque excrementa illa tollantur, ut ſpiritus animales ad linguæ muſculos copioſè redire poſſint, tunc balbuties illa curabitur: Sin verò dependeat hoc vitium à depravatâ linguæ conformatione, tunc

tunc incurabile illud eſt; ſin ex adſtrictione ac brevitate membranæ, quæ ſub linguâ eſt, ac filum dicitur, oriatur, Medicamentis ac chirurgia curari poteſt, ut ex ſequentibus videre licebit. vid. ſeq. §. 8.

§. 5. Curatio balbutiei & omnis loquendi difficultatis dependet à ſublatione cauſarum materialium balbutiem conſtituentium: Has enim qui tollit, efficientes etiam cauſas tollit; & proinde ſi tollantur excrementa viſcoſa ac tenacia, commercium ſpirituum animalium impedientia, tolletur quoque cauſa efficiens balbutiei aut loquendi difficultatum, quod ſic ſpiritus animalis copioſè rurſus affluere & partes loquelæ dicatas illuſtrare, ac linguæ motum proprium ſeu naturalem promovere poſſit; ſiquidem ſpirituum animalium defectus ſit cauſa loquendi difficultates efficiens.

§. 6. Tolluntur autem excrementa illa viſcida ac tenacia ſpiritubus animalibus aditum impedientia potiſſimum purgatione ☿iô noſtro facta, quod eadem innatâ ſuâ virtute potenter evocat, atque ex capite tanquam ex fonte, unde ſcaturiunt illa, & in fauces irruunt, educit. Purgatio ſic fiat: ℞ ☿ij noſtri gr. viij, vin. opt ℥j M. & D. ſummô manè, ſervato regimine & cuſtodiâ: Iteretur hæc potio, & per 3. dies iteratâ doſi exhibeatur.

§. 7. Deinde os lavetur ſæpiſſimè cum ſpiritu ardenti ex ſucc. ceraſ. nigr. extractô: Hic enim in cellâ depoſitus ad inſtar vini ebullit; quô factô poſtmodum per Ωlationem ſimplicem exinde ſpiritus ardens paratur, qui ſummoperè roborat muſculos linguæ ac ſpiritum innatum fixumque illarum partium, quæ loquelæ deſtinatæ ſunt.

§. 8. Si verò membrana linguæ ſubſtrata loquelam præparat: nimiam ſui adſtrictionem ſeu brevitatem impediat, volſellis eſt accipienda, & forcipe tenui incidenda: Deinde os ſtatim aquâ plantag. aut roſar. eſt colluendum, ut ſanguis compeſcatur, & pars inciſa ad debitam cicatricem reducatur.

§. 9. Caput & roborandum & excalefaciendum eſt lotione ſpiritus ✕ per xv. dies tempore ſomni, ne caput ſuâ frigiditate ac humiditate ulteriùs excrementa viſcoſa ac tenacia ad fauces mittat, & ſic cauſas balbutiei materiales foveat ac nutriat. Atque ſic balbuties & omnis loquendi difficultas perfectè curabitur.

Animadverſiones Ad CAP. XIV. in genere.

DEflectere quidem hîc Autorem noſtrum ab orbitâ debiti ordinis concernimus; Cùm enim hactenus is egerit, & paulò pôſt quoque agere pergat de affectibus caput ſeu cerebrum ejusque facultates propriè ſpectantibus, balbuties verò ad linguæ pertineat morbos, videtur ſic quandam aberrationem commiſiſſe. Verumtamen id ipſum in ſcopo hanc loquendi difficultatem per partes ab Autore nobis propoſitas perputandi nequaquam nos retardabit. In genere igitur de actionibus linguæ ſciendum, quod illa ſuis etiam afficiatur injuriis, adeoque loquela non rarò vitiari, hoc eſt vel planè deficere atque aboliri lædi vel ſaltim imminui & depravari ſoleat. Ex his ipſis vitiis certa & diſtincta nomina eſſe poſita paſſim deprehendimus, quorum genuinum ſenſum paucis ſtatim & in anteceſſum explorabimus, ne terminorum diverſitas nos confundere queat. *ἀφωνία & κώφωσις quid.* Nempè cum ſermo planè deficit, & loquela penitùs amiſſa eſt, ἀφωνία dicitur & κώφωσις, mutitas: Cum difficulter aut depravatè vel cum inſigni labore loquimur, *μογιλαλία quid.* μογιλαλία ſeu linguæ vel loquelæ difficultas vocatur, cujus tres rurſum ſpecies ab Ariſtotele recenſentur, quarum prima audit *τραυλότης quid.* τραυλότης blæſitas, cum homo certas quasdam literas proferre nequit, ſed unam in aliam, v. g. R. in L. mutare cogitur: Altera nominatur *ψελλότης quid.* ψελλότης balbuties, cum ſyllaba aut litera in voce emittitur: Et tertia hæſitas ſeu linguæ hæſitantia nuncupatur, Græcis *ἰσχνοφωνία quid.* ἰσχνοφωνία, quando ſcilicet quis verbum verbo aut ſyllabam ſyllabæ decenter connectere non poteſt, ſed unam eandemque ſyllabam cum laborioſa pronunciatione ſubinde repetit, & ita adhæſè loquitur. Sed de his ipſis notionibus certum eſt, quod Medici Practici hanc accurationem & tam exactè diſcernendi ſolicitudinem haud attendere ſoleant, contenti nimirum vulgari denominatione, qua vel balbuties aut loquendi difficultas hic affectus ſalutatur. *Loquelæ difficultatis cauſa.* Horum autem vitiorum cauſa partim eſt in linguæ & adjuvantium partium cumprimis tamen muſculorum malâ conformatione, ad quam eorundem obſtructionem juxta manuductoris noſtri mentem non immeritò referimus, partim in iſtarum intemperatura. Circa conformationem ab Autoribus

bus adnotatur, quod lingua ſæpiùs plus juſtô corpulentior eſſe ſoleat aut brevior aut adſtrictior vinculô inferiore, quod poſtremum vitium Græci ἀγκυλογλώσσον appellant: Corpulentia etenim & nimia moles tardam reddit linguam, quæ tamen verſatilis valdè exiſtere debet; brevitas autem & adſtrinctio ejusdem impedimento utique ſunt, quò minùs illa dentibus tanquam plectro ſuo allidi aut agilis eſſe queat, ut rectè ac diſtinctè literarum ſonos exprimat: Quare ubi dentes penitùs deſunt præſertim anteriores, ut in ſenibus, his ſimilia vitia oboriri animadvertimus. Idem quoque ſentiendum de intemperie, præſertim de humiditatis exceſſu (quanquam & ſiccitati aſperitatique linguæ rectè etiam impotentia loquendi aſſignetur) quæ immobilem linguam ac balbutientem eam facit, ſicuti videre eſt in pueris, ebriis, ſeu vinô vel cereviſiâ perpetim madentibus, & hujusmodi conſimilibus.

Balbutiei cauſa eſt lingua male conformata.

Dētes quomodo balbutiei cauſa ſunt.

Intemperies balbutiei cauſa eſt.

Ad §. 1.

Quid propriè per ἀγκυλογλώσσους & μογιλάλους intelligi debeat, ex præmiſſis jam cognitum eſt: Interim rationem balbutiendi quodammodo hîc tangere Noſtrum conſpicimus, ſicuti etiam veriſſimum eſt, balbos aliquid pronunciaturos verba tandem cum ſummô conatu expreſſa quaſi præcipitanter effundere, & in eloquendis illis præcipuè literis omnium maximam difficultatem & hæſitationem exhibere, quæ linguæ agilitatem & mobilem promtitudinem alliſionemque requirunt. Autor tres literas K. L. & R. in ſpecie determinat, quas pleraſque lingua facit & efformat, aut extremum palatum contingens, aut ſuperô fibrata repulſu. Sennertus eas voces, quæ per T. & R. ſcribuntur, à balbutientibus ægrè & minùs articulatè proferri ſeu enunciari poſſe aſſerit, & hoc ipſum dubiô procul eandem ob cauſam, nempè ob linguæ vitium: Quùm enim T. linguæ impulſu, quæ ſimul dentium contactu hanc literam modulatur, prodire debeat, fit ut in expreſſione hujus literæ multum negotii & laboris iſtâ loquendi difficultate laborantibus ſuccreſcat.

Ad §. 2.

Diſtinctio cauſarum aut morborum, unde ſymptomata proveniunt, utique attendenda eſt, quod Autor etiam in ſcrutinio vitiatæ loquelæ hîc obſervavit. Dum ergò ſymptoma hoc facultatis metricis ipſius linguæ morbos organicos præſupponit, ante omnia conſiderandum erit, an nativi exiſtant illi, an verò adſcititii ſeu adventitii: Si vitiata linguæ & ejus muſculorum compoſitio à Naturâ, ut fermè ſemper fit,

 depen-

dependeat, nihil tunc judicandum utile, quia nullam penitùs admittit curationem, vel ut Autor noſter paulò pòſt §ô quartô loquitur, vitium iſtud naturale omninò incurabile eſt. Julius Cæſar Claudinus hanc rationem affert, quòd malum nativum nullam habeat aut admittat materiam medicam, quæ ſui ablationem moliri poſſit; idcircò id planè tunc prætereundem cenſet. Sed ut nulla datur in ſcientiis regula, quæ ſuam non habeat exceptionem; ſic ab hâc ipſá claſſe excipere præſtabat frænum ſeu filum linguæ, quod ut naturaliter ſæpè vitiatum ab incunabilis ſtatim deprehendimus, ita auxiliô Chirurgiæ hic error Naturæ haud difficulter emendari poteſt, de quô paulò infrà agetur pleniùs: Sin verò adventitium ſit conformationis, quam lingua & partes eidem miniſtrantes poſtulant, vitium, tunc manus medica denegari non debet. Oritur autem hoc vitioſæ loquelæ ſymptoma utplurimum à morbô meatuum, & quidem in ſpecie, juxta Autoris ſententiam, à muſculorum linguæ famulantium, qui itidem ut omnes aliæ corporis partes ſuos meatus habent, obſtructione, dum illorum intima ab excrementis viſcidis, glutinoſis ac frigidis undiquè obſidentur, atque ita adimplentur, ut ſpiritus tam animales quàm vitales decenter influere, nec mutuum invicem commercium, cujus beneficiô omnes partium actiones, & per conſequens, linguæ etiam agilitas alioquin vegetari ſolent, exercere valeant: Hinc poſteà non fieri non poteſt, quin impeditô hôc ſpirituum influxu motus etiam linguæ impediatur, & proinde minùs expedita fiat ipſa loquela. Ut enim præparat: ſpirituum defectum omnes partes languere & marcere ſolent, ſic conſimiliter imò multò magis & linguæ corpus, quod ob aſſiduam ſe agiliter movendi neceſſitatem cumprimis ſpirituum copiam depoſcit, languere ac deſes evadere certum eſt, ſi radiis ſpirituum animalium ſufficienter non illuſtretur.

Malum nativum incurabile eſt

Balbutiei cauſa utpl. ab obſtructione dependet.

Actiones partium omnes beneficio ſpirituum animalium & vitalium commercii fiunt.

Ad § 3.

Abutitur hîc Autor græca voce ἀγκυλογλωττίας, dum ipſam cum μογιλαλία idem denotare ſubinnuit; utriusque verò propria ſignificatio ex ſuperioribus jam conſtat. De ortu excrementorum viſcoſorum, quæ muſculos linguæ ſua tenacitate obſtruunt, hoc adnotandum inſuper exiſtimamus, quòd non tantùm à capite ſeu cerebrô ſcaturiant, & hinc delabantur in palatum (quod linguæ templum adpellant elegantiarum cultores.) ac per conſequens linguæ etiam muſculis ibidem ſitis inſinuentur, verùm etiam quod in iisdem generari atque cumulari poſſint: Quùm enim & lingua cum ſuis miniſtris non ſecùs ac aliæ partes nutriri debeant,

Excremēta balbutiem cauſantia unde proveniant.

debeant, concluſu facile eſt, ex hujusmodi nutritione propriâ præſertim ſi depravatè illa fiat, excrementorum colluviem redundare poſſe, & id quidem propterea, quod ubicunque fit nutritio, ibi utilis ab inutili, puri ab impurô contingat ulterior ſegregatio, quorum illud nutriendis partibus aſſimilandum, hoc verò excernendum venit, unde etiam excrementi denominatio deſcendit, quod eò majori coacervatur copiâ, quò pejor ſit partis nutritio. Huic accedit, quod lingua præ reliquis partibus magis ſuperfluas colligere humiditates queat: Notum enim eſt, quod à Philologis lingua ſalutari præſtabilis Nympha ſoleat, quæ familiariùs lymphâ gaudeat, quàm ullum aliud membrum, & cui plus humores, quàm reliquis partibus ob continuam motionem Natura attribuit. Ergo quivis vel promtè ſubſumet intemperiem humidam & proinde excrementa viſcida ibi faciliùs ſuccreſcere poſſe, quorum abundantia ſi ad radices & muſculos linguæ irruat, atque eosdem infarciat, tarditatem & difficultatem loquendi ob ſuprà jam expoſitas rationes indubitanter pariet.

In ipſa lingua excrementa quoq; generantur varia.

Lingua dicitur Nympha à Philologis.

Ad §. 4. & 8.

Morbum compoſitiones in ſpecie ſic dictæ, quæ nempe in depravatâ connexione conſiſtit, unde ſymptoma vitiatæ loquelæ poſtmodum provenit, hîc tangit Autor, & monſtrat, quomodo cognoſcendus & curandus is veniat. Concernit autem hoc negotium propriè ἀγκυλογλωττίαν, quando videlicet adſtricta nimis eſt illa membrana (aliàs dicitur etiam frænum ſeu filum, item ligula ac funiculus) qua linguæ inferiùs palatus connectitur & alligatur; ſic enim fit, ut ſi lingua hinc arctè nimis & ſtrictè palato adhærere cogatur, ea debitè attolli, & hinc inde allidi nequeat, unde poſteà loquendi difficultas neceſſariò ſuccedit. Sed de hoc ipſô etiam frænô notandum eſt, quod non ſolummodo nimia adſtrictione & brevitate ſua peccet, ſed ſæpiuſculè etiam, licet ſilentiô id præterierit Autor, congruam magnitudinem excedere, & grandiùs quàm decet evadere ſoleat, ita ut ad apicem uſque linguæ id perveniſſe, liberumque ejus motum impediviſſe obſervatum fuerit. Quomodo autem medendum ſit nimis adſtricto linguæ fræno, dilucidè ſatis edocuit Autor: Nimirum ad volſellam & forcipem ſubtilem tunc ſtatim provocandum ſvadet, ita ut Chirurgus beneficiô illius arripere frænulum; hujus autem non nihil id incidere queat. Quod ſi verò opportuna magnitudo fræni Naturæ excedat limites, illud quod excedit ſine mora auferendum, & circumſpectè forcipis mediô facta per transverſum

Lingua frænulum non tantum ſua adſtrictione, ſed & nimia magnitudine balbutiē cauſatur.

ſum ſectione reſciendum eſt; imò in infantibus vel ſolis unguibus peritiones obſtetrices id diſrumpere conſveverunt. Cum verò hæc operandi ratio ſine quadam hæmorrhagiâ perfici nequeat, Autor hîc etiam ſolicitum ſe præſtat, ut ſanguinis fluxus compeſci, & cicatricis ſucceſſus maturari hinc poſſit. Non immeritò autem plantag. & roſar. aquam, quâ os tunc colluendum præcipit, in hoc caſu commendat: De plantagine enim notum eſt, quod ea oppidò mundificare & conſolidare tam vulnera quàm ulcera ſoleat, unde etiam in cujuscunque generis fluxionibus quàm utiliſſimè adhibetur: ſic de roſis etiam non ignotum eſt, quòd præſtabilem obtineant ob adſtringendi & fluxiones ſiſtendi virtutem. Sed longè efficaciorem ad hanc uſum Chirurgus parabit aquam, ſi prædictis aquis aliquid de phlegmate ⊕li vel Ois admiſcuerit.

Vulneraria egregia ſũt plantago, roſa, ⊕lũ & O.

Ad §. 5. & 6.

Notatu dignum axioma hîc nobis inſinuatur, dum ſublata cauſa materiali cauſam quoque efficientem removeri, & remota efficiente ipſum effectum affectumque tolli docetur. Quomodo autem hæc utriusque remotio & virtuoſa expurgatio, ut ſpiritus animales liberè ac confertim ad linguæ œconomiam affluere, eamque ſuô ſplendore rurſus irradiare queant, inſtitui debeat, hôc locô repetit Autor & denuò inculcat, quæ omnia tamen quùm hactenus ſtudiô etiam noſtro abundè jam evoluta ſint atque enucleata, in præſenti ruminare totiesque iterare abhorremus.

Ad §. 7.

Sanum & expertis Practicis laudatum conſilium hîc ſuggeritur, dum ritè celebrata purgatione, atque ſic excrementis viſcidis ac tenacibus muſculos replentibus debitè remotis os cum ſpiritu ceraſ. nigr. eorumque dulcium (cujus deſtillatio, quam fermentatio, ſive ut Autor loqui amat, ebullitio ſed ſ. △ antecedere debet, ſatis vulgata eſt) frequenter ac ſedulò lavandum vel colluendum, aut ut clariùs id exponamus, linguam potiùs eodem gnaviter fricandam Autor nos admonet. Imò omnia cephalica ſpecifica ſpirituoſa ſic uſurpata hîc ſingulariter poterunt, & linguæ partes nervoſas muſculoſasque pulcrè confortabunt, quibus admiſcendum nonnulli ſpiritum theriacalem inſuper conſvadent, quod tamen cujuslibet libero relinquimus arbitrio, cum non nemini præparat: opium, quod theriaca inter cœtera quoque permixtum habet, hoc remedium ſuſpectum eſſe poſſit.

Spiritus theriacalis an quoq; in balbutiei cura conveniat.

Ad

Ad §. 9.

Judicium noſtrum quid nempe de lotione capitis cum ſpiritu ✕ facta ſentiendum ducamus, jam ſuprà in Animadverſionibus ad Cap. IX. §. 9. candidè exhibuimus, quod propterea pro explanatione hujus etiam paragraphi conſuli poterit.

CAPUT XV.
De
Epilepſia ſeu Caduco.

§. 1.

EPilepſia magnus eſt morbus, & adeò quidem magnus, ut præ magnitudine illa Medici nec antiqui nec recentes adhuc eum cognoverint, unde etiam, quòd eſſentiam ac quidditatem ejus non perſpexerint, varia & quàm plurima ipſi impoſuerunt nomina.

§. 2. Hunc enim morbum vocarunt quidam puerilem, quòd pueros aggrediatur potiſſimùm: Alii Epilepſiam dictitarunt, quòd ſit quædam mentis apprehenſio, & quòd animus tunc potiſſimùm afficiatur: Nonnulli dixerunt Caducum, quod hoc morbo affecti cadere ſoleant: Quòd verò apud Romanos intermitterentur Comitia tunc celebrata, ſi quis fortè ibi hôc morbô âfficeretur, Comitialis adpellatus fuit: Item quòd vehemens & magnus ſit morbus, quodvè magnis, vehementiſſimis, & potentiſſimis egeat remediis, Herculeum vocarunt: Sacrum etiam adpellarunt, quod ſacris indigeat Medicamentis, vel quod magnus exiſtat: Nam Græci ſacrum vocitant, quod magnum eſt. Atque ſic Priſci hac varietate ac multitudine nominum quidditatem eſſentiamque hujus morbi patefacere quidem voluerunt, quod tamen præſtare non voluerunt, utpôte ignorantes veram ejus eſſentiam, quæ unô nomine, modò perfectiſſimè cognoſcatur, indicari poteſt.

§. 3. Nos ergò epilepſiam ſequentibus verbis definiemus, quod illa ſit affectus præter naturam ſeu morbus à virulentô quidam excremento inebriativô potiùs quàm ſoporiferô oriundus, offendens ſpiritum animalem, & vitalem adeò oppugnans, ut à virulentâ illâ qualitate velut inebrietur: Vel eſt Convulſio virulenta ab excremento virulento & inebriativo cerebrum concutiens ac lædens.

§. 4. Hæc convulſio vel eſt per ἰδιοπάθειαν vel δευτεροπάθειαν. Quæ idiopathica eſt, fit in cerebro ipſo, dum excrementum hoc virulentum & inebriativum in cavitatibus ipſius cerebri generatur, & alimentum ejus peculiari corruptione in hujusmodi virulentum convertitur excrementum, lædens peculiares cerebri actiones: Per δευτεροπάθειαν autem fit, quando excrementum illud in inferioribus partibus ex alimentô earundem depravato producitur ac generatur, ſurſumque ſeu partes ſuperiores petens, quas poſteà ſuâ peculiari virulenta qualitate lædit: Unde vocari Epilepſia poteſt inſultus virulentus cerebri, quod ita is invadit, ut vapore tetrô & virulentô illo expugnatum convellatur.

§. 5. Hinc colligitur quàm malè hic morbus definiatur interpolata totius corporis convulſio cum mentis & ſenſuum ablatione, in paralyſin non deſinens. Hæc enim definitio efficientes & materiales cauſas hujus morbi non comprehendit, & proinde nec eſſentiam vel quidditatem ejus, ſed tantùm aliquas proprietates ac virtutes hanc eſſentiam comitantes declarat ac demonſtrat: Sanè lædi & offendi non poteſt cerebrum, quin ſenſus etiam & mens ipſa lædatur quòd cerebrum mentis ſenſusque præcipuum ſit organum, unde etiam totius corporis fit convulſio. Non quidem nego Epilepſiam eſſe interpolatam totius corporis convulſionem cum mentis ac ſenſuum ablatione; ſed hanc tamen definitionem mancam mutilamque non aſſero, quòd cauſa materialis & efficiens generalis hujus convulſionis dictâ definitione non comprehendatur. Videbunt hoc omnes dati, modò judicare nullô præoccupati favore velint: Quid enim illam convulſionem in Epilepſiâ faciat, aut quâ ratione ſpiritus cerebri læſus ob excrementum illud virulentum ac inebriativum iſtam convulſionem pariat, non exprimit nec pandit hæc definitio, quapropter etiam manca valdè ac mutila eſt, niſi ab hâc noſtra definitione ea illuſtretur.

§. 6. Nunc quâ ratione illi paroxyſmi fiant, ac ter in menſe vel annô, aut quater in die vel bis in hebdomade, & ſic porrò reperant, item quomodo variis repetitisque paroxyſmis affligantur ægroti iſti, nobis inquirendum eſt. Nempè dum virulentum illud & inebriativum excrementum ſympathicè vel idiopathicè cerebrum feriens ſpiritum animalem adgreditur, pugna fit inter ſpiritum & excrementum, donec ſpiritus victoriâ luceat; tunc enim temporis redeunt omnia vitalia ad priſtinum ſtatum, quia vitalis animalisque ſpiritus victor abiit, ac triumphat de excrementô illô virulentô: Aſt quia fomes ſeu fodina excrementi illius viru-

virulenti ac inebriativi non omninò exhauſta eſt, ſed aliquid invicti ſemper remanet, quod per horas aliquando, non nunquam per menſes vel per annos, interdum etiam per breviſſimum tempus accreſcit, atque capax iterum evadit laceſſendi ſpiritum animalem inſitum ac innatum, fit utique, ut redeat paroxyſmus epilepticus brevis & interpolatus, ſecundùm ſcilicet virtutem & robur fodinæ illius excrementi virulenti & inebritativi, quæ ſuis vaporibus aut exhalationibus ſpiritum noſtrum epilepticô motu lædit: Læſo igitur tali ſpiritu, qui eſt motus ſenſuſque omnis organum, neceſſum eſt, ut corpus quaſi mortuum concidat, cùm organum vitæ præcipuum ſic lædatur.

§. 7. Præcipuus itaque tantum malum curandi ſcopus eſt, ut ſubitò tollatur excrementum illud virulentum ac inebriativum, atque ut poſteà roboretur ſpiritus, id quod ex ſequenti methodô fiet manifeſtiſſimum.

§. 8. Epilepſia autem difficilis admodum curationis apud vulgares Medicos eſt, quòd cauſam ejus materialem & efficientem neſciant, & nidum focumque ipſius materiæ penitùs ignorent; Ignoto ſiquidem morbo non datur remedium: Hinc incurabilem exiſtimarunt epilepſiam, niſi intra 25. ætatis annum ipſa Natura eandem curet. Quod ipſum ſi rectè perpenderent illi, Epilepſiam eſſe etiam curabilem hinc conſpicerent, cum ab ipſa Naturâ ſola ſæpiſſimè curetur, modô cauſas hujus mali materiales & efficientes ſcirent; Natura enim intra 25. annum Epilepſiam curat, quia intra hoc potiſſimum tempus, nempe annum ætatis ſeptimum, item decimum quartum & tandem vigeſimum primum tres inſignes totius corporis mutationes celebrare ſolet, in quibus & ſanguis univerſus & alimentum partium ultimum & ipſum ſemen permutari conſveverit. In his ipſis Ergò permutationibus facilimè fit, ut excrementum illud virulentum ac inebriativum tanquam vera Epilepſiæ cauſa materialis, alteretur quoque ac permutetur, aut aliam accipiat ſubſtantiam, ſi eliminari ac foras pelli ab ipſô vitali ſpiritu tunc nequeant, qui alioquin cotidiè cum iſto excremento ſæpiùs nominato pugnat, & ita certando epilepſiæ paroxyſmos excitat, ita ut hic ſpiritus vitalis ſit Epilepſiæ cauſa efficiens: Intra tempus autem illud ſpiritus vitalis valdè roboratur; cauſa verò materialis diminuitur. Neceſſum igitur eſt, ut illud excrementum intra 25 annum vincatur, & ſic Epilepſia curetur.

§. 9. Quod ſi hunc Naturæ motum contemplemur, nos citiùs Epilepſiam curabimus, virulentum illud excrementum evacuando ſudo-

rificis quibusdam propinatis, quorum beneficiô virulenta omnia, in quacunque etiam corporis parte latitare queant, per ſudores eliminantur. Roborandus tamen eſt ſpiritus vitalis, ut fortiùs in hoſtem ſuum agat, quod ipſum commodè admodum obtinebimus ſequenti modô: ℞ ☿ij noſtri (ſuperiùs Cap. XII. præparat.) gr. viij. cinamom. opt. in alchol redact. gr. xij, ambr. & moſch. aa gr. iij, ſacchar. parum, M. f. doſis una, D: c. pauca quantitate ▽æ lil. quall. ſummô manè ſervatô regimine & cuſtodiâ; iteretur hæc doſis per 3. dies ſummô manè ſervatô eodem regimine.

§. 10. Purgatô ſic corpore ad Sudorifica deveniendum eſt: ℞ ♃ ſudorif. (ſuprà Cap. IV. præparat.) ℈ß, ambr. & moſch. aa gr. iij, ▽ cinamom. & ulmar. aa ℥j, f. potio, D. manè & cooperiatur æger optimè in lectô, & ſudet ſic omni arte adhibitâ per menſem ſingulis diebus repetitâ iſtâ doſi: Sudorificum etiam, quod paratur ex ☽ & ☉ utroque calcinato cum ſpiritu ⊖is ♀ri optimè rectificato, eſt in curatione Epilepſiæ potentiſſimum: Item Eſſentiæ ☽æ cum ſpiritu ☿ij præparata eſt tutiſſimum in hoc caſu remedium; nec minùs ⊖ margaritarum ſummoperè depuratum & volatile factum cum ſpiritu ♀ri rectificatô præſtat citam tutamque & iucundam epilepſiæ curam. Inter antieplepticа etiam purgantia refertur extractum ellebor. alb. & Caputpurgium noſtrum (quorum præparatio ſuperiùs jam adſcripta eſt) quæ ſummoperè hîc proſunt; Omnibus tamen hiſce remediis ⊖ volatile ſanguinis cujus doſis eſt ʒj in ▽ lil. convall. antecellit.

Animadverſiones

Ad

CAP. XV. in genere.

Triſtiſſimum ſanè & maximè horribile ſpectaculum præ cæteris omnibus corporibus noſtri calamitatibus præbet graviſſimis pariter ac ignominioſus Epilepſiæ affectus, utpote qui omnes ætates & complexiones mortalium miſerrimis modis promiſcuè proſternit, & æquè tam cunas, quàm vernos juventæ flores atque ipſas albentes etiam comas impetu ærumnoſiſſimo conquaſſat. Teſtari hoc ipſum fors & cohors tot atrocum ſymptomatum acerbiſſima abundè poterit, quâ malô hoc contremiſcentes perditè affliguntur, & miſeriæ miſeriis con-

Epilepſia omnes ætates & cõplexiones infeſtat.

fertim

fertim accumulantur: Cui etenim ſpectitantium horrorem non incutiat inopinatus epileptici tanquam infauſto ſidere tacti caſus, quem non ad commiſerationem trahat portentoſa in ⊽am capitis proinde jam ſanguinolenti alliſio? Stridor dentium terrificus, torva oculorum micantium circumgyratio, mugitus ſeu fremitus inconditiſſimus, ſpumeſcentia labia, & ſummatim ſtupenda totius microcosmi concuſſio, ubi mentis inſimul & ſenſuum omnium functiones denſiſſimâ caligine ſunt obfuſcatæ, oppreſſæ, ſepultæ. Quæ omnia cum ita ſe habeant, Medicis utique auricula vellitur, ut extremam ſolertiam adhibeant, quò indolem complicatiſſimi mali perſcrutatione accuratâ arbitrari, & magno morbo magna atque generoſa præſidia opponere diſcant: Nos ergô hoc quoque dictum nobis exiſtimamus, ac proinde tentabimus jam, quid noſtri valeant humeri, aut quantillum ſit noſtræ Minervæ robur.

Epilepſia horribilis & miſerabilis affectus eſt.

Epilepſiæ ſigna diagnoſtica.

Ad §. 1.

Facilitatem exactè indagandi terribilem hunc affectum nequaquam nobis pollicemur, ſiquidem confuſiſſimus & monſtroſus ejusdem Genius variis nimirum technis humani corporis fabricam adoriens memoriter nemini noſtrum non conſtet, ut proinde & Anteceſſores noſtros & modernorum pariter coronam omninò excuſare poſſimus, an teneamur, ſi ineffabilem & ſacram hujus morbi magnitudinem acu undique non tetigerint, aut ad amuſſim cuncta hîc præſtare non valuerint. Propterea etiam Cratonem Medicum celebrariſſimum ſic exclamaſſe non immeritò hîc recordamur: Utinam ante vitæ noſtræ fatalem terminum veram ac genuinam epileptici mali cognitionem dignotionemque, nec minùs indubitatum ejus remedium aliquis oſtendere poſſet. Hujus voti an juxta manuductionem Fabri compotes fieri nunc queamus, miſſis ambagibus experiemur. Autori autem refragari hîc nolumus, dum diverſitatem nominum, quæ unius rei eſſentiæ non raro deſtinata deprehenditur, minùs accuratam aut concordantem eius cognitionem deſignare vel ominari aſſerit. Atque veriſſimum hoc eſſe paſſim paſſimque luculenter concernimus, quod quilibet in determinanda immediata hujus mali cauſâ ſuô abundare ſenſu ac opinione conſveverit, ut Alumni artis medicæ propterea non parum confundantur, ac dubii in re tam arduâ manifeſtè relinquantur. Nos ergo ut ſimplicitatem tutiſſimum ſapientiæ medicæ ac veritatis eſſe ſigillum credimus atque affirmamus, ita etiam aureoli hujus effati impoſterum nos memores in perputanda hâc pathologiâ exhi-

Epilepſiæ natura & indoles incognita fuit Medicis.

Epilepſiæ cognitionē dubiam faciūt diverſa hujus affectus nomina.

Simplicitas medica valde bona eſt.

[X 3] bebi-

bebimus, & omnes diverſè ſentiendi, aut confuſè philoſophandi, vel etiam obſcurè loquendi ſcopulos ac ſyrtes ſtudioſè præternavigabimus.

Ad §. 2.

ὀνοματολογία in Medicina unde petenda.

Rem quampiam unicô eoque clariſſimô & dotali, ut ſic loquar, nomine, quod viſcera & medullam ejusdem protinùs oſtendit, indicari poſſe non ambigimus, modò quidditas & eſſentia iſtius rei perfectiſſimè & Naturæ adhibitô lumine ſit perſpecta. Ideoque ſi pluralitatem nominum, quàm hîc Autor circa Epilepſiam conſignavit, conſideremus, in rei veritate unicam tantummodò convenientem ac principalem adpellationem; reliquas verò omnes remotiores, & vel eventum aliquem fortuitum, vel ſævitiam aut atrocitatem hujus ægritudinis, vel alias circumſtantias concernentes depræhendemus, quas tamen eô ordine, quem Autor obſervavit, parumper examinare ſtatim adgrediemur. Dicitur nempè à Medicinæ Principibus modò puerilis ſeu infantilis, quòd lacteæ ac tenellæ huic ætati Epilepſia cumprimis ſit & valdè familiaris; quô ſenſu Poëta etiam morbum primum nuncupavit, quòd primam ætatem ſeu infantiam omnium frequentiſſimè corripiat.

Puerilis ſeu infantilis morbus unde Epilepſia dicatur.

Epilepſia unde ita dicatur.

Deinde nomen Epilepſiæ adducit Autor, quod ut conſvetiſſimum eſt, ita etiam præ cæteris omnibus virtutem ipſius eſſentiæ inſinuat, ac proinde principatum obtinet: Epilepſiam autem reſpectu etymi nil denotare aliud, quàm comprehenſionem, invaſionem, aut retentionem, notiſſimum eſt, quòd hic affectus præhendat mentem, & opprimat omnium ſenſuum vigorem, quòdve inopinatô caſu mortales invadat, & ſic inſultans cerebro quaſi manus injiciendo nobiliſſimas ejus actiones retineat ac ſiſtat.

Caducus unde dicatur Epilepſia.

Caducus inſuper Latinis cur ſalutetur, in propatulo cuivis eſſe poteſt: Complet etenim alteram læſionis in motu ſpeciem, quæ à caſu in terram determinatur.

Comitialis unde dictus hic morbus.

Porrò Comitialis erit à diremtis ſolutisque eo die comitiis, ſeu quòd comitia tunc habere apud Romanos nefas eſſet, ſi quis in iisdem ac coram Senatu epileptico inſultu concidiſſet; habebatur enim pro peſſimo omine ac ſingulari portento, Vel etiam juxta alios Comitialis eſt dictus, quod in Comitiis ſeu maximo hominum confluxû ac frequentiâ utplurimum invadere is ſoleat; vix enim poſſibile putabatur, ut in tantâ hominum copiâ non unus aut alter ſubeſſet, qui miſerabili huic malo obnoxius.

Sonticus affectus unde dictus hic morbus.

Fortaſſis etiam à conſimili fortuitô eventu ſonticus hic affectus nominatus fuit, quod noxæ gravitas [illegible] utur

utur vehementer ſontibus juſtam abſentiæ excuſationem teſtibus Plinio Gellioque in judiciis afferret. Tandem Herculeus & ſacer quare hic morbus vocitatus fuerit, Autor itidem hîc exponit atque explanat. Herculeus igitur ſeu Herculanus is morbus vocitatur, vel quòd Hercules eô laborarit, exemplo non alieno à magnis & ingenii excellentiâ præſtantibus viris propter immenſos labores, quos diu noctuque ſuſcipere, atque ſic vires ſuas exhaurire ſolent; vel propter atrocitatem & magnitudinem, quod in curando eo Hercule opus ſit, & quod ex eorum numero is habeatur, quibus nulla Medicorum (puta vulgarium) ope ſuccurri poteſt, & proinde Herculeâ clavâ monſtrum hoc edomandum, i. e. heroicis & efficaciſſimis remediis affectus iſte expugnandus veniat: Quòd verò ſacer adpelletur, ratio Autoris admiſſione omninò digna eſt, quùm per ſe tam liquidiſſima exiſtat, quàm Medicis etiam uſitatum ſatis ſciamus, ſacrum & magnum in eadem ſignificantiâ accipere; unde etiam os ſacrum illud dicunt, quod magnum aliis audit, & in rei veritate tale conſpicitur, quid quod à Celſo etiam major morbus, & in Thuringiâ vel aliis etiam Germaniæ locis die groſſe Kranckheit is κατ᾽ ἐξοχὴν nuncupari ſoleat. Nihilominùs quidam inveniuntur etiam, qui affectæ partis nobilitatem hîc prævalere aſſerunt, ut propterea morbo huic cognomen ſacri aut divini fuiſſe adjectum cenſeant. Quùm enim ſacra & divina Palladis arx ſeu honoratiſſimum corporis membrum ac mentis ſanctuarium, nempe cerebrum ubi divinum rationis donum eſt reconditum, malo huic præbeat originem aut officinam vel hoſpitium, morbum quoque iſtum conſimili charactere ac titulo inſignire voluerunt: Præter hos alii etiam inſurgunt, qui morbum hunc ſacrum divinumque dictum ſtatuunt, quòd divinitùs ſit immiſſus, vel quòd adeò difficilis cognitu ob occultam cauſam exiſtat, ut non niſi à divino ingenio dignoſci queat. Verùm philologicas has luſiones aut elegantias ſic dimittimus, & magis operæ pretium arbitramur, ſi potiùs in pernoſcenda ac inquirenda ipſius rei eſſentiâ ſeu natura nos impoſterum occupatos præſtemus.

Herculeus morbus unde appellatur.

Sacer unde dictus hic morbus.

Ad §. 3.

Si ad tribunal logicum hîc provocare, & ab Autore adſcriptas definitiones ad illud citare jam animus eſſet, iſtæ profectò ſtare nullatenùs poſſent. Sed hunc rigorem Medici Practici non curantes contentos ſe non immeritò aſſeverant, modò cauſam immediatam hoc eſt tam efficientem quàm materialem alicujus morbi probè habeant cognitam, prout

prout omnis definitio ex pathologica claſſe deſumta cauſalis eſſe debet, alioquin ad praxin feliciter ineundam vel ad ejus manuductionem minùs fructuoſa erit. Autori igitur non ſuccenſebimus, quòd genus proximum, cui alioquin incumbit, ut formæ locum ſuſtineat, hoc loco neglexerit, & latum nimis ſeu remotum omnes rerum præternaturalium ſpecies comprehendens ſaltim adduxerit. Sufficit quòd nos latere non poteſt ad familiam ſymptomatum epilepticam hanc ærumnam pertinere, nihilò tamen minùs haud inficiamur, certi generis determinationem hîc ſuis non carere difficultatibus, ob tantùm & tàm intricatum ſymptomatum conferto veluti agmine tunc ingruentium concurſum: Conſpicuum namque cuivis eſt, quòd in hoc malo facultates ſentientes ſtatim cohibeantur, & cum memoriâ mentis ac rationis ipſius vires factâ quaſi comprehenſione inſimul oblædantur, nec non prætereà motus inſigne quantum in paroxyſmo epileptico depravetur. Quicquid attamen ſit, applauſum tandem meretur Practicorum ſubſidiô adhibitæ rationis ſtatuminatum decretum, quo aſſerunt principum & magis illuſtrium actionum, nec non ipſius etiam ſenſitivæ functionis noxam ordine dumtaxat generationis ſi non temporis priorem exiſtere, ſecundariam verò tunc conſtituere motum ſummè depravatum ſeu convulſivum. Ideoque concluſum fuit, ab illâ nobiliorum functionum læſione genus eſſe depromendum potiùs, & motu convulſivo reſtringendum, prout ſolemne in ſcholis eſt à potiori quamlibet denominationem adſtruere. Eſt ergo epilepſia privatio functionum principum & ſenſitivarum cum exquiſitâ motricis depravatione; Quibus verbis ſi juxta voluntatem Autoris noſtri cauſas tam efficientem quàm materialem, quarum utraque poſtmodum declarabitur, inſuper dejiciamus, habebimus profectò epilepſiæ definitionem omni ex parte adornatam, omnibusque numeris abſolutam.

Epilepſia ad ſymptomata refertur.

Epilepſia ſymptomata.

Epilepſia quo ordine generetur.

Epilepſia definitio vera.

Ad §. 41

Autor potiſſimam, & quæ ad ſcopum ex ſententiâ curandi quam maximè conducit, Epilepſiæ differentiam hîc proponit, quam ratione ſubjecti vel idiopathicam, quando materia vitioſa epilepſiam pariens in ipſo cerebro ac ejus œconomia generatur, ſive quando epilepſiæ minera, ut ſic loquar, in ipſo cerebro exiſtit; vel ſympathicam more ab omnibus approbato facit, quando ſcilicet vel à ventriculo vel ab inteſtinis (præſertim ſi vermium ſeu lumbricorum turmæ ibi ſtabulentur.) vel ab utero, nempe ex retentis potiſſimum menſtruis, item à liene, imò

Epilepſia idiopathica, quid.

Epilepſia ſympathica quid, & varia eſt ratione diverſorum locorum, unde exoritur.

etiam ex ipſis artubus, & ſic porrò, inimici vapores aut virulenta ac ſummè noxia aura in cerebrum aſſurgit, atque ſublimatur: Hûc reſpiciens Helmontius appoſitè omninò aſſeruit, virus epilepticum præcipuè circa ſtomachum (vel partes corporis inferiores alias) eluceſcere, ac deinde maximè in cerebrô percipi. Exempla ſeu hiſtorias utriusque Epilepſiæ, ſive ea fiat affectô per eſſentiam cerebrô ſive per conſenſum, quùm ubivis ſint obvia, recenſere hîc ſuperſedemus, atque ſine diverticulis examen ipſius cauſæ materialis, cui paulò pòſt etiam ſcrutinium efficientis ſubjicietur, nunc ſuſcipimus. Autor igitur dum hîc accuſat excrementum virulentum & inebriativum, non paucis peregrina valdè & exotica an monſtroſa ac ſcholis neutiquam uſitata hæc loquendi ratio, quæ inſuper obſcuritatis non parum contineat, videbitur. Verùm utut alii aut plerique circa phraſeos hujus cultum hæſitent, aut novitatis iſtius infeſtiſſimos hoſtes ſeſe enuncient, nihilominus Autoris ſolertiæ & luculento huic acumini ſtudium explanandi pro viribus noſtris conſecrabimus. Præſupponimus autem ſubjectum epilepſiæ principale eſſe cerebrum cum nervorum proſapiá, & ſubjectum adæquatum ſeu denominationis totum exiſtere corpus cum univerſo muſculorum ſtemmate: Ubi etiam ad mentem nobis revocamus, omnem quidem epilepſiam in cerebrô ac totâ ejus mole fieri, ſed non ſemper materiam peccantem, unde epilepſia concitatur, inibi progigni, verum per diſtributionem etiam aut transmiſſionem utplurimum ex inferioribus hûc adpellere: Præſupponimus quoque alimentum corruptum ſeu impuritates in quacunque jam corporis parte aut climate cædem latitent, in promtu tunc ſubeſſe. Præſupponimus pariter eximiam putredinem & malignum ſeu virulentum fermentum, unde vapores ac fuligines à naturâ hominis totâ ſubſtantiâ alienæ confertim exhalant atque ubertiſſimè promanant: Quibus ſic præſuppoſitis omnibus ac ſingulis, tandem ad fermentationis genium ſeu naturam, vel potiùs ad ejusdem effectum incredulos traducimus, quem ſine omni difficultate alma Chymia pronis ulnis porrigere ſtatim valebit. Quomodo nimirum per fermentationem, v. g. ex ſuccis vegetabilium ſpiritus flagrentiſſimos elicere & præparare queamus, tam notum eſſe opinamur, ut nullâ ulteriori dilucidatione id negotii indigeat. Ecquis ergo qui vel tantillum aceti in pectore habet, conſimile quid in corpore noſtro per magnam aliquam excrementitiorum humorum ſeu impuritatum putredinem, quæ nihil eſt aliud, quàm maligna & ſuſpectiſſima *fermentatio, ſine quâ nulla corruptio fieri poteſt, contingere

Epileptica materia utpl. circa ſtomachum ſtabulatur.

Excrementum virulentum & inebriativũ Epilepſiã efficiẽs quid.

Epilepſiæ πρῶτον πάσχον eſt cerebrũ, adæquatum autem ſubjectum eſt totum corpus.

Epilepſia ſemper præſupponit alimentum corruptum ſeu impuritates, ut & eximiã putredinẽ & malignum fermentũ.

Fermentationis beneficio optimi & flagrantiſſimi ſpiritus præparantur ex vegetabilibus.

[Y]

* *Fermentationis in producenda epilepſia ſumma poteſtas.*

Fuligines ſeu vapores Galenicorũ quomodo nominentur ab Hermeticis & quid revera ſint.

Excrementum virulentum & inebriativum Epilepſiam efficiens quid.

Senſus noſtri unde ſæpius torpidi, obtuſi ac turbulẽti eſſe ſoleant.

Ebrietas unde.

Motus depravatus in epilepſia unde.

Ebrii ad iram ſunt proniſſimi.

gere poſſe, perperam negabit, & rei manifeſtiſſimæ tam impudenter contradicet? Ideoque indubitatum eſt, per virulentam fermentationem & inſignem putredinem excrementitias ſuperfluitates ita diſponi, ut poſtmodum ſpiritus excrementitii, nidoroſi, & pariter virulenti hinc confertim prodeant exſpirenturque, quos vulgari termino gymnâſiaGalenica vapores aut fuligines adpellare ſolent. Hôc ita ſtante, quemadmodum ſaniores etiam omnes centrum hujus doctrinæ evidenter ſtatim conſpicient ac contemplentur, dictu & expoſitu haud difficile erit, cur Autor cauſam epilepſiæ materialem vocitet excrementum virulentum & inebriativum, & Helmontius quodammodo juxtim furioſum ſoporiferumque: Videlicet ut omnis ſpiritus ✕ vel quivis alius ardens ſi intemperantiùs ingurgitetur, temulentiam ac turbulentiam accerſere ſolet, ita & conſimili ratione ſpiritus iſti excrementitii nimis copioſi ex fermentatis impuritatibus oriundi mentem & ſenſus inebriare & obruere poterunt, ut ſic inebriandi hæc ratio protinùs ſit in aprico. Unde vel obiter etiam cauſa cognoſci poterit, cur ſæpiuſculè ſine evidenti cauſa mens & ſenſus noſtri adeò torpidi, obtuſi, ac turbulenti eſſe ſoleant, ut videamur nobis jejunô ſtomacho quaſi ebrietate quadam præpediti. Nempè quod Dogmatici vaporibus & fuliginibus adſcribunt, nos rectiùs hujusmodi ſpiritubus, qui ab excrementis fermentatis prodeunt, ſpiritus noſtros catervatim obruentibus ac veluti inebriantibus adſignamus; Sunt enim illi vapores aut fuligines reverâ ſpirituoſæ ſeu 🜍reæ, & proinde nil aliud, quàm ſpiritus excrementitii inebriativi, aut facultatem oppidò inebriandi habentes. Et hûc uſque res benè ſe habet. Sed unde inordinatus ille & depravatus motus in Epilepſia? Reſpondemus primò prænuncupatam comparationem ab ebrietate deſumtam continuando, quod ſpiritus animales & vitales ab elevatis hujusmodi ſpiritubus vel 🜍re excrementitio itidem incaleſcere, ac propterea impetuoſi reddi poſſint, ſicuti homines vinô immoderatiùs epotô fervidiores & ad iram proniſſimi evadere ſolent. Atque ut ebrii proinde facil-mô negotiô irâ accenduntur, & impetuoſè poſtmodùm exorbitant; ſic & Archeus (vel, ſi cum Dogmaticis loqui amemus, facultas expultrix) ab inſultu ſpirituum ſeu effluviorum excrementitiorum furorem concipere, ac propterea miram motus depravationem ſeu convulſionem impetuoſè ſic agitatus præſtare ſolet; atque id ipſum eò magis, ſi ſpiritus illi ſint maligni, & ab excrementô virulentô fuerint emiſſi ac progeniti, quibus poſteà quemadmodum venenatis rebus omnibus cum furore Archeus reſiſtere, atque ab iisdem ſe liberare, eosdemque cum ſummâ violentiâ pro-

pellere conatur; adeò & hi ipſi ſpiritus excrementitii utpote inebriativi nil moderabile ſvadent: Atque ſic etiam hâc occaſione cauſam efficientem epilepſiæ expoſuimus. Summa igitur generandæ epilepſiæ ita ſe habet, quam ſuccinctâ ratione jam repetere lubet, ut tam materialem quàm efficientem cauſam, atque præſertim utriusque in producendâ epilepſiâ poteſtatem aut agendi modum veluti in ſpeculo quodam conſpicere queamus: Excrementum nempè virulentum & inebriativum in corporis aliquâ parte jam hoſpitari præſumitur, quod cognominationis ſeu adjectionis reſpectu vehementiſſimam fermentationem indubitatò intimat: Quomodo enim inebriare ac mentis ſenſuumque omnium vigorem obruere poſſet, niſi hoc excrementum ſpirituoſa effluvia ἀτρόως effumaret, hæc autem ſpirituoſa exhalatio nullatenùs fieri poteſt, niſi, ut anteà dictum, fermentatio adſit, & excrementorum fermentantium vehementiſſima ebullitio urgeat. Ideoque dum miaſmata hæc ſpirituoſa & nideroſa ad cerebrum tanquam facultatum principum ſacellum tam copioſè elevantur, fit utique ut atrâ ac infauſtâ hâc ſpirituum excrementitiorum caligine nobiles iſtæ animi & ſenſuum functiones quam graviſſimè obfuſcentur, conſopiantur, ac veluti illaqueentur, & hanc ob cauſam ab Helmontiô excrementum aut virus illud epilepticum non ſolummodò vocitatur inebriativum, verùm etiam, utut hoc diſpliceat Autori noſtro, ſoporiferum, quòd hôc ipſô profundus quaſi ſopor concitetur, & ſenſus tanquam crapulâ ſepulti tunc jaceant, aut vincti conſtrictiq; penitùs exiſtant. Sed & inebriativi hoc epitheton cauſam efficientem reſpicere poteſt, dum inordinatus & convulſivus, hoc eſt ebriorum miram vacillationem & titubantiam adpoſitiſſimè exprimens motus nervorum ac muſculorum ſic innuitur. Helmontius pariliter ab Archeo furioſo, qui loquendi modus jam ſuprà fuit dilucidatus, pervenire epilepticas convulſiones ſtatuit, cum quô Dogmatici etiam ſat manifeſtè conveniunt, dum Facultatem expultricem enormiter irritatam ac proinde cum impetu exorbitantem denominant. Certiſſimum autem eſt, quod virulentum & tetris ♁ reisque effluviis imprægnatum illud excrementum, ſi præſto ſit in corpore, extremâ hoſtilitate ſua ſpiritus tam animales quam vitales ita irritare, offendere, & oppugnare poſſit, ut dicti ſpiritus qui alioquin gubernaculum totius humanæ œconomiæ adminiſtrant & indeſinenti opera hanc conſervandi nullô non tempore impenſè negotioſos ſe exhibent, hinc ad vehementiſſimum ac furibundum utique adverſario ſuo capitali fortiter reſiſtendi vel repugnandi conatum impe- tum

Epilepſia cauſa efficiens eſt ſpiritus.

Fermentationis maligna in producēda Epilepſia ſumma poteſtas.

Epilepſia comparatur cum ebrietate.

In Epilepſia cauſa quomodo conveniant Dogmatici cum Hermeticis.

Excrementum virulentum in corpore latitans faci-

ſe poteſt offendere tam ſpiritus animales quàm vitales.

Motus depravatus in Epilepſia unde.

tumque adigantur. Quùm itaque ſpiritus illi præſertim animales in cerebrô ſic turbati & ad furorem redacti per nervorum ductus poſteà influant in partes ſubjacentes membranoſas, tendinoſas, ac muſculoſas, utpote quibus exequutio motus demandata eſt, non fieri non poteſt, quin idem inordinatus & depravatus motus omnibus ſingulisque organis motui præſtando inſervientibus etiam imprimatur, & hinc horribilis muſculorum contractio ac concuſſio ſeu convulſio totius corporis oriatur, quæ tamdiu durat, donec expugnato & exturbatô hôc vituperoſiſſimo excremento Archeus ſeu Facultas expultrix victoriam obtinuerit, & ſerenato rurſus cerebro tanquam ætheria ſpirituum animalium patria ad placidæ alacritatis ſuæ terminos redierit. Sed nec Pathologiæ animatæ mentio nobiliſſima hac occaſione ſilentio transmittenda erit, de qua dubitamus nulli, quin ad oculum quoque demonſtrari poſſit, quòd ex putredine animata & hinc prodeuntibus effluviis verminoſis atrociſſimæ Epilepſiæ ſcaturiginem ſuam non rarò hauriant. Locô fundamenti autem ponenda erit eximia putredo, quæ non niſi eximiè virulenta excrementa & miasmata parere & emittere poteſt. Ergo ſi jam conſulamus hoc locô nunquam ſatis decantandum Kircheri acumen, videbimus ſtatim quod omnis exquiſita & ad tabum redacta impuritatum putredo mox atque mox in innumerabilem inſenſibilium vermiculorum progeniem tranſire ſoleat, ita ut quot corpuſcula in effluviô concipiuntur, tot etiam inde vermiculos ſeu potius vermiculorum atomos excludi & enaſci ſit certiſſimum. De his autem verminoſis effluviis & infinitô numerô multiplicatis ſciendum eſt, quod, cùm ſint non ſecùs ac aliæ fuligines ſeu atomi, ſubtiliſſima, tenuiſſima ac leviuſcula corpuſcula, non tantùm ſponte agitari, verùm etiam Natura ſua ſurſum tendere, & conſequenter divum Palladis palatium catervatim obruere queant. Quanta autem caligo hinc præſtantiſſimo cerebri ſplendori & quàm atrox facultatibus principibus tunc eclipſis ſuccreſcat, imò quam atroci & tenebricoſiſſimo turbine Archeus ac ſpirituum lumen concutiatur, collectu facilimum eſſe exiſtimamus; Qua ſic ſtante, ſpiritus animales turbulentiſſimo influxu partibus muſculoſis poſtmodum communicantur, imò verminoſis hiſce inquinamentis, à quibus ſumma cum vehementia ſe liberare geſtiunt, conſimiliter conſpurcati & irritati nervorum membranarumq; crudeliſſimas lancinationes & vellicationes præſtant, atque proinde ex hoc hoſtili inſultu ſeu verminoſo exercitu horribiles epilepſias ſuboriri, omni omninò admiratione caret. Sed uberiorem lucem ea etiam circa

Epilepſia oritur quoq; ex vermibus, & quomodo.

Putredo eximia nil niſi virulēta excrementa & miasmata parit.

Putredo citò tranſit in vermiculos

Verminoſa effluvia facilè caput petunt & eidē maximè nocent.

Verminoſa effluvia à capite communicantur quoque partibus muſculoſis & membranoſis.

hoc

hoc Philoſophiæ ſpecimen ſuppeditare poterunt, quæ in ſuperioribus ſub irrefutabilium rationum umbone jam à nobis fuerunt ſolerter adnotata.

Ad § 5.

Definitionem epilepſiæ ab Anteceſſoribus & doctrinæ Galenicæ addictis aſſertam hîc perſtringit Autor, quod omnes illæ circumſcriptiones, quæ inibi deprehenduntur, nullô modô propriè ad quidditatem hujus affectus exprimendam faciant, quùm hæ circumſtantiæ multis etiam aliis competere morbis queant. Non negat quidem Autor epilepticas convulſiones (ſive jam paroxyſmos præſentes adſpiciamus, ſive etiam alio tempore recidivos, aut de novô inſilientes) eſſe interpolatas, & certa ſua habere intervalla, attamen hæc ipſa intermiſſionis pauſa ſive generalis ſit ſive ſpecialis, non paucis aliis affectibus quoque exiſtit communis: Præterea etiam non refragatur Noſter, mentis ſenſuumque privationem in epilepſiâ præſtò eſſe, veluti id manifeſtiſſimè conſtat; ſed nec hæc conditio Epilepſiæ ſoli & in quartô proprietatis modô unicè competit, quùm & aliæ dentur ægritudines, ubi pariter tam hoc mentis & ſenſuum obſervatur deliquium, quàm etiam quod convulſiones in paralyſin & reſolutum membrorum vigorem protinùs degenerare non ſoleant. Verùm hoc certiſſimum eſſe pergit, quod determinatio veræ & immediatæ cauſæ, h. e. tam materialis quàm efficientis ſolùm exprimere indolem & eſſentiam alicujus mali valeat, ſicuti etiam in præſenti adductio excrementi virulenti & inebriativi cum adjunctis cœteris ab Autore noſtro hîc denominatis, circa quorum declarationem jam ſuprà nos expedivimus, quidditatem epilepſiæ vivis coloribus non tam adumbrat, quàm præclarè depingit, atque curam aſpicaturo ob oculos ponit: Sin verò hæc definiendi ratio in Medicinâ præſertim pathologicâ non attendatur, ab infamiâ mutilæ & mancæ definitionis nullam liberari poſſe, candido effato nos etiam cum Autore pronunciamus.

Definitio alicujus morbi unde potiſſimùm petenda.

Ad §. 6.

Inſultuum ſeu paroxyſmorum epilepticorum rationem, cur quidem eorum tardiſſimè, quidam tardius, quidam citiùs, & quidam citiſſimè rurſum contingere ſoleant, utut alioquin apud Dogmaticos intricata admodum atque confuſa hæc videatur, tam perſpicuam hîc Autor propoſuit, ut vix clariùs tradi ac deſignari eadem poſſet. Ergo hinc diſcimus 1, quidnam ſit aut in quo pũcto conſiſtat paroxyſmus epilepticus; quòd nimirum is nihil aliud ſit, quàm acerrima lucta perplexi valdoperè & ſummè turbulenti furioſiq;, vel potiùs præ nimio hoc furore anxiè titubantis vehe-

Epilepticus paroxyſmus quid propriè ſit, & in quo punctô conſiſtat.

vehementerq; contremiſcentis Archei, contra virulentam & inebriativam excrementi corruptiſſimi nequitiam, atroci videlicet laceſſendi & feriendi ſpiritus noſtros tyrannide pollentam, in palæſtrâ nervoſâ, membranoſâ ac muſculoſa potiſſimum inſtituta, ubi inſimul & cumprimis aulam ſpirituum animalium ſeu cerebrum caliginoſiſſima & atra, triſtiorq; teterrimarum fuliginum effluviorumq; hinc confertim ≏atorum nubes obduxit, vel horrida undique tempeſtas hoc divum microcoſmi cœlum miſerrimè obfuſcavit, ut hac ratione ſpiritus ſeu Archeus tanquam decumanis fluctibus agitatus inſigne quantum fluctuare & tam diu vacillare cogatur, donec tempeſtatis hic horror rurſus tranſierit. Ideoque 2. ex Autoris textu etiam percipimus, quomodo paroxoſmi epileptici furor terminari ſoleat. Notabilis ſanè eſt periphraſis illa, qua evaneſcentem aut jam finitum epilepſiæ paroxyſmum delineavit Autor: Tamdiu, inquit, inter Archeum & excrementum conflictus iſte durat, donec ſpiritus victoria luceat, & expugnata materiæ peccantis caligine lucis vitalis ſplendorem reſtituendo triumphator abeat. Itaq; hinc conjicere protinùs licet, per virulentam hanc excrementitiarum impuritatum auram ſuaviſſimæ luci libertatem tunc intercludi, ac cerebrum epilepſia ferociente denſam veluti noctem & tenebrarum obſcuritates Archeum inſigniter contriſtantes, & mirè errabundum eum reddentes inſidere; quæ circiter paroxyſmi epileptici eſt conditio. Ut autem morborum ſymptomatumq; vigor in impuritatibus & tenebris utriſq; magnam rebellionem molientibus, & ſpiritui vitæ infeſta hac ſeditione crudeliter inſidiantibus conſiſtit, ſic ex adverſo ſanitatem vel potiùs Archeum ſanitatis œconomum ac patronum puritate & lumine intimitùs delectari nullum eſt dubium. Ergò hinc concludere poterimus epileptici paroxyſmi finem & convaleſcentiæ naturam neceſſariò impuritates victas, caliginem diſcuſſam, & puri, in quô ſplendidisſimè micat vitale lumen, quodve Archeum ad omnia vegetisſimum efficit, exoptatam reſtitutionem præſupponere. Tandem & 3. redeuntium paroxyſmorum ratio hîc inſinuatur, quam etiam paucis nunc ponderabimus. Utut autem in epilepticis paroxyſmis victoriam tandem obtineat Archeus, & fermentum peccantis materiæ virulentum atq; inebriativum is expugnet vel præcipitet, non tamen ſequitur, nidum fomitem ſ. matricem, vel ut Autor loquitur, fodinam ac ipſam minoram toties jam culpati excrementi penitus tunc exhauſtam, atq; ex corporis noſtri œconomia omnimodè exturbatam eſſe, ſed remanet utiq; illa tot turbines & miſeriarum procellas impoſterum etiam datura. Dum itaq; ☿, ut ſic loquar, vel cineres mineræ iſtius epilepticæ (durante enim paroxyſmo

Epileptici paroxiſmi furor quomodo terminari ſoleat.

Morborũ et ſymptomatũ vigor unde.

Sanitas quid proprie, & in quo cõſiſtat.

Epileptici paroxyſmi unde redeant.

Epileptici paroxyſmi furor quomodo terminari ſoleat.

xyſmo epileptico dicta minera graviſſimè fermentans & effervescens ab
Archeo ſeu calide nativo fortiter reluctante,& in illam cum violentiâ a-
gente,ſpirituoſis effluviis ſeu exhalationibus ſuis ita tandem privatur ſeu
exhauritur,ut veluti mortua,exanimis & cadaveroſa ſic relinquatur.) à
Naturâ ſolâ penitùs eliminari & propulſari non poſſint, fit ut ob com-
miſſum in diætâ vel aliâ re errorem,aut propter obviam fortè venientes
cruditates & impuritates noviter collectas facili negotiô maligna & vi-
tioſa hæc fermentatio virulenti characteris fuligines furſum exhalans re-
crudeſcat; ſicuti reverà etiam excocti hujuſcemodi materiæ peccantis
cineres vim magneticam quasvis ſuperfluitates potenter cupidèq; attra-
hendi,adeoque denuò ſe animandi priſtinamq; ferociam ſic adſciſcendi
obtinent,veluti Philoſophiæ Alumnis hoc notiſſimum eſt,quodvis ⓡ v.
g. ☉li,ex quô per fortiſſimam & △e aperto celebratam ♌lationem om-
nes ſpiritus jam evocati ſunt,ſi libero ♃; per aliquot menſes exponatur
illud,ita denuo animari & imprægnari poſſe,ut poſtmodum longè gene-
roſiores,efficaciores,ac vehementiores ſpiritus exinde per iteratam ♌la-
tionem quàm primitiùs factam elici queant. O magnam & ſtupendam
influentiarum vim atq; energiam! Hâc baſi ex lumine Naturæ jactâ ratio
etiam evidentiſſimè comparet, cur epileptici paroxyſmi temporis pro-
greſſu magis magisq; ingraveſcere,& indies evadere atrociores ſoleant:
Nempè ſpirituoſa illa virulenti excrementi miaſmata quoties renovan-
tur,toties etiam violentiora & magis hoſtilia evadunt. Si itaq;, ut ad ſco-
pum redeamus, ⓡ mineræ epilepticæ citiùs novis impuritatibus aut hinc
provenientibus influentiis animetur, & ad ſuſcipiendam fermentatio-
nem malignorumq; ſpirituum emiſſionem rurſus idoneum efficiatur,ci-
tius etiam redire paroxyſmus epilepticus ſolet; ſin tardè id fiat, tardior
etiam Epilepſiæ inſultus imminebit,& ſic porrò. Hæc omnia ſi accuratâ
judicii lance perpendantur,ſique iis jungantur,quæ paulò antè circa ſce-
nam epilepticæ convulſionis philoſophati ſumus, dilucidiſſimum ſanè
& opulentum hujus negotii ſenſum ſubminiſtrabunt, ita ut quidditas &
eſſentia Epilepſiæ hinc nulli non perſpectiſſima aut cognitu facilima eſſe
queat.

Materia mortificata in corpore niſi ritè expurgetur facilè novũ fermentũ cõtrahit.

Capita mortua quomodo denuo animari poſſint.

Influentiarũ vis atq; energia.

Epileptici paroxyſmi cur tẽporis progreſſu ingraveſcãt. & indies evadere atrociores ſoleant.

Ad §. 7.

Quùm igitur circa novos ac denuò redeuntes Epilepſiæ paroxyſmos
res ita ſeſe habeat, quod ratio eorum conſiſtat in redintegratione fer-
mentationis huiusmodi virulentæ,de quâ paulò ante ex fundamento jam
ſemel dixiſſe ſufficiat. Medicorum quivis ſtat in argumentari poterit,
quòd ipſis omnis utique lapis ſit movendus,quò propediem radix & ma-

Epilepſiæ cura vera unde petenda.

trix

trix illa magnetica mali epileptici ſeu virulenta hæc minera in horas incrementa capeſſere nata penitùs penitusque averruncari, & ex vitali dominio funditùs proſcribi poſſit; alioquin niſi hoc cum virtuoſa quadam violentia, de qua paulò pòſt agetur, fiat, epilepſiam radicitùs curare, ejusque paroxyſmos procul arcere omninò impoſſibile erit.

Ad §. 8.

Cauſarum morbificarum vera cognitio multũ præſtat ad feliciter curãdos morbos.

Incurabiles multi morbi falſo dicuntur, & cur.

Occultæ qualitates malè aſſeruntur à Medicis.

Epilepſia an affectus incurabilis ſit.

Scopus feliciter curandi nullatenùs impetrari, aut remedia ſpecifica excogitari vel inveniri poſſunt, niſi vera morbi cauſa ejusq; eſſentia penitiùs habeatur & exactè perſpecta. Atq; hæc illa eſt ratio, cur tot morbi à quam plurimorum inſcitia & ignavia ad inſanabilium claſſem referantur, quod accurata cauſarum indage tam perperam negligatur, & ex mera ad ſublimiora vel minus obvia perveniendi deſperatione ad aſylum iſtud ignorantiæ ſeu occultas qualitates protinùs confugiatur. Quibus igitur has qualitates ſeu cauſas morborum occultas tueri arridet, illis profectò vera; genuina, & adpropriata remedia ſeu Medicamenta poſtmodum pariter occulta, abſcondita, & penitùs incognita eſſe neceſſario debent: De ignotis enim & Medicus quoque judicare, aut ex ſententia circa eadem occupatus eſſe planiſſime nequit; Quam ipſam ſeriò verum intima perveſtigandi infamem pigritiam plùs quàm Vatiniano proſequitur odio Helmontius. Haud cordatè propterea faciunt illi, qui Epilepſiam ad affectus deſperatos atq; incurabiles (niſi magnis & acutisſimis morbis epilepticæ convulſiones fortè ſupervenerint; tunc enim vel noſtro etiam judicio omnis ſpes plerumq; occiſiſſima exiſtit.) recenſendos ducunt, id quod vel olim Hipp. aphor. 45. ſect. 2. innuit, dum beneficiô magnarum mutationum, quales per ætatem, loca, & victum contingere ſolent, Epilepticos liberari poſſe docuit. Hanc ſanè ſententiam ſi acutô mentis oculô inſpiciamus, & Naturæ admiranda opera imitari non pigeat, in promtu ubiq; habebimus ſatis conſpicuam normam & iter eandem metam arte & ingeniô pariliter conſequendi. Ideoq; Medicus recordetur ac meditetur ſedulò, quò conſimiliter magnas hujusmodi mutationes beneficiô efficacium Medicamentorum tunc moliri, & in corpora epilepticorum eaſdem, deficiente nimirum Naturâ, inducere poſſit; quapropter etiam ſequenti §ô tale medicamen ſeu emeticum ad impetrandam hanc Epilepſiæ ex votô medendi intentionem nobis propoſuit Autor, quod in dictô quaſi claſſicô materiam hoſtilem ex intimis corporis etiam noſtri antris potenter provocandi, & Archeum noſtrum, quò hanc eò robuſtius expugnare vel exturbare valeat, oppidò armandi, adeo-

Epilepſia curatur interdum à ſolis magnis mutationibus.

Emetici pro Regibus ac Principibus inſignes laudes.

adeoq; unâ cum maſſâ ſanguineâ, quæ virulentô & inebriante hoc inquinamento ſummoperè conſpurcata eſt, habitum illum epilepticum ſtrenuè immutandi, h.e. Naturæ motum appoſitè æmulandi virtutem obtinet: Ideoque lævidenſia ac minoris energiæ medicamenta hîc planè non attendenda, erunt, utpote quæ tantummodò movent & turbant, ſed non promovent neq; exturbant, imò affectum potiùs exaſperant, Mediciq; operam teſte experientiâ eludunt.

Ad §. 9.

Roborare Naturam quid propriè ſit.

Quid ſit ſpiritum vitalem reverà roborare, vel Naturam convenienter armare, ut viriliter hoſti ſuo reſiſtere atq; in eum agere poſſit, Autor hîc explicitè ſatis monſtrat. Si itaque ad mentem hîc revocemus nobis, quid profundioris ingenii Autores per illam confortationem propriè intellectam velint, audiemus eam apud hos ipſos nil L aliud eſſe, quàm virtuoſam materiæ peccantis ſeu morbificæ remotionem: Remotâ enim cauſâ removetur affectus, h. e. ſublata materia ſeu excremento illo Naturam, ſeu Archeum noſtrum ac ſpiritum vitalem graviter aggravante, non poteſt non ex deſideriô priſtinæ alacritati, valori atq; vigori ille reſtitui. Quod ipſum cum minùs clarè & neglectâ baſi intellexerint Priores noſtri, Poterius Galenum ignorare omninò, quid propriè loquendo ſit confortare, ſeverô pronunciatô aſſeruit. Ut autem ad remedium ab Autore noſtro hîc laudatum parumper jam deſcendamus, in eadem quoque ſententia nos deprehendimus, quòd Epilepſia, niſi emetico hujusmodi aliquoties iterato cedat, & ab eodem fugari nequeat, nullum tunc utiq; ſubſidium ſubeſſe, quô tam promitti quam ſperari aut impetrari hîc queat exoptatus curæ ſucceſſus. Sed periculum hujus rei duntaxat decenti modô faciant Practici, atq; cum prudentia in hôc ca u emeticum hujusmodi regale repetitis vicibus adhibeant, & nunquam vel rariſſimè ſaltim (ſic bona fide pollicemur) ſpe felicis eventus deſtituentur. Aſt quonam encomiô reſplendeat hîc deſcriptum remedium, paucis nunc quoq; nobis deſpiciendum venit: Nempè medicamentum tale hîc concernimus conſtructum, quod titulo excelſæ nobilitatis non immeritò inſigniendum cenſemus: Talia enim adſociata ipſi ſunt ingredientia, quæ ſpiritus noſtros effectiſſimè recreare, & proinde operationem affatim felicitare poſſunt. Ipſum verò Emeticum ſeu ☿ium Autoris præparatum quanta virtute polleat, ſæpiùs jam à nobis data hinc inde anſa decantatum fuit, ut proinde dubitemus nulli cum virtute & robore ſingulari peſſimi moris & epileptico charactere ſignatum excrementum, utut altiores jam radices in habitu corporis fixerit, eliminari poſſe. Quod ipſũ

Confortare quid propriè ſit. Galenus ignoravit.

Emetici pulveris pro Regibus ac Principibus inſignes laudes ac virtutes.

remedium & ejus concernit vehiculum , nil planè occurrit, quod circa illud monere queamus, niſi quis locô cinamomi , moſchi , & ambræ in ſubſtantiâ præſcriptorum liquidam potiùs eorundẽ ſubſtituere frameã hîc diſcupiat. Tale ergò tunc præſcribi vehiculum circiter poſſet: ℞. ▽ lil. convall. cum ✕ (vel loco ejus ▽ antiepilept. Johann. Langii) ℥ß, ▽ cinamom. opt. ʒij (vel loco ▽æ iſtius ∘∘∘ cinam. g. ij. commodiuſculè ſubordinantur) Eſs. ambr. & Moſch. aa ℈ß, M. in quô nobiliſſimô vehiculô ſumi prælaudatum ♁ium, quod alioquin pharmacum pro Regibus & Principibus vocavit Autor, ad gr. viij. (habet enim ããticam ſacchari quantitatem commixtam) præſentiſſimo cum fructu & abſque ullâ nauſeâ poterit. Sic itaque tam poſitivè, ob admixta reapſe confortantia, quàm privativè, remotâ ſcilicet beneficiô emetici ſaburra Naturam noſtram aggravante , ſpiritus vitalis juxta Autoris mentem confortatur, ipſique ad vigoris libertatem ſic reducto calcar additur, quò magma ſeu cineres & magnetiſmum ſordium epilepticarum eò robuſtiùs radicitusque exterminare vel ex imis eruere fundamentis inſtet, nec deſinat, donec hoſtis ille ita ſubverſus fuerit, atque vaſtatus , ut ab excidio iſto ejus nequidem ſuppetet pulviſculus unus. Et hâc ratione fit iſta mutatio magna, cui tantùm debetur beneficium ac triumphus.

Potiuncula emetica confortativa egregia.

Ad §. 10.

Ut ſudorifica ſaniori ſemper conſiliô præmiſſis univerſalibus ſive κάτω ſive ἄνω purgantibus porriguntur ac feliciùs utique operationem ſuam exerunt; ſic enim præcavetur, quò minùs impuritates circa primas vias tunc ſtagnantes hiſce diaphoreticis ad interiora viſcera & vaſa trahantur: Ita etiam Autor hanc methodum in præſenti quoque veneratur atq; obſervat. Noſtrum igitur nunc erit, non tantummodò huic curandi modo adplauſum noſtrum adjicere , verùm iſta etiam Diaphoretica & ſpecifica pariter antiepileptica ab Autore hîc commendata ſcrutinio noſtro non nihil ſubjicere , & circa eorum explanationem ſemitâ compendiariâ nos expedire. Sudorifici maximi ſeu ♃ diaphoretici dignitas & valor utroq; pollice jam ſæpiùs nobis comprobatus eſt, quod etiam ſine omni dubiô fructiferum & efficaciſſimum hîc ſe præſtiturum confidimus, ac proinde de eodem ob repetendi faſtidium nil ampliùs nunc addimus. Deinde medicaminum bigam adducit Autor, quam ſplendida virtus & auguſtum ſtemma oppidô illuſtrat. Ex ⊙ igitur & ☽â utroq; calcinato (i. e. calce ⊙is ☽æq; ſubtiliſſimâ vel philoſophicè ac ſingulariter paratâ.) eſſentiam diaphoreticam ac pulcrè refectivam beneficiô ſpiritus ⊖is 🜿ri (🜿ro enim & ſpiritui ejus per ſudores potenter purgandi vis adſcri-

Sudorificis ſemper præmittantur univerſalia.

Eſſentia ⊙ & ☽ c ſpiritu ⊖is 🜿ri parata.

ſcribitur, ut notum) præparare nos docet. Aſt quomodo hic ſpiritus ex ⊖e 🜿ri tanquam corpore fixiſſimô elici queat, non immeritò hîc quispiam ſciſcitabitur. Helmontius generali nimis reſponſô circa hoc quæſitum ſe expedivit: Si ⊖ 🜿ri (vel alkali quodvis) volatile, inquit, rurſum reddatur, ſtupendos effectus id edere & cum ſingulari poteſtate omnem è venis amurcam validè detergendo eliminare poteſt. Et hoc quoq; nobis conſtare non nequit, quod ex ⊖ibus fixis ſeu per calcinationem atq; fortiſſimam incinerationem impetratis, h. e. alkalibus ſpiritus (qui nihil aliud ſunt, quàm ⊖ volatile liquidum.) nullatenùs conſequi valeamus, niſi beneficio artis ſpagyricæ ad ſtatum volatilitatis illa reducantur. Sed hoc opus, hic labor eſt: Quicquid tamen ſit, fideliter noſtram hîc exponere ſententiam, quantum quidem captus noſter ſe extendit, non trepidabimus. Ad Oracula autē Philoſophorū Hermeticorū hîc ſtatim provocamus, quibus in ſterquilinis ac ſepulcris regalia & ſumma Naturæ myſteria ſeu arcana latitare innuitur. Quùm itaq; putrefactionem non niſi veris Pyroſophis notam ænigmaticâ hâc loquendi ratione intelligant, certum utiq; eſt, beneficio diuturnæ putrefactionis ac digeſtionis cum lentiſſimo ac leniſſimo △ gradu celebratæ alkalia omnia, & ſic quoq; ⊖ 🜿ri volatilia rurſus effici poſſe; hâc tamen ad accelerandam intentionem adhibitâ inſuper techna, ut ſpiritus 🜿ri rectificatiſſimus & ab omni fœtore quàm accuratiſſimè liberatus, ſed ad ſubſvavem potiùs fragrantiam reductus dicto ⊖i 🜿ri affundatur; ſic enim ab expertis Chymiæ Magiſtris clauſtra fixitatis reſerari, & quæ fixa ſunt, volatilia reddi ſolent. Magis tamen philoſophica & ex Chymia arcaniori alkalia volatiliſandi deſumta ratio conſiſtit in eô, ut 🜿rum Philoſophorum vel ⊖ Naturæ (ſpiritus etiam Univerſi ſeu Avicula Hermetis vocatur.) quô aër tempore cumprimis verno opulentur abundat, artificioſè capiatur, & auxilio putrefactionis cum ⊖e 🜿ri poſtmodum combinetur, quem tamen modum non niſi electis Doctrinæ Filiis communicandum cenſent ſublimioris Chymiæ Patres. Quisquis itaque ſpiritum ex ⊖e 🜿ri quacunq; etiam laborandi ſolertia impetraverit, efficaciſſimum utiq; & penetrabile, omnique pariter corroſiva tyrannide deſtitutum habebit menſtruum, quod Eſſentias & ℞as tam ex metallis, mineralibus, & lapidibus pretioſis aut principibus, quàm minùs pretioſis & inferioribus oppidò ſvaviterq; extrahere valebit. Cum ſpiritu 🜿ri autem ex crudo 🜿ro ♌lato coque probè rectificato hanc ⊖ium fixorum volatiliſationem, ut ſic loquar, præſtandam eſſe, colligimus ex paulò ſequentibus, ubi ⊖ margaritarum cum hoc ſpiritu volatiliſandum, adeoque ſpiritum 🜿ri perlatum vel magiſterium per-

Spiritus ex ⊖e 🜿ri præparatio.

Putrefactionis chymicæ mira poteſtas.

Alkalium ⊖ ſ. ⊖ium fixorum volatiliſatio.

Spiritus 🜿ri rectificati divina virtus in volatiliſãdis ⊖ibus fixis.

Menſtruum egregiũ pro ℞rum extractione ex mineralibus, metallis, & lapidibus.

perlarum liquidum, h. e. pretioſiſſimum inclutumq; contra Epilepſiam ſpecificum ſic conficiendum Autor dictitat. Hæc autem medicina perlata ☉is virtutes propemodum æquare, humidumque noſtrum radicale inſigniter recreare, ac vires exſolutas fortiter roborare, cumprimis verò afflicto cerebro præſtabile ſolatium ac robur adferre dicitur: Imò in tantum honoris faſtigium Medicamenta ex margaritis hermeticè parata adſcenderunt, ut vel agoniſantium extrema refocillatio communiter hinc expetatur: De Eſſent. ☽æ cum ſpiritu ☿ij vel acido ejusdem rectificato facta ſ. ℞a ☽æ, quam præ reliquis contra Epilepſiam antecellere tritum eſt, jam ſuprà egimus, & enlogia ejusdem abunde deprædicavimus: Qua pariter transmiſſa conſpicimus Autorem ab ordine hîc digredi; & ad purgantia, quorum unum univerſale ſeu Extract. ellebor. alb. alterum particulare ſeu ptarmicum, ambo tamen ex ſuperioribus jam nobis cognitisſima exiſtunt, neglecto quaſi paſſu devolvi. Palmam tandem præ reliquis omnibus hic tribuit Autor ⊖i ſanguinis volatili, quod etiam Alchool ſanguinis (quia cum ſpiritu ✕ alchooliſato celebrata priùs putrefactione paratur.) vocitare ſolet. Satis autem vulgatum eſt, quod ſanguis recens adhuc & calidè potus ſpecifica virtute conferre ad Epilepſiã ſtatuatur, ita tamen ut potum excipiat motus curſusque vehementior ac celerrimus, atq; ad ſudoris copioſi eruptionem ſummamq; laſſitudinem uſq; continuatus: Verùm hanc ipſam potionem magna cautione opus habere inſuſurramus, quod adſumentibus hinc plerumq; evidens nequitiæ, truculentiæ, vel ad minimum amentiæ ſigillum ſeminiumque imprimatur. Quod verò ⊖ volatile ſeu Alchool aut Eſſentiam ex ſanguine humano omni ſuſpicionis malitia carente (vel in hujus defectu, ex ſanguine cervino aut hircinô) mgtr paratam, & ab omnibus impuritatibus defæcatam, ſeu ad ſummum puritatis culmen perductam attinet, illa omninò quà jucunditatem, & quà operandi tutam celeritatem præcellit, cujus præparationem tam Faber in ſuô Myrothec. ſpagyr. quàm ſolertiſſimus Schroderus in Pharmacopoeâ ſuâ fideliter appoſuerunt. Hoc igitur ſanguinis arcanum (ſic namq; nuncupari meretur.) balſamum Naturæ eſt ſummum, & vires balſami nativas longiſſimè ſuperat, præſertim verò Epilepticis aut nervorum cerebriq; ærumnam ſive ægritudinem patientibus certiſſimum ſanitatis eſt aſylum. Cœterùm nos his ipſis remediis, inter quorum claſſem principatum gerere Emeticum ab Autore deprædicatum, utpote in quô certitudo & arcanum quaſi unicum curandæ feliciter epilepſiæ conſiſtit, firmiter in praxi noſtrâ ſæpiùs id experti ſtatuimus, magiſterium cranii humani, ungulam alcis præparatam, cinnabarim

Medicamẽta ex margaritis parata divinum uſum habent.

⊖ ſanguinis volatile maximè ſpecificum eſt in epilepſia cura.

Sanguinis uſus egregius in epilepſia cura.

Sanguis, in epilepſia cura cautè uſurpetur.

Epilepſiæ cura juxta D. Lange.

ſim ℥ij, extractum herb. Lunariæ, ſpiritum noſtrum cephalicum, ☍ ſuccin. alb. decenter rectificatum, ▽am ſquammar. & alia, quæ ſpecificæ proprietatis laudes in hôc caſu pariter ſibi vendicant, adjungenda eſſe cenſemus.

CAPUT XVI.

De *Incubo.*

§. I.

INcubus, quem Ephialtem & ἐπιβολτῶ, aliiq; πνιγαλίωνα vocant, non eſt Deus, neque ſemi Deus, nec Cupido, nec Dæmon, nec vetula etiam in ſomnô corpus opprimens, ut Antiquorum nonnulli crediderunt; ſed eſt excrementum aliquod ponderoſum diaphragma noſtrum opprimẽs: Hinc enim innatus ſpiritus diaphragmatis noſtri oppreſſus ac quodammodo læſus in ſomnô illam oppreſſionem ſentiens eam ipſam animæ ubiq; præſenti repræſentat; tunc anima ſtatim aliquod animal vel monſtrum vel perſonam aliquam hanc oppreſſionem facientem imaginatur, ita ut terrore propterea afficiatur, & clamare, itemq; aufugere cupiens non poſſit, donec ceſſante ſomnô & expergiſcente ſpiritu per vigiliam roboratô iſtud excrementum ex diaphragmate expellat; quô depulſô ſtatim hoc oppreſſionis phantasma perit & evaneſcit.

§. 2. Habet ergò hoc oppreſſionis phantasma ſuum fundamentum ex oppreſſione diaphragmatis au aliquo excremento ſui alimenti oriundâ, quod à facultate expultrice ſeu ſpiritu inſitô diaphragmatis tunc expelli non poteſt, id quod potiſſimum in ſomniis adparet: Inſitus namq; ſpiritus partium ſopore conſternatus debilior utiq; tunc temporis exiſtit, quàm tempore vigiliarum; hinc etiam vigiliâ hic affectus ſeu oppreſſio iſta tollitur, quod per vigilias cujuscunq; partis ſpiritus innatus roboretur, & ad actiones vitales obeundas rurſum excitetur.

§. 3. Redit tamen hic affectus ſomno redeunte, ſi excrementum illud diaphragma noſtrum opprimens non abſolutè expulſum fuerit. Vox autem inſimul & reſpiratio in hoc affectu læditur propter diaphragma oppreſſum, quippe quod non leve vocis ac reſpirationis organum exiſtit: Unde etiam non contemnendi eſt momenti ac ponderis hic affectus, quod epilepſiæ vel apoplexiæ vel ſubitaneæ quoq; mortis ſit ſymbolum; Ideoq; non negligendus, ſed debitis remediis citò curandus venit, quod cum Deo ex ſequenti methodo fiet manifeſtum.

§. 4. Cum excrementa digeſtionis alimenti, quod diaphragmati deſtinatur, ſæpiuſculè nimiâ in quantitate ſuper diaphragma cogerantur, vel ali-

aliquando à toto thorace ad diaphragma projiciantur, præcavendum eſt præſcriptâ tenui diætâ, ne illa excrementa copulentur: Sæpiùs enim excrementa illa ex crapula frequenti vel ciborum in ſtomachum ingeſtione nimis copioſa proveniunt. Fugienda igitur crapula & nimia ciborum ingurgitatio tunc erit.

§. 5. Ut autem radix hujus mali evellatur, purgandum eſt corpus ☿io noſtro vel extracto elleborino: Ultimò vero per 3 dies expurganda eſt illa excrementorũ circa diaphragma ſtabulantium ſaburra noſtro ♃ ſudorifico vel ſpiritu ♀ri ⊖e corall. aut margaritar. imprægnatô, qui datur ad quantitatem ʒj in ✕ tenui vel ▽ cinamom. ſeu ulmar. & D. ſummo mane jejuno ventriculo hac cum conditione, ut ægri corpus perquam optimè cooperiatur, omniq; arte ſudor quàm copioſiſſimus excitetur: Qua ratione tutò, jucundè, ac citiſſimè materialis incubi cauſa tolletur, quæ ſi negligatur, nidus mali accreſcet, ingensq; ſomnus aut potens Epilepſia hinc conſequitur, vel non rarò etiam apoplexia imò ſubitanea mors exinde ſuccedet, à qua nos pia & inexhauſta ſua miſericordia Deus præſervet.

Animadverſiones

§. 1. Malum hoc promiſcuè omnibus, multis tamen cum ſuperſtitione eſt notiſſimum: Unde non paucis etiam mira nomina huic adſcribere, & neſcio quibus circumſcriptionibus ejusdem exprimere indolem placuit, cujus negotii rudera Autor etiam nobis hîc oſtendit. Quatuor autem nominum eadem fermè ſignificantiâ concordantium mentionem is facit quorum rationem deſubitò etiam reddemus. Incubus ſeu Incubo quaſi incubitus dicitur, quod imaginationem ſeu ſpectrum incumbentis ſive incubantis alicujus ac prementis morbida hæc affectio afferat; Ideoque differt ab incubis illis Dæmonibus, qui mulier. bus vel ſagis potiùs ſe commiſcent, ſicuti ex adverſo ſuccubi vocantur, qui muliebria patiuntur ac viros decipiunt: : Quæ disquitio tamen hûc minimè pertinet. Ephialtes inſuper audit ab inſiliendo, quòd dormientes hoc morbo correpti ſibi perſvadeant, corpori ſuo cum impetu inſilire & incumbere poſtmodum objectum aliquod externum; vel, ut alii malunt, ab herba pœoniá, contra hoc etiam malum ſpecificâ, alioquin Epilepſiæ propriâ, quæ Græcis ἐφιάλτεια ſalutatur. Ἐπιβολὴ eodem ſenſu à phantaſia invaſionis, aggreſſionis ſeu injectionis nuncupatur. Tandem πνιγαλιών nominatur à ſuffocationis ſpecie ſeu ſimilitudine, quâ quis ſomniat, ſe à mole quapiam vel ab hoſte invadi, opprimi, ac proinde in periculô ruinæ eſſe, aut ſuffocari & ſtrangulari, nec effugere ſe poſſe; unde hoc malo affectus valdoperè angitur, ſingultit gemit, ſudat: Hinc Avicennæ etiam hanc ægritudinem ſuâ linguâ ſtrangulatoris voculâ inſignire lubitum fuit. Mera igitur figmenta

Incubus unde ita dicatur.

Incubi Dæmones & ſuccubi quid.

Ephialtes unde dictus Ἐπιβολὴ & πνιγαλιών unde dictus hic affectus.

Incubus eſt ſimilis ſtrãgulationi et ſuffocationi

menta & fabuloſa deliramenta ſunt, quæ olim circa hujus mali genuinam fovebantur deſignationẽ. De illis ſic Hoffmannus: Hos, inquit, conjector eſſe Faunos, Satyros, Sylvanos, Panes (Autor adpellitat Deos & ſemi Deos) vel quocunq; nomine voces (hûc recenſemus etiã Cupidinẽ, quẽ ſibi incumbere aut ſemet cõprimere ac divexare non rarò exiſtimant ſomniantes Veneris Alumni Alumnæq;) qui hoc officium gerebant antiquitùs, & quos ob id Ephialteis ſeu Inſultatores ac Incubos, ſicuti ipſum malum, teſte Pliniô, Faunorum in quiete ludibria vocitata fuiſſe veriſimile eſt. Sed bonus Medicus ab his nugis tamen non immeritò abhorret.

Spectra & imaginationes in Incubo quid ſint juxta Hoffmannum.

Idem quoq; de Vetulis ac Dæmonibus ſentiendum (licet hi tanquam tenebrarum Principes interdum iſtô morbô tanquam inſtrumentô ad excruciandos homines uti queant) de quibus conceptam opinionem pariter ad errabundæ ſeu depravatæ imaginationis larvas religandum nos ducimus ſiquidem Medico ad ea confugiendum haud ſit, quæ ſunt contra & ſupra Naturam, ubi ea luculenter ſuppetunt, quæ ſunt p.n. aut quæ ex fonte pathologicô ſcaturiunt, veluti hoc ipſum ex Autoris textu oppido in oculos jam incurret.

Vetulæ ac Dæmones an Incubũ cauſentur.

Quod itaq, cauſam attinet tam mediatam ac materialem, quàm immediatam atq; efficientem, Autor in principiô ſtatim abſolutâ nempe onomatologiâ, denominat, quarum utramque paucis etiam ponderabimus. Excrementum autem ponderoſum aliquod diaphragma opprimens hîc producitur; quæ loquendi ratio quùm obſcura non nihil videatur, ſenſum Autoris plenioribus exponere verbis allaborabimus: Quùm enim incubus ex familiâ eorum affectuum ſit, qui citò fiunt invaduntq;, & qui celeriter rurſus deſinunt vel in momentô evaneſcunt atq; ſolvuntur, in excrementum hoc ponderoſum, utpote cui agilitas illa præcordiorum limites citò adeundi & citò rurſus ab iis recedendi non cõpetere videtur materialem hujus mali cauſam non adeò ſimpliciter ac unicè reponendam cenſemus. Itaq; nominandi hîc potiùs venient vapores excrementitii & craſſi à ventriculi cruditatibus potiſſimum & excremẽtis illis ponderoſis oriundi, quibus illa vis ſeu pondus aggravandi conſimiliter atq; ipſi excremento attribui utiq; poteſt.

Incubi cauſa materialis an ſolum ſit excrementum ponderoſũ.

Incubum cauſantur quoq; vapores excrementitii.

Antequam verò cauſæ efficienti faciamus juſta, de ſubjecto ſeu loco affecto quædam hîc præmittere operæ pretium arbitremur. Autorem diaphragma determinare hîc concernimus, ſicuti etiam certiſſimum eſt Medicorum neminem hactenus dubitaſſe, Incubum è præcordiis ſuſcitari Huic autem ſententiæ ut contradicere nolumus, ſic cerebrum etiam à parte affectâ hîc non excludendum, nec ſtomachi, utpote exquiſitiſſima ſentiendi virtute præditi omneq; gravamen ægerrimè ferentis inſuper mentionem negligendam eſſe pronunciamus. His ita præmiſſis cauſæ efficientis ſcenam, imò totius

Incubi πρῶτον πάσχον nõ tantum eſt diaphragma, ſed & cerebrũ, imo & ipſe vẽtriculis.

morbi

Ventricul⁹ utpl. incubi cauſa primaria eſt.

morbi hiſtoriam tali depingimus penicillo: Præſupponuntur cruditates & earum ſuperfluitates in ventriculo ac circa vias primas hoſpitantes, quæ quùm ob infirmitatem facultatis concoctricis decenter ſubigi corrigiq; non poſſint, fit ut non tantum vapores craſſi ac tetri hinc ſurgentes orificium ventriculi valdoperè infeſtent comprimantq; (hoc enim patiente, diaphragma utpotè huic quàm proximè adjacens neceſſariò etiam ad compaſſionem cogitur, & anguſtiam illam juxta perſentiſcit) & ad ſublimia elevanti cerebrum unà cum reſidentibus ibi ſpiritubus animalibus turbent, verùm etiam ut per ductus lacteos unà cum vitiato tunc chylo ad officinas & vaſa ſanguificationis diſtribuantur, atq; ſic poſtmodum etiam ad diaphragma atq; ipſa præcordia limitesq; vitalis aulæ pervenientes, ſpiritus vitales, circulationis nempe promtitudinem, quam poſcit ſanguis, non levire impediendo, vehementer aggravent, ac proinde inſimul ſpiritum inſitum graviter opprimant: Quùm verò prætereà pro ſpirituũ

In Spirituũ animalium generatione ſemper concurrũt ſpirit⁹ vitales

animalium aſſiduâ generatione ac reſtauratione ſpiritus vitales ad caput adſcendere teneantur, contingit etiam, dum hi ipſi damnatis iſti excrementitiisq; vaporibus jam gravati exiſtunt, ut propterea ſpiritus animales ex hâc inquinamenti caligine indubitatò offendantur, atq; ob eam ipſam cauſam facultates juxta principes, præſertim tamen phantaſia (quæ hinc terrifica monſtra ac ſæpiùs inaudita ſpectra protinùs ſibi effingit, ut ex

Facultates principes præſertim tamẽ phantaſia ac motrix unde depraventur in incubo.

Autore noſtro videre eſt.) ac motrix depravetur; Motricem autem evidenter tunc impediri; in reſpiratione, vice, & totius corporis motu comparet: Quamvis etenim hoc malo oppreſſi manibus pedibusq; rem ponderoſam pectori incumbentem amoliri quàm maximè adnitantur, nihil tamen præſtare, neq; exclamare, aut vocem edere valent, imò expergefacti valdoperè de muſculorum pectoralium gravitate ac ſummâ reſpirandi anguſtiâ congruuntur; cujus rei cauſa pariter in propatulo eſt: Hęc enim

Clamandi, movẽdi, ac reſpirandi difficultas in incubo unde.

clamandi, movendi, ac reſpirandi difficultas partim fit poſitivè, dum videl. diaphragma, illud nobile reſpirationis facilitandæ organum, ut & aliæ partes loquelæ ac motui deſtinatæ obſtruuntur & aggravantur ab hujusmodi gravibus craſſisq; vaporibus, ut hinc liberè ſuo officio defungi non poſſit; partim privativè, dum ſpirituum animalium decens influxus

Spiritus noſtri corporis alacriores ſunt vigiliarũ tẽpore quã ſomno.

propter aggravatum his vaporibus cerebrum imminuitur, aut ſpirituum etiam defectus ob jam citatam cauſam exinde accidit, ut propterea eo agilitate ac promtitudine, qua præſtanter alioquin pollere debent nominata membra, deſtituantur. Deniq; nullũ eſt dubiũ, quin vigilariũ tempore ſpiritus corporis longè alacriores & ad omnia promtiores potentioresq; exiſtant, quàm ſi ſomno ſint devincti: Tunc enim quũ languiduli ſint ac velut ſecuri, inſidias cauſæ morbificæ non adeo attendere nec reſiſtere iis valent

Incub⁹ unde ſtatim ſoluto ſomno ceſſet.

donec oblatis à phantaſia hinc turbata & quaſi delirãte prædictis portẽtis atq, ludibriis ſopor planè excutiatur, ac ſpiritus ſanitatis noſtræ tutores ad præſtandũ officiũ recollecto ſic robore ſuo inſtigentur: Hinc etiã fit, ut ſoluto ſomno certiſſimè incubus ac terrificum illud oppreſſionis phantasma ſolyatur, atq; effectus iſte penitùs evaneſcat.

Ad §. 2. & 3.

Ad §. 2. & 3.

Id vel obiter libandum hîc ſe offert, an de neceſſitate ſit, ut incubus de nocte ſolùm contingat? Hoffmannus opponit terrores in nuper natis, quos panicos vocat, eosq; de die etiam accidere affirmat; imò Melancholicis præſertim non infrequens eſſe aſſerit, ut de die ſomno indulgentes incubum patiantur: Quod & nos in dubitationem non ducimus, niſi quod credamus tamen ordinariè magis ac potiſſimum nocturnô tempore incubum nos adoriri ſolere. Sed aliud dubium hîc inſuper ſuccreſcit, quod pariter non prætereundum cenſemus: Quæritur nimirum, num vigilantibus æquè ac dormientibus accidere ephialtes poſſit? Sunt, qui ita exiſtimant, ab experientia, ut putant, confirmati, quod compertum fuerit, quosdam vigilantes ſtantes, ſedentes incubô correptos; id quod vetuſto etiam Medico Maſſariæ contigiſſe traditur. Verùm ut hujuscemodi παθήματα ad ἔκστασιν ſeu Catalepſin potiùs referendum eſſe perhibemus, ita incubum dormientibus proprium eſſe ſtatuimus, quum impoſſibile ſit, ut vigilans tam enormiter circa imaginationem decipi queat, quemadodum in dormientibus id fieri animadvertitur: Quod enim exempla illa, ad quæ contrarium tueri geſtientes provocant, ſpectat, illa inter prodigia & opera Naturæ inſolentia potiùs referre præſtat, eaq; cum ordinariis minimè confundere par eſt. Hinc rectiſſimè Epiphanius Ferdinandus: Quæ rara ſunt, inquit, Artis nequaquam ſunt, nec ullatenùs ad eam pertinent. Prognoſin hîc quoq; tangit Autor, & hoc vitium, præſertim ſi perſeveret, aut ſi ſæpiùs redeat, utpote tam ratione ſigni quàm cauſæ malum ſuſpectumq;, non eſſe contemnendum monet, quod, niſi citò ſerioq; eidem occurramus, Epilepſiam vel apoplexiam vel repentinam quoque ſuffocationem & ipſiſſimam mortem minetur, veluti omnia illa mala, quæ reſpirationi (cujus quanta ad vitam neceſſitas ſit, vel lippis, quod dicitur, notum eſt) vim inferre eamq; cohibere moliuntur, præ cœteris periculoſa exiſtunt. Cœterum tamen non negandum etiam eſt, Incubum ſuapte Naturâ, ſi rarò ille vel à cauſa externâ contingat, minùs imò nunquam lethiferum, imò nullius fermè momenti exiſtere.

Incubus an neceſſariò de nocte ſolùm contingat.

Incubus num vigilantibus æquè ac dormientibus accidere poſſit.

Rara quæ ſunt, ad medicinã non pertinent.

Incubus eſt periculoſus morbus reſpectu prognoſeos.

Incubus non ſemper eſt periculoſus.

Ad §. 4.

Incubum crapulæ eſſe ſalarium præmiumque hinc diſcimus: Ut enim illa gravitatem & tremorem membris omnibus, ſic dubiô ſine diaphragmati etiam & præcordiis ob collectas cruditates (inde ab Etymologis alluſione non ineleganti dicta fuit crapula quaſi cruda epula) inducit. Hinc igitur exceſſum defectu, & luxuriam illam inediâ tenui-

Crapula valdè nociva eſt iis, qui incubô affliguntur.

Abſtinentia magnus eſt fructus ad curandos morbos maximos.

que victu rurſus emendandam hortatur Noſter : Abſtinentia enim tunc præſentiſſimum eſt medicamentum, utpote cujus benificiô maximos graviſſimosq; non rarò morbos ſe depuliſſe teſtantur Auctores in Medicinâ clariſſimi : Ita autem ſubtrahitur ac digeritur, quod certiſſimè futurum oneri erat , & præcavetur , ne corpus jam impurum ab uberiori nutritione impurius reddatur magisq; exinde aggravetur, lædatur, ac proſternatur.

Ad §. 5.

Emeticorũ & ſudorificorum egregius uſus in curando incubo.

Si incubus frequentiori adſultu affligens certiſſimus Epilepſiæ aut Apoplexiæ prodromus ac quaſi cometes eſt, prout reverà eſt, ſequitur, quod arcanũ curandi pariter in generoſis iſtis Emeticis cruditatum noxas ac ſuperfluas impuritates maſculè exhaurientibus conſiſtat, de quibus & eorum genuinô uſu paſſim jam ſæpiùs actum fuit. Deinde præmiſſis illis nobiliora ſudorifica hîc quàm cõvenientiſſimè porriguntur, velut ex curatione Epilepſiæ notum, ut fuliginum aggravans craſſities ſic attenuari, & ex penitioribus penitiſſimè eradicari poſſit. Singulare autẽ & præſtabilis efficaciæ, hoc eſt oppidò refectivum diaphoreticum præter Sudorificum maximum Autor hîc proponit, videl. ſpiritum

Spiritus ♀ri coralliati vera præparatio.

♀ri coralliatum vel perlatum, qui ſemper ita præparandus erit, ut iſte priùs omni ſtudiô per ſe rectificetur, & â fœtore ſuo penitùs liberetur : Deinde ⊖ corall, vel perlar. quantum libet (videl. ut ſpiritus ♀ri, 3. vel 4. digitos emineat) in eum immittatur, atque menſtruæ vel bimeſtri digeſtioni, ita tamen ut vitrum, cui hic ſpiritus concreditus eſt, benè obturatũ ſit, ſubjiciatur, poſteà verò per repetitas cohobationes rurſus affundendo ſemper ſpiritum iſtum reſiduo magmati, præparatio hujus medicinæ ad deſideratam perfectionem deducatur. Cœterũ ea omnia,

antiEpileptica medicamenta ſpecificè conferunt in curando incubo.

quæ antiepilepticorum catalogus comprehendit, hîc ad funditùs extirpandum incubum eò magis convenient, quantò curatu facilior longè exiſtit incubus, quàm Epilepſia, ad magnos utiq; morbos referenda ; ſiquidem ab Arabica Natione incubus habeatur dumtaxat pro Epilepſiâ minore vel ejus dumtaxat effigie : Quæcunque autem remedia affectum aliquem in ſupperlativo gradu conſtitutum expugnare valent, illa eò faciliùs expugnabunt eum , qui in poſitivô vel in fieri adhuc deprehenditur.

CAPUT XVII.

De *Melancholiâ ſeu Delirio ſine febre.*

§.1. Sunt

§. I.

Sunt, qui diſtinguunt Melancholiam â Maniâ, dum Maniam adſerunt eſſe delirium cum furore & impetu maximo; Melancholiam autem delirium ſimplex ſine ullô mentis impetu & agitatione: Quæ tamẽ differentia minimi eſt momenti, imò nec propriè differentia eſt, quùm non habeat diſtinctam ac differentem formam, à quâ ſolâ alioquin vera deſumitur differentia. Si tamen diſtinctio inter Maniam & Melancholiam locum habeat, erit tantum ſecundum magis & minus, cùm cauſa ſit eadem, ſed in unô malô fortior, quàm in aliô.

§. 2. Cauſam E. Melancholiæ ac Maniæ non dicimus eſſe melancholicum humorem, quùm non detur in corpore melancholicus humor, niſi alimenti noſtri excrementa retorrida & quaſi calcinata dicere melancholicum humorem cogitemus, quæ tamen cum melancholicô humore illô Galenicè ſic dictô planè non concordant, quod illa tanquam retorrida ſint calida atq; prorſus △ea, Galenicorum verò humor melancholicus ſit terreſtre quiddam ac ſiccum frigidumque. Non E. melancholicus humor eſt vera cauſa materialis Maniæ & Melancholiæ, quoniam utraque eſt morbus calidus △eusq;, & proinde non â cauſa frigidâ ac ſiccâ, ſed â contraria, nempe calidâ & ſiccâ proveniens.

§. 3. Definiemus E. melancholiam & maniam morbum calidum ſiccumque, ab excrementô retorridô calido ſiccoq; provenientem, qui vitæ noſtræ ſpiritum ſuâ caliditate ac ſiccitate inflammat, & quidem particulariter in cerebrô; undè actiones animæ peculiari læſione offenduntur, ita ut hoc malô affecti perperam ratiocinentur, & ridicula loquantur.

§. 4. Fomes & focus hujus retorridi excrementi Maniam efficientis variis in locis latere ſolet: Nam cum excrementa alimenti noſtri ubiq; locorum generentur, & hoc ipſum etiam excrementitium evadere poſſit, illa autẽ excrementa â calore noſtro fortiùs coquantur & elixentur, fieri poteſt, ut tandem in retorrida ac prorſus △ea excrementa convertantur, atque id quidem potiſſimum in hypochondriis, liene, ac circa viſcera alia, imò ſæpiſſimè in ipſo etiam cerebrô, ut hinc & â retorridô hoc excrementô ejusdem ſpiritus inflammetur animalis, atq; ſic Mania aut Melancholia ſuboriatur, & Melancholia quidem, ſi excrementum illud non adeò valdè excaleſcat; Mania vero ſi fortiùs, quàm par eſt, id excaleſcat.

§. 5. Sunt autem Chymicorum multi, qui Maniam definiunt

☿ium in calcem reverberatum & ſolutum in ▽am fortiſſimam, ſpiritum vitæ noſtræ inflammantem ac corrumpentem. Hæc ſanè definitio ad veram reduci ſtatim poteſt, ſi demonſtraverimus ☿ium illum in calcem reverberatum, eſſe retorridum illud excrementum: Alimentum etenim noſtrum quum ex tribus radicalibus principiis, nempe ⊖e, 🜍re, & ☿io conſtet, nullum dubium eſt, quin ſi fortè id corrumpatur, hæc etiam ipſi innata principia ad corruptionem tendant, & proinde excrementum iſtud, nimia coctione retorridum, ac ☿ialis ejusdem ſubſtantia in calcem reverberata unum idemque denotent: Ideoque excrementum illud retorridum ſive ☿ius excrementitius corrupti hujus alimenti in calcem reverberatus vera eſt Maniæ ac Melancholiæ cauſa.

§. 6. Curatio tam Maniæ quàm Melancholiæ duplex eſt, una quæ refrigerat & alterat materiam peccantem ſeu retorridum illud & in calcem reverberatum excrementum, altera verò, quæ omninò diſſipat & conſumit excrementum illud Maniam aut Melancholiam efficiens.

§. 7. Refrigeratio & alteratio materiæ peccantis fit Eſſentiis ſummoperè refrigerantibus, ut ſunt Eſs. ♄, ♃, & ♂, it. 🝆 camphor. hâc in forma porrigenda: ℞. 🝆 camphor. ℥ß, Eſs. ♄ g.x. Eſs. ♂ g.vj. M. c. ▽ comm. & propinetur ſingulis diebus per 10. dies: Hoc enim medicamentum in curâ Maniæ eſt potentiſſimum, quia ſummopere alterat refrigeratque cauſam hujus affectus materialem, & coagulat ſpiritus iſtos retorridos ad caput ac cerebrum adſcendentes, illudque ferientes.

§. 8. Materiam autem Maniæ ac Melancholiæ tollunt virtute quadam arcanâ ac ſpecificâ Quinta Eſſent. ☽æ & ☉is atque ☿ij, it. ſummum anodynum noſtrum, & flores ♁ij comuniter præparati ad gr. x. c. theriaca dati, ſummum ſunt Maniæ remedium: Inſuper ♁ij quinta Eſſent. eſt perfecta cura inſaniæ, ac 🝆 ♁ij rubrum Baſilii Valentini eſt tutiſſima ac jucundiſſima omnis Maniæ & inſaniæ medela: Eſſentia etiam ellebor. certiſſimè amentiam curat: Ex quibus ſingulis ac ſimul etiam mixtis fieri tutiſſimum ad omnis inſaniæ curationem remedium poteſt.

Animadverſiones,

Ad Cap. XVII. in genere.

Delirio-

DElifiorum & Melancholiæ plures eſſe ſpecies , quàm nomina, apud plerosque in confeſſo eſt, atque ex Obſervationibus Medicis mira hujus affectus monſtra conteſtantibus conſtat : Unde etiam ob confuſam hanc varietatem, longè difficilimæ curæ ac doctrinæ inſaniam quamvis exiſtere Helmontio ambabus manibus largimur. Quicquid tamen ſit, quum tam Melancholiæ quàm Maniæ imò omnis amentiæ adfectus ſingulari contemplatione ſint digniſſimi, ut exactiſſimè cognitâ eorum eſſentia ac quidditate inſanâ, mente laborantibus amiſſam divinæ dotis nobilitatem h.e. exutam humanitatem ac venuſtatem quantocyus reſtituere queamus , pro viribus etiam noſtris rem intricatiſſimam ex difficultatum vepretis & obſcuritatum tenebris eruere, atque omni ſtudio explanare, veſtigia tamen manuductoris Autoris noſtri premendo, adſudabimus.

In differẽtiarum cõſtitutione Medici nõ ſemper curant formas, ſed ſæpiſſimè reſpiciunt morbum.

Ad §. 1.

Differentiarum cenſores hîc nos exhibere nolumus , quum in omnibus Melancholiis eodem penitus utendum filô adſeverent Practici. Nec tam rigoroſi etiam Medici eſſe ſolent, ut juxta normam diſtinctæ formæ protinus metiantur ſua diſcrimina, ſed contentos ſapientiſſimè hos deprædendimus , ſi graduum diverſitas ac magnitudo aut exilitas attendatur : Neque id perperam ; Nam exinde concludendum erit , num generoſa &c. virtuoſo impetu operantia medicamenta frequentiùs & in majori doſi , num verò rarius ac minori quantitate porrigenda ; quarum circumſtantiarum illa in vehementioribus melancholiis ac deliriis , hæc verò in levioribus ad uſum derivari ſolet. Citra ullam autem controverſiam verum eſt , Melancholiam & Maniam eſſe delirium ſeu aberrationem mentis plerumque cum rationis vacillatione combinatam : Diſtinctè autem ſi loqui nunc amemus, Melancholiam nuncupabimus delirium placidum ac ridiculum â cauſâ mitiori oriundum ; Maniam verò delirium furibundum ac ſummè impetuoſum , cauſæ atrociam evidenter præſupponens , in quo non alios tantum, ſed & ſeipſos cędere, vulnerare, catenas rumpere, impensè vociferari , & hujuscemodi non ſine horrore memoranda alia committere tentant Maniaci. Atque propterea ferre hanc Autoris perſuaſionem poſſumus, quod Mania à Melancholiâ tantummodo ſecundum magis & minus ſeparanda veniat, licet hoc ipſum etiam ſicco pede haud prætereundum fuiſſet, quod in Mania nullus ſit præſtò mœror ac triſtitia, ex adverſo autem Melancholia furore omninò careat, ſed modò fatuam ac ridiculam hilaritatem , modo abſurdam mœſtitiam ac meticu-

Melancholia & mania plerũq; cum rationis vacillatione ſunt combinata.

Melancholia & Mania differunt tantùm ſecundum magis & minus.

Maniæ ſigna diagnoſtica.

Melancholiæ ſigna diagnoſtica.

In maniâ plurimùm afficitur cerebrũ; in melancholiâ verò cor.

meticuloſitatem adſtantibus oſtendant, ut in Maniâ proinde cerebrum magis affici, in Melancholiâ verò cor potiùs affligi ſit perſpectiſſimum.

Ad §. 2.

Negotio plena hîc nobis diſceptandi anſa ſeſe offerret equidem, verùm hanc reciprocare cum Galenicis & Hermeticis ſerram ſerio reſpuimus, in id unicè allaboraturi, ut rem exactâ lance ſub rationis patrocinio ſtatim librare, & veritatis nucleum depromere jam valeamus. Propiores autem eos, qui Hermeticis fundamentis innituntur, veritatis ſanctuario eſſe quàm Galenicos, ſalva tamen magnorum Medicorum autoritate diffiteri non poſſumus; Et quamvis terminum illum technicum, quo humorem excrementitium terreſtrem & atrum aduſtumque ſchola Dogmatica nuncupare melancholicum ſive atrabilarium ſolet, ſalvandi officioſam promtitudinem præſtituri eſſemus, nihilominùs ratione tamen abſurdæ qualitatis, dum frigidam illam Melancholiam ſuperſtitiosè nimis aſſerunt, impoſſibile penitùs id eſſe concernimus, quoniam excrementum illud aduſtum ſeu calcinatum (vel quod idem penitùs eſt, in calcem reverberatum, ſic dicente Autore) nulla ratione gelidum, cadaveroſum penitus ac mortuum, ſed manifeſtè calidum ac △eum cauſticumque exiſtit. Exinde autem luculenter confeſtim liquet, quod Galenici excrementitiam iſtam humoris terreſtreitatem ſeu atram & cineream vel calcinatam hancimpuritatum ſaburram corticetenùs aut ſuperficialiter ac perfunctoriè duntaxat, nullatenùs vero intimitus ac centrotenùs inſpexerint æſtimarintque, non reputantes, quod ſub cineribus hiſce vegetiſſimus ſed pernicioſus △is (cineres etenim iſti pariter conſpicua pernicie ſunt infecti!) ſit abſconditus, ſeu quod in eodem mirabilis atque △ea ſubſtantia, ut in Palladio ſuo loquitur Faber, ſuperſit. Quùm autem calcinatio nil aliud ſit, quàm alkaliſatio, quâ alkali ſive ⊖ fixum eruitur, atque in actum ducitur, ſtatim luculentum evadit, quòd cauſticum fermentum protinùs vires ſuas hinc exſerere incipiat, & non niſi △eas, ac veluti flammantes fuligines ſeu ſpirituoſas exhalationes emittere poſſit. Prout itaque magna aut levior humorum contingit aduſtio ſeu calcinatio, eò etiam △eum magis aut mitius inde ſuccedit fermentum, quorum illud △ea effluvia, hoc vero non niſi nebuloſa & caliginoſa ſpargit miaſmata, velut △ obſcurus ſpiritus fumat potiùs, quàm ut lucidè flammet; Unde illinc manica rabies ac furor, hinc vero melancholicus mœror atque meticuloſa imaginandi eaque mirè ac ridiculè

Melancholia malè dicitur frigida à Galenicis.

Melãcholiæ cauſa eſt excrementum calidum ac igneũ.

Melãcholiæ cauſam non intellexerunt Galenici.

Calcinatio quid Chymicis.

Fermẽtorũ & vaporum ſive exhalationũ in corpore noſtro cauſa veriſſima.

Maniacis cur nullū gelu perſentiant.

culè varia aberratio contingit. Sic igitur △iti ac inflammati ex effluviis △eis ſpiritus noſtri non niſi △eos ac vehementem impetum exhibentes effectus (rationem exinde protinùs elicere licet, cur Maniacis ſingulare ſit, non glaciari, nec intenſiſſimum etiam gelu perſentiſcere) quales ſunt ira, furor, & mania, parere poſſunt; ſin verò nebuloſis vaporibus ſpiritus noſtri obfuſcentur, nigræ etiam ac nebuloſæ triſtisque ſignaturæ affectus ſuboritur, qualis eſt phantaſticus hujusmodi mœror, ridicula ſolicitudo, ac melancholia. Sed unde talis & tanta calcinatio humorum in corpore expectanda, quum ea non niſi præſidio ſubſidioque flagrantis cadentisque △is peragi queat, aliquis hic oggerere, & hoc ſic ſentiendi ratiocinium evertere poſſet? Ex chymico atrio vel ſponte hic nobis obviam venit reſpondendi facilitas, quod videlicet ſciendum ſit, duplicem exiſtere calcinationem, alteram actualem, quæ fit actu flagrante validoque ac vivo △e; & potentialem alteram, quæ fit beneficio ſummè acidorum, corroſivorum, ac ſolvendi poteſtatem habentium, veluti novimus ▽as fortes ac ſtygias in promtu habere Spagyricos, ut potentialem hanc calcinationem præſtare valeant. Calcinationem itaque ſtatuimus eſſe cujuscunque rei in cinerem ſeu calcem converſionem, ſive jam ea ab △e potentiali ſive ab actuali fiat; Actualem autem quum nemo noſtrum in corpore humano ſit poſtulaturus, potentialem retinere præſtabit: Quàm acres autem acidique & vehementer cauſtici in corpore noſtro ſæpiuſculè generentur & colligantur humores, illi norunt, qui vel quartanâ vel malo hypochondriaco ſpleneticisque calamitatibus ſunt conflicti, aut quibus nota eſt hypochondriorum inſignis tunc exæſtuatio, præſertim circa regionem ſplenis, in quo ob arteriarum peculiarem multitudinem conditio calcinatoria (aciditatis enim genuina ibi patria exiſtit) juxta Helmontium præſupponatur: Ideoque etiam vel in ipſo Galenicorum gymnaſio cognitum conceſſumque eſt, humorum aduſtionem ſeu calcinationem potiſſimum in ſplene intemperato atque obſtructo, vel ad minimum circa ejusdem oras fieri. His ita & per ſuas partes perputatis, in aprico confeſtim eſt, humorem illum melancholicum vel cinereum, terreſtrem, aduſtum, ac calcinatum neutiquam frigidum, ſed calidum fervidumque omninò exiſtere, cum omnibus planè & iisdem circumſtantiis, quas paulò antè ſatis prolixè ac perſpicuè arbitrati ſumus.

Calcinatio humorum in corpore noſtro unde.

Calcinatio duplex actualis & potentialis.

Calcinatio humorum in corpore noſtro plerumq; fit in ipſo ſplene vel circa ejus regionem.

Melancholicus humor frigidus non eſt.

Ad §. 3.

Nequaquam valet conſequentia: Ubi calidus morbus, ibi etiam febris: *Calor non ſemper eſ-*

ſcit febrim, ſed & multos alios morbos.

febris; Omnis quidem febris eſt calidus fervidusque morbus, ſed non vice verſâ, id quod ex viſcerum intemperiebus calidioribus ex templò concludere licet, quæ febrim nec neceſſario, neque perpetuo habent comitem, ut notorium: Longè alias namque conditiones ac diſpoſitiones, præſertim vero univerſalem eamque præternaturalem maſſæ ſanguineæ fermentationem ſeu efferveſcentiam, quæ in melancholiâ ac maniâ deeſt omninò, ſed particularis tantum △earum fuliginum partes principes ferientium ſublimatio tunc ſubeſt, requirit febrile incendium, quemadmodum ſuo loco clarebit. Ideoque etiam tam Melancholia quàm Mania dicitur delirium & morbus calidus ſine febre, ita ut mania, quam melancholiam intenſam & truculentam vocari jam percepimus, nulla re alia â phrenitide differat, quàm quod ſit ſine febrili æſtu. Verùm ut ipſam quoq; definitionem attingamus paucis, illam quoque utut incomta aliis eâ videbitur, non abominabimur, utpote ſcientes definitionem, quæ ſecundùm excellentiam eſſentialis adpellatur, hic locum non habere, ſed cauſalem, quippe ad praxis felicitatem oppidò conducentem ſufficere. Facultatem rectricem & principes omnes depravatè hîc lædi, ex doctrina de Phrenitide haud difficulter capere poſſumus, quapropter etiam loco generis proximi harum facultatum depravationem adponendam fuiſſe, atque ad ſymptomata has melancholiæ ſpecies eſſe referendas, nullum utique eſt dubium. Aſt circa cauſas potiſſimum ſolicitus Autor dicit, tam melancholiam quàm maniam eſſe morbum calidum & ſiccum; ubi per ſe jam patet, caliditatis & ſiccitatis exceſſum particularem hic intelligi, alioquin neuter abſque febre conſiſtere poſſet; hinc etiam non niſi particularis inflammationis aut obfuſcationis, nempe in cerebro cumprimis factæ mentio ab Autore inſtituitur, & propterea tam abſurda, tam ridicula, & reſpectivè horrida imaginationum, ſermocinationum, & actionum portenta exin prodeunt.

Ad Febris generationem quid propriè requiratur.

Melancholia & Mania ſunt ſine febri.

Definitio morborum cauſalis ad praxin ſufficit.

Melancholia & Mania ad ſymptomatum claſſem referuntur.

Melancholia & Maniæ cauſa vera eſt inflammatio particularis in cerebro.

Ad §. 4.

Ubi fomes & nidus mali potiſſimum deliteſcat, Autor hic indicat, de quo etiam quòd in hypochondriis & circa ſplenis clima præſertim lateat, data paulo ſuprà occaſione iam fuit abunde dictum, ſicuti conſimiliter melancholiæ originem tantam materiæ morbificæ calcinationem ac efferveſcentiam, quam ipſam Maniam non expoſcere, ibidem commonuimus.

Melancholia & Maniæ nidus ac fomes.

Ad §. 5.

Loquendi ratio apud Hermeticos uſitata modo rectè & ſecundùm Naturæ

Naturæ intimitùs cognitæ leges intelligatur, ad exactiſſimam rerum omnium ac proinde & cauſarum morbificarum notitiam feliciter cultores ſuos perduci. Philoſophari autem ac cuncta perpendere ex fundamento principiorum radicalium, nempe ☿ij, 🜍ris & ⊖is quum ſoleant, eundem quoque rerum penetralia ſic examinandi modum Autor noſter retinuit. Ut autem negotium hoc pleniùs & ex voto capere valeamus, ex codicillis ſapientiorum Chymiæ Myſtarum repetimus, per ☿ium intelligi humidum primigenium ac ſpiritum ſeu partem rerum ſpiritualem, quæ nunquam ſine ſuo vehiculo ſeu liquore exiſtere ſolent; per 🜍ur verò calidum innatum, quod ſolemniter etiam Anima ipſis ſalutatur; & per ⊖em denique ſiccum radicale ſeu corpus, utpote ſine quo tanquam baſi, innituntur reliqua principia, perſiſtere nequeunt, ſicuti nec anima vel 🜍ur ſine ſpirituoſa humiditate ſeu ☿ali parte, quâ tanquam inſtrumento utitur, vigere, nec ſpiritus ſeu ☿ius ſine anima ſeu 🜍re efficaciam ſuam oſtendere ac ſeſe libere movendi beneficium (quum vitale fermentum & maſcula virtus ibi deliteſcat) minimè conſequi poteſt, quâ de Chymicorum ſecretiori doctrinâ alibi ex profeſſo magis tractandi expectabimus occaſionem.

Mercurius quid propriè ſit.

Sulphur quid propriè.

Sal quid propriè.

Dicit itaque Autor, hunc affectum provenire â ☿io in calcem reverberato, & ad cauſticam vehementiam (quam per ▽am fortiſſimam is innuit) redacto, eodem plane ſenſu, quo ſupra △eas fuligines a retorrido & calcinato cauſticumque fermentum ſuſtinente excremento elevari, & melancholiam ſeu maniam hinc concitari paulo ſuperiùs demonſtravimus; Imò clariorem adhuc ſenſum inde ſcaturire deprehendimus, ſi hac ratione id ponderare pergamus: Statuimus nempè liquida in corpore noſtro cadaveroſa eſſe niſi ſpirituoſa ſubſtantia ſint imprægnata; ſic etiam ſpiritus liquido ſuo, quo tam ad præſtandas decenter actiones is temperatur & diſponitur, quam ut vehiculo ſuo etiam inſtructus eſſe queat, naturaliter deſtitutus eſſe nequaquam debet:

Liquidorũ & ſpiritûs in corpore noſtro ſumma connexio.

Sin vero contingat, ut humidior ac benignior ejus portio conſumatur, aut plus juſto exhauriatur, ac veluti aduratur ſeu calcinetur, tunc utique inſtar ▽æ fortis rectificatiſſimæ cauſticus & acerrimus evadit (quemadmodum in rectificatione omniũ ſpirituum id comparet, qui detracto phlegmate longè acriores, ardentiores ac fortiores redduntur) ut poſteà hinc prædictæ incommoditates ſuccreſcant, & ſpiritus noſtri tam vitales quàm animales pariter corrumpantur, qui ſic affecti non exorbitare poſtmodum non poſſunt.

Spiritus ſuo phlegmate deſtituti acriores atq; fortiores redduntur.

Ad §. 6. & 7.

Methodum medendi nos amplectimur & adprobamus ſtatim, quam Maniæ & Melancholiæ exterminio deſtinatam hic concernimus. Primas autem tribuere Autorem remediis excrementum retorridum refrigerantibus & alterantibus, deinde & ſubjicere penitùs illud diſſipantia, conſumentia, (quod nos cumprimis hic addendum attendendumque cenſemus) radicitùs extirpantia ac eliminantia, textus commonſtrat. Ubi quum de refrigerantibus primo etiam loco nobis agendum ſit, de ſubitò monemus, per refrigerantia illa talia hic eſſe intelligenda, quæ cum ſingulari virtute & energiâ, aut quæ cum violentia quadam ac vehementia refrigerationem illam præſtant, alioquin incaſſum iſte refrigerandi ſcopus hîc tentaretur: Deinde ſilentiô hic transmittere, non poſſumus, quod circa Maniæ curam Helmontius adnotavit: Inveniendum eſt, inquit, remedium, (apud plerosque hactenus deſperatum) quod poteſt occidere, tollere ſive obliterare inſaniæ impreſſam imaginem ſeu maculam jam characteriſatam. Mortificatio, pergit alibi, ſtultarum imaginum hic molienda, id quod fit per ſubmerſionem Maniacorum ſeu Amentium in ▽am dulcem ſive marinam, cujus hanc eſſe benedictionem experientiâ & tot hiſtoriis (videatur ejus Opuſculum de Idea demente §. 47. & ſeqq. p. m. 227. 228.) edoctus aſſerit, ut Maniam & rabiem extemplô ſanet. Hujus experimenti rationem ut quoque depromamus, non tantû putamus per ſubmerſionem hanc ob horribilem ſic inſtantis mortis metum fieri in toto corpore & ejus habitu inſignem omninò alterationem & ſubitaneam immutationem, quæ ſemper magnos effectus parere ac poſt ſe relinquere ſolet, verùm & actualem ſic cauſticorum humorum fieri refrigerationem, ſeu ut Helmontius loquitur, phantaſtici ſigilli altiùs impreſſi obliterationem, dum ſubmerſi ▽am confertim inſpirare & attrahere ſic coguntur. Et ſanè mirandum eſt, quod inſani & maniaci plerumque hydrophobiâ ſupra modum laborent, quum tamen ſub & in ▽a copioſè epotâ, item etiam in balneis frigidis Maniæ non contemnendum ſed benedictum conſiſtat præſidium: Deinde nec minùs mirabile eſt, quod Maniaci ▽â ſubmerſi tam facile non ſuffocentur ac pereant, ſed hinc extracti (ita tamen ut corpus invertatur capite ac præcordiis declivibus, quò ▽a rejici eò faciliùs queat) paulò pôſt reſpirare atq; ad ſe redire ſoleant. Huc inſuper velut ad locum quendam communem illam vehementioris alterationis & exquiſitæ immutationis

Refrigerantia præſtantiora in Maniæ cura adhibeantur.

Maniæ cura juxta Helmontium, & fit quoq; ſubmerſione in ▽am dulcem ſive marinam.

Alteratio & ſubitanea immutatio ſemper magnos effectus parit.

Inſani & Maniaci plerumq; laborant hydrophobiâ.

Maniaci aquâ ſubmerſi non facilè ſuffocantur.

mutationis ſpeciem recenſemus, quam moliri & ſub ſcuto Dogmaticorum vires inſigniter medio Emeticorum ac purgantium fortiorum, eorumque frequentiſſimè iteratorum proſternendo exhauriendoque Practicorum non pauci & quidem cum fortunato ſucceſſu ſolent: Quem ſcopum quum hac ratione conſequi, & Maniacos priſtinæ mentis ſanitati reſtituere forſitan non poſſint, tunc ad venæſectionem & ſanguinis emiſſionem ad animi uſque deliquium aliquoties celebratam neceſſitate ſic jubente recurrendum imperant; Quibus peractis talem poſtmodum præſcribendam diætam dictitant, quæ non niſi eduliis potulentisque virtuosè refrigerantibus & benignè alterantibus ſit adornata, & ſub lege mediocritatis quàm diligentiſſimè adminiſtrata. Quæ omnia tamen utut ſuo fundamento ad probè ſatis ſtabiliantur, & cum adplauſu ipſius experientiæ, quam eventus felicitatem noſtro etiam nos teſtimonio fulcire poſſumus, aliquoties ad exoptatum exitum deducta atque comprobata exiſtant, attamen cautiſſimè ac circumſpectè omninò circa hæc extremè magna & cum virium evidenti jacturâ operantia præſidia progrediundum, ne unà cum inſaniâ ipſa & ſanitas ac vitalis aura fortè exterminetur. Sed dimiſſis hiſce ad ipſa remedia ab Autore noſtro tantoperè commendata nunc digredimur, judicii noſtri perpendiculo eorum vires breviter ſed ſolerter ſubmiſſuri. Hæc ipſa autem medicamenta virtutem ſummoperè refrigerandi, & ſpiritus illos excrementitios acres, fervidos, Aeosque, cauſticos & retorridos, qui aſſiduò tunc ♎antur, quaſi congelandi, coagulandi, ac figendi, vel ut clariùs adhuc loquamur fermentum illud cauſticum heroicè præcipitandi ſtrenueque edomandi habere, quò minus adſcendere illi ulteriùs ad cerebrum iſtudque perturbare queant, in genere aſſeverat Autor, quam ipſam doctrinam in Chymiatriâ firmiter fundatam quivis protinùs agnoſcet, qui gratioſam hanc diſciplinam in oculis habet atque deliciis. Primo igitur loco dum adducitur Eſſentia ♄i, non poſſumus non, quin ſecretiorem rationem circa hujus medicamenti indolem vel levibus quibusdam lineamentis adumbremus, & paucis multa ac magna inſimul comprehendamus. Splenem â priſcis ♄o dicatum neminem noſtrum latere poteſt, cujus placidi unicam tantùm hic libâſſe cauſam ſufficiat, quæ in eo conſiſtit, quod medicamenta ex ♄ino ſtemmate depromta, atque ex ♄o, arte ſpagyricâ ritè parata ſplenem errantem ad priſtinam orbitam reducere, ejusque affecti

Emeticorũ ac purgantium fortiorum uſus in Mania cura.

Maniæ cura juxta Dogmaticos.

Splen à Priſcis ♄ dicatus fuit.

Saturnina medicamenta ſpecificè ſpleni proſunt.

ærumnas ſæpè plus quàm Herculanas ſpecificâ efficaciâ levare ac tollere valeant. Unde etiam omnia rectè ſe habere, & athleticè

Saturnus in corpore noſtro qui.

in corporis noſtri œconomiâ cuncta valere adfirmamus, modo ſe microcoſmi iſte ♄us ſeu lien; ille nimirum fermenti vitalis parens, pulcrè ac benè habeat: Quam ipſam antiquæ etiam veritatis fragrantiam ſubodorati veteres aurea ac felicia ♄i regna non immeritò proclamarunt. Sed qua ratione hoc tam fortiter refrigerandi & alterandi beneficium præſtat laudata jam ♄i eſſentia, nunc videbimus.

♄i Eſſentia unde refrigerandi vim habeat.

Ipſe Faber in ſuo Myrothecio ſtatuit, Eſſentiam ſeu arcanum plumbi balſamicâ ſuâ virtute ac ſingulari dulcedine, qua pollet, mordax & acre omne, quod in corpore noſtro ac præſertim ſplenetica fabrica ſtabulatur, potenter reſolvere ac dulcificare; imò eſt ſuaviſſimum humidi radicalis partium læſarum pabulum atque fomentum:

Combuſtis medetur Eſſent. ♄i.

Deinde etiam citiſſimè combuſta omnia hanc Eſſentiam ſanare, & partes temperamento ſuo per △em ſolutas ad temperiem naturalem oppidò reducere dicit Autor; quo ipſo ſtatim concludimus pari & faciliori ratione per hanc medicinam humores aduſtos atque retorridos emendari poſſe: Quod enim actualis calcinationis ſeu uſtionis altiùs impreſſa nocumenta tollere valet, id eò magis robuſtiusque potentialibus cauſticis reſiſtere, atque eadem compeſcere poterit. Aſt quid de ſacchari ♄i uſu, quem

Saccharū ♄ ſummum refrigerativum eſt.

obiter tangere lubet, hîc ſentiendum? Certiſſimum eſt, quod tam externè quàm intrinſecus adhibitum obtineat cauſtica & retorrida quævis potentiſſimè refrigerandi violentiam, ſive in ſubſtantia ad grana quædam, ſive in liquore excellenter refrigerante, v. gr. ▽ ſperm. ranar. quæ effectiſſimè præ cœteris omnibus refrigerat, ſolutum id porrigatur.

Saccharum ♄ crebrò uſurpatum ſterilitatem inducit.

Verùm quum hæc medicina niſi ulteriori præparatione corrigatur, ſine virilitatis jacturâ & ſterilitatis inductione crebrò adhiberi non poſſit, & proinde ad caſus conſcientiæ pertineat, quivis, quid proinde tunc agendum ſit, ſtudioſè penſitabit, atque cum grano ſalis ſeu cautiſſima diſcretione talia remedia uſurpanda eſſe reputabit. Quod ergo de eſſentia ♄i jam dictum, id quoque illi competit, quæ ex ♃e educitur, quum iiſdem etiam morbis, ut illa, ſed virtuoſiore adhuc effectu conveniat,

Eſſentia ♃ egregius uſus.

præſertim quòd cerebrum ab omnibus excrementis & vaporibus △eis efficaciter liberet, & △eos ſpiritus oppidò coagulet figatque. De eſſentia ♂ itidem conſtat, hanc mirum eſſe balſamum ad omnes ſplenis affectus, ita tamen ut præcipuè corroden-

tes

tes humores, ac proinde Δeos quoque ſpiritus egregiè diſſolvat; ſanguinemque à retotrida ſaburra probè emungat, atque ſic eundem in aliam ſubſtantiam mutet. Quod camphoram attinet, de illa triſtiſſimum eſt, quod vim refrigerandi ſingularem ſed nequaquam tamen ad inducendam ſterilitatem aptam habeat; qua de re Autores prolixè diſceptantes inſpici poterunt. Nos autem certiſſimi ſumus, medicamina præſertim 🝆um & eſſentiam ex camphora paratam, inflammationes quaſvis indubitato ſedare atque extinguere, ac proinde etiam in Mania, utpote in qua Δeæ fuligines ad cerebrum confertim ruentes impetuosè ferociunt; appoſitè omninò convenire. Nos tamen 🝆 camphor.ſtillat.hîc ſubaudiendum eſſe non judicamus, quum per deſtillationem manifeſtæ caliditatis ſtigma ipſi jam inuſtum ſit, ſed potiùs per hanc notionem intelligi rectiùs factam ſolutionem camphoræ crudæ in 🝆 aliquo refrigerante per expreſſionem aut infuſionem inſolationemq; vel coctionem parato, quale eſt 🝆 amygd.dulc.vel ſem.papav.aut nymph. alb. vel lil. alb. &c. ſed ſtudiosè depuratum, & ab omni ⊖is ſuſpicione liberatum exiſtimamus. Conſuli tamen Pharmacopœa Schrôderi poterit, qui circa hoc negotium plures cautelas ſubminiſtrabit.

Eſſentia ♂ ſpecificè prodeſt in ſplenis affectibus.

🝆 & Eſſentia camphor. nobiliſſimam refrigerandi vim habent.

🝆 a refrigerantia ſunt amygd. dulc. ſem. papav. nymph. lil. alb.

Ad §. 8.

Eſſentiæ ☉, ☽, ☿, & ♁, quarum virtutem ad ampliſſimam panacæarum & univerſalium arcanorum adſcendere dignitatem aſſerimus, quomodo præparentur, Autor in ſuo Myrothecio partim docuit, partim etiam nos earum mentionem jam ſuprà celebravimus: Habent enim vim penitiſſimè intrandi, & Archeum turbatum effectiſſimè conſolandi. Oleum ♁ij rubrum Baſilii Valentini quod attinet, illud ænigmaticè ac propterea obſcuriſſimè is ipſe deſcripſit in Curru triumphali, quem ♁io conſecravit, ita ut modum præparandi exinde vix elicere quis poſſit, niſi ad horizontem artis Hermeticæ jam fuerit perductus. Tribuitur autem huic medicamento virtus totam ſanguinis maſſam à craſſis putridisque ac impetuoſa fermentatione ſævientibus humoribus ſtrenuè purificandi, adeoque totam Naturam, cujus veluti gazophilacium eſt ſanguis, potenter reſtaurandi, imò ſingula principalia membra, & propterea etiam cerebrum potenter corroborandi, eorumque pathemata funditus ſanandi. Inſuper flores ♁ij etiam hîc laudantur, per

Eſſentia ☉, ☽, ☿ & ♁ panaceæ laudes merentur.

🝆 ♁ rubrum Baſil. Valentini obſcuriſſimè deſcriptum eſt.

🝆 hujus nobiliſſimæ virtutes.

Flores ♉ hic commendantur. per quos num intelligat Autor artificiosè correctos & ad fixitatis gradum redactos, ita ut ſaltim habeant vim diaphoreticam ac refectivam, quæ ad acuendos ſpiritus multum etiam beneficii commodare valet, aliquis in dubium vocare jam poteſt. Verùm ſi inſpiciamus literam atque ſi ejus tenorem hîc advertamus, deprehendemus ſtatim per flores ♉ij communiter ſeu ſimpliciter, h.e. per nudam ♎ationem paratos hic intelligi illos, qui poteſtate concitandi vomitus & ſaburram ex penitioribus corporis partibus proliciendi pollent: Unde & doſis ſe ad ℈ß duntaxat extendit, quod factum haud eſſet, ſi de correctis diaphoreticisque ♉ij floribus hic ſermocinationem inſtituiſſet, utpote qui tuto non ſecus ac ipſum ♉ium diaphoreticum vulgo paratum ad ℈j vel ʒß dari poſſunt. Quum autem purgantia & quidem cum ſingulari virtute hanc operationem exſerentia potiorem ſibi vendicare locum in melancholia & inſania feliciter ſananda videantur, tam Emeticum illudque virtuoſum, quàm etiam robuſtum catharticum, nemqe Extract. ellebor. alb. cujus præconio ſuperiores pagellæ jam perſonuerunt, hic etiam adponere amavit, cujus utriusque uſus in hoc caſu nulla ratione negligendus, ita ut ab Emeticis aliquoties gnaviterque iteratis primordium fiat, quibus ad expurgandum cerebrum, orificium ventriculi, ac lienem, quorum conſenſus eſt arctiſſimus & penè ineffabilis, quod fraternum Symbolum ac mirabilem contactum inter ſe habeant; imò ut Helmontius loquitur, quod veluti colloquantur hæ partes atque ſingulariter compatiantur, ſeu conſpirantiſſimis ſuffragiis ſymbolizent, nihil efficacius nihilque commendatius. Si deſint flores ♉ij, locum eorundem quàm commodiſſimè tenere ♉ius vitæ, quem Autor ♉ium ſuum præparatum vocitat, & nihil ſanè aliud eſt, quàm flores ♉ij ♎tati ſeu per ♎ationem impetrati, poterit; poſtmodum vero catharticum vel quod cum energia quadam alvi dejectiones provocare poteſt appoſitè ac cum fructu ſubmittitur. Quin imò adſerere noſtro loco utpote id experti non veremur, omnia in caſſum circa Melancholicorum & amentium reſtitutionem tentari, niſi quàm ſtudioſiſſimè Emeticorum virtus ac uſus nunquam ſatis deprædicandus hic obſervetur, adhibeatur. Si enim una duntaxat vice uſurpato Emetico inſania laborantes ſe ſtatim recolligant, & ad mentis priſtinum vigorem redeant, quantò magis certiusque vigor ille redivivus confirmabitur

Purgantia nobiliora maximè proſunt in melancholia & inſania curâ.

Cerebri, ventriculi ac lienis conſenſus.

Emeticorũ ſumma praſtantia in curanda Mania & Melancholia.

firmabitur, atque à recidiva amentia is præſervabitur, ſi hæc probatiſſima Medicinæ ſalubritas decenter (utut vires proſterni videantur, ſiquidem impoſſibile ſit, ut ſine virium evidenti ſubtractione deſideratum curationis ſcopum hic conſequi valeamus) iteretur, atque ſi radicalis ſeminaliſque hujus cauſa ſic penitùs exhauriatur, exterminetur.

CAPUT XVIII.

De

Catarrho.

§. 1.

CAtarrhum ſeu defluxionem humorum ex capite, tanquam ex cœlo quodam microcoſmico, in partes inferiores veluti in ▽am delabi ac redire, quàm plurimi Chymicorum ſibilô explodunt, quaſi verò caput excrementa ſua tranſmitteret in partes ſibi inferiores, quùm habeat emunctoria ſatis grandia, capacia, atque omninò idonea, ſeu ab ipsâ Naturâ deſignata, ùt reciperent illa excrementa & foras propellerent, non verò ut in partes ſibi conſociatas deportarentur, ſiquidem ſine harum ſanitate perfectè haud perſiſtere caput queat: Quod tamen ſi fieret, caput ſibimet ipſi excrementa ſua in partes inferiores per catarrhum ſeu defluxionem demittendo noceret, ac ſui ipſius deſtructionem ſic acceleraret, quam tamen fugit, quantum fieri poteſt, & potiùs ad conſervationem ſui totis viribus anhelat.

§. 2. Itaque illa catarrhi doctrina nulla eſt, neque is ullo pacto in corpore humano datur; ſi quid tamen eſt in faucibus, dentibus, gutture, ac cœteris corporis humani membris noxium ac morboſum, id non per defluxionem ſeu catarrhum in illas partes decidit, ſed illis ipſis partibus innatum eſt, à proprio nempe earum alimento corrupto ac degenerato proveniens: Omnes namque morbi per congeſtionem & accumulationem excrementorum, in ipſis partibus naſcentium; nec aliunde provenientium, fiunt.

Ridi-

Ridiculum ergo & anile commentum eſt, dolores dentium, au-rium, & reliquorum membrorum paſſiones per catarrhum aut de-fluxionem fieri: Quis enim eſſet ille transmiſſor, aut per quas vias ſeu canales, qui nullam hinc alterationem perſentiſcere queant, præternaturalia illa, ne noceant iſtis partibus, per quas tranſire ne-ceſſum habent, tunc mitti deberent, donec ad partes illas extre-mas perveniant, ad quas diriguntur; Dubio ſine tunc temporis ex-crementorum miſſorum furor & crudelis hoſtilitas exinde percipe-retur.

§. 3. Non datur ergo catarrhus ſeu defluxio humorum in partes inferiores, ſed ſi quid guttur, os, maxilla, collum, & reliquæ partes inferiores à ſubitaneâ aeris injuriâ calidâ vel frigida patian-tur, id non dependet ex defluxione ſeu catarrho, ſed à ſpiritu ha-rum partium cuſtode, qui laceſſitus vel apprehenſus à dicta 🜁ris injuriâ relinquit peculiare ac proprium coctionis digeſtionisq; offi-cium: Spiritus enim officium eſt cujuscunq; partis alimentum ſibi de-mandatum ulteriùs coquere ac digerere, ut partes ſingulæ per dige-ſtionem ſeu coctionem alimenti ſui, à ſpiritu cuſtode, quem quælibet pars particularem ſeu peculiarem habet, preparati nutriantur ac con-ſerventur. Si ergo ſpiritus cujuscunque partis particularis laceſſatur ac inſultetur ab aliqua 🜁ris injuriâ, is protinùs ſuum peculiare digeſtionis ac coctionis officium relinquit, ut ſe peculiariter contra vim illam & injuriam 🜁ris defendat: Unde alimentum relictum & ad cruditatem redactum per poros partium tanquam excrementum foràs amandatur, & ſic ſcaturiginem habent fluxus variorum ex-crementorum, quæ non ex capite oriuntur, ſed ex partibus ipſis, quibus inſunt, & ex quibus ſolis fluunt, ac non aliunde: Unaquæ-que enim corporis pars ſuarum rerum ſatagit, ni aliunde à cauſis ex-ternis præternaturalibus avocetur.

§. 4. Itaque fluxus excrementorum variorum, quæ v.g. ex gutture, larynge, faucibus, & ſimilibus partibus proveniunt, non ex fluxu ſeu catarrho à cerebro proveniente originem ducunt, ſed ex his ipſis partibus ſcaturiunt, dum ſpiritus inſitus earum cuſtos à cauſis externis laceſſitus proprium ſuum nempe coctionis ſeu di-geſtionis officium linquit: Unde poſteà per poros harum partium alimentum crudum & incoctum decidit, & tanquam excrementum fluit.

§. 5. Sanè

§. 5. Sanè alius catarrhus vel ejus ratio non datur , cui ſola refocillatione & reſtauratione ſpiritus innati eſt ſuccurrendum : Hoc autem fit calore adaucto iſtius partis , cujus ſpiritus debilitatus eſt,neq; alia catarrhi curatio dari poteſt. Eſt ergo ſic dictus catarrhus peculiaris cujuscunq; partis morbus cujus curam peculiarem medicamentis peculiaribus peragendam proponemus,quando ſingularium partium morbos pertractabimus.

Animadverſiones

Ad Cap. XVIII. in genere.

Catarrhus vulgò pro communi omnium morborum cauſa habetur.

MUlta equidem de nomine, fama, & poteſtate catarrhi paſſim in medium proponuntur, adeò ut hoc malum pro inexhauſto omnium fermè malorum poculo cunctorumq; morborum communi ſeminario & fatali matre vel ſaltim nutrice habeatur , ſed nos ea ſolummodò hic complectemur , quæ ad uſum practicum ſcitu neceſſaria videbuntur , ita tamen ut cum ſolertia in veram catarrhi indolem & cauſam, quæ hactenus juxta Autoris noſtri effatum minùs cognita fuit, inquiramus.

Ad §. 1.

Catarrhi nomen quid propriè ſignificet.

Quid per vocabulum catarrhi propriè innuatur , adducto invicem ſynonymo Autor confeſtim dilucidat : Defluxionis igitur nomen id abundè ſignificat, ſicuti etiam catarrhum alii per deſtillationis vocem aptiſſimo ſenſu exprimi pronunciant. Antequam vero Autor ſuam de catarrhi eſſentia ſeu quidditate ſententiam profert , tribus , quod dicitur , Veterum de hoc affectu mentem , adeoq́ue ſuccinctiſſimè recenſet. Subjecti igitur , h. e. tam partis mandantis , nempe capitis , quàm partium inferiorum omnium , quæ inſtar 🜃æ, juxta Dogmaticorum doctrinam, veluti à cœlo humorum delabentium pluvias ſuſcipere , ſtatuuntur , ibi mentionem facit , & ſic totum negotium abſolvit. Quod caput ſit corporis noſtri celſiſſimum culmen , & ipſa ſitus ſublimitate cœteris partibus antecellat , tanquam inter reliqua elementa cœlum in hoc puſillo mundo , qui dicitur Homo , & tanquam arx inter reliqua

Capitis elegantiſſima circũſcriptiones.

urbis mœnia, nemo eſt, quem fugere id queat: Velut aliis de humani capitis ſitu ratiocinari placet, eſt veluti tectum corporei ædificii, & tanquam caminus ſive alembicus, fumos & vapores omnes in corpore genitos tanquam manifeſtam defluxionum materiam ſeu adparatum excipiens. Unde priſci etiam Medicinæ proceres caput metropolim ſeu fontem phlegmatis obhanc ipſam cauſam ſalutarunt, ex quo ſcaturiginem ducens ad rivulos derivandos illud emergat, atq; ſic hujus tam copioſa affluxione ceu diluvio quodam non abſque triſti graviſſimorum ſymptomatum tempeſtate nobiliſſimi microcoſmi maria inundentur, quâ de re Artis naturæ Inſtitutiones & commentarii quotquot extant, item volumina & monumenta Practicorum conſuli poterunt, qui eodem penicillo iisdem propemodum coloribus catarrhi effigiem depingere hactenus ac delineare conſpirantibus quaſi ſuffragiis allaborarunt.

Catarrhorum fons atq; ſcaturigo eſt in capite, juxta Dogmaticos.

Verùm enim verò, has Anteceſſorum noſtrorum de Catarrhi genio ſpecioſè conceptas opiniones pro deliramentis habet Helmontius, & Faber tanquam anilia & futilia commenta, utpote quorum ridiculas nugas Chymiatri exſibilatione dignas cenſent, reſpuit, præſertim quod Naturæ ſic encomium maternæ benignæque prudentiæ, quâ nunquam non præſtantiſſimè pollet, & hujus ſpecimina luculenta, omnia ſapienter ordinando, quotidiè edit, immeritò detrahatur, veluti mox ex rationibus ab Autore noſtro allatis id clarius evadet, quas ita examinare tamen conabimur, ut quantum poſſibile Veterum autoritatem ſalvemus, & Neotericorum Jatroſophorum noſtrique Autoris acumini non contradicamus, utriq; tamen parti pondus veritatis præpoſituri. Ut autem evitare prolixitatem queamus, dogmata catarrho â Prioribus noſtris deſtinata repetere hîc nolumus, quum non tantùm illorum tenorem vel ipſa denominandi ratio ſtatim ſufficere poſſit, verùm ubivis etiam proſtare eadem ſit indubitatum. Ergo decretum nobis eſt rationes ab Autore noſtro propoſitas ſolùm ad trutinam revocare atque quid de iis habendum, paucis ediſſerere.

Catarrhorum doctrinam reſpuunt Chymiatri.

Naturæ legibus autem nullatenùs conſonum eſſe exiſtimat Noſter, ut excrementa in capite collecta pernicioſo defluxu ad inferiores partes rurſum deſcendant, ſiquidem hâc ratione ipſum cerebrum interitus ſui ac tot nocumentorum propriæ œconomiæ hinc ſuccreſcentium faber ſeu cauſa evaderet, organa tam vitali quàm naturali facultati ſacra, ſine quorum

Caput nullatenùs excrementa ſua ad partes inferiores transmittit.

cum decenti miniſterio aut patrocinio ac ſanitate nequaquam vigere ac vivere hoc corporis noſtri faſtigium poteſt, fœdæ latrinæ ad inſtar conſpurcando ac contaminando. Has itaque abſurditates quaſi prævidens provida Natura, caput præ reliquis tam ob nativam, quâ gaudet, frigiditatem ac humiditatem ſuam; quàm quòd exhalationes facili negotio ♎entur, ac proinde phlegmatis ibi redundantia familiariter ſit præſto, capiti etiam tam capacia & undiquaque apta aſſignavit emunctoria; veluti ex ſuturis cranij, oſſe cribriformi, ventriculis cerebri, infundibulo & glandula pituitaria (ut de oculis auribusque cerebrum pariliter hoc onere ſuo non rarò levantibus nunc taceam) luculenter videre eſt, ut per ipſa ſpiracula ac meatus partim ad nares, partim ad palatum iſta excrementa ſucco vitali omninò repugnantia transmitti ſeu derivari, atque hinc penitùs exterminari poſſint. His præmiſſis concluſu facilimum eſt, excrementa mucoſa in capite redundantia potiùs per vias patentes ac minori cum incommodo ſeu pernicie, quàm per ductus cœcos abſurdosque præſentiſſimo cum totius corporis exitio amandari atque proſcribi. Neſcit enim Natura, ait Helmontius, imò minimè admittit impoſſibilia, vel quæ voto ſuo penitùs contraria exiſtunt. Neque eſt, ut hîc quiſpiam recurrat ad venarum arteriarumque canales; quorum medio per circulationem ſanguinis mucoſus humor ad inferiores partes rurſum detrudi queat: Quod ipſum ut negari non poteſt, ſi ſermo ſit de materia illa excrementitia cum ſanguine adhuc miſta & in vaſis contenta, ita ut nullatenus concedendum erit, humores peccantes illos, qui jam ex vaſorum diverſorio proſcripti ſunt, ac circa emunctoria jam deprehenduntur, (quos, ſi extravaſati ſint, Helmontius excrementa demortua & cadaveroſa, adeoque ſanguinis familia planiſſimè indigna vocat) denuò vaſorum ductus intrare poſſe, quod regreſſus ille juxta fundamenta anatomica penitùs ſit impoſſibilis.

Caput ſua propria emunctoria habet.

Impoſſibilia Natura non admittit.

Excrementa mucoſa in capite collecta an quoq; per circulationem ſanguinis ad partes inferiores transmitti poſſint.

Ad §. 2.

Abſoluta hac prima ratione ſtatim concludit Autor, catarrhum, prout eum delinearunt veteres, nullo pacto in corpore humano dari, quod certiſſimum ſit, quamlibet partem, ſi læſa ſit vel incommodo quodam laboret, vel ſi malè etiam nutriatur, ſordes noxias & morboſa excrementa eaque permulta, præ-

Excrementa colliguntur in

omnibus corporis partibus à proprio alimento corrupto ac degenerato.

ſertim ſi huic vel illi parti conſecratum nutrimentum degeneret aut corrumpatur ; protinùs accumulare : Si itaque fauces , dentes, guttur , & omnes aliæ partes minùs rectè ſe habeant , aut ab inimicô excrementorum præternaturalium vitiô infeſtentur , tunc de neceſſitate confeſtim haud eſſe dictitat , quaſi recrementa illa à cerebrô protinùs in dictas jam partes delapſa fuerint, ſed potiùs eadem ex his ipſis afflictis partibus , quas aggravant aut cruciant , propullulare , ibidemque generari atque coacervari eo planè modo , ut paulo antè monitum fuit , & prout omnes omnium partium morbi à propriorum excrementorum collectione & putrefactione nativitatem ſuam alioquin ducere ſolent. Hæc omnia quidem ut rectè ſe habent , & Naturæ præſcripto quàm maximè conformia ſunt , ut videlicet pars quælibet , quoniam nutrienda eſt , id quod ſine ulteriori puri ab impurô & utilis ab inutili ſegregatione fieri non poteſt , propria ſua excrementa gignat & cumulet ; ita defluxus ille humorum in cerebro copioſiùs collectorum in dentes & fauces penitùs denegari etiam non poterit , ſiquidem ex ſuperioribus patentem ad has partes tranſitum abundè jam cognovimus : Hinc enim dubio ſine harum partium ægritudines conduplicari & tantoperè exaſperari ſolent , quod humores peccantes inteſtini accedentibus inſimul peregrinis alienisque evidenter ſic adaugeantur ac multiplicentur. Quomodo autem proprium alicujus partis alimentum depravatè alterari , alienari , ac corrumpi , h. e. genium balſamicum penitùs amittere (liquor enim alimentarius quamdiu laudabilis eſt , fræno balſami naturalis ſemper coercetur) ac degenerare poſſit , toties jam ſuprà expoſitum fuit , & paulò poſt compendioſâ repetitione etiam exponetur , ut quid per humoris excrementitii fluxum propriè intelligi debeat , hinc pateſcere queat.

Omnes morbi à propriis excrementis dependent.

Humorum defluxus ex cerebrò in dentes & fauces negari non poteſt.

Alimentũ proprium alicujus partis quomodo depravetur.

Ad §. 3.

Quod itaque humores vitioſos quælibet pars , quæ ob iſtorum collectionem ab importunâ catarrhi hoſtilitate infeſtata creditur, proprio crimine atque in ipſomet ſuo ſinu concipere & coacervare queat , ulteriùs oſtendere pergit Autor , tam cauſam procatarcticam quàm efficientem principalem adducendo. Denominat au-

tem hoc loco injuriam 🜁ris tam immodicè calidi, qui calido ſeu ſpiritui inſito, quem quælibet pars peculiarem habet, robur ac vigorem ſuum veluti magnetico quodam furore extrahit ac ſuffuratur, quàm nimis frigidi, qui pariter Archeum ſeu calidum innatum, utpote cui omne frigus eſt infenſiſſimum (vita etenim noſtra ſuaviter calida humiditate aut benevolè humidâ ſeu humectante potiùs caliditate cumprimis recreatur, & quaſi unicè gaudet) in gutture, ore, maxillis, collô, & reliquis partibus inferioribus confundit, atque in functione â Naturâ ipſi demandatâ vehementoperè turbat. Quum autem officium ſpiritus ſeu calidi ingeniti cujusvis partis in eo conſiſtat, ut organum illud, cui præeſt, omnibus modis cuſtodiat, atque œconomiam ejus vegetam conſervet, quod ipſum nulla ratione alia melius exſequi Archeus poterit, quàm negotium nutritionis (quæ tamdiu durat, quàm ipſa vita) ac transmiſſi alimenti ultimam coctionem ſeu digeſtionem vel rectificationem (quam cujuslibet partis nutritio peculiariter ſibi depoſcit, ut id quod purum ipſique amicum, ſubſtantiæ ſuæ adſimiletur, quod verò ineptum & impurum eſt, ſeparetur & quantocyus removeatur) decenter præſtando facilè clarebit, quomodo nutrimentum degenerare queat. Si itaque contingat, ut ab aliquâ injuriâ, quæcunque etiam ſit illa, ſpiritus iſte ingeneratus debilitetur, laceſſatur, atque conturbetur, ſtatim negligit ſibi concreditam illam ſingularis coctionis provinciam, ita ut alimentum radiis balſamicis ac vitalibus debito modo proinde ab hoc interno nutriendæ partis phœbô non illuſtretur, ſed potiùs hôc ipsô beneficiô privetur, unde non fieri poſteà non poteſt, quin ſtatim alimentum illud balſamo ſuo ſeu vitali nectare deſtitutum corruptionis rudimentum ac ſeminium ſuſcipiat, donec penitus degener factum excrementitiam cruditatem atque putridam maliciam induerit, quâ præſente reliquus etiam alimenti huc deſtinati ſucceſſus conſimili protinus vitio inquinatur, & ſic humorum peccantium incrementa quotidiana in quavis parte ſunt ſatis evidentia, ut proinde ad catarrhalem iſtam communionem deſubitò refugere non habeamus neceſſum: Nec tantum ab 🜁re injuriarum iſte inſultus accidere, verum etiam ab erroribus aliis, quibus ſpiritus inſitus turbatur, & in ſcopô ſuô diſtrahitur, provenire poteſt: Quoties enim contingit, ut in parte quapiam excremen-

Aër tam calidus quàm frigidus calido ſ. ſpiritui inſito valdopere nocet.

Vita noſtra in calidâ humiditate conſiſtit.

Spiritus inſiti cuiusvis partis officiū.

Nutritionis ac alimenti digeſtionis ſumma neceſſitas.

Alimenta ſive nutrimenta partium quomodo depraventur vel corrumpantur.

Spiritus quomodo corruptionis alimentorū cauſa ſit.

titiæ impuritatis portio fortè fortunâ remaneat ; hæc itaque ut nunquam intra Naturæ limites probatur , ita paulò poſt etiam aceſcit ac fermenteſcit , manifeſtæque putredinis notam ac primordium adſciſcit , ob cujus præſentiam ſpiritus inſitus confeſtim contriſtatur , & ad inordinatum motum hinc redactus in functione ſua naturali inſigniter impeditur , ut hinc adpropriatum nutrimentum ſuo regimine carens corruptionis vituperium non incurrere nequeat ; imò concepta hæc corrupti excrementi , ut ſic loquar, tinctura tam potens eſt , ut alimentum partis , cui inhæret , eodem nequitiæ nævô inficere ſtatim valeat. Verum cum colli gutturisque mentionem Autor quoque hîc inſtituerit , ſuprà autem , quod maxillas , dentes , nares , fauceſque attinet , in medio ambulare tutiſſimum rati conceſſerimus , in iis ipſis non tantum excrementa propria naſci (quod enim nutritur , propria etiam excrementa colligit) verum etiam humores vitioſos â cerebro profluentes hûc pervenire poſſe , non immeritò quæritur , an idem quoque ſentiendum de morbis colli atque gutturis , & an partes in collo contentæ , inter quas primatum obtinent aſpera arteria & œſophagus, pariliter humores excrementitios à cerebro promanantes (de propriorum autem congeſtione nullum eſt dubium) recipere ſoleant ac queant : Ubi ℞detur tranſitum mucoris â cerebro in fauces promanantis conſimiliter ad orificium ventriculi ejusque fundum ſatis manifeſtum eſſe,ut proinde non tantum ſpontè ac quaſi inſenſibiliter,ſi copia iſtius excrementi nimis exundet,in ventriculum ſe recipere poſſit, verum etiam in iis, qui profundè dormiunt , & in infantibus præcipuè certum ſit,quod mucorem illum abundè deglutiant,ut proinde nauſea, appetitus deliquium, ventriculi ingens everſio, & ſymptomata alia non contemnenda, non raró præpoſterô hôc humoris excrementitii delapſu ſubſequantur. Quod verò porticum inſpirandi aëris exſpirandæque fuliginis , nempè arteriam aſperam ſpectat , nullâ ratione largiri Dogmaticis poſſumus , humorum excrementitiorum â capite defluxionem per hujus canalem ad pulmonum antra , reſpiratione ſalvâ , atque inſenſibiliter quoque confieri , ſiquidem tritiſſimè notum ſit , ſi forte fortunâ aut ex incuriâ mica vel gutta cibi potusque in laryngem incidat , quantô cum tumultu ac laborioſô cum impetu pulmo , qui peregrinarum rerum acceſſum inſigniter horret , eam explodere nitatur ; nec ceſſet,

Acidum ac fermentum morboſum unde, & quid efficiant.

Colli partes an qq. humorum defluxionem ex capite agnoſcant.

Humorum defluxio ex capite in ventriculum reverà fit.

Larynx & pulmones humorum defluxionem planè non recipiunt.

ceſſet, donec vel expulſa rurſus fuerit, vel ſi penitiùs ad pulmonum penetralia delabatur, ſpiritus vitalis ſub tyrannide ſtrangulationis ad interitum præcipitetur, & ipſum anhelandi beneficium notabiliter impediatur, quod non niſi ſub pœnâ mortis indubitatâ, ſic loquente Helmontiô, intermittitur.

Reſpirationis ſumma neceſſitas.

Veriſſimum itaque eſt, quod jam laudatus Helmontius de Catarrhi deliramentis innuit dicendo: Quicquid id eſt, quod è cerebrò deorſum ad fauces defluit, ejus profectò ne unica quidem guttula ad pulmonem intrat, quin priùs metum ſuffocationis ad quamlibet delabentem guttam ſuſcitaret: ſi enim unica ▽æ gutta incautè deglutiendo in laryngis interiora perveniat, periculum præfocationis & ineffabilis anxietas protinùs potandi incutitur. Hoc ſic ſtante, quid non faceret tanta muci phlegmatisque copia, quæ per extuſſiendi conatus rejecta parvô ſubinde ſpatio integras pelves non rarò implere ſolet, ſi nullâ ratione alia in præcordiis colligeretur, quàm per tranſitum illum, quem præbere aſperam arteriam humoribus â cerebro defluentibus, vulgò ſtatuunt:

Mucus tuſſi rejectus quomodo & per quas vias in præcordiis colligatur.

Adeò enim magna ſemper eſt Naturæ cautela, ut epiglottidis oſtio larynx ſeriò claudatur, ne quid incautè in eum delabatur ac defluat. Tam abſurda proinde eſt hæc Veterum ſententia, ut nequaquam ſalvari aut admitti poſſit.

Epiglottidis uſus.

Obiter hîc quoque Ecclegmatum & linctuum autoritas præſentiſſimam patitur jacturam, imò penitùs cadit, quod impoſſibile ſit, ut abſque ſuffocationis diſcrimine interiora aſperæ arteriæ intrare ac immediatè attingere poſſint: Unde etiam fruſtranea & deploranda vocat hæc remedia Helmontius.

Ecclegmata & linctus an benè uſurpentur in laryngis affectibus.

Quùm itaque hic ipſe humorum â capite ad pulmones delapſus ob adducta argumentorum pondera ſit ab omni ratione remotiſſimus, alius erit denominandus circa humorum vitioſorum in pectore cumulatorum documenta modus, quam etiam ipſe Autor ſatis dilucidè appoſuit, atque ex illo nos hactenus eundem etiam expoſuimus: Scilicet cùm pectus quoque non ſecùs ac partes reliquæ ſtudioſam ſui conſervationem inſtaurationemque, quæ nullo alio medio, quàm beneficiô aſſiduæ nutritionis fieri poteſt, expoſcet, patet deſubitò, unde excrementorum ibi generatio & collectio contingat.

In Præcordiis quomodo & unde excrementa colligantur.

Uberiori autem quàm reliqua membra nutritione Præcordia, & omnes thoracis tam continentes quàm contentas, easque ob uſus excellentiam nobiliſſimas partes indigere, nemo negabit. Ubi itaque copioſa

Præcordia & omnes thoracis partes uberiori nutritione indigēt, quàm reliqua corporis membra.

copioſa & ſingularis fit nutritio, ibi etiam excrementorum opulentiam ſuccreſcere neceſſum eſt; ſi verò mala inſuper ibi accidat nutritio, tunc alimenti vitalibus deſtinati corruptio & exitioſa degeneratio protinùs ſuccedit, atque propterea excrementorum coarcervatio ibi luculenter conduplicatur: Huic propterea accedit, quòd frigus pectori cumprimis ſit inimiciſſimum; Unde ratio Autoris hîc pariter adplicanda, propter quam Archeus pectori inſitus officiô decenter nutriendi non ritè defungitur, quod videl. â jam allegati frigoris ſeu 🜁is frigidi injuriâ in vivificante hâc actione ſuâ vehementer turbetur, impediatur, ac ita laceſſatur, ut ſpartam ſuam hinc protinùs negligat & aliò intentus demandati muneris obliviſcatur: Hinc poſteà tantus ſordium ibi reſtagnantium cumulus ſuccreſcit, qui tot moleſtias totque anxietates pulmonibus parit, donec ſe ad faſtidium & laſſitudinem ſæpiùs extremam usque ab onere hôc infauſtiſſimô deſarcinaverit: Imò ſi rem accuratiori mentis oculo inſpiciamus, multum plurimumque lucis hîc nobis quoque circulatio ſanguinis commodabit, cujus cauſâ humorum vitioſorum accumulationem copioſam hinc fieri evidentem & perſpectam omni dubitatione caret. Finem autem circularionis hujus jam novimus eſſe partim, ut alimentum vivificum nutriendis partibus ſic transmittatur, atque hoc modo undique decenter diſpenſetur, partim ut ſanguis ille, cujus nobilior pars poſt præſtitam nutritionem abſumta eſt, ad officinam fermenti vitalis ſeu luminoſum cordis atrium fiat refluus, ut ibi denuo animetur, novo vitæ lumine inſtruatur, & factâ iterum hâc inſtauratione ſeu renovatione ejus rurſum ad nutriendas & reficiendas partes fiat idoneus: Quo fundamento poſito liquet confeſtim ob perpetuum refluxum ſanguinis â nutritione partium reſidui tanquàm exarmati & quaſi exanimati (qui tunc cum excrementitio & inutili humore, quia niſi in corde novas acciperet vires, atque ibidem ipſi vitalis de novo inſpiraretur aura, ad præſtandam ulteriùs nutritionem ineptus eſſet, valdè convenire videtur.) facili negotio, præſertim ſi Natura ſit quamcunque etiam ob cauſam infirma vel turbata, colluviem excrementitiam circa præcordia & in eorum cavo congeri poſſe, quæ per expectorationem tam copioſè poſtmodum rejici ſolet. Ex hâc ipsâ Philoſophiâ etiam ſuffocativi catarrhi vulgò ſic dicti natura cognoſci poterit, de quo dubitamus nulli, ab inteſtinâ &

Nutritio mala alimentorum corruptionem atq; excrementorum coacervationem habet pediſſequam.

Frigus pectori eſt inimiciſſimum.

Circulationis ſanguinis finis duplex.

Excremēta poſſunt colligi circa præcordia & in eorum cavo ex circulato ſanguine.

nâ & in ipſo pectore factâ excrementitiarum humiditatum congerie eundem præcipuè ſuboriri, Quò Ergo imbecillior erit in præcordiis Archeus ſive ſpiritus inſitus, & quò fractius erit ejusdem robur, & per conſequens vis expulſiva ejus ac circulatoria, eò etiam major damnatorum humorum copia ibi coacervabitur; unde pulmonum ſpiramenta minùs libera ſtridulum etiam ſonare, horridumque ſtertoris murmur edere, & moribundis ultimam clauſulam catarrhus ſuffocativus afferre ſolet, quod fatiſcente nutritione & labaſcente ſpirituum vitalium continua generatione ac diſpenſatione proſtrataque hinc expultrice excrementa & corrupti humores ſic funeſtè congregati lumen vitale tandem extingunt. *Pulmonū vitia unde.*

Ad §. 4.

Cruditates & impuritates non tantùm ob vitium primæ & ſecundæ, verùm tertiæ etiam coctionis, quam unicè popter partium quarumlibet debitam nutritionem fieri non immeritò credimus, accidere poſſe, nullum penitùs eſt dubium, cujus depravationis quoque cauſam nempe Archeum â cauſis externis laceſſitum, & proinde munia appropriatæ digeſtionis negligentem tam Autor iterato ſtudio hîc propoſuir, quàm nos etiam in ſuperioribus ſufficienter jam explanavimus. Certiſſimum namque in Medicinâ iſtud eſt axioma: Ubi alimentum, ibi quoque excrementum, & ubi nutritio, ibi etiam excrementorum ſegregatio, vel ſi expultrix langueat, eorundem collectio. Haud itaque neceſſum eſt, ut ad catarrhos & humorum deſtillationes tam anxiè refugiatur, quùm quælibet pars, præſertim ſi infirmitate quadam diſtricta ſit, propria ſua excrementa manifeſtò congerere valeat eo modo, ut toties jam dictum expoſitumque fuit. *Coctio tertia ubi pravè fit, cruditates & impuritates oriuntur.* *Excremēta ubivis in corpore noſtro colliguntur.*

Ad §. 5.

Qualis in rei veritate ſit catarrhorum ratio, ex prædictis ſatis patet, quâ ſtabilitâ vel ſpontè occurrit genuina eorum curatio, quam paucis etiam delineavit Autor, dum Archei debilitati inſtaurationem ac confortationem per ea remedia, quæ calorem adaugent ac refocillant, tunc potiſſimum commendat. Horum autem medica- *Catarrhi vulgò ſic dicti quomodo curentur.*

dicaminum, quæ ſpiritus noſtros recreant ac roborant, catalogus ut hîc ſpeciatim adponatur, nequaquam opus eſſe arbitramur, ſiquidem non tàm in antecedentibus Capitulis frequens iſtorum mentio jam facta fuerit, verùm etiam impoſterum per totum hujus Operis decurſum laudatæ virtutis præſidia, cumprimis ubi de ſingulis ſingularum partium infirmitatibus & morbis, qui laceſſitum turbatumque Archeum, atque hinc læſam digeſtionem particularem, & excrementorum accumulationem præſupponunt, in medium adferre nobis conſtitutum ſit. Cæterùm ob ſingularem efficaciæ ſuæ excellentiam in hoc caſu nobis probatæ ſunt Eſſentiæ Oliban. Maſtich. gumm. ammoniac. ſuccin. aſæ dulc. & tacamahac. ſed ſingulari ac minimè vulgari artificio paratæ, item anima ambræ, ſpiritus noſter cephalic. ☍ ſuccin. alb. rectificatiſſimum & ad fragrantiam per ſe reductum, Tinctura ☿ij vera, & ☉ potabile verum, quibus adjungenda inſuper ſunt ſingularia illa Enemata, quæ in Praxi noſtra nobis in uſu eſſe ſolent; & loco baſis admittunt vel aliquid de noſtro Liguore Virgin. vel de ✶ ☿iali c. ☉, vel de Tinctura ⊖uli balſamicâ: His enim juxta adhibitis Natura ſe faciliori negotio ſubſtractâ ſic ſaburrâ ſeu morbi fomento circa primas vias ſtagnante â moleſtiâ illâ expedire poteſt. Summatim omnia nobiliora præcipitantia hîc appropriatè conveniunt, ſiquidem humorum iſtorum excrementitiorum coacervatio ratione importunæ fermenrationis impetum iſtum cumprimis perpetret.

Præcipitãtia commendãtur in catarrhorum cura.

CAP. XIX.

DE

Morbis Oculorum.

& in ſpecie DE

Glaucomate.

§. 1.

OMnes oculorum morbos tam externos quàm internos Galenici ad catarrhum referunt, atque ex ipſius cerebri fonte dependere

dere aſſerunt, quod cùm multis excrementis ſcateat, ea in oculos quoque deponere ſoleat. Sed ridiculum hoc eſt. Nam in rei veritate licet cerebrum multa habeat excrementa ſeroſa & aquatica, non deponit tamen ea ſtatim in oculos, ſed potiùs in ſua emunctoria à Naturâ ipſi data, ut ab innatis ſuis excrementis expurgetur: Oculi verò ſi affliguntur, ab excrementis ſuis innatis & non aliunde ſcaturientibus id patiuntur, veluti jam ſuprà de Catarrho id diximus, & poſtmodum etiam clariùs hoc explanabimus.

§. 2. Oculorum ergò affectus omnes vel interiores ſunt vel exteriores: Interiores dicimus, intra corneam membranam ac intra canthos fieri ſolent, & quorum origo in intimis oculi partibus ab excrementis eorum dependet; Hæc enim dum â ſpiritu cuſtode ſeu inſito foras per poros partium oculo inſervientium demandantur, ſæpiusculè iſtis partibus nocent, & varios faciunt morbos ſecundum excrementorum varietatem, quæ tunc expelli ſolent: Exteriores verò dicuntur, quæ extra corneam vel in ipsâ fieri ſolent.

§. 3. Galenici caput & cerebrum hîc accuſant, atque per defluxionem hos morbos fieri aſſerunt, quod tamen quàm abſonum ſit, ſingulis poſteà Capitibus de morbis oculorum clariſſimè demonſtrabimus, atque nulla habita defluxionis vel catarrhi ratione curam eorum certam, veram, & jucundam proponemus atque declarabimus.

§. 4. Glaucoma autem eſt vitium cryſtallini aut vitrei humoris, dum glauco quodam & fuſco humore excrementitio inficitur ſeu tingitur. Hinc qui tali morbo affecti ſunt, quaſi per fumum aut nebulam ſe videre arbitrantur, quia vitreus oculi humor excremento quodam fuſco vel albido inficitur, ut fuſca & valdè obſcura hinc fiat viſio.

§. 5. Hoc vitium dependet originemque habet ex ipſo vitreo humore aut cryſtalloide, qui tanquam partes naturales ipſius oculi quùm peculiari alimento nutriantur, quod ex communi promptuario nempe ſanguine per venulas cryſtalloidi demandatur, ut ab

ut ab ipſo ſpiritu huic parti inſito in alimentum proprium & cryſtallino aptum coquatur ac digeratur, fit ſæpius, ut illud nutrimentum vitietur, & excrementa hinc nimis copioſa ſuccedant. Si itaq; eadem in hâc parte remaneant, ſuâ qualitate pravâ vitreum cryſtallinumque humorem, qui ex ſuâ naturâ clarus nitidusque eſſe debet, ut clarum ac nitidum faciat viſum, tingunt inficiuntque: Unde ſi pravo aliquo colore cryſtallinus tingatur, viſus etiam depravatur, & affectus iſte oritur, qui glaucoma dici ſolet.

§. 6. Hic ergò affectûs non ab humorum ex cerebro defluxione in humorem vitreum ortum habet, ſed ab ipſo humore vitreo aut cryſtallino, qui ab excrementis proprii ſui alimenti vitiatur: Unde etiam depurato hoc ipſo alimento evacuatoque iſtius partis excremento, dictus affectus curatur, velut ſtatim patebit.

§. 7. Pulvis emeticus tutiſſimum glaucomatis curam præſtat: Sanguinem enim in toto corpore & ſic quoque cujusvis partis nutrimentum ſummoperè depurat. Datur verò ſequenti methodo: ℞. Pulv. emetic. ſuperiùs præpar. ℈ß. Conſerv. viol. ℥j. M. f. bolus D. manè c. cuſtodiâ artis ac regimine; quæ ipſa purgatio per três auroras ter iteranda eſt.

§. 8. Deinde foveatur oculus ſpiritu X rectificato: Calore enim ipſius oculi per fotum ſpiritus X adaucto tolluntur illa excrementa nebuloſa obſcura, glauca, vel fuſca, vel alterius etiam coloris, quæ cryſtalloidem humorem inficiunt; Et ſic glaucoma annihilatur. Extrahitur etiam Tinctura flor. bugloſſ. c. ſpiritu X, quæ Tinctura ſolò fotu glaucoma ad miraculum usque curat ac perfectè ſanat. Caputpurgium inſuper noſtrum ſuperiùs ex Elleb. alb. præparatum ſummum etiam eſt glaucomatis remedium.

Animadverſiones,

Ad Cap. XIX. in genere.

NOn creatum eſt quicquam temerius ac irritabilius aut impatientius oculo: Unde etiam facilimè obſtruitur, & leviſſima de cauſa

cauſis is afficitur, ſic conteſtante Galeno, qui in uno oculo plus quàm centum contrarias conſignavit affectiones. Verùm utut oculorum admirabilis & difficilimos habens explicatus compoſitio ſit ac ſubtilitas, tamen ſub patrocinio manuducentis Autoris noſtri præſtabiliſſimæ hujus ac tenellæ ſtructuræ vitia, ſed & viciatæ jam præſidia diſpicere pauliſper non pœnitebit. Neque etiam cum Plinio hîc diſputabimus, an ſoli homini depraventur oculi, quippe quam litem, omnibus nempe animantibus id contingere poſſe, experientia tanquam fidiſſima arbitra dirimere queat, ſed neceſſaria ſaltim & ipſam praxin illuſtrantia in præſenti adducere nobis decretum eſt.

Oculus quia pars tenerrima facilè etiam morbô corripitur.

Oculi an ſoli homini depraventur, an quoq; aliis animantibus.

Ad § 1.

Morborum ocularium, quicunque & qualescunque etiam ſint illi, cauſam iſtam communem & vulgo aſſertam, dum eos à defluxionum catena dependere docent Veteres, hic ſerio rejicit Autor, & ridiculam hanc ſententiam intrepidè pronunciat. Verùm ne priſcis Medicinæ Proceribus & eorum laborioſiſſimæ ſolertiæ injuria protinùs fiat, atque ut Neotericorum Autoriſque noſtri mens rectè pariter capiatur, rem ſequenti methodo perputare lubet. Videlicet nutrimentum oculo deſtinatum ſeu ſanguis ejusq; vitium duplici ratione, ut hinc oculorum morbi provenire queant, conſiderandum eſt; vel enim tota maſſa ſanguinea tunc inquinata aut acris vel nimium ſalſa aut alio corruptionis nævo contaminata exiſtit; vel ipſius oculi infirmitas, ſive jam nativa ſit illa, ſive aſcititia, in cauſa eſt, quo minus rectè vel potiùs malè Archeus ſic debilitatus nutrimentum ſeu ſanguinem ſubſtantiæ oculi adſimilare valeat, unde poſtmodum nutrimentum illud corrumpitur, & pro diverſitate hujus corruptionis diverſam quoque labem lucidiſſimæ parti inducit. Quod vitium totius maſſæ ſanguineæ ſpectet, illud utique fuit, quod Anteceſſores noſtros decepit, & cujus perſuaſionis facilitatem ipſis inſinuavit, oculorum affectus potiſſimum oriri à catarrho ſeu defluxu humorum excrementitiorum in cerebro ſcatentium. Verùm ſi conſulamus fundamenta anatomica, & ipſius vel cerebri conformationem vel vaſorum ſanguinem advehentium originem, evidenter ſtatim conſpiciemus, cerebri excremen-

Oculorum morbi num à catarrhis proveniant, an non.

Nutrimẽtum ſive ſanguis, ex quô oculorum morbi proveniunt, dupliciter cõſideratur.

Oculorum morbos à catarrhis oriri, unde ſibi perſuaſerint Veteres.

ta per vaſorum ductus, qui ad oculorum conſervationem vergunt, ad oculos nequaquam deduci poſſe, quum venæ & arteriæ, quæ in oculos diſſeminantur, in cerebro minimè aperiantur, ut attrahere excrementa iſta queant, veluti alioquin à vaſis lactiferis meſenterium occupantibus, quæ inſimul vitia coctionis primæ adſugere, & ſic inficere totam ſanguinis purpuram ſolent, id fieri notum eſt. Ergo concludimus ſalſedinem vel humorum viſciditatem illam, quæ per venas ad oculos defertur, ortum ſuum non habere à cerebro (cerebri enim excrementa per propria emunctoria prona omnino evacuatione deponuntur & exterminantur) ſed potiùs transferri à crimine coctionis primæ vel cum ſanguine ſcorbutico aut alia ratione vitiato. Sed regerit ſchola Galenica, alias hic ſubeſſe vias easque cœcas ſeu minùs perſpicuas, per quas excrementa cerebri ad oculorum quoque œconomiam tranſire, atque ſic in eadem hanc catarrhi ſcenam abſolvere poſſint; Verum nos Reſpondemus per autopſian anatomicam has ſola imaginatione ſic conceptas vias nullatenùs demonſtrari poſſe, neque etiam nervos oculi ſtructuræ inſertos tunc accuſandos cenſemus, utpote qui tantummodo ſunt ſpirituũ animalium conceptacula & intemerati canales. Quod ergo anatomicæ doctrinæ fundamento penitus caret, id perperam admittere in Medicina nobis etiam piaculum eſt: Imò ex ipſa curationis normâ id luculentiſſimè comprobatum dari poteſt, quoniam ejusmodi oculorum vitia rectiùs radicitusque tolluntur per ea remedia, quæ maſſam ſanguineam totam mundificare; & vitium jam damnatæ coctionis primæ emendare queunt, velut hoc etiam ex ipſo patet Autore, qui catholicam illam emetici ſui virtutem in morbis oculorum feliciter curandis ſingulari præconio extollit, ut hoc univerſali præmiſſo oculi vitiis facili poſtmodum negotio remederi liceat. Ergò potiùs tunc dicendum erit, non ex defluxu ſeu catarrho humorum in cerebro ſtagnantium, ſed ex affluxu, qui à toto corpore contingit, oculorum ægritudines ut plurimum ſcaturire. Quo ſic conſiderato, error à Veteribus circa hanc oculorum pathologiam commiſſus haud difficulter in oculos incurrit, qui tamen à gratitudine aut modeſtia Diſcipulorum eâ ipsâ, quam dedimus, explicatione legi & excuſari tandem poterit. Deinde in oculis excrementa proprio errore fieri, jam ſuprà dictum fuit: Quum enim oculi & omnes ejus partes conſtituentes non ſecus ac

Excremẽta cerebri nequaquã influunt in oculos.

Salſedo & humorum viſciditas in oculis unde.

Via coeca ex cerebrò in oculos inſerta an reverà dentur.

Oculorum morbi non ex defluxu, ſed ex affluxu à totô corpore proveniũt.

cusac

cus ac reliqua corporis membra cuncta per aſſiduam nutritionem vegetari debeant ; neceſſariò etiam ibi excrementa colliguntur ; Cui accedit, quod Archeo in oculis reſidenti incumbat delicatiores tantùm ex ſanguine partes pro nutriendo delicatiſſimo hoc membro extrahere & digerere, unde etiam notoria ſtatim evadit excrementorum ex his reliquis congeſtio : Quod enim in ſanguine pro nutritione oculi idoneum eſt, id paucum admodum eſt, & propterea eo ampliores evadunt reliquiæ. Quod ſi vero Archeus oculi jam ſit debilitatus, tunc dubium eſt nullum, quin non tantùm mala hujus partis hinc fiat nutritio, verùm etiam appropriati nutrimenti corruptio, & evidens excrementorum coacervatio ſive augmentatio : Archeus namque debilitatus poſteà non tantùm deficit in obeundo nutritionis debitæ, verùm etiam expulſionis negotio. Ideoque oculorum paſſiones ex propriâ nutritionis pravitate proprii que nutrimenti corruptione, & inteſtini excrementi collectione ortum ſuum obtinere, & nobis habemus cum Autore perſuaſiſſimum.

Excrementa propria in oculis colliguntur.

Oculorum nutrimentum ex ſanguine paucum eſt.

Oculorum morbi à propriis excrementis proveniũt.

Ad §. 2.

Differentiam accidentalem, reliquias prætereundo, quæ oculorum affectiones reſpicit, & à loco affecto deſumta eſt, hîc producit Autor. Cum autem in parte affectâ tam ambitus quam penetralia ſeu penitiora ac intima ejus ſint concernenda, externi & interni hinc oculorum morbi reſultant, quorum illi ſunt, qui partes oculi externas ſeu ambientes vel ambitum ejus conſtituentes, quales ſunt exteriores tunicæ, obſident ; hi verò, qui internas, & quæ intra tunicas continentur, occupant, quorum ſciographiam ſequentia capita dabunt. De cauſa nil ampliùs addimus, quum antecedens ἔκθεσις huic negotio abundè jam fecerit ſatis ; ubi hoc ſaltim ſciendum adſpergimus, quod, ſicut omnes corporis partes ſunt perſpirabiles, ſic & oculorum tunicæ ſua habeant ſpiracula ac poros fermè inconſpicuos ; per quos facta jam nutrimenti proprii corruptio & excrementorum accumulatio penetrare, penetrata has vel illas oculi partes occupare, atque multas & quidem pro diverſitate eorundem diverſas moleſtias creare poteſt.

Oculorum morbi externi qui.

Oculorum morbi interni qui.

Oculorum tunicæ ſuos poros habent.

Ad § 3.

Jam ſuprà aſſignatum eſt ratiocinium, quod ad morbos oculorum

Oculi ſuorum morborũ cauſa propria ſunt.

culorum conſtituendos Veterum argumenta catarrhorum poteſtati faventia locum habere nequeant. Ut enim quilibet ſuæ fortunæ dicitur faber, ſic & quælibet pars, atque ita oculus quoque ſua ſibi ob jam ſæpiùs explanatas cauſas infortunia & calamitates cudere poteſt. Ex curatione autem quam Faber & Neoterici morbis oculorum conſecrant, id liquidiſſimè in progreſſu conſtabit, dum in perficienda eadem catarrhorum rationem planiſſimè non habent, & tamen feliciter hos affectus ſanant. Circa curationem verò ipſam ocularium affectuum in genere notandum indicimus, quod ſi cuipiam membro in toto corpore ad medendum multâ opus cautione ſit & prudentia, oculus profectò ſine dubitatione eſt. Unde natum & eſt illud proverbium: Nihil oculis quam optimè prodeſt, nichts iſt in die Augen gut/ licet illud nihil in Medicina non ſit planè de nihilo: Quid enim ſit Tutia ſeu Nihil præſertim album (favilla nempe tenuiſſima & volatilis, ſupernæ furnorum parti, ubi æs perficitur, adhæreſcens) & quæ ejus ad conficienda contra oculorum fluxus collyria præſtabilitas, ex praxi notiſſimum eſt: Habet namque hoc remedium præ cœteris omnibus id virtutis, ut citra omnem penitùs morſum ſeu acrimoniam potenter deſiccet.

Oculorum cura cautè tractetur.

Nihil albũ quid, & ejus inſignis uſus in oculorũ fluxu.

Ad § 4.

Glaucus color quis propriè, & unde nomen acceperit.

Speciatim autem de glaucomate ſeu glaucedine præmiſſis his circa oculorum affectus generalibus agere hîc incipit Autor. Ubi de nomine hoc notandum adjicimus, quod color glaucus dicatur ille, qui albedinem quandam virori habet admixtam; vocatur aliter cœſius, à quibusdam quoque cœruleus: Conſpicitur is præſertim in felium noctuarumque oculis, unde & color glaucus à noctua, quæ Græcis γλαὺξ appellatur, nomen accepit. Quidam atque cum iis Autor etiam noſter, inter glaucum & fuſcum colorem nullam adeò obſervant differentiam, atque propterea pro ſpecie atque ideâ quadam vel rectiùs principio ſuffuſionis glaucoma habuerunt. Glaucoma itaque definitur à plerisque, quod ſit tale oculi vitium, in quô ejus humores glauceſcunt, vel in colorem cœſium & glaucum transmutantur, à quibus etiam non diſcedit Autor, niſi quod fuſcum etiam colorem glauco is addat. Rectiùs autem faciunt illi, qui potiùs omnes oculorum humores naturales & inſitos hîc

Glaucus color & fuſcus non adeò ſemper diſtinguuntur.

Glaucoma quid.

hîc denominant, quàm qui ſaltim cryſtallini aut vitrei mentionem præſtant, licet principatus cryſtallino ſoli concedatur: Quicunque enim ex his tribus humoribus, ſive ſit aqueus, ſive vitreus, ſive cryſtallinus, glauco hoc colore inficitur, eadem ſanè ſic infectus ſymptomata pariet, quæ ab ipſo cryſtallino glaucedine hâc imbutô proficiſci ſolent. Certum autem eſt, quod glaucomate affecti veluti per caliginem, per nebulam, ac fumum conſpecta ſe videre exiſtiment, vel etiam ☉ per caliginem ipſis ſplendere videatur: Quod ipſum ut verum quidem eſt, ita & glaucomati id proprium non eſſe, ſuffuſio præſertim incipiens, cui etiam hoc convenit, reclamat; Imò nec omni glaucomati hoc competit, quia tantùm iſti eſt peculiare, quod adhuc in fieri exiſtit; Confirmatum verò vel factum glaucoma viſum penitùs tollit.

In glaucomate an ſolus cryſtallinus, an vero omnes ſimul oculorum humores afficiãtur. *Glaucomatis ſigna diagnoſtica.* *Glaucoma non multũ differt à ſuffuſione præſertim incipiente.*

Ad § 5. & 6.

Dum glaucoma in humore præſertim cryſtallino ac vitreo à prava ſui nutritione ac nutrimenti dictis humoribus dedicati degeneratione ſeu corruptione & excrementorum ibidem collectione (veluti ſuprà de toto oculo omnibusq; ejus partibus id jam demonſtratum dedimus) fieri aſſerit Autor; Cui aſſerto & nos absque ulla hæſitatione applaudimus, recordamur deſubitò non levidenſis iſtius controverſiæ, quam Autores, tam de natura humorum iſtorum; quàm eorum nutritione, inter ſe acriter reciprocare paſſim paſſimque conſpicimus. Verùm ut deciſionis ſummam ad compendium ſtatim cogamus, ambagibus miſſis ſtatuimus 1. Oculorum humores nequaquam pertinere ad partes contentas Hippocrati ſic dictas, ſed ad continentes & ſolidas. 2. Quod nutritionem eorum ſpectat, quam altioris indaginis eſſe aſſerit (oggerit) Hoffmannus, rationi nequaquam conſonum exiſtimamus, quod Galenus aſſerit humorem v. g. cryſtallinum à vitreo alimentum ſuum per tranſumtionem accipere, non verò â ſanguine, quippe qui qualitatibus ſuis ab ipsâ humoris cryſtallini ſubſtantia plurimùm diſſideret. Certiſſimum autem nos eſſe pronunciamus, dictos oculorum humores non ſecùs ac ipſa oſſa, cerebrum, nervos, & conſimiles partes, à quarum ſubſtantiâ ſanguis etiam multùm diſſidere videtur, beneficio ſanguinis nutriri ac ſuſtentari; Novimus enim in ipſo

Glaucomatis cauſa vera. *Oculorum humores num ad contentas, an verò ad continẽtes pertineant partes.* *Oculorum humores quomodo nutriantur.*

Sanguis præbet univerſale omnibus partibus nutrimentum.

Venæ oculorum exiles quando conſpiciantur.

Humores inter partes oculos conſtituentes principem obtinent locum.

in ipſo ſanguine partes heterogeneas, h. e. tam craſſas, fæculentas & opacas, quàm tenues, puras & claras ſubeſſe, quas poſtmodum quodlibet membrum pro naturâ ſua, & ratione ejus allectat. Neque de vaſorum nempe venarum & arteriarum earumq; multarum in oculo præſentia ullum eſt dubium. Et quamvis venæ illæ non adeò ibi ſint conſpicuæ & præ exilitate ſua obtutum noſtrum effugiant, attamen cum v.g. inflammatione quadam tententur oculorum tunieæ, in magna copia ſe confeſtim vaſorum hæc rubra fila & lineamenta produnt à ſanguine fermentante tunc turgefacta. Ideoque oculorum humores illi, quibus in rei veritate partis ſolidæ definitio competit, indubitatò aluntur ſanguine, & proinde excrementa ibi etiam generantur, quæ, ſi ob debilitatem ſeu errorem Archei prava contingat partium illarum oculi ſtructuram (inter quas principem obtinere locum ſæpè nominatos humores Anatomicis in confeſſo eſt) conſtituentium nutritio, facili ratione ibidem colligi ac retineri, & proinde varii oculorum affectus hinc promanare queunt. Quomodo igitur glaucoma ex malè nutritô humore cryſtallino ac vitreo ejusque nutrimenti corruptione & excrementorum pariter nutritione oriri poſſit, tam ex ipſo Autoris textu, quàm ex jam præmiſſis ſufficienter liquet.

Ad §. 7.

Glaucoma an curabilis ſit affectus.

der graue Staar quid.

Glaucomatis cura duplici nititur fundamento.

Licet plerique Practicorum omne glaucoma inſanabile, & proinde nullam hîc curationem adhibendam eſſe ſcribant, hoc ipſum attamen effatum non uſque quaque certum cenſemus, veluti ex ipſo Autore hoc patet. Arbitramur autem glaucoma ex prænarratis cauſis ortum, & quod ſubitò vel inopinatò gignitur (quod enim pedetentim fit ac per gradus, id ipſius etiam humoris cryſtallini aut vitrei planiſſimam immutationem, h.e. ſubſtantiæ ejus exſiccationem ac corruptionem, ſive pelluciditatis, quam obtinere cryſtallinus vitreusque debet, privationem atque immunitionem molitur, quæ poſteà incurabilis evadit, atque der graue Staar vocatur) juxta methodum ab Autore præſcriptam auxiliares manus utique admittere, quæ duplici fundamento hîc nititur, partim ut alimentum inquinatum corruptumq; purificetur ac corrigatur; partim ut excrementitius humor circa laudatos oculi humores collectus eosque inficiens atque obfuſcans quantocyus eliminetur. Non itaque non adſtipulari

pulari

pulari poſſumus Autori noſtro tanquam ingenioſiſſimo Practico, dum Emeticum ſuum præ reliquis cunctis virtuoſiſſimum hîc nobis commendat, cujus iteratus uſus tutiſſimam certamque glaucomatis curam eatenùs præſtat, quatenus in tempore videlicet adhibitum ac decenter iteratum,non tantùm vitium coctionis primæ præſtabiliter emendat, & totam maſſam ſanguineam, ſi excrementitiâ qualitate ſit inquinata, effectiſſimè mundificat, verùm etiam in diſſitis planè locis adeoque pariter in ipſis oculorum interioribus collectam cruditatem & mucilaginem excrementitiam potenter loco movet, atque ex nobiliſſima hac lucis ſphærâ eandem maſculè exterminat; veluti virtus probatiſſimi hujus remedii ex ſuperioribus jam nobis eſt ſatis ſatiſque celebrata, quod videlicet omnem morbi etiam contumaciſſimi nervum id penitùs abſorbeat, & vinctum victumque hoſtem cum egregiâ membrorum depuratione poſt ſe educat: Conſimilem planè & exoptatiſſimum effectum in curando hoc malo exhibet & Extractum ellebor. alb. cujùs tam compoſitio quàm vires ſuprà jam affatim fuerunt explanatæ, decantatæ.

Pulveris emet ici divinus uſus in glaucomate curando.

Extracti elleb. alb. uſus in glaucomatis cura.

Ad §.8.

Rectiſſimè facit Autor,dum univerſalia præmittit,antequàm ad Topica faciat acceſſum: Adeo namq; calida & calefacientia hæc remedia,nempe fomenta cum ſpiritu X & Tinctura bugloſs. celebrata haud ſine vehementiſſimæ inflammationis periculô ac ſummô incommodô uſurpari poſſent, niſi ſtudioſa fieret laudati utriusq; univerſalis præmiſſio. Sciendum autem de ſpiritu X rectificato ſeu ſubtiliſſimô, quòd, ut ipſe eſt penetrantiſſimus, & extra adhibitus ſcirrhoſos etiam reſolvere tumores valet, ſic quoque multò magis mucilaginem iſtam excrementitiam & viſcidam viſui tantoperè obſtantem evincere poterit. Bugloſſæ autem floſculos quod attinet, notum eſt, habere eos energiam ſpiritus tam vitales quàm animales à nubiloſis inquinamentis mundificandi; Unde ſubſumimus, Eſſentiam ſeu Tincturam bugloſs. oculis pariter, tanquam partibus ſpirituoſis ac lucidis validiſſimè eſſe acceptam. Sed forſan tutiùs adhiberetur parti delicatiſſimæ hæc Eſſentia, ſi cum phlegmate aluminis, cui aliquid de ▽ album. ovor. deſtillatâ pro meliori con-

Topicis rectè præmittuntur Univerſalia.

Spiritus X uſus egregius.

Bugloſſa flores ſpiritus mundificant.

Eſſent. ſeu Tinctura flor. bugloſs. uſus in hoc affectu.

Fuligo butyri mirè commendatur in omnibus oculorum affectibus.

temperatione admiſceri utiliter potuſt, ea potiùs conficeretur : Fuligo etiam butyri tanquam panacæa contra omnes oculorum affectus ad extrà à Chymiatris laudari ſolet : Nos ad intrà ſpiritum noſtrum cephalicum fructuosè in hoc caſu inſuper adhibemus.

CAPUT XX.

De
Suffuſione ſeu Cataracta.

§. 1.

SUffuſio, quæ & Cataracta vulgò dicitur, fit, dum propè pupillam inter κερατοειδῆν tunicam & humorem cryſtallinum pellicula quædam excrementitia concreſcit, ortum ducens ab excremento aqueo & humido, quod ibi ex alimento oculi adnaſcitur, & à calore hujus concreſcit in pelliculam albam & tenuem, quæ pupillæ oculi opponitur, & viſum impedit atque lædit.

§. 2. Illud autem excrementum, ex quo fit ſuffuſio, non ex cerebro per nervum opticum prolabitur, ſed ex ipſis oculi partibus pronaſcitur, quum illa ſufficientia habeant excrementa, quorum ope ſuffuſio generari poteſt. Non ergo neceſſe eſt, ut ea ex cerebro prolabantur, ſed aquoſus liquor concreſcit in pelliculam, quâ fit cataracta ſeu ſuffuſio.

§. 3. Curatur ſuffuſio chirurgiâ & manu, tollendo eandem acu ad hoc apta & accommodata, perforando nempè oculum cum ipsâ acu ad angulum ejus magnum, & perveniendo cum dicta acu ad pupillam uſque ſeu ſuffuſionis locum, ubi pellicula non ſuprà ſed infra pupillam deprimenda eſt : Deinde per purgationem & fotum cum peculiaribus medicamentis inſtitutum illa pellicula conſumatur.

§. 4. Curatur etiam in principio, dum adnaſci hæc pellicula & produci incipit, ⊖e euphrag. in ſpiritu X diſſoluto, vel ⊖e vitri ſeu alkali in ∇a quadam ophthalmicâ diſſoluto, & in oculum inſtillato.

§. 5. Corpus tamen ☿iô noſtro priùs purgandum eſt, quia ipſius oculi partes & totum ſeu univerſale totius corporis alimentum

tum hoc medicamento depurantur, ita ut non tantis hoc ſcateat excrementis, ex quibus morbi partium particulares & univerſales alioquin fieri ſolent.

Animadverſiones
Ad Cap. XX. in genere.

SUffuſionum plures eſſe ſpecies, quarum quasdam ſanabiles, quasdam planè incurabiles aſſerunt Chirurgi, ex monumentis eorum & ophthalmurgiis, quæ conſuli poterunt, prolixè conſtat, de quibus in progreſſu aliquid adjiciendi dabitur occaſio. Imò nec operoſos nimis circa hujus affectus diductionem nos exhibebimus, quoniam iſte ut plurimùm peritæ manûs operationem requirit, & proinde ad Chirurgos in ſpecie, quos ocularios vocant, pertinet.

Suffuſionũ dantur plures ſpecies, ſanabiles & inſanabiles.

Suffuſio ut plurimum chirurgiâ curatur.

Ad §. 1.

Suffuſio ſeu diffuſio, Græcis ὑπόχυμα quaſi ſubterfuſio & obſtructio pupillæ dicitur, quod inter interiores tunicas præſertim tamen corneam humor quidam craſſiuſculus ſuffuſus, & ibi concretus aut congeſtus pupillæque quaſi adnatus ſeu adhæreſcens, ex quô tandem fit per hanc concretionem quædam pellicula, quæ pupillam inſtar velamenti ac texti ſeu ſyndonis obtegat atque obſerat. Si perpendamus, quid ſit ſuffuſus ſanguis, **wann etwas mit Blut unterlauffen**, perfacili negotio hujus in oculo ſuffuſionis naturam & eſſentiam quoque conſequi valebimus. Sed quid cataractæ nomen hîc ſibi velit, & quo titulo eundem cum ſuffuſione ſenſum exprimere dicatur, non adeò planum fortaſſis erit. Notum quidem nobis eſt, τὸ καταῤῥάσσειν ſignificare idem, ac cum impetu decidere & deorſum pulſari, vel more ſalientium aquarum cadere; unde etiam cataractam præcipitem ac impetuoſum ▽æ dejectum vel locum in flumine abruptum denotare ſcimus; unde ▽a ruit potiùs, quàm fluit. Peſſimè tamen ut ex Autore noſtro mox clarebit, cauſa ſuffuſionis propterea ad catarrhi impetum cogeretur, veluti etiam in præcedenti capite hanc doctrinam hîc minùs convenire jam demonſtravimus. Ideoque in mentem hîc nobis venit, cataractæ inſuper voculâ indigitari obicem ſeu vectem, quô porta obfirmari ſolet, vel fores pendulas intra murorum portas adverſus ſubitaneam hoſtium irruptionem

Suffuſionis etymologia.

Suffuſionis ſedes propria.

Suffuſionis ſynonymia.

Cataracta quod propriè ſignificet.

Cataracta quomodo ſuffuſionē oculi nocet. irruptionem conſtructas ; quæ ſignificantia profectò ſimilitudine appoſitiſſima hîc accommodari ad præclaram ſuffuſionis declarationem non nequit. Ergò pellicula iſta ſeu membranula ante pupillam eſt propemodum idem,quod cataracta ante portam : Hæc enim dum inter tunicam corneam & humorem cryſtallinum colligitur & expanditur , adeoque ante pupillam conſtituitur , eleganter admodum hoc nomine adpellabitur , quâ obductâ ſeu pupillæ oppoſitâ per ſe ac immediatè vel videndi difficultas, vel ipſa cœcitas paritur ; & feneſtratio , ut ſic loquar , ſpecierum viſibilium manifeſtò impeditur. *Suffuſionis definitio alia.* Suffuſionis definitionem ex melioribus Pragmaticis talem adſcribimus , quòd nempè ſit otioſi cujusdam humoris concretio (puta in membranam ſive pelliculam) conſiſtens inter corneam tunicam ſive pupillam, viſumque impediens : Hanc definitionem ſi inſpiciamus , eam cum Autoris noſtri mente penitùs & quadranter unum dicere deprehendemus, veluti hoc ex ipſiſmet ejus verbis , ſi invicem conferantur, luculenter patet. Quæritur autem quid per otioſum humorem hîc intelligatur. *Otioſus humor ſuffuſionē progenerans quid.* Reſpondetur primò , ut excipiatur humor aqueus cum aſſociatis reliquis , qui ad partes oculi integrantes & eſſentiales pertinent ; deinde quod otium & hic dare odium ac vitium ſoleat. Quapropter dubium eſt nullum , quin torpens & malè facta oculi ejusque partium nutritio hic ſubinnuatur , unde poſtmodum recrementa promtè oriuntur ac colliguntur. *Suffuſio ex pravâ oculi nutritione oritur.* Hinc nobis otioſus humor omninò nihil aliud eſt , quàm odioſus, inutilis, malè feriatus, excrementitius, & planè pernitioſus , utpote ex privatæ digeſtionis vitio ſcaturiens. *Suffuſionis cauſa materialis qualis.* De hoc otioſo ac vitioſo ſive excrementitio humore notandum , quod primitùs ſit humidus & aqueus progreſſu verò temporis lentorem ac viſciditatem acquirat , tandem verò aquoſus iſte ac glutinoſus liquor quaſi in pelliculam, eamque albam tenuemque concreſcat aut coaguletur , quæ oculi pupillæ ſeu ſpeculo microcoſmi oppoſita beneficium videndi non intercludere non ſolet : *Viſus unde abolitè lædatur vel ſaltim imminuatur.* Quando verò adhuc humidum eſt illud excrementum, tunc non ſtatim abolitè læditur viſio , ſed imminuitur ſaltim , ita ut hoc malo laborare incipientes veluti quasdam duntaxat umbras ſe conſpicere, aut per caliginem objecta videre exiſtiment : Quod ſi verò negligatur ſuffuſa hæc in oculo pellicula, tractu temporis ita craſſeſcit ac indureſcit, ut veluti cornea ac gypſea,adeoque incurrabilis evadat.

Ad §. 2.

Ad §. 2.

Suffuſio non provenit à catarrhis, ſed a propriis excrementis

Oculos, quùm pariter ſint partes nutriendæ, inteſtina progignere, & propria accumulare poſſe excrementa, jam ſuprà abundè commonſtratum fuit. Ideoque ad ſuffuſionis generationem perputandam non opus eſt, ut devolvamur ad abſurdas, & difficiles opiniones, quum extra quæri non debeat, quod eſt intrà, & quum quęlibet pars ſuum quoque anguem quaſi in ſinu fovere ſoleat: Unde humorum à cerebro in oculos delapſum ac decubitum nec in hôc affectu admittimus, niſi quis vitium totius maſſæ ſanguineæ hîc velit inculpatum, utpote cujus rivulum etiam ad oculi ſtructuram pro nutritione ejus derivari neceſſum eſt.

Ad § 3.

Suffuſionis cura ut plurimum peragitur Chirurgiâ.

Chirurgiam eſſe vitalem Medicinæ partem, M. Aurelio Severino, Chirurgorum noſtræ ætatis principi facilè largimur, & proinde ſuffuſionis, præſertim ſi illa ſit confirmata, perfecta & abſoluta, curationem ex hoc potiſſimum fonte petendam nos quoque cenſemus. Ut autem in hoc caſu medicamentaria Chirurgia nullam auxiliandi certitudinem polliceri poteſt, ita ad maſculam ſive efficacem (quæ eſt vel ſectionis vèl uſtionis adminiſtratrix) tunc refugiendum, cum Autore etiam ſtatuimus, quum nulla ratione alia, quàm manuali, præcipuè autem ferro ſeu acu factam ſuffuſionem auferri poſſe, experientia nos docet: De quô operationis genere tamen ſciendum, ne ex Chirurgiâ fiat κακουργία, quod exercitatiſſimum id requirat magiſtrum. In incipiente autem ſuffuſione hanc operationem locum nequaquam habere aſſerimus, quoniam ſi liquidus humor ac nimis fluidus ille adhuc ſit, auxilio aciculæ removeri hoc visûs obſtaculum nequit, ſed incaſſum potiùs ſuſcipitur non contemnendum hoc diſcrimen ac ſolicitudo; licet nihilominus quidam ſint, qui punctionem in ſuffuſione illa, quæ eſt in fieri, & ubi excrementum illud adhuc valde liquidum eſt, pariter admittendam dictitent, quod hâc ratione materiæ intra tunicas oculorum conlectæ exitus paretur. Verùm ut bona fide ac ſincerè animum noſtrum aperiamus, tamdiu expectandum, ſi fiens ſuffuſio medicamentis evinci nequeat, eſſe ſuademus, donec ſuffuſio ad maturita-

Cautela circa ſuffuſionis curam.

Suffuſio incipiens nũ quoq; chirurgiâ curari poſſit.

turitatem ſuam pervenerit , & perfectionem h.e. ſoliditatem illam quaſi membranaceam acceperit. Deinde illa etiam cautela probè eſt obſervanda, ut pellicula iſta ſeu cataracta acu non ſurſum cogatur ac loco moveatur , ſed deorſum potiùs ac infra pupillam deponatur, alioquin ſi ſecùs fiat, ſuffuſio recidiva in promtu erit ; quum enim lubrica ſit hæc pellicula, facilè iſta decidere ſeu deſcendere, ac pupillæ rurſus obduci poteſt. Operario itidem ante omnia tunc videndum, ne manum curationi adhibeat , ſi tuſſi fortaſſis æger laboret : Si enim acu jam introducta vehemens ex tuſſi corporis capitisque concuſſio ſupervenerit, perforationis periculum & ipſius oculi ruina omninò impendet. Idem quoque ſentiendum de ſternutatione. Cautè igitur dimotâ hac â pupilla ſuffuſione , quid Chirurgo ulteriùs ſit præſtandum, & quomodo illa ſit conſumenda atque diſcutienda poſtmodum non immeritò Autor inſuper docet. Purgatio autem & medicamenta peculiaria quum ab ipſo determinentur , notare lubet , quod horum mentionem faciat in ſubſequente theſi ; de illâ verò dicimus , quod cumprimis etiam molienda veniat , antequam jam commendata manualis operatio celebretur, ut hâc ratione impuritates in tempore removeantur, atque vitioſorum humorum affluxus , quoniam ſine quodam dolore hæc operatio perfici nequit, ſic prohibeatur; cui negotio ſi pariter Venæſectio ſubmittatur , utique Medicus prudentiæ ſuæ arrhabonem exhibebit, quod inflammationi ita ſurripere occaſionem calleat.

Cautela alia circa ſuffuſionis curã, quæ chirurgiâ inſtituitur.

Pellicula in ſuffuſione â pupillâ dimota quomodo ulteriùs conſumenda.

Purgantia & Venæſectio commendantur quoq; in ſuffuſionis curâ.

Ad §. 4.

Suffuſio an in fieri adhuc ſit, an verò facta, probè conſiderandũ.

In curatione ſuffuſionis omninò advertendum eſt , an malum in principio ſeu fieri adhuc ſit conſtitutum , ubi tantùm imagines quædam conſpiciuntur, vel pupilla aliquo modo obfuſcari, ac viſus obtenebrari incipit : Tunc enim tam univerſi corporis decenti evacuatione , quàm remediis topicis , quæ excrementitiam illam in oculo exiſtentem humiditatem digerere, abſumere, & diſſipare, ſed & juxtà oculum afflictum ſingulariter roborando recreare valent , hæc affectio curari poterit. Aſt verò cum indurari ac concreſcere cœperit ea , medicamentorum uſus ſpretâ chirurgiâ omnimodè , ut ſuprà dictum , eſt fruſtraneus. Loquitur ergo hic Autor de fiente & incipiente ſuffuſione , quam beneficio collyriorum ex ⊖ibus fixis ſive alkalibus (quo nomine ſtercora quoque animalium,

Suffuſio dum in fieri adhuc eſt, facilè curari poteſt.

lium, v.g. lacertæ viridis, hirundinum &c. à Pragmaticis commendantur, quod nempe pariter ut alkalia ⊖e 🜍reô vel 🜍re ⊖inô abundent) quæ cumprimis vim viſcidos humores probè abſtergendi, reſolvendi, depaſcendi ac diſcutiendi poſſident, factorum curari poſſe pollicetur. Quæ medendi ratio ut nobis omninò non diſplicet, ita ne acria nimis evadant localia & oculis inſtillanda hæc pharmaca, animadvertendum monemus, ut ⊖ia proinde in minori quantitate in liquoribus his ophthalmicis diſſolvantur, atque ad modicam vel gratam ac ſuavem quandam ſalſedinem ejusque ſaporem vehiculo ſuo commiſceantur; deinde ut ⊖ia illa ſive euphraſiæ ſive alius alkali ad ſummam puritatem per iteratas calcinationes, fuſiones, ſolutiones, & coagulationes ſint reducta, quô ipsô virtus eorum mirum quantum multiplicabitur, & eximia penetrabilitatis dote dicta ⊖ia ornabuntur, imò exinde acrimoniam illam amittent, & dulcedinem quandam oculorum teneritudini non ingratam potiùs impetrabunt. Spiritum X quod attinet, illius uſus uti præmiſſa Univerſalia neceſſariò depoſcit, & cum grano ⊖is in hoc caſu eſt uſurpandus, ne inflammationis diſcrimen exinde immineat, ita certiſſimum quoque eſt, quod obtineat efficaciſſimam penetrandi, & excrementitiam materiam oppidò conſumendi poteſtatem. Tandem per ▽as ophthalmicas, quibus diſſolvenda Autor ſuadet hæc alkalia, hic intelligi eas, quæ ex ſpeciebus & herbis præſertim oculo peculiariter acceptis, ejusque œconomiam ſpecificè conſolantibus, quales ſunt fœniculum, euphraſia, ruta, verbena, betonica, chelidonia &c. compoſitæ exiſtunt, nequaquam dubitandum.

Stercora animalium parem vim cum alkalibus habent.

Localia nimis acria eſſe non debent.

Alkalia quomodo ad ſummã puritatem reducantur.

Spiritus X. cautè uſurpetur collyri loco.

Aqua & herba ophthalmica.

Ad §. 5.

Quantas laudes ♁ium illud præparatum, cujus ratio jamdudum nobis ex candore Autoris noſtri innotuit, conſimiliter in curatione ſuffuſionis ſibi vendicare queat, ex iis conjicere poterimus, quæ aliquoties de glaciali ac ſummè glutinoſo adeoque contumaciſſimô phlegmate illô, quod ipſum nempè beneficio jam deprædicati medicaminis potentiſſimè expugnari & exterminari poteſt, jam à nobis dicta fuerunt. Ideoque ſic expoſuiſſe ſuffuſionem hîc quoque ſufficiat.

Antimonij præparati laudes in ſuffuſionis cura.

CAP. XXI.

DE *Vitiis & affectibus Pupillæ.*

§. 1.

Pupillæ affectus & vitia omnia manifeſtè ſenſibus patent, eaque ſunt Dilatatio, Diminutio, Divulſio, & Ruptio,

§. 2. Dilatatio illa, vel ab ipſo ortu ac nativitate, vel à morbo aliquo aut excremento quodam in uveâ tunicâ concluſo, quod ex alimento alterato ibi producitur, fieri ſolet. Hoc enim dum copia ſua pupillam diſtendit, illius quoque foramen, quod propriè pupilla eſt, amplificat & valdè dilatat; imò ſæpiùs oculi prominentiam, ſcirrhum, phlegmonem, & abſceſſum comitatur pupillæ dilatatio.

§. 3. Diminutio pupillæ ſi naturalis ſit, acuit viſum & ſubtiliorem efficit illum, ſin verò morboſa exiſtat, debiliorem eum reddit, uti contingit in atrophiâ & phthiſi ipſius oculi: Quoties enim vitreus humor ab aliqua cauſa præternaturali abſumitur, tunc quoque contracta ac rupta uvea, & in ſe quaſi concidens pupillæ foramen quoque coarctat & diminuit.

§. 4. Ex iisdem cauſis etiam & externarum itidem vi aut injuriâ fiunt quoque pupillæ divulſio ac ruptio, quæ ſunt incurabiles, cum pupilla ſit pars ſpermatica, & proinde dum per ruptionem aut divulſionem læditur, ad cicatricem laudabilem, ut viſus conſervetur vel reſtituatur, iterum reduci non poteſt, ſed cum pupillæ interitu neceſſariò etiam deperditur viſus.

§. 5. Quod vero attinet pupillæ dilatationem & ejus imminutionem, curatio utriusque ſequenti methodo inſtitui poteſt: Inprimis itaque fovendus eſt oculus ſpiritu X Tinctura flor. buglos. imprægnato: Hic enim ſpiritus oculum ſummopere recreat. Purgandum tamen eſt corpus antimonio noſtro ſive Extract. ellebor. noſtri ſuperiùs præparati; quô factô danda eſt ægroto Eſſentia ſive ☋ ☽æ, quod valdoperè oculis læſis prodeſt, & quidem ad guttulas x. vel xx. in ▽ euphraſ. aut fœnicul. tam ſummô manè quàm tempore ſomni porrigendum.

§. 6. Tutia etiam præparata, calcinata, & cum ⚹ in ⊖em reducta ac cum ſpiritu X dulcificata, oculos ad deſperationem læſos in

pristinam

priſtinam ſanitatem reſtituit : ſed illum Θem tutiæ ⚹ô præparatum adeoque acrem & mordacem oportet tamdiu cum ſpiritu X rectificato circulare, donec dulcis fiat, & ab omni mordacitate ſeparato per balneum ſpiritu liber remaneat : ſic enim ℃ dulce in fundo alembici impetrabitur, quod oculorum curandorum eſt arcanum ſingulare, ſi guttula una in oculos læſos bis in die infundatur.

Animadverſiones

Ad Cap. XXI. in genere.

RES chara utique & ſolertiſſimâ cuſtodiendi ſolicitudine digna eſt pupilla : Tanta enim cura ejus conſervationi debetur, ut in ſacrô codice diligentiores rerum tutelæ huic paſſim comparari ſoleant. Eſt autem pupilla niger ille in oculô orbiculus ac circulus vel foramen ſive punctus uveæ tunicæ medius, ſplendidiſſima nempe oculi feneſtra vel potiùs fulgidiſſima ſtella aut lucerna atque ſpeculum ſuis munimentis & ornamentis oppidò circumcinctum, quod rerum icones per ſpecies viſibiles egregiè recipit atque repræſentat : Imò pupilla licet parvula ſit, in ſe tamen res omnes, quin & cœlum mundumque comprehendit. Pupilla hoc diminutivo uſitatiſſima translatione connotatur, quod pupillæ ſive puellæ imago ibidem adpareat, & ipſi nos intùs quaſi pupos ſeu virunculos intueri queamus : Quibusdam quoque vocitatur pupilla, quod ſit pura atque impolluta, non ſecus ac intacta puella : Unde adpoſitiſſimè admodum pupilla apud elegantiores nitida oculi filia ſalutatur. Ex delicata igitur pupillæ conſtrictione & magno ejus æſtimio facili conjecturâ ſummam in curatione, ſi afficiatur fortè aut affligatur illa, difficultatem adſerere poterimus, quæ ipſa quâ ratione veniat expedienda aut determinanda, juxta manuductionem Autoris nunc experiemur.

Pupilla res chara eſt.

Pupilla quid.

Pupilla unde ita dicatur.

Pupilla cura difficilis eſt.

Ad §1.

Quamvis 4 affectuum ſpecies, quæ pupillæ queunt accidere, hîc propoſitæ concernantur, tamen Practicis rectè uſitatum eſt, circa binas duntaxat & earum curam ſe occupatos oſtendere. Ergo dilatationem & conſtrictionem ſeu diminutionem pupillæ juxta cum Autore ſolummodò hîc conſiderabimus, divulſionem ac ruptionem ſeu lacerationem ejus proſcripturi, utpote quos morbos tanquam incurabiles in conſiderationem Medici non cadere in confeſſo eſt.

Pupilla dilatatio ac diminutio

ad morbos vitiatæ conformationis ſpectant. Uterque autem affectus ad claſſem vitiatæ conformationis in via ſc. ſeu meatu depravato pertinet, veluti hoc ſpontè patet, ac proinde viſio quoque læditur; ſed de modo vel ratione, quâ læſio illa perficitur, valdè ambigui ſunt Autores, quam litem in progreſſu tamen dirimere paucis conabimur.

Ad §. 2.

Pupillæ dilatatio duplex, naturalis & morboſa. Dilatationem pupillæ, quam Græci μυδρίασιν vocant, cujus vocis originem incertam plane & obſcuriſſimam deprehendimus, ipſe Autor ſtatim diſcernit, & aliam naturalem ſive ab ipſa origine factam, quam pupillæ potius amplitudinem vocant, aliam vero morboſam ac ſtudium Medici poſtulantem ſtatuit. *Pupillæ dilatatio naturalis habet quoq; ſua commoda, & incurabilis eſt.* Quibus magna pupillæ hiatio eſt nativa, illi hoc beneficii habent ut in obſcuriore ac magis tenebricoſo aëre ſive loco videant rectiùs clariusque, & in majusculâ inſuper forma res conſpectæ ipſis exhibeantur, quàm in nimis ſplendente aut lucidiore, ubi propter ſubingreſſum nimii luminis rerum viſibilium picturam obliterantis objecta dilutè non nihil ac imperfectè conſpiciuntur: Imò hoc etiam commoditatis ex naturali pupillæ amplitudine accedit, quod eâ præditi immoto capite â lateribus etiam ſtantia videant, quæ ab aliis non niſi capite eò converſô percipi queunt. Utcunque autem nativa hæc pupillæ latitudo vel commodum vel incommodum pariat, illam non immeritò tamen miſſam Medicus facit, quod ſubſidium emendationis nullum hic locum habeat: Ergo de illa dilatatione hic agendum, *Pupillæ dilatatio ut plurimum oritur ab excremento & quomodo.* quæ à morbo ſeu rectiùs excremento vel humore excrementitio dependet, qui ab alimento alterato vel potiùs corrupto, pravè digeſto ac crudo originem ſuam trahit. Hoc itaque excrementum eo modo dilatat atque diſtendit pupillam, dum videlicet uvea tunica ab eo diſtenditur, quam tamen tendi non poſſe ſciendum eſt, niſi priùs corneam, adeoque conſequenter uveam corneæ valdè annexam tendat & maximè tumefaciat humor iſte excrementitius. *Pupillæ figura potiſſimum unà cum homine naſcitur.* In genere itidem de hac dilatatione ſeu ampliatione pupillæ annotandum oggerimus, quod ut plurimum ab ortu homines has vel illas nanciſcantur pupillarum figuras, nec tam facilè â cauſa quadam externâ vel internâ deinde eas adipiſcantur; ideoq; Medici in diagnoſticis hic cautos ſe præſtare debent. *Pupillæ dilatatio plerumq; ab inflammatione vel tumore provenit.* Potiſſimum tamen cõtingit, ut pupilla ab inflammatione vel tumore aliquo tendatur, in quo caſu ſumma Medici requiritur ſolicitudo, quum tenſio ſive dilatatio illa imminui nequaquam poſſit, niſi aut inflammatio quantocyùs tollatur, aut tumor minuatur.

Ad §. 3.

Ad §. 3.

Diminutio pupillæ nativa commoda quoque ſua habet.

Diminutionem pupillæ quod attinet, quam Græci μύωσιν ſive conſtrictionem & coarctationem adpellant, de illâ certum eſt, quod ſi nativa ſit, acutiſſimam reddat viſionem, quoniam ſpiritum opticum cogit ac veluti denſat; ſin verò morboſa exiſtat, & cauſam præternaturalem habeat, deteriorem ac debiliorem viſum dubio ſine faciat. Cauſam autem hujus mali rejicit Autor in exſiccationem & conſumtionem vitrei humoris (ab humore forſan excrementitio non quidem aquoſo & tunicas onerante ac diſtendente, ſed ac acrimoniam deducto factam) quam proinde tabem aut phthiſin nonnulli, alii verò atrophiam oculi vocitant: Hâc enim præſente uvea juxta cum corneâ quaſi contrahitur, vel rectiùs conſidere ac in ſe quaſi concidere cogitur, adeoque conſequenter ipſa pupilla anguſtatur, atque foramen ejus ſic manifeſtò imminuitur. Certum tamen eſt, circa hoc negotium non paucos ſæpè deceptos, dum quasvis pupillæ dilatationes vel conſtrictiones pro morbis protinùs habuerunt, non perpendentes in loco obſcuro naturaliter pupillam dilatari ſemper, in claró autem coarctari. Quapropter ſibi hoc capere debent illi, qui ad conſultationem de oculorum affectionibus & viſûs infirmitate habendam convenire tenentur: In debito namque loco ægrorum oculi ſunt inſpectitandi, adeoque ubi judicandum eſt, num juſto conſtrictior ſit pupilla, locus inſpectionis obſcurior erit eligendus: Quum enim pupilla naturaliter ſe expandere vel dilatare ibi debeat, minimè verò tunc ſe expandat, pupillæ tabes, quæ dilatationis impoſſibilitatem enititur, affirmanda veniet; contrà verò ubi inquirendum, an morboſa ſubſit pupillæ relaxatio aut dilatatio, locus adeundus erit clarus lucidusque, in quo ſi pupilla haud ſe contrahat, de ineptitudine ac vitio pupillæ, quò minùs ſe contrahere queat, adeoque de ejus præternaturali dilatatione certiores eſſe poterimus.

Diminutionis pupillæ cauſa.

Oculi tabes aut phthiſis l. atrophia.

Cautela circa oculorum præprimis pupillæ inſpectionem.

Pupilla in locô obſcurô naturaliter ſe expandit, in claro vero ſe contrahit.

Ad §. 4.

Pupillæ divulſio ac ruptio incurabiles ſunt.

Pupillæ divulſioni ac ruptioni non immeritò nuntius hîc mittitur, quùm priſtinæ integritati lacerata pupilla, à quacunque etiam id fiat cauſa & injuriâ, reſtitui nequeat. Partium namque ſimpliciter ſpermaticarum vulnera nullas admittere medelas at-

las atque cicatrices jam antiquum ac proinde notiſſimum eſt. Unde ſi pupilla ſemel ſit aut divulſa aut rupta, dubium eſt nullum, quin ipſa viſionis ruina ſuccedat hinc perpetua atque incurabilis. Medicus ergò ne ſe ſuamque famam ac ſua alioquin celebratiſſima temere proſtituat arma, rectè rem deſperatam in hoc caſu pronunciat, ac propterea hujusmodi patientem ſalva conſcientia prognoſtico relinquit, niſi alia inſimul concurrant ſymptomata, quæ periculum ex conſenſu adhuc majus minari videntur, quibus omninò obviam ire tenebitur.

Ad §. 5.

Autor cur pupillæ diminutionē ac dilatationē in curâ indiſtinctè tractaverit. Pupillæ dilatatio ac diminutio aliquando etiam incurabiles ſunt.

Præſcriptam ab Autore curationem utriusque mali accuratè ſi inſpiciamus catholica planè & univerſalia utrique affectui conſimiliter convenientia, adeoque indiſtinctè adducta hæc medicamina deprehendimus, quo forſan nil aliud indicare videtur Autor, quàm vel affectum illum utrumque eſſe rariſſimum, vel ſi occurrat, rem tunc temporis omnimodè aut plerumque ſaltim decantatam eſſe, niſi purgantia præſcripta ſæpiusque jam laudata, pariterque panacæa hæc confortans tam capiti ac conſequenter etiam oculo adpropriata, quàm toti corpori acceptiſſima, nempe Eſſentia ☽æ (de quâ jam aliquid ſupra nosmet dixiſſè recordamur) efficaciam ſuam exhibeant. De Tinctura flor. bugloſſ. ſive ſpiritu X horum florum anima ſive 🜍re impregnato, nil quoque hîc adjicimus, quoniam id jam ſuprà itidem à nobis utique factum eſt.

Ad §. 6.

Tutiæ præparatio.

Tutiæ illa præparatio nobilis ſanè eſt, & ſua præconia meretur, quoniam ex ſublimiore Chymia parandi illa ratio depromta eſt. Cœterum omnia per ſe plana hîc ſunt, & qui ſaccharum ♄i parare non ignorat, is facilè etiam ex tutia ⊖inam ſubſtantiam per calcinationem & beneficio ⚹ deſtillati extractionem elicere poterit, quam alia ratione à mordaci hac ſua acrimonia liberari, & ad ſinceram dulcedinem atque oleaginoſam ſuavitatem redigi haud poſſe aſſeveramus, niſi hoc fiat diuturna ſed temperata cum rectificatiſſimo ſpiritu X in MB aut vaporoſo digeſtione ac circulatione, qui labor proinde patientiam & moram omninò depoſcit. Quænam

inſuper tutiæ ſit efficacia, omnibus quaſi tonſoribus notum eſt: Quid autem ſit, undiquaque etiam proſtat, quod nempe ſit Cadmia factitia ex fuligine æris concreta, quæ tamen â pompholyge ſeu nihilo nihil aut parum differre non malè ſtatuitur. Ex ære enim quando in fornacibus id conficitur, utrumque oritur, niſi quod tutia denſius habeat corpus, & in fundô colligatur, pompholyx verò ſit tenuius & tanquam favilla ſuperna potiùs loca occupet; alioqùin unam genituram unamque officinam agnoſcunt, imò & effectum unum reverà ſiſtunt.

Tutia quid

pompholyx quid.

CAPUT XXII.

De

Affectibus Oculorum externis.

§. 1.

Vitia externa, quæ oculos infeſtare ſolent, ſunt potiſſimùm Caligo, Nubecula, Hallucinatio, Rhexis, Confuſio, Unguis, Epiphora, Inverſio palpebrarum, Grando, & Hordeolum, de quibus ſingulis, & quidem primò de Caligine breviſſimô quô poterimus eloquio jam dicemus.

§. 2. Caligo igitur eſt tenebroſa viſio ob tunicam corneam craſſiorem ac denſiorem factam â craſſô denſoque dictæ corneæ excremento: Dum enim tunica cornea ſuo alimento proprio, quod illi per venas demandatur, alitur, ſpiritus verò corneæ innatus rectè coquendo ac digerendo illud alimentum, nec optimè excrementum ſeparando, ſibi fortè non appropriet, aut licet ſeparet, eâ tamen quâ alioquin pollere debet facultate expultrice haud foras amandet, tunc cornea illa tunica ab alimento ſuo excrementitio craſſo & denſo obſcurata viſum quoque obtenebrabit. Atque ſic fit Caligo.

§. 3. Hæc oculi caligo, quæ propriè eſt vitium corneæ, ut jam dictum, ab excrementô ſui alimenti craſſo denſoque productum, curari poteſt purgatione per ☿ium aut elleborum noſtrum, it.

fotu

fotu cum Tincturâ flor. bugloſſ. & ☉e tutiæ ſuperiùs præparatô: Hæc enim medicamenta omnia oculum ab omnibus ſuis excrementis expurgant, & ſummoperè ipſum refocillant, ejusque ſpiritum inſitum, tanquam cuſtodem reſtaurant, in quâ innati etiam ſpiritus reſtauratione tota oculorum cura conſiſtit.

§. 4. Nubecula eſt tenue aliquod excrementum corneæ tunicæ adhærens ac impactum, quâ laborans per nebulam quandam aut per vaporem ſeu fumum ea, quæ cernit, ſe videre putat: Quod ſi hoc excrementum tenue ſucceſſu temporis â calore ipſius oculi craſſeſcat, fit albugo.

§. 5. Eſt itaque albugo excrementum iſtud inſpiſſatum, quod anteâ tenue ac ſubtile adhæreſcens corneæ, & nubeculam tantm faciens craſſius jam & compactius factum albuginem effecit: Senſim enim hæc vitia ſibi invicem ſuccreſcunt, ac ſæpè ex Ophthalmia ac Epiphora ortum habent, quum in his affectibus excrementa tenuia Ophthalmiam quoq; & epiphoram alioquin parientia incraſſeſcere ſoleant: Quæ tamen vitia iisdem remediis, quibus Caligo curari ſolet, nempe purgatione ☿iali & elleborinâ noſtra, itemque fomentô illo oculum refocillante curantur.

§. 6. Hallucinatio eſt, cum omnia, quæ videmus foris, aliquo colore tincta ſunt atque infecta; veluti in icterô ac inflammatione rubente fieri ſolet: Hoc vitium autem dependet & originem habet ex corneâ tunicâ, quæ aliquo excremento colorato inficitur: Cujus enim coloris eſt illud excrementum, tali etiam colore delibuta externa videntur; unde hallucinatio hic affectus dicitur, quum ex viſione illâ in rei veritate hallucinemur, quoniam externa illa, quæ videntur, tali colore nequaquam delibuta exiſtunt.

§. 7. Forti autem purgatione per ☿ium noſtrum & fotu cum Tincturâ ſæpiùs laudatâ hic affectus tollitur. Si ex icterô proveniat, curandus omnino icterus, ut hic etiam affectus tolli poſſit. Cœterùm ſimilis eſt hic affectus glaucomati, quoad vitium ipſius viſus; diſſimilis tamen quoad partem affectam: Hîc enim læditur cornea tunica, in glaucomate verô vitreus humor. Curatione tamen non differunt, & iisdem utique medicamentis glaucoma & hallucinatio curantur.

§. 8. Rhexis eſt corneæ tunicæ ruptio, ſectio, vel everſio, è qua primùm humor albugineus diffluit, oculumque multò minorem

norem relinquit: Deinde tunica rhagoides etiam cadit, & hinc oculi procidentia producitur, quæ Græcis πρόπτωσις dici ſolet, à quâ poſtmodum fit oculi confuſio, in quâ humores ex ictu commiſti repeiiuntur. Atque hi adfectus omnes nullis medicamentis naturalibus curari queunt: Amiſſus enim eſt omninò viſus, partesque oculi ſummoperè & ita læſæ tunc ſunt, ut reſtitui nequeant, ſiquidem à privatione ad habitum non detur regreſſus.

§. 9. Datur etiam in corneâ membranâ alius ipſi adhærens affectus, & Unguis ſeu Ungula dicitur, quæ nil aliud eſt, quàm dura, nervoſa, & albicans membranula, ex angulo plerumque ad pupillam usque ſe extendens, illamque ſæpiùs contegens. Oritur autem ex adhærente membranâ ſenſim ac pedetentim increſcente, ſi permittatur, atque obdureſcente ejus excrementô: Nihil enium aliud eſt ungula in oculo, quàm excrementum corneæ tunicæ illis pedetentim induratum.

§. 10. Evaneſcit autem & curatur Ungula ⊖e vitri in ▽ euphraſ. diſſoluto, ſæpiusque in oculum inſtillato: Crocus etiam metallorum in Alchool reductus & ▽â fœnicul. dilutus eſt ſummum Ungulæ remedium, admixto ſc. paucô ⊖e vitri, h. e. eô ⊖e quod in vitrariorum fornace ab ipſo vitro ſeparatur.

§. 11. Epiphora eſt alius morbus, oculos ſummoperè infeſtans, & fit à tenui liqudoque excremento, quod lacrumarum imitatur impetum: Aliquando etiam tenue illud excrementum eſt acre & ſalſum, ubi cum dolore, calore, & rubore hic affectus eſt junctus: Cum verò dulce eſt vel ſine ullâ acrimonia nullus planè in oculô ac palpebris ejus adeſt dolor, ſicut nec calor aut rubor. Tenue autem illud excrementum à toto oculo lacrumarum adinſtar exſurgit, quia alimentum oculi, quod in partes ac ſubſtantiam ejus ſe transmutare ac faceſſere nequit, in excrementum illud tenue & liquidum faceſſit, quod poſteà inſtar lacrumarum ex oculo defluit, & epiphoram conſtituit.

§. 12. Curatur epiphora, ſi nimis moleſta, & ab acri ſalſoque excremento producta ſit, ita ut palpebras etiam excoriet atque exulceret, purgatione per ☿ium noſtrum ſive ☿ium dulcem celebrata: His enim medicamentis excrementa iſta mitigantur, vel cum ſic foras ejiciantur, non ampliùs nocere poſſunt, Adhiberi

etiam fomentum cum tutia præparata & in 🜄 fœnicul. diluta, & in oculos inſtillata poteſt.

§. 13. Ophthalmia frequens iſte oculi affectus nihil eſt aliud, quàm phlegmone ejus ex oculorum angulis in totam adhærentem membranam infuſa: In hac autem oculorum affectione venæ eorum tenues ita turgent, ut quæ in albô oculi obſcuræ aliàs & inviſibiles penitùs erant, viſibiles omninò ac conſpicuæ fiant: Imò plerumque tunc quicquid eſt in oculo album, rubeſcit: ac ſummus inſimul dolor ardorque ſuccreſcit; qui poſtmodum lacrumas acres mordacesque accerſit, atque tunc epiphoræ æquiparatur, quamvis toto cœlo ophthalmia & epiphora differant, quod in ophthalmia oculi album, in epiphora verò palpebræ ac cilia rubeſcant atque inflammentur.

§. 14. Curatur ophthalmia, cum ab iisdem excrementis & cauſis dependear, conſimilibus etiam medicamentis. Corpus tunc ergò purgandum eſt ☿iô ſive extracto ellebori noſtro: Quo facto alterandus & refrigerandus eſt totius corporis ſanguis, ne inde ad oculos alimentum acre atque mordax mordaci nempe & acri aliquo excremento contaminatum transmittatur: Sanguis autem & fons ipſius ſanguinis unà cum toto corpore Eſſentiâ ſeu ☍ ⊖li vel ſpiritu & ☍ 🜍ris ad ℈ß vel ℈j in 🜄 endiv. aut lactuc. vel roſac. ſ.q. propinato, alteratur ac refrigeratur.

§. 15. Palpebræ oculorum etiam ſcabie, pruritu, *inverſione*, grandine, ac hordeolo inficiuntur. Scabies fit potiſſimùm ab excrementis mordacibus & acribus, quæ ab ipſarum palpebrarum alimento acri ac mordaci ortum ducunt; ſicut & pruritus pariter ab iisdem oritur cauſis, unde iisdem quoque medicamentis ambo, nempè purgatione, & refrigeratione alteratione ſuperius adducta curantur.

§. 16. Inverſio palpebrarum, quæ â Græcis ἐκτρόπιον dicitur, eſt, quando pars ejus interior prominet: Tunc enim ſic invertitur palpebra, ut rubrum ejus internum oſtendatur. Hoc itidem oritur ex palpebrarum alimenti excrementis, quæ dum turgent, palpebras etiam invertunt. Curatur ſolâ purgatione & tam interna quàm externa ipſarum palpebrarum refrigeratione hic affectus, quoniam calor internus ſic per antiperiſtaſin fovetur, augeturque & hinc

hinc fortiùs excrementa illa â ſpiritu cuſtode ſic refocillato expelluntur.

§. 17. Grando eſt tuberculum calidum, durum, palpebræ ſuperiori ab excremento ipſius palpebræ innaſcens, quo indureſcit tuberculum. Hæc autem tubercula curari ſolent, ſi paleâ c°o ⊕-li vel ☿ij vel ▽R delibutâ ſuperficialiter ac ſæpiùs in die tangantur, donec ſicceſcant, & per ſe decidant: Illa enim excrementa in quantitate pauca ſunt, & ideo ſolo adhibito medicamento externo & cauſticante ſiccantur atque abeunt.

§. 18. Hordeolum verò eſt tuberculum calidum in abſceſſum fermè deſinens, quod ex palpebræ margine ac cilio ab excrementis itidem præternaturalibus palpebræ prorumpit: Curatur ideo ſimilibus etiam medicamẽtis externis, ut grando, quod omnes iſti palpebrarum affectus ab excrementis alimenti palpebris ciliisque deſtinati proveniant, quæ in intimis receſſibus harum partium reconduntur: Dum autem â ſpiritu cuſtode foras amandantur illa, pariunt tubercula vel ſcabiem aut puritum, ſecundum ſcil. excrementorum iſtorum corruptionem & alterationem. Hi igitur affectus omnes ſuprà dictâ purgatione ac refrigerio laudato citò, tutò, & jucundè curantur.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

Autor externos oculi morbos (qui propriè nil aliud ſunt, quàm qui externas ejus partes occupant, quales ſunt tunica annata ſ. album oculi, item palpebræ, cilia, &c.) proponere pollicitus, promiſſis minùs ſtetiſſe videtur, ſi conſideremus quosdam ad hoc caput translatos quoque affectus, qui interiores ejus tàm reſpiciunt partes, ſicuti videre eſt in Caligine, Nubecula, hallucinatione &c. qui omnes quùm corneam tanquam ſedem affectam agnoſcant, ad internos potiùs referendi morbos propterea fuiſſent. Ergò ne quis accuſare nos queat, Autoris hanc aberrationem nos minùs animadvertiſſe, ſignaturam hanc adjicere non diſplicuit. Cœterùm cum ſic tamen viſum fuerit Autori noſtro, ipſi etiam morem hîc gere- *Oculorum morbi externi qui propriè.* *Autor cõfundit aliquos ocu-*

[Gg] 2 re, &

lorũ morbos internos cum externis.

re, & præſcriptum ordinem in præſenti attendere non refragabimur.

Ad §. 2. & 3.

Glaucoma & Caligo quomodo differant.

Quod de glaucomate ſuprà dictum ac diductum fuit, id ad propoſitam hoc locô caliginem (ab aliis etiam craſſities dicitur.) quàm optimè accommodari poteſt, niſi quod tunc temporis craſſum denſumque circa corneam cumprimis collectum excrementum eandem craſſiorem, denſiorem, obſcurioremque efficiat, ac proinde etiam viſum eò magis obſcurum, tenebricoſum atque difficilimum, quàm in ipſo glaucomate pariat. Quomodo deinde alimentum in oculo per pravam alterationem corrumpatur; atque excrementitii humoris ibidem generentur, colligantur, ac retineantur, ex ſuperioribus jam nobis planum ac notiſſimum eſt. Circa curationem demum nihil pariter hîc addimus, quod hæc cum præcedentibus circa oculi medelas jam adnotatis eximiè conſona ſit, atq; undique conveniat.

Ad §. 4.

Nubecula quid propriè.

Nubecula iſta aliis quoque Nebula dicta, nihil aliud eſt, quàm macula alba in corneâ tunicâ tenuis ac ſuperficiaria eſt, circa quas voces denominandi ratio ſuo lumine claret, quod nempè oculi lumen hujuſcemodi nube obductum & quaſi obvelatum nubiloſam planè ac nebuloſam, hoc eſt obſcuram & caliginoſam viſionem faciat. De excremento autem tenui ac ſubtili, quod corneæ inhæreſcendo hunc affectum parit, notandum, quod ſucceſſu temporis ſenſim id craſſius evadere, & proinde in albuginem ſic degenerare nubecula poſſit: Unde & eandem curandi methodum circa utrumque hunc affectum attendere Practici ſolent, quod à majori ad minus concludendi vigor hîc adpoſitiſſimè valeat.

Nubecula facilè degenerat in albuginem. *Nubecula & albugo eadem methodô curantur.*

Ad §. 5.

Albugo ſive leucoma quid & unde.

Albugo ſive leucoma eſt macula illa alba, quam craſſior & excrementitia humiditas inter laminas corneæ collecta conſtituit, h.e. adeò denſam hanc tunicam corneam reddit, ut ſpeciebus viſibilibus hinc tranſitus denegetur, atque ſic videndi nobiliſſima actio, dum corneæ perſpicuitas ita tollitur, non perfunctoriè impediatur. Addimus quoque quod non raro hæc albugo â cicatrice poſt vul-

nus aut

nus aut ulcus relicta (id quod præſertim in pueris poſt curatas atrociores variolas contingere obſervatum eſt) provenire ſoleat ; unde curandi vel ſumma difficultas vel mera impoſſibilitas poſteà ſucceſcit , quum delere in membro tam delicato & nobili cicatricem ſummoperè arduum exiſtimemus , imò vix ac ne vix quidem liceat. Convenienter etiam hîc quadrat, dum Autor ſæpiuſculè ab epiphora aut ophthalmiâ oriri albuginem dicit : Ubi enim excrementitiæ humiditatis abundantia,veluti hæc in prædictis affectibus præſtò reverà eſt , ibi non difficili negotio reliquiæ ejusdem remanere & colligi , collectaque inſpiſſari queunt. In ipſo curationis negotio nil quoque novi hîc affertur , ſed eadem de purgatione toties deprædicata & fomentatione oculi vigorem reſtaurante cantilena hic repetitur : Cui nos addimus, quod præmiſſis Univerſalibus ▽a ex ſucco chelidon. vel etiam anagallid. (nam ſimplex chelidoniæ ſuccus nimium acris eſſet) deſtillata cum pauxillo æris uſti vel etiam ⊕-li albi,quod tamen cautiſſimè uſurpandum , valdoperè in hoc caſu commendari ſoleat. Sed hac de re videantur Medici in Chirurgiâ excellenter periti,qui remediorum copiam oppidò ſubminiſtrabunt.

Albugo ſæpè à cicatrice poſt vulnus aut ulcus relictâ provenit, & curatu difficilis vel impoſſibilis eſt.

Albugo ſæpiùs quoq; ab epiphora ac ophthalmiâ oritur, & quomodo.

Albuginis cura.

Aes uſtũ & ⊕ albũ hic commendãtur.

Ad § 6.

Hallucinationis mentionem paucos Medicorum feciſſe deprehendimus , niſi quod non nulli ad viſus depravationem hunc affectum, & quidem rectiſſimè referant,atque colorem p. n. in qualitatibus mutatis ſed tribus ſaltim ac perfunctoriè adduxerint. Autor unam duntaxat hallucinationis iſtius ſpeciem hîc proponit , quando videlicet objecta alieno colore, quicunque jam is etiam ſit , tincta aut infecta videntur, veluti in utero flava aut viridia cuncta , in inflammatione autem quam rubor plerumque comitatur, rubentia,& ſic porrò conſpiciuntur. Contingit autem hoc vitij vel à cornea tunica vel etiam ab humore aqueo , ſi fortè illa vel hic vel ambo etiam admiſtum habeant vitioſum alienumque humorem, qui vario colore pro corruptionis diverſitate, de qua alibi & jam ſuprà actum fuit,exiſtere tinctus poteſt : Quali igitur colore inquinatum erit illud excrementum corneam aut humorem aqueum obſidens, tali etiam colore delibuta videbuntur externa, dum ſpecies viſibiles dictas oculi partes hoc vel illo colore contaminatas tranſire neceſſum habentes

Hallucinatio à pleriſque Medicis ad viſus depravationem refertur.

Hallucinatio quid.

Hallucinatio unde.

Coloris diverſitas in hallucinatione unde.

bentes eandem caloris larvam ſuſcipiunt. Quadrat imò in hoc malum adpoſitè hallucinationis nomen (quæ alioquin à Philologis lucis alienatio ſeu aberratio dicitur) Hallucinari enim nil aliud eſt, quàm ad lucem offendere ſeu errabunda viſione affici (ſicut verbum ἀλύω, unde derivari hoc nomen poteſt errabundo animo attribuitur) & uſurpatur propriè de iis, qui ex locis obſcuris egredientes clarâ luce præſtricti viſu protinùs errare ſolent. Dantur etiam aliæ hallucinationis ſpecies, quando nempe res una adparet gemina vel tergemina, uti v.g. furioſis ac ebriis id tota die accidit. Nec mirum; ſi enim furor aut ingurgitatio X; loco ſuo integritatem judicii movet, quantò magis viſionis ſenſum deludere poterit: vel quando res omnes conſpiciuntur inverſæ aut etiam perforatæ & quaſi feneſtratæ, aut non niſi dimidiatæ atque in medium diſſectæ; vel qu. iris circa candelas videtur, vel alii ſplendores oculis obverſari creduntur, & ſic porrò, de quibus omnibus doctè admodum B. Sennertus, & Pragmatici inſuper alii abunde egerunt, qui conſulantur.

Hallucinari quid propriè ſit Philologis.

Hallucinationis ſpecies aliæ.

Ad §. 7.

Errores quivis ut ſtudioſè ſemper emendandi, ita & hæc viſus hallucinatio non negligenda Medico. Autor itaque ſibi hoc etiam dictum putavit, qui propterea hallucinationem illam, quæ alieno falsoque colore res conſpectas offert, tam pharmaco ☿iali, quo humores corruptos, & pravo colóre tinctos fortiter exterminare, quàm ſæpiùs decantato fomento, quo roborare oculi œconomiam jubet, ſollicitè curandam dictitat: ſi verò hoc vitium ab ictero proveniat, iſtius mali ritè tentata ac impetrata curatio illud facili negotio amoliri poterit. Si ophthalmia ſit in cauſâ aut inflammatio oculi, hujus etiam medela deproperanda ad tollendam hallucinationem venerit.

Hallucinationis cura.

Ad § 8.

Circa Rhexin, ſive ſit corneæ tunicæ ruptura, ſive ſectio, ſive exeſio, vel etiam everſio, quàm immediatè conſequitur oculi procidentia vel uveæ prolapſus, nequaquam nos detinebimus, aut operam ac tempus incaſſum conſumemus, quum ad claſſem affectuum incurabilium manifeſtò pertineant: Cornea namque diruptâ aut continuitate ejus ſolutâ, neceſſario diffluit ▽eus etiam humor, cujus ſuſtentaculum eſt illa, atque ſic viſus irreparabili damno deperditur. Hoc ſaltim attendere tunc conveniet, ut contingente corneæ

Rhexis tunicæ corneæ incurabilis eſt.

ruptura

ruptura deformitas (quia cum magna turpitudine multò minor hinc evadit oculus, aut nimis corrugabitur) præcaveatur, quæ exinde omnino ſuccedit, ſi ruptâ hàc tunicâ humores oculi omnes, aut maximam partem effluāt, quapropter ſtatim virtuosè adſtringentia, qualia ſunt, ſanguis dracon. bolus Armena, Tutia optimè calcinata, & rurſus per iteratas lotiones edulcorata, ▽̄â ⊖li dulcis, & ſic porrò, cum mucilagine Tragacanth. frigid. vel gummi arabici commixta læſo oculo diligenter adhibenda erunt.

In Rhexi Topica cōmendantur, ut deformitas præcaveatur.

Ad § 9.

Quid Unguis ſeu Ungula ſit, Autor dilucidè ſatis explicuit. Græcis vocatur πτερύγιον, quaſi parva quædam ala, à ſimilitudine dubio procul ſive unguis humani, ſive alæ volucris ſic dicta, quam albicans illa membranula ſeu excreſcentia ab angulis, præcipuè tamen majori verſus pupillam protenſa repræſentare videtur. Unguis forſan dicitur, quod ſub ungue digitorum tales etiam albicantes maculæ non rarò concreſcere ſoleant, qualis inter annatam & corneam tunicam eſt jam dicta nervoſa illa duriuſcula membranula. Nominatur etiam aliis ſagitta, à tali utique & acuminata figurâ, quam referre quodammodò videtur. Adſtipulamur quoque Autori quam promptiſſimè, quod expoſita jam membrana unguem in oculo conſtituens nil aliud ſit, quam excrementum harum tunicarum lentum, viſcidumque, & ſenſim ſucceſſu temporis induratum. Panniculus etiam cum ungue oculi convenit propemodum, niſi quod mollior non nihil ſit hæc ipſa excreſcentia, & quod deinde rubeat etiam, h.e. quod ſit quædam veluti venularum ſanguine turgentium textura, unde etiam telaris excreſcentia ſive tela carnoſa adpellatur.

Vnguis dicitur Græcis πτερύγιον, & cur.
Vnguis unde ita dicatur.
Vnguis dicitur quoque ſagitta, & cur.
Vnguis quid.
Vnguis & panniculus quomodo differant.

Ad § 10.

Circa curationem hic itidem notamus, quod eadem per topica non ſit incipienda, niſi præmiſſa ſint Univerſalia, ſiquidem neglectis iis magni dolores & inflammationes inveherentur, quoniam remedia in ungue competentia omnia utique acria eſſe debent. De Θe vitri, cujus quidditatem clarè hîc expreſſit Autor, quum habeat inſignem viſciditates concretas reſolvendi & abſtergendi virtutem, certum eſt, quod hic valdoperè ſi ſolvatur in ſ. q. ▽æ euphraſ. & ita decenter acrimonia ejus poſtmodum hâc ipsâ contemperetur, conveniat. Crocus quoque metallorum ſeu Epar ♁ij à ⦶rô rurſus liberatum, tanquam ſingulare arcanum hîc non immeritò decantatur, quod tam intra quam extra decenter adhibitum quasvis etiam contuma-

Vngula cura.
Θis vitri uſus.
Croci metallorum uſus.

Sief egregium prabat Crocus metall. contumaciſſimas impuritates effectiſſimè averruncare valeat. An autem laudatus Crocus in pulverem ſubtiliſſimum reductus in ſubſtantia quoq; oculis tuto adhiberi, præſertim verò in pauca doſi inſufflari cum aliis (v.g. cum nudo ſaccharô candi) commixtus poſſit, nos in dubitationem vocare nolumus, ſed ſpondemus exinde potiùs præſentiſſimum præ reliquis cunctis præſidium. Tutius autem ſuaviusque frui poterimus virtute croci iſtius, ſi factâ ejus cum ▽ fœnicul. infuſione (eodem planè modo, quo alioquin infuſum emeticum parari ſolet) vel aliquâ ebullitione, ut ſic ▽a illa per irradiationem impregnetur, collyrii appropriatisſimi confectio inſtituatur, quod poſtmodum ut liquores alii ophthalmici more conſueto extrinſecus adplicari vel oculis guttatim inſtillari poteſt. Adeò noſtra quidem mente inſignis arcani autoritatem jam commendatum collyrium indubitatò ſuſtinet, & incomparabili fermè energiâ adornatum exiſtit.

Collyrii, commendabile conſit ex croco metallorũ.

Ad § 11.

Epiphora quid & unde.

Epiphoram eſſe ſymptoma in excretis, confeſtim liquet, quod in immoderata, involuntaria ac præternaturali delacrymatione aut lacrumarum incurſione ac humoris tenuis ad modum lacrumarum aſſiduo irruentis immodicâ influxione conſiſtat. Humor autem ille excrementitius, cujus ſcaturiginem Autor graphicè ſatis determinavit, unde hæc ærumna oritur, vel eſt frigidus duntaxat & aquoſus, adeoque dulcis vel planè inſipidus, ubi nulla ardoris aut ruboris incommoda ab eo inducuntur; vel acrimoniâ & ſalſedine præditus, aut uno verbo ſeroſus eſt, atque tunc non contemnendas doloris, ruboris, ardorisque moleſtias parit ita ſæpè numero, ut ipsas etiam exulcerandi ac corrodendi palpebras vehementiam habeat.

Epiphora aliquando juncta eſt cũ dolore, rubore, & calore; aliquando vero eſt ſine illis.

Ad § 12.

Epiphora morbus eſt moleſtiſſimus.

Moleſtisſimam autem hanc eſſe perpetuam illacrumationem, nullum eſt dubium, ſive ab inſipidâ humoris tenuitate, quæ gravativam tantùm moleſtiam conciliat, ſive ab acri & ſummum dolorem pariente proveniat. Ubi tamen epiphoram connatam excludentes, utpote quæ ſi ad adultam usq; perſeveraverit ætatem, nullam poſteà curationem ſuſcipit, ad hujus ſollicitudinem duntaxat nos convertimus, de qua hic agit Autor. Meliori autem ratione nimiæ ac redundantis humiditatis deſiccatio præſtari vix poterit, quàm purgantibus cum virtute ac robore humores iſtos proſcribentibus, ideoque & ☿ium præparatum Autoris noſtri hîc quàm appoſitiſſimè conveniet,

Epiphora connata incurabilis eſt.

Epiphora cura.

niet,ſicuti nec minùs & ☿ dulcis,qui in genere omnium ac quorum-vis humorum noxiorum laticem ſine perturbatione ullâ exhaurire,& blandè,ut notum,expurgare ſolet. Sin nimioperè ferociens & pal-pebras excorians iſtius humoris acrimonia urgeat , ea præter tu-tiam præparatam & cum ▽â fœnicul. ſubactam cumprimis hîc uſur-panda veniunt , quæ ſpecificam & probatam ophthalmiæ medendi efficaciam poſſident. *☿ij dulcis uſus egregius.*

Ad § 13.

Quomodo Epiphora & Ophthalmia conveniant, aut reſpectu loci affecti differant,id Autor abundè nos docuit , imò epiphoram ingraveſcenti ophthalmiæ & contra ſupervenire poſſe, nihil omninò perſuaſu facilius,ita ut cum graviter inflammata oculi tunica annata interiores quoque pupillarum tunicæ , quæ aſſiduô contactu illam amplectuntur , inflammari & per conſequens ulcerari queant. De Ophthalmia autem malô illô inter reliquos oculi affectus crebriore nunc pauca , quæ praxin illuſtrare ac juvare queunt , juxta Auto-ris ductum proponemus. Concernit hic affectus annatam tunicam, quam Autor eodem quaſi titulo adhærentem , alii verò à colore, quem palam oſtendit, albam vocitant, ac proinde nil aliud eſt Oph-thalmia, quàm ejus rubor & inflammatio, ſuis attamen à magnitu-dine ſeu vehementia cauſæ deſumtis gradibus diſtincta. Ab acri autem ſanguine tunicæ hujus venulas diſtendente communiter hoc malum oriri ſtatuitur, ubi hoc ſaltem monemus, quod fundamen-tum morboſæ ac impetuoſæ fermentationis nequaquam hîc ſuſque deque habendum ſit,quum & generatæ acrimoniæ & inflammatio-nis, & rubentium turgentiumque ſeu intumeſcentium in oculo ve-nularum eſſentia ac ratio ſic longè rectiùs & quàm accuratiſſime in-telligi queat,quâ de re ſuprà abunde actum jam fuit. *Epiphora & Ophthalmia quomodo conveniãt & quomodo differãt. Ophthalmia quid. Ophthalmia unde.*

Ad § 14.

Ut autem rectè ac ſollicitè tractandi ſunt ophthalmiâ labo-rantes , & in nobiliſſimæ partis medelâ nunquam ſatis oculati eſſe poſſumus , ne ex curationis errore deſperatum viſus diſcrimen ſuc-creſcat , ita ſanguinem tunc ante omnia ventilationis potiſſimum gratiâ *Ophthalmiæ cura. V.S. hic cõmendatur antè purgationem.*

gratiâ eſſe mittendum, & poſteà probatum validumque, h.e. ab Autore laudatum purgans exhibendum edicimus, quod ipſum ſi in ullo alio affectu certè in hoc ipſo convenire dicendum, ut Topicorum ratio poſteà eò tutius haberi queat. Deinde quum in theſi antecedente fermentationis doctrinam pro meliùs tradenda ophthalmiæ indole cumprimis obſervandam aſſeruerimus, ipſius Autoris præſcripta alterantia ac refrigerantia, quæ juxta Hermeticam diſciplinam rectiùs præcipitantia ſalutantur, locum ſuum ex ſententiâ hîc etiam inveniunt. Commendatur autem ſpiritus vel ☍ tam 🜔-li quam 🜍ris, quod ambo propemodum ſint unum & idem, eandemque propterea obtineant virtutem, imò quod hæc ipſa mineralia ſummam intimamque inter ſe habeant confinitatem, ſiquidem beneficiô 🜍is ex quovis metallo ſingulare ac nobiliſſimum 🜔-lum lege artis elici ac præparari queat; unde 🜍ur etiam quibusdã 🜔-li pater nuncupari ſolet. Ut itaque ſpiritus ſeu ☍ 🜔-li probatiſſimam præcipitandi habet poteſtatem, quemadmodum in præparatione magiſteriorum hoc potiſſimum eſt, ſic etiam ☍ ſeu ſpiritus 🜍ris eadem omnino gaudet efficaciâ, de cujus genuinâ præparatione videatur in Pharmacopœa noſter Schrôderus. Eadem ſanè præcipitandi virtus in ſanguine mordaci, ab acribus excrementis inquinato, valorem ſuum egregiè exerit, dum ſanguinem probè alterat, h.e. potenter liberat ab illa mordaci acrimonia, maſculè videl. excrementa illa mordacia, cauſtica, & valdè acria in ſanguine ſtagnantia ac veluti natantia ſive iſti commixta ≂tando, & Archeum priſtino inſimul robori reſtituendo, quo præcipitatam & expugnatam hanc acrimoniæ ſaburram commodiùs ſeparare, & eò fortius meatus per naturales poſtmodum exterminare valeat: Quo de gotio ex fundamento magis philoſophandi ratio tunc inſtituetur, quando febrium inveſtigatio nobis celebranda in calce hujus Operis Bono cum DEO veniet. Cœterum inter vulgaria contra Ophthalmiã Topica potisſimum ſunt lac & albumen ovi conquaſſatum, quæ ambo ut benignisſimum præbent ſolamen, ita fructuosè omninò in hoc affectu adplicari ſolent. Nobis vero in hoc caſu â feliciſſimo uſu eſt inſigne ἐυπόριστον, quod ſanè materni adinſtar fomenti ac blandimenti in hoc affectu eſſe poterit: Nempe oculo inflammato ac miſerè ſic afflicto fruſtulum carnis vitulinæ ejusque recentis adponi, ita ut totus oculi globus ſic obtegatur, tunc curamus,

Alterantia & refrigerãtia unde ſuam vim habeant.

🜍 & 🜔 ſummam inter ſe confinitatem habent.

🜔-lum quomodo ex metallis elici poſſit.

Spiritus ſive ☍ 🜔 & 🜍ris probatiſſimam præcipitandi vim habẽt.

Præcipitationis in ſanguine fermentante egregius uſus.

Topica egregia cõtra ophthalmiã.

Carnis vitulinæ egregius uſus.

curamus, quod magnetica quadam & ſuavi ratione inflammationem iſtam contemperat, balſamicâ ſuâ virtute miſerias oculi oppidò demulcet, atque mordaces exinde ſeroſitates mirè pariter attrahit ac veluti aſſugit; ubi pariter notandum, ſingulis quaſi horis hoc carnis fruſtulum mutandum, & recens denuò adhibendum, ne per diutinam moram contracta acrimonia hinc fiat retrograda, & majori cum pernicie oculi orbem repetat. Tandem inter Topica ſaccharum ♄, aut tutia ſpagyricè ac juxta ſupra præſcriptam Autoris methodum parata in ▽ quadam ſpecificâ, cumprimis tamen ▽â ſpermat. ranar. diſſoluta (de quibus jam ſuprà aliquoties dictum eſt) utiliter hîc quoque uſurpari poterit.

Sacchari ♄ & tutia ſpagyricè præparata uſus.

Ad § 15.

Jam ad palpebrarum ægritudines quasdam Autor ſe convertit, inter quas primô locô adducitur ſcabies atque pruritus: De utroque autem affectu ut certum eſt, quod eandem fermè cum ophthalmia cauſam nempe ⦶roſam & excrementitiam ſeroſitatem, ab acri & mordaci alimento palpebris deſtinato oriundam, agnoſcant, ita ſciendum quoque quod non rarò â Collyriis nimium acribus aut diutiùs adhibitis provenire ſoleant. Quum itaque in hoc ipſo cum ophthalmia uterque conveniat, eadem quoque tam interna quàm externa commodiſſimè hic adhibebuntur remedia.

Palpebrarũ ſcabies & pruritus unde.

Hic affectus quum conveniat cum ophthalmia, eadem qq. methodô curantur.

Ad § 16.

'Εκτρόπιον ſive inverſio palpebrarum eſt adfectus, qui tamen potiſſimùm inferiorem concernere palpebram ſolet, ut nempe ea invertatur ac deorſum trahatur; unde interna palpebræ pars non tantùm cum deformitate conſpiciendam ſe præbet, & inſtar rubræ carnis adparet, verùm etiam cum ſuperiore committi non queat, ſed dependendo hiat: Ubi tamen non negatur, quod non tantùm inferior, verum interdum etiam quamvis rariùs ſuperior palpebra ſurſum invertatur ac retrahatur, quod ipſum attamen ab ulcere ſive vulnere demum præſertim malè curatô, ſi videlicet in ſcopô agglutinandi deorſum nimis vel ſurſum retracta fuerit pupilla, accidere ſolet. Autor hoc vitium ex turgentibus hoc eſt fermentan-

Palpebrarum inverſio quid & unde.

Palpebra non tantùm inferior, verùm etiam ſuperior aliquando invertitur & unde.

Palpebrarũ inverſio unde.

tibus palpebrarum excrementis præternaturaliter collectis oriri ſtatuit: Cui addunt Autores alii incrementum carnis vel tumorem in parte internâ palpebræ enatum, ob quas etiam cauſas palpebra conſimiliter inverti poteſt. Nonnunquam hoc malum â paralyſi vel convulſione, nec minùs â flatibus ſuboriri ſolet, in quo caſu curandum eadem ratione eſt, ut ipſa paralyſis vel convulſio, per ſpecifica antiparalytica, item per carminantia ſeu flatus diſcutientia. In reliquo Autori quoad curam in textu adpoſitam adplaudimus, & proinde circa eam nil ulteriùs adſcribimus.

Affectus hic oritur aliquando à paralyſi vel convulſione, ut & à flatibus.

Ad § 17.

Grandinis homonymia.

Grandinis notio (ſic dicta forſitan, quod granorum ſimilitudinem habeat) in rerum naturalium doctrina cumprimis eſt notoria, ubi gelu ſeu glaciem in 🜁e ſuſpenſam ſeu 🜄æ guttam congelatam ac frigore conſtrictam ſignificat. Hanc ipſam grandinis figuram reſpicientes lanii, lepram porcorum (quando hi grandinoſi ſeu inſinceri exiſtunt, wenn die Schweine finnicht ſind) ſeu vitium illud in ſuibus, in eorum ore enaſcens, & per totam carnem diſperſum, grandinem vocitare ſolent. In Medicina vero ob eandem formæ ſimilitudinem tuberculum illud durum, rotundum, ac translucidum, quod cumprimis ac plerumque ſuperiori palpebræ, quandoque tamen inferiori etiam innaſcitur χαλάζιον ſive grando nuncupatur. Ut autem tuberculum illud durum eſt, ita & excrementum in palpebrâ collectum, unde illud oritur, ex materiâ duriore & quaſi lapideſcente conſtare debet. Ad curationem ejus vulgò adhibentur emollientia, nempe gumm. ammoniac. aut galban. in 🜊 diſſolutum, & cum adipe vel axungiâ gallinæ commixtum, & quæ ſunt alia: Rectiùs & certiùs Autor ſcopum curandi aggreditur, dum ſpiritu vel °₀°o quodam corroſivo, ſive 🜅i & cauſticante tuberculum illud ſuperficialiter ac leviter tangere & ita ſenſim è mediô tollere docet: Cautè tamen procedendum, ne gravis â præpoſtero in quantitate hujus cauſtici exceſſu inde ſuboriatur exulceratio.

Grando oculorum quid & unde

Grandinis cura.

Ad §. 18.

Hordeolũ quid & undè.

Hordolum, nempe tuberculum iſtud calidum & in abſceſſum fermè

fermè deſinens, hoc eſt ſuppuraſcens, quod etiam parva ac purulenta dicitur collectio, originem ſuam habet ac prorumpit in cilio ſive palpebræ pilis (Autor pupillæ marginem vocat) itidem ab excremento dictæ partis ſed viſcido ſaltim & craſſo cum ſanguine tamen commixto & ibidem concreſcente. Verùm an eadem ratione curari debeat, ut grando, nempe beneficio ſpiritus cauſtici ſive corrodentis, id inflammatio hordeolum comitans tunc diſſuadere videtur: Quapropter ea potiùs hîc convenient, quæ in ophthalmiæ curâ nobis adhibenda commendavit Autor, & quæ nos quoque in Animadverſione noſtra huic theſi dedicatâ adduximus; item alia emollientia, præſertim decoctum flor. chamæmel. herb. linar. malv. parietar. viol. &c. c. lacte factum, hic adpoſitum locum habere poterunt. Si neceſſitas poſtulet, ut aperiatur hic abſceſſus, maturans aliquod uſitatum priùs adplicetur. Tandem apud omnes ſeriò affirmatur, muſcas abjectis capitibus affrictas ſpecificum & præſtabiliſſimum eſſe hordeoli curandi remedium: ad minimum tutò hujus rei periculum ſive experimentum inſtitui poterit.

Hordeoli cura.

Emollientia decocta

Muſcarum uſus in hôc affectu.

CAP. XXIII.

De

Aurium morbis, earumq; cauſis.

§. 1.

Varij affectus aures occupare ſolent, ſecundùm excrementorum ſcilicet varietatem & diverſitatem, quæ inibi ad eaſdem tam ex intimis ipſius auris receſſibus, quàm externarum quoque partium recrementis, aures exteriùs affligentibus amandari poſſunt. Ad certum autem quendam numerum hi affectus omnes ſic reducuntur, dum nempe Parotides, Sibilus, Tinnitus, Sonitus, Strepitus, & tandem Surditas, atque gravis Auditus recenſentur, de quibus omnibus ſpeciatim dicendum erit.

§. 2. Parotides ſolent fieri in his potiſſimum partibus, quæ ponè aures & earum radices conſiſtunt: Sunt autem nil aliud, quàm harum partium inflammationes, ac ſequuntur omnes jam notas

phlegmonas, nempe tumorem oculorum, calorem, pulſantemque dolorem. Utplurimum tamen iſtæ aurium inflammationes ſolent fieri in febribus peſtilentialibus ac purpureis, quæ prava aliquâ qualitate ac venenoſitate ſolent eſſe infectæ, ita ut ſpiritus quidam arſenicalis ſive aura venenata ac tenuis ab ipſo febrili focô in has partes amandari, ac per metaſtaſin transferri, ibique tumorem illum, parotidem dictum, ubi putrefieri conſuevit, excitare queat.

§. 3. Solent autem parotides curari, ut reliquæ phlegmones, quæ in aliis corporis partibus enaſci poſſunt: Nihilominus tamen in parotidibus curandis ſemper venenum illud arſenicale eſt conſiderandum, quo turgent parotides iſtæ: Nunquam enim tunc repercutiendum eſt, ſed attrahentibus foras evocandum, & ſemper aliquid alexiterii admiſcendum, ut venenum illud oppugnare valeamus. Febris autem malignæ, quæ convertitur in parotidem, ſemper habenda ratio, & ipſi conveniens remedium adhibendum: Nam eâ ratione & parotis curabitur. Purgatio cum ☿iô noſtro & ☿io dulc. potiſſimum tamen bezoardicum minerale ſummoperè eſt neceſſarium: Nam hoc ſolo ſudoribus excitatis & febris maligna & parotis curatur. Datur hoc minerale Bezoardicum ad ℈ß vel ℈j in ▽ card. benedict. vel juſculis ſingulis diebus manè usque ad perfectam curationem. Emplaſtrum etiam, quo ſolo uti debemus ad parotidum curam, eſt ex balſamo 🜍ris, cui cum cera nova parum ☿ij crudi admiſcendum eſt, ut malignitas iſtius tumoris beneficio ☿ij crudi retundatur. Quando autem tumor eſt maturus, tunc aperiendus, ac ſemper emplaſtrum ex balſamo 🜍ris ſuperimponendum eſt, donec ad laudatam cicatricem perductus fuerit: Quæ de parotide dicta ſufficiant.

§. 4. Quod ſibilum, tinnitum, ſonitum, & ſtrepitum aurium attinet, oriuntur hi adfectus omnes ex flatibus, & tantùm differunt ſecundum magis & minus. Ut autem flatus motu & agitatione variâ impelluntur, ita & varios ſonitus edunt: Sibilus namque ex flatu tenui & levi exiliter elabente; Tinnitus vero ex illius curſu interruptô; Sonitus ex craſſiore pleniùs erumpente, & ſtrepitus tandem ex impulſu valido ortum habet, qui flatus omnes ex ▽eis & liquidis aures occupantibus excrementis proveniunt, quoniam calor naturalis ſive ſpiritus aurium cuſtos excrementa pellit, ut eas ab inimicis ſuis liberet, ac proinde ipſa excrementa pellendo, quum acria ac liquida

liquida ſint, ſubtiliorem eorum partem in flatus ſeu ventos convertit, qui exeundo illos ſonitus ac ſtrepitus efficiunt. Horum autem omnium cura conſiſtit in purgatione ☿iali ac elleborinâ, deinde fovendæ ſunt aures ſpiritu terebinthinæ, ut roboretur aurium ſpiritus innatus, ac validius hinc fortiusque excrementa ſua expellat, horumque ſonituum focos ac fodinas ſic vincere poſſit, 🜕 etiam in 🜊 forti diſſolutum,& in aures ſæpiùs inſtillatum omnes aurium ſtrepitus citò curat.

§. 5. Gravis auditio atque ſurditas hinc ſæpè oritur, dum horum ſonituum fons ac fodina impactis in ipſo audiendi organô excrementis id lædere ſolent; hæc tamen ſurditas methodo prædictâ facilè curatur: Si verò ab ortu aut natali die hæc contracta ſit, ex conformationis nempe vitiô, vel auditûs inſtrumenti defectu, aut aliquâ aliâ vitiosâ figurâ, incurabilis omnino eſt, ac propterea ſoli Creatori noſtro reſervatur curanda.

Animadverſiones

Ad §. 1.

NObiliſſimus auditus ut diſciplinæ ſenſus (dubiô procul ſic dictus, quod animum erudiat, & ad perfectionis culmen perducat) ita etiam aures in ſacrâ paginâ Carminis filiæ (ad hoc ſiquidem factæ, ut voces hauriant, & carmina percipiant) eleganter perquàm appellitantur. Subeſſent quidem Philologicæ deliciæ,quæ hîc adpoſitè accommodari poſſent,aſt in cubiculo pathologico conſtituti; ægrorum ſtrata inſpiciemus, & Autoris nutum ſequemur potiùs, quàm ut Aulæorum ornamentis conſiderandis ſaltim inhæreamus. Quemadmodum igitur aures, quarum ſtructura mirabile artificium ſpectantibus exhibet, in partem diſtinguuntur externam atque internam; ſic etiam aurium affectus idem imitantur diſcrimen. Externam aurem quod ſpectat (anatomica hæc conſideratio non penitùs hìc prætereunda erit, quum fundamento anatomico innitatur utique aurium pathologia) illa nec tota eſt oſſea (ſic enim ab occurſantibus externis facilè frangeretur)nec tota quoque carnea (ne collapſa ſuo fruſtaretur murmure) ſed ex cartilaginibus conſtructa, & vanni ritu expanſa eſt,quò faciliùs excipere ſo-

nos

nos ac velut in ſinum colligere valeat. Quum verò ▽ aures valdoperè ſoleat offendere, proinde provida mater Natura ponè aurium radices glandulas quaſdam ac velut ſitulas & aquariola ſeu emunctoria, ut noxia humiditas huc derivetur, collocavit. Interna verò auris rimantes cumprimis in admirationem trahit, quod illa mæandris & anfractibus variarum cavitatum vaga ſit atque inæqualis, partim ne ſonus affatim intromiſſus lædat ſenſum, ſed in meatibus his ſinuatis primùm repercuſſus interiores ingrediatur demum labyrinthos; quod niſi ſic eſſet, ecquis ad omnem fortioris vocis ſonum attonitus non redderetur? partim ut in illa cavernularum oſſearum multiplicitate ſonus evadat amplior ac reſonantior: Nempe ita ad audiendum aures ſunt formatæ, ut cymbalo ſimiles ſuſcepti verbi repercuſſum ſonitum altiùs reddant, ac veluti ad cordis uſque emittant ſenſum; vel ut elegantiſſimè B. Ambroſius hoc artificium deducit, ſinuatio interiorum aurium modulandi quendam numerum ac diſciplinam præſtat, ſiquidem per labyrinthos aurium quidam rhythmus efficiatur, & modalis quibusdam ingreſſæ vocis ſonus exprimatur, adeoque certum ſit, quod auditio ſine reſonantia nequaquam ex voto ſuccedat: Hinc videmus etiam inſtrumentis muſicis ventres ſeu alveos concavos reſonantiæ cauſa adjungi, ſicuti etiam veteres quondam amplificandi ſoni gratia templorum muris ollas inſerere conſueverant. In mirè autem cavernoſo & anfractuoſo aurium hoc fornice reſidet aër ille congenitus ac implantatus, apud Philoſophos tam famoſus, quem qui pro Archeo & aurium calido inſito vel aurâ vitali habet, is multas difficultatum ſyrtes evadere, atque ex non paucis controverſiarum vepretis facilimè ſe extricare poterit. Nec ſilentio transmittenda eſt in fine meatus auditorii ſubdenſa membrana, quæ Veteribus Græcis hymen aurium, communius verò tympanum vocitata fuit, quâ de politiſſimæ hujus conformationis ratione qui plura & pulcriora ſcire diſcupiunt, hos ad curioſa Anatomicorum remittimus monumenta. Ut itaque operoſa ſatis hæc aurium exiſtit extructio, ita etiam indubitatum eſt; quod conſervationis ſuæ media, nempe ritè & exactè digeſtum alimentum ſive ſuſtentaculum expoſcat: Quàm facilè autem in hoc organo, quod ſua natura ob oſſeam, cartilagineam, ac nervoſam ſubſtantiam, qua pollet, frigidiuſculum eſt, ulterior ſanguinis digeſtio depravari, & alimentum corrumpi, adeoque excrementorum

crementorum

crementorum flatuumque ibi congeries contingere queat, quilibet haud difficili conjectura capere poterit ; Unde etiam aurium affectus tam frequenter accidere,ac nulli non noti eſſe ſolent. In catalogo illo affectuum oticorum,quem Autor nobis exhibuit, unicum tantùm concernere externam aurem , nempe Parotides , reliquos verò ad internam pertinere , promta collectione deprehendimus, quorum nunc quoque ſcrutinium brevi , quod dicitur manu expediemus.

Ad § 2.

Parotides ubi ſuam habeant, & quale ſit earum πρῶτον πάχον, tàm nomen ipſum , quàm etiam verba Autoris abundè ſignificant. Sunt autem nihil aliud , quàm inflammationes tumoris juxta aures erumpentis pariter ac doloris ſtipatæ ſatellitio , quæ ibidem in partibus adenoſis ſeu glanduloſis fiunt ; quarum quædam venenatâ qualitate ac malignitate ſunt ſuſpecta , quædam verè non. Atque ſic duplex parotidum occurrit differentia,ut ſponte hoc liquet : Tertia ſpecies eſt , quando parotis frigidam cauſam agnoſcens planè indolens exiſtit, ſed nihilominùs in abſceſſum deſinit, è quô tamen non pus,ſed materia quædam duriuſcula, & adinſtar craſſi cremoris,imò etiam [illegible]rea & non rarò calculoſa egreditur. Certiſſimum autem eſt, quod parotis ſeu tumor hic inflammatus ponè aures plerumque in laborioſis, hoc eſt malignis, peſtilentialibus, ac purpuralibus febribus ſupervenire ſoleat,dum Natura ad hoc emiſſarium ſuperfluos humores & quidem tunc temporis venenatâ, vel ut notanter loquitur Autor, arſenicali aura (quæ Realgar alioquin dicitur) infectos â ſede ſeu centro mali huc tanquam circumferentiam transponit, & ad has ipſas glandulas expellit: Ubi nihilominùs negari non poteſt, quod ex imperfectâ criſi febribus malignis parotides ſuperveniant , quod tamen fieri tunc,præcipuè ſolet,ſi ab initio graviter compatiatur quoque cerebrum. Unde etiam nullum eſt dubium, quod febris malignæ ſolutio illa, quæ fit per Parotides, minus fida & ſecùra ſit, nec ſemper ſalutem certò polliceatur, præſertim ſi non debitè accreſcat hujusmodi tumor,ſed retrocedat potiùs ibi ſtabulans virulentia,id eſt,etiamſi accreſcat,febris attamen & æſtus ferocia non remittat,& magna inſimul ſubſit proſtratio, ſiquidem hujusmodi criſis per abſceſſus facta validum virtutis robur exoptare ſoleat. Magis igitur ob dictas cauſas quandoque lethales ſunt excreſcentes hi pro-

pè aurium regionem tumores, quàm ipſæ febres malignæ, quibus ſuperveniunt: Ex adverſo autem ſalutares non immeritò judicantur parotides illæ, ſi vires ſuperſint, quò humor impactus ritè reſolvi ac ſuppurari maturè queat.

Ad § 3.

De parotidibus illis, quæ malignitatis ſunt expertes, hîc verborum faciemus nihil, quod facilè curari poſſint per reſolventia ac maturantia ſeu ſuppurationem promoventia, vel etiam quod ſpontè non rarò evaneſcere, ac levibus & interne duntaxat ſumtis medicamentis, tam purgantibus, quàm diaphoreticis, cedere ſoleant. Quum verò potiorem & valdè accuratam ſui curam depoſtulent illæ parotides, ſub quibus anguis latere, hoc eſt, quæ â venenatâ atque malignâ provenire causâ ſolent, ideoq; album protinùs calculum adjicimus Autoris ſententiæ, qua docet, perpetim fontem, unde parotides illæ ſcaturiunt, eſſe attendendum, atque proinde febris malignæ hos tumores cauſantis rationem, nobiliora alexipharmaca, quale eſt Bezoardicum minerale ab Autore commendatum, ſtudiosè præbendo, tunc potiſſimùm habendam. Quâ methodo autem febris malignæ curatio rectè celebrari queat, ſuo loco docebitur. In eo tamen ab Autore noſtro diſcedere cogimur, dum purgationem in parotidibus â febri malignâ oriundis aut cum eâ adhuc conjunctis commendat, quum notum cuivis ſit, quod purgantia in hoc caſu ſint exitioſa, & propterea planiſſimè nullum habeant locum, quoniam non tantùm vires alioquin tunc fractas extremè penitusque proſternunt, verùm etiam malignitatis virus à circumferentia ad centrum potiùs revocant, atq; ſic ad mortis neceſſitatem ſolemniter deducunt; Sin vero ſtatum declinationis aut convaleſcentiæ hîc ſubinnuat Autor, ubi vires ad ſe non nihil redire auſpicantur, & malignitatis ſuſpicio nulla ampliùs ſubeſt, parotides vero adhuc præſtò ſunt, tunc (adhibito tamen ſic medendi moderamine) cum indulgentia etiam noſtra id fieri patiemur, licet virtuoſi Clyſteres tutiùs rectiusque tunc adhiberentur. Cœterum rectiſſimé ſtatuit Autor, à repellentibus, ſeu repercutientibus, ubi malignitatis vigor dominatur, omnimodè abſtinendum, ſed attrahentibus ſeu extrahentibus utendum potiùs, ac quidem talibus, quæ vim alexiteriam inſimul obtinent. Neoterici Chirurgi hîc nobis placent omninò, ac ſincerum merentur adplauſum, qui ut anthraces atque bubones omnes, ſic & paroti-

dum

dum apparentes abſceſſus atque tantisper excreſcentes celeriter ac nulla expectata ſuppuratione cauſtici ſive actualis illius ac per uſtionem celebrati, ſive potentialis & per corroſivum facti (quorum hoc tolerabilius ac minus crudele eſt) adminiſtratione aperiendos dictitant, ut materia venenata & infauſtiſſima citiſſimè & ſine ulla mora è corpore amoveri ac educi queat, quoniam ſi hoc ipſum negligatur, ex diutinâ morâ, dum ad partes principes leviſſima de causâ retrogreditur, plerumque vitæ periculum & mortis repentinus inſultus imminet: Cui accedit, quod ob Naturam inſigniter tunc exhauſtam ſuppuratio (quæ ad Naturæ, cauſam morbificam pro commodiore expulſione præparantis & edomantis conatum quoque pertinet) tardiſſimè ſuccedat, vel planè etiam expectare eam virulentiſſimus hoſpes, vitali officinæ crudeliter inſidians, non ſoleat. Qua curandi dexteritate obſervata ſeu abſceſſus venenati apertione accelerata, Autores illi bonâ fide teſtantur, multos plurimosque ſe hâc ratione è faucibus Orci ſic eripuiſſe. Deinde hoc quoque non negligendum, ut jam laudatô mediô aperti abſceſſus non ſtatim conglutinantibus ac cicatricem inducentibus claudantur, ſed aperti diutiùs ſerventur, donec malignitatis ſævitia decreſcere ac evaneſcere, adeoque cum bonâ valetudine in gratiam redire ægrotus incipiat; Quibus verò deproperata parotidum illa cauſtici beneficiô apertura non arridet (ſicuti cuncta cunctis placere non ſolent, ac quemlibet ſuo abundare ſenſu notiſſimum ſit) illis egregium & magneticum hîc commendatum præſidium ibimus, cujus virtus uti eſt probatiſſima & fidiſſimis experimentis ſtabilita, ita etiam tutò & ſub rationum favore nunquam non adminiſtrari poterit: Accipiatur nempe bufo exſiccatus ac probè torridus (ſic enim de volatilibus ejus partibus, in quibus veneni tyrannis præſertim vigere ſolet, indubitatò conſumtis & diſperſis certiores eſſe quimus) isq; linteolo involutus apponatur loco affecto ſive tumori maligno, ubi elapsô aliquot horarum ſpatiô valdopere bufo ita intumeſcet, ut quaſi revixiſſe, ob torvos cumprimis oculos, quos ſic tumefactus oſtendit, videatur; quô factô, is confeſtim, quod veneno è corpore microcoſmi vi ſuâ magneticâ attracto vehementer jam imprægnatus ac turgidus reverà tunc exiſtat, removendus (vel potiùs profundè ſepeliendus, aut etiam ♃reo ſuffamigio à concepta virulentia liberandus, poſteaque ☉i expoſitus denuò exſiccandus (& alius

retorridus ſtatim ſubſtituendus, atque hoc toties ſic iterandum, quoties hanc medendi technam, quæ non immeritò inter arcana reponitur, neceſſitas efflagitat. Emplaſtrum, quod beneficiô ceræ ex balſamo 🜍 (cujus præparatio ſuprà ex Cap. II. repetenda erit) conficere docet, peculiarem poſſidet facultatem veneno potenter reſiſtendi, veluti nobis etiam conſtat, non tantùm ſuffumigium cum 🜍 inſtitutum tempore peſtis conclavia egregiè à virulentis ſordidatibus ſive effluviis depurare, verùm etiam flores ſive lac 🜍 item alia quoq; exinde parata remedia antidotis excellentiſſimis & maſculè valentibus accenſeri. Quum ergo attrahentibus ſemper aliquid alexipharmaci commiſcendum Autor paulò antè conſuaſerit, Emplaſtri hujus ex 🜍 facti nobilitas ſive nobiliſſima efficacia ſuâ deſubitò luce reſplendet, quam tamen fieri ex admixtione ☿ij vivi præſtabiliorem nulli dubitamus; Cujus aſſerti cauſam amuleta cum argento vivo confecta reddere ac confirmare ſtatim poterunt, veluti hoc etiam in genere circa hæc remedia notum habere ſufficiat, quod ſimile quodlibet ſuum conſimile magnetica quadam adpetentia deſideret & attrahat: Atque eatenùs etiam ☿ currens cum emplaſtro 🜍 reo extrà adhibitus malignitatem tumoris nondum aperti retundere dicitur, quatenus nempe virulenta miaſmata, quibus tumor ille tunc refertus eſſe ſolet, validè attrahit, atque ſic malignitatis ferociam imminuit, ac demum penitùs expugnat: De reliquis virtutibus, quibus gaudet hoc ex balſamo 🜍ris conflatum emplaſtrum ultrâ hîc nihil addimus, quod in animadverſionibus allegati Capitis II. huic negotio abundè jam ſatisfactum meminerimus.

Ad §. 4.

Audiendi potentiam modò depravatè vitiari, modò imminutè lædi, imò etiam ex toto auferri, ex Autore oppidò conſpicuum eſt: De prima autem læſionis ratione præſens, de reliquis mox ſubſequens theſis agit, adeò ut ſibilus & ejus fratres ſubſellium depravatæ læſionis occupent, gravitas vero auditus ad imminutam, ac ſurditas ad abolitam facultatem audiendi pertineant. Quatuor autem depravati auditus ſpecies ab Autore hîc recenſentur, quarum diſcretio an adeò ſtrictè animadvertenda & ad praxin proficua exiſtat, vix nobis perſuademus; Licet enim Pathologiæ interpretes hanc attendere differentiam conſueverint, Therapeutæ tamen ſeu Practici hanc ſolicitudinem nec admittunt, neque in uſum trahunt. Con-

ſiſtere

ſiſtere autem diſcriminis hujus tenorem in majori vel minori, ad internos & oſſe petroſo efformatos aurium gyros atque anfractuoſos carceres, flatuum impulſu Autor dictitat, ita ut prava hæc auditio & varij illi ſonitus in auribus ex interclusis vaporibus & cum [illegible]e aurium internô confuſis, eorumque inordinato motu proveniant. Ergo ſic creditur poſteà, quod tenuis flatus æquabiliter ab aure exiens ſibilum edat; ſin verò curſu interrupto ac inæquali prodeat, tinnitum efficiat; ſin humoris & vaporis invicem mixti jactatio in cavitate aurium fiat, ſonitus ſive fluctuatio exoritur; & tandem ex valido craſſioris flatus impulſu ſtrepitum contingere ſtatuitur, qui ab aliis etiam rugitus ſive tonitrus aurium appellitatur. Unde autem hi flatus, quos Hippocrates mirabilium agnoſcit actionum operatores, in petroſo aurium antro oriantur, Autor noſter dilucidè ſatis tradit. Excrementa eaque liquida in aurium colligi cavernâ poſſe, jam ſuprà demonſtratum eſt: Ex his ergo ibidem præſentibus eô generantur ac concitantur modo flatus ſive venti: Dum nempe Archeus ac ſpiritus ſive calor vitæ inſitus culpata jam excrementa expellere conatur, nullum eſt dubium, quin ea quoque tunc incaleſcant, ac per conſequens in vapores reſolvantur; quum verò ob anguſtam viam (prout flatuum geneſis ſemper obſtructas vias communes præſupponit) liberum non habeant tranſitum aut exitum, cumulantur & retinenur, retentique poſtmodum agitantur ac repercutiuntur, atq; pedetentim juxtà tranſeundo talem phantaſticum (Mercati hæc phraſis eſt) parere auditum queunt. Diſputare verò aut in controverſiam ducere hîc nolumus, an reverà tunc ſonitus quidam audiatur, an verò per falſam imaginationem id fiat, adeò ut tunc temporis ſaltim falſa ſoni imago, ut ſic loquar, repræſentetur: Prærerquàm enim quod inutilis planè hic diſceptandi labor exiſtat, ventorum in macrocoſmo murmura aut ſuſurri negativam ſtabilire ſtatim poterunt, quibus aurium hi ſtrepitus in microcoſmo haud incomtâ analogiâ & proportione reſpondent. Hos autem aurium tinnitus ac ſtrepitus curandi felicitatem Univerſalia illa & purgantia nobiliora ab Autore laudata cumprimis ſuppeditabunt, quoniam fons mali utpl. in vitio digeſtionis primæ ac pravo ſanguine conſiſtere ſolet, ſicuti iis etiam, quibus infirmus eſt ſtomachus, aut quibus alioquin imbecillis ſubeſt corporis conſtitutio, vel qui frequentiore crapulâ naturam ſuam gravare, a-

 deoque

deoque cruditatibus gignendis accumulandisque anſam præbere conſueverunt, ſonitus ac tinnitus aurium magis familiares & crebriores eſſe animadvertitur. Præmiſſis univerſalibus aures ſpiritu terebinthinæ fovendas (forſan per meram rigationem extrinſecùs factam vel etiam cum goſſypio celebratam adplicationem) præcipit Autor: Habet enim laudatus ſpiritus egregiam flatus diſcutiendi & attenuandi virtutem, veluti ex libris pharmaceuticis hoc perſpectiſſimum eſt: Tutò etiam inſtillari auribus poterit, ſi priùs commiſceatur una pars ſpiritus hujus cum triplo 🝆 amygd. amar. vel etiam nucleor. perſicor. per expreſſionem, ut moris eſt, facti: Num verò ⦶ in ⚹ diſſolutum ſecurè in aures inſtillari queat, noſtro quidem loco omnimodè ambigimus, niſi beneficio goſſypii hâc mixturâ madefacti auribus id remedii genus adhibeatur; poteſt etiam exhalatio ex eodem ⚹ ⦶ato lege artis elevata per infundibulum auribus tutiori ratione excipi, quod habeat exoptatam obſtructas aures aperiendi, & materiam flatulentam attenuandi facultatem. Nobis tunc ptarmica noſtra fructuoſum quoque effectum ſiſtunt, item internè etiam confortantia cephalica eaque præſtantiora ſunt porrigenda, quò excrementa illa eò faciliùs digeri ac propulſari queant: Corroborato namque Archeo ſive ſpiritu inſito errores illi haud difficulter emendationem ſuſcipiunt, ſicuti etiam capitis ſemper tunc ratio habenda, quando partes ejus affliguntur. Cæterùm ea qnoque non prætereunda, quæ in praxi ſive in curatione ægritudinum oticarum cumprimis ſunt obſervanda, & primò quidem cavendum, ne frigidè (quod frigus nervoſis oſſeiſque partibus impensè ſit inimicum.) ſed calidè aut tepidè remedia adponantur; deinde ne aſſiduò auribus inſtillentur aut immittantur medicamenta, niſi ſedulò deterſis inſimul auribus: Plus ergò tribus guttulis unâ vice non immittendum, atque id ita quidem, ut æger ſuper aure ſana vel ad minimum ſaniore jaceat, quoniam uno tempore ambabus auribus, ſi ſint adflictæ, ſuccurrere non licet: Tandem â viſcidis nimium ſeu unctuoſis abſtinendum, ne fiat hinc contumacior aurium obturatio.

Ad §. 5.

De auditûs gravitate & ſurditate agens Autor, locum affectum adpoſitè cum fodinâ (cujus tamen notione fons, matrix, & radix mali fre-

li frequentiſſimè apud Medicos innuitur) comparavit, quod aurium cavernæ ſubmontanos puteos, ſcrobes, ac cuniculos affatim repræſentare videantur. Quod verò utrumque affectum, hoc eſt auditum tam imminutum & gravem, quàm abolitè læſum attinet, cauſam eorum frequentiorem conſtituere excrementum in auribus inſpiſſatum aut nimis compactum Autor aſſerit, quod ut ſtudioſam ſui attenuationem requirit, ita etiam curatio non variat, ſed prædictâ methodo utique abſolvi poteſt. Si itaque auditus perſentiſcatur gravitas, ſemper eſſe ſuſpectiſſima debet (excepta tamen febri acuta, cui ſi ſuperveniat, bonum omnino ſignum præbere ſolet) utpote quod ea paululum augeſcens temporis progreſſu perfectam ſurditatem inducere valeat, ſicuti ſonitus ac tinnitus aurium gravis auditûs præcones pariter exiſtere ſolent: Univerſalibus ſeu purgantibus decenter expeditis ptarmicum noſtrum, cujus ſupra aliquoties jam facta eſt mentio, ex ſententia toties tunc uſurpavimus, item ſingulare & præſentisſimum nobis in uſu eſt ☍ oticum, cujus præparatio talis eſt: Nempè flores perſicorum recenter exſiccati infundantur per aliquot ♂ in ſ. q. ☍ nucleor. perſicor. itidem recenter expreſſi, & leni calori committantur, poſteà vero clarificentur, & ſub ingreſſum lecti in aurem illam primitùs 3. guttæ inſtillentur, quæ auditus vitio magis eſt præpedita. Internè ſpiritus noſter cephalicus aſſiduò ſumtus probè conveniet, it. Eſſ. ambræ, vel etiam bitumen hoc pretioſum in ſubſtantia cottidiè dari cum ſpecificô cephalicô vel magiſterio ſuccin. alb. commixtum poterit. Reliqua in textu Autoris ſatis eſſe clara ducimus.

CAPUT XXIV.

De

Narium morbis.

§. 1.

NAres ſunt emunctoria cerebri, cui emungendo ſunt deſtinatæ; unde etiam ab excrementis hîc tranſeuntibus ſæpisſimè patiuntur: Nihilominùs tamen nares ſua etiam peculiaria habent excrementa,

menta, â quibus propriè potiùs, quàm â cerebri excrementis affliguntur, ſiquidem hæc, dum per nares emittuntur, â facultate expultrice in cerebrô ut plurimum jam victa ſint, ut in emisſione illa nocere non posſint, imò nares natura ſuâ virtutem & proprietatem iis reſiſtendi habent: Poſſunt tamen aliqua etiam ratione ab ipſis cerebri excrementis non nunquam affici nares, ſi qualitate quadam præternaturali acri vel mordaci ſint prædita.

§. 2. Aſt quicquid ſit, ſive narium morbi â cerebri, ſive à propriis ſuis ac intimis excrementis dependeant, hi tamen omnes erunt vel ulcera vel carnis excreſcentiæ.

§. 3. Ulcera igitur narium ab excrementis cerebri non dependent, quia tunc potiùs cerebrum ipſum, quàm partes externas, per quas tranſeunt, quibus data eſt virtus innata reſiſtendi, ulcerarent; ſed reverà ex venis narium oriuntur, quæ ſanguinem ſeu alimentum narium proprium continent, ex quo ſolo excrementa acria & mordacia, unde poſtmodum ulcera illa narium peculiaria fiunt, ſeparari poſſunt: Sal enim excrementitium corroſivum, acidum, acre, vel acerbum in ſanguine, ex quo fieri peculiare cujusvis partis alimentum debet, deliteſcens alimentum illud uſque ad ultimam partium converſionem ſequitur, & tandem in partibus ſeparatur atque manifeſtatur, unde ulcera quævis & pro excrementorum ſalſorum varietate ac diſtinctione varia verè fiunt.

§. 4. Huic autem ⊖i excrementitio, quod ſæpiuſculè in naribus ſeparari ſolet, arſenicale virus corrodens & ſepticum ineſt, ex quo in naribus potisſimùm fit ulcus putridum, in quo cruſtula quædam ſordida & graveolens mucus exoritur ac ſuccreſcit. Ozœna nempè vocatur hoc ulcus, quod nares corrodit, & partes earum, nimirum alas harumque interiora & tenella oſſa exedit, ac magna cum deformitate atque graveolentia putrefacit, imò & ipſum ſæpè palatum perforare ſolet.

§. 5. Exinde etiam ulcera illa quandoque fiunt, quæ Carcinomata dicuntur, ubi in intimis narium penetralibus caro ſpongioſa excreſcit, imò tractu temporis caro quædam è nare foras exiens ac propendens enaſcitur, & Polypus à ſimilitudine piſcis illius, ob multitudinem pedum ſic dicti, nominatur: Hinc autem abolitiones & diminutiones odoratus fieri ſolent, ita ut ſi non planè pereat odoratus, tamen imminuatur ob narium meatum ac oſſis ethmoidis

moidis foramen ab aliquo excrementô ibidem objecto impeditum: Sic enim impeditur rerum odorabilium ſeu odorem emittentium ſpiritus, qui nil aliud eſt, quàm tenuis aura ſpirituoſa ex ſubſtantia fixa emanans ac cerebrum feriens ; unde anima cerebrum occupans judicat odores, qui per patentem narium viam ac iter in illud feruntur. Circa narium etiam partes internas fiunt tumores & abſceſſus, quibus ruptis pus interdum per nares copiosè effluit , ac multô cum ſanitatis incommodo profunditur.

§. 6. Gravedo etiam fit in naribus , & eſt excrementum liquidum ac mucoſum in os ethmoides ejusque membranas incidens atque hinc exiens, nec non ab ipſis naribus delabens, unde poſteà caput ingraveſcit, reſpiratio redditur difficilior, & vox evadit rauca minusque ſonora ſeu clara, quod guttur & larynx his excrementis pariter afficiantur.

§. 7. Ex naribus porrò ſanguis non propter deſtillationem, ſed propter excrementi ejus redundantiam maximo cum impetu ex aperta nimirum , ruptâ, vel exeſâ venâ prorumpit. Græcis hæmorrhagia dicitur , ubi ſanguis hinc effluens non ex venis cerebri ortum ducit , ſed ex venis oris palatique in nares excurrit : Satis enim refertæ & patulæ ſunt hæ venæ, ut quaſi emiſſarium ſuperflui ſanguinis expellendi exiſtant.

§. 8. Hî morbi omnes purgato priùs corpore purgatione noſtra ☿iali & ♁iali curantur : Deinde ſi quæ præſtò ſint ulcera nares occupantia, 🝆ô dulci ☿ij & ♄, 🝆ô rubrô ♁, 🝆o vel balſalmô ♂, ac 🝆ô etiam arſenic. c. 🝆 ceræ permixtis curantur : Polypus autem 🝆 ⊕ c. 🝆 ceræ ſanatur, vel ſi medicamenta iſta quaſi renuat, & methodo huic reſiſtat, 🝆o ☿ dulci & ♄ ſimul permixtis tutiſſimè curatur. Hæmorrhagiam ſeu omnem ſanguinis è naribus effluxum ▽ burſ. paſtor. c. 🝆 ♂, ſi nempe ▽ burſ. paſtor. ℥j. & 🝆 ♂ gutt. x. invicem miſceantur , perfectiſſimè ſiſtit ; item Eſſent. corall. certiſſimè eundem effectum præſtat.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

DUm ab auribus ad nares accedit Autor, præterire haud poſſumus, illos narium præſtantiæ non adeò benè cupere, qui eas pro cloacâ cerebri & canali expurgatorio, vel ut Autor noſter loquitur, emunctorio potiſſimùm habent, quùm ab eſſentiali munere hujus partis dignitas debitis encomiis rectiùs extollenda fuiſſet: Adeò enim notum eſt, quod jucundum potiùs cerebro ſpiraculum, & acceptiſſimam delectabilium valdeque recreantium odorum porticum præcipuè præbeat, nec non elegantiùs modulandæ vocis fiſtula exiſtat ſpecioſa hæc narium compago; per accidens vero dumtaxat emungendis emittendisq; cerebri recrementis tranſitum quoque concedere cogatur. Verùm quicquid ſit, atque utut ex accidenti ſaltim expurgando cerebro quoque ſit deſtinatum hoc odoratus organum, attamen accidens illud moleſtiſſimorum accidentium affectuumque ſobolem producere valet, de quibus etiam ſive ab excrementis cerebri hîc tranſcurrentibus, ſive à propriis ſuis originem trahant (utraque enim hîc admittuntur) in hoc capite agit Autor. Et quamvis concedat is ipſe, narium affectus quoque ab excrementis cerebri interdum incunabula ſua petere, nihilominus tamen tam facilè id fieri non poſſe conſimiliter probat & monet, partim quod excrementa illa in cerebro â facultate expultrice vel potiùs humiditate huic viſceri nativa mitigata & edomita exiſtant, ut nocumentum nullum in tranſitu ſuo per nares iis inferre queant, partim etiam quod ipſæ nares prędictis cerebri excrementis reſiſtendi facultatem habeant, ubi dubio ſine reſpiciendum erit ad Archeum ſeu ſpiritum hîc inſitum, qui ſedem ac domicilium ſuum maſculè ſemper tueri ſolet, vel etiam quod interna narium ſuperficies tam mucidum lubricumque quàm Vibriſſis etiam cinctum habeat munimentum, ut propterea ex hoc defluxu nulla tam facilè corroſio aut ulceratio contingere poſſit: Sin verò ob intemperiem cerebri calidam excrementa ejus nimium ſint retorrida, acria, atque mordacia, & deſtillatio illa per nares hinc diutiùs urgeat & ſubſiſtat, tunc has etiam narium internas membranas proinde arrodi & ulcerari tandem poſſe, non dubitamus. Quæ omnia ut in rei veritate

ſic ſe

ſic ſe habent, ita inſuper Autori omninò credimus, quod narium morbi potiſſimum ac propriè ab exerenmetis in earum propriâ ſtructurâ progenitis oriantur: Quum enim & nares ſuam habeant œconomiam, atque ut reliquæ corporis partes ſuum poſcant nutrimentum, ac nutritionis beneficiô reapſe potiantur, excrementum etiam inibi per conſequens ſequeſtrari ac generari debere & poſse, jam ſuprà occaſione nobis oblatâ aliquoties demonſtratum ſatis dilucidè fuit.

Ad §. 2. & 3.

Ad duo genera Autor reducit narium affectus, nempe ad ulcera & carnoſas excreſcentias, quam methodum & nos retinere non nauſeabimus. Primò autem in genere agit de narium ulceribus quibusvis, quæ non ab excrementis cerebri, ſed ab inteſtinis ac propriis ſuis provenire ſordidatibus aſſerit, quum tantoperè acria ac vehementer mordacia excrementa in cerebrô vix generari poſſe probabile ſit, quod ob excellentem ejus humiditatem inſipidum potiùs phlegma, quàm excrementitia acredo ibi oriatur, vel ſi etiam à totô corpore ex ſanguine videlicet ſalſis acidisque impuritatibus ſcatente acria quædam excrementa colligantur, tamen cerebri prædominans humiditas acrimoniam illam facta quadam dilutione haud difficulter compeſcere, retundere, & velut præcipitare, adeoque ex voto evincere poterit, ne perſiſtente hâc acrimoniâ ipſi cerebro funeſta pernicies hinc ſuccreſcat. Sequitur igitur, quod â narium excrementis propriis, quæ ex venis ibidem implantatis & ſanguinem pro nutrimento advehentibus hic decumbunt, ulcera illa ſcaturiginem ſuam plerumque nanciſcantur. Si itaque tota maſſa ſanguinea ſalſis, acribus vel acidis, ac propterea corrodendi vim habentibus excrementis ſit inquinata, levi de causâ etiam contingere poſtmodum poteſt, ut ⊖ illud excrementitium ac ſerum corruptum, dum per renes debito ac ſufficienti modo in tempore non emulgetur, atque ſic ſanguis ab his ſordibus decenter non liberatur aut depuratur, unà cum ſanguine ad ultimam uſque converſionem, ut Autor loqui amat, ubi is narium ſubſtantiæ & partibus eas conſtruentibus adſimilandus eſt, huc quoque transferatur, & ſequeſtratum, utpote ad aſſimilationem planè ineptum, tandem hoc in loco violenter tranſeat, atque ſic perrumpendo, facta ſcilicet vaſorum corroſione, ſe-

ipſum perniciosè ſatis manifeſtum reddat. Deinde quod excrementa cerebri ſpectat, eatenùs illa ad ulcerum naribus contingentium generationem nihilominùs admittenda eſſe cenſemus, non quidem quatenus conjunctam ſeu immediatam ſolutionis iſtius conſtituant cauſam, ſed quatenus odioſo huic affectui fomentum & exacerbationis pabulum oppidò ſubminiſtrare valent, ſiquidem non tantùm illud axioma ſic locum ſibi hîc vendicare quoque videtur, ubi dolor, ibi affluxus, verum etiam quod, cum nares ulceratæ & peſſimis modis afflictæ debita ratione tunc emungi, atque ſic à recrementis cerebri hûc transcurrentibus liberari non poſſint, illa ipſa ibidem remaneant, & cum ulcerum ſordibus juncta conſimili labe poſtmodum inficiantur, adeoque argumentis luſulentis narium ulcera hinc exaſperari & maligniora reddi queant. Ideoque ut proxima & immediata alicujus morbi cauſa ſemper accuratè eſt attendenda atque diſpicienda, ita etiam cauſæ adjuvantes ac ægrimoniæ fomenta ſuppeditantes nequaquam ſusque deque habendæ erunt.

Ad §. 4.

De Ozæna, ſeu putrido, putido, ac virulento illo narium ulcere hîc tractat Autor, quod à ſummo fœtore nomen ſuum accepiſſe quilibet deprehendit. Quod ulcera corrodentia ac depaſcentia habeant ⊖ excrementitium, illudque mordax valdè & eſcharoticum ſeu ſordidiſſimas & peſſima ſanie madentes cruſtas inducens, de eo nullum eſt dubium: Rectiùs tamen illi ſentiunt, qui cum Paræo ſtatuunt, ulcera illa, quæ cum tyrannide quadam ac vehementia latè & profundè depopulantur ſubſtantiam, eamque tam carnoſam ac membranaceam, quàm cartilagineam quoque ac oſſeam, omnino virulentam & ſummè malignam (arſenicale virus Autor vocat) ſaniem infinitis iisque inviſibilibus vermiculis inſimul ſcatentem (quæ ulcera rectè dicuntur vermibus fœda) ab enormi putredine & eximia corruptione impuritatum oriundam præſupponere, veluti in lue ♀rea contingere id cumprimis ſolet. Ubi igitur ſontica & maligna valdeque ſordida & ſeptica hujusmodi ſubeſt putredo, ibidem graveolentia dirusque fœtor etiam non adeſſe non poteſt: Quantam nempe pariat deformitatem ac calamitatem ozœna illa potiſſimum in morbo gallico ferociens, & quomodo non tantùm totam naſi

naſi ſtructuram funditùs devoret, verùm etiam palati templum miſerè deſtruat, morbi iſtius famoſi hiſtoria abundè teſtari poterit; ſicuti etiam non raró illis, qui in extremo gradu ſunt ſcorbutici, talem ærumnam accidiſſe fuit obſervatum, quæ tamen ulcera ex fundamento curari haud poterunt, niſi radices utriusque mali, tam luis Græcæ, cujus ratio tunc potiſſimum habenda, quàm ſcorbuticæ decenter & probatiſſimis mediis exſtirpentur.

Ad §. 5.

Carcinoma ſeu ulcus carcinodes & cancro ſimile vel potiùs cancroſum, quid ſit, in Chirurgia famosè tritum eſt: Vocatur vulgo, noli me tangere, quod nempe nulla admittat medicamenta, ſed potiùs tunc, ſi Chirurgus manum ac media adhibeat, ineffabiles cruciatus inducat, & ſummam ſævitiam exerceat, quapropter Medici concordi conſilio ſuadent, ne manu attingatur. Carcinomatis autem mentionem Autor proinde hîc præmiſiſſe videtur, ut ſic polypi (qui non nunquam cancri ſeu carcini quoque naturam redolere, & altior hujus vitii cauſa eſſe ſolet, quàm ut ſolum ſarcoma ſpectitandum hîc veniat) eſſentiam ac curam paucis inſinuare poſſet. Ut autem natales hujus excreſcentiæ carnoſæ acuratiùs arbitrari queamus, ex Anatomia ſciendum adjicimus, quod in intimis narium penetralibus & inter earum cavitates, diſciſſis nempe cartilaginibus, carnes quasdam ſpongioſas ac ſubrubras, quibus ſpongioſa ac tenella naſi oſſa ſunt oppleta, obſervare liceat. Si ergo contingat, ut excrementa hîc fortè colligantur, retineantur, ac putreſcant, carnes jam dictæ haud difficulter præternaturaliter intumeſcunt, donec magis magisque excreſcant, atque ſic polypus narium generetur, qui non nunquam ita prolongari ſolet, ut ad imas etiam nares prolabatur ac propendeat planè: Imò interdum ſupra etiam palati geminas cavitates vomere diſcluſas in fauces juxta gargareonem hæ excreſcentiæ dependent, magno odoratus, (qui hinc graviter imminui, imò etiam aboliri, ſi magnus nimium ſit polypus, ſolet) vocis ac deglutitionis cum incommodo pariter atque evidenti impedimento. Alios cœteroquin tumores & abſceſſus quoque in naribus fieri poſſe, nemo inficiabitur, qui ulcera ibi ſuboriri admittit: Quod vero ex illorum abſceſſuum rupturâ non ſine multo ſa-

nitatis incommodô purulenta excrementá confertim promanent, id eatenus intelligendum, quatenus jucundiſſimi ſenſûs nempe olfactus uſura ſic intercipitur ac læditur, præterquam quod hoc etiam modo nares ſuo defraudentur alimento, & hoc purulentum naſi ſtillicidium ſeu defluvium per ſe ſit turpe pariter atque moleſtiſſimum.

Ad §. 6.

Gravedo ſive coryza unde originaliter proveniat, Autor reticuit, ſed tantum viam per quam, hîc delineavit: Nobis autem dubium eſt nullum, quin excrementum illud inſtar ▽æ crudum ac tenue â fermentatione humorum præter naturaliũ in capite ac cerebrô ortum ſit, quod tunc primum in os cribriforme decumbit, & aſſiduum ſuum per nares profluvium ſic celebrat: Impoſſibile enim eſt narium ſtructuram ex nutritionis ſuæ culturâ tantam per ſe colluviem cumulare poſſe, ut continuus & tam copioſus liquidi muci defluxus hinc provenire queat, ſed utique fons hujus gravedinis in cerebro & viſcere hoc ampliſſimo, tanquam redundantioris humidi ſede erit determinandus. Accuratiorem qui hujus affectus notitiam adhuc ſibi depoſtulat, is adeat catarrhi doctrinam ſuprà traditam, & factâ applicatione ibi deſiderium ſuum ſatiare poterit. Effectus hujus ægritudinis primus eſt, quod hinc valdoperè ingraveſcat ſive gravativam moleſtiam perſentiſcat ac veluti torpidum evadat caput: Ubi enim ſcaturigo morbi eſt, ibi ſanè incommodum quoddam ac veluti pondus neceſſariò percipi debet, veluti ex morboſâ ſanguinis fermentatione laſſitudinem omnibus corporis partibus contingere novimus; ſic & eandem ob cauſam tunc cerebri vigor turbatur atque non parùm aggravatur: Deinde reſpiratio hinc redditur difficilis, quod gravedine occupati apertô ore tantùm tunc illam perficere cogantur: Certiſſimum enim eſt, quod narium primus & maximus in eô conſiſtat uſus, ut reſpirationi commodiori ſerviant, ob quam cauſam in palatum etiam perforatæ deprehenduntur: Naturaliter enim ac præcipuè hâc ſemitâ potiùs aër intrare debet, quàm per oris clauſtra, quod ipſum illi poterunt dare conteſtatum, qui ore hiante dormientes lædi omninò ſe ſentiunt. Quàm adamantinô autem vinculo reſpiratio & odorandi beneficium invicem

invicem ſint juncta, hoc exinde ſtatim conſtat, quod ſine inſpiratione per nares factâ ne tantillum quidem odoris percipi queat: Tandem quùm modulandæ vocis cannas exiſtere nares ſuprà dixerimus, ſi rheumate offendantur, ingratam utique reſonantiam eas præbere (non ſecùs ac guttur hoc excrementorum decubitu exaſperatum insimul raucedinem tunc enititur) nemo eſt, quem fugiat. Cœterùm gravedinis affectum pro ſanitatis confirmatorio vindice vulgò haberi tritiſſimè notum eſt: Unde bonum & ſalutarem eum ſolemniter etiam quivis pronunciat.

Ad §. 7.

Hæmorrhagiæ mentionem ſtudium practicum exornaturus Autor non immeritò facit, quod ſi critica ſit illa, arq; ſi rectè ac ritè hinc emanet ſanguis, plurima ſæpiuſcule mala diſſolvat; ſin verò ſymptomatica, Medici ſummam vigilantiam ac ſollicitudinem, dum plerumque funeſti eventus tunc exiſtit index, depoſcat. Vocem hæmorrhagiæ quò adſtrinxerit Medica ſchola propriè loquens, ex Artis patet fundamentis: Adeò enim non quamvis ſanguinis fluxionem (licet ratione etymi pro omni ſanguinis fluxu ex quacunque parte erumpente accipi poſſit) ſed vehementem ac largiorem dumtaxat, eamque ex naribus ortam conſuetudinis more ſic receptô peculiariter ac proprie denotat. Quod hæmorrhagiæ cauſam attinet, duplicem eam hîc ſolummodò deſignat Autor; verùm ut negotium hoc capere perfectiùs exactiusque queamus, ſic expedire id ipſum nunc allubeſcit: Fit nempè ſanguinis omne profluvium â cauſæ potiſſimum triade, I. per ἀναςόμωσιν ſive oſculationem, hoc eſt vaſorum apertionem, cum per extrema vaſorum capillarium oſcula ob nimiam copiam aperta manare ſanguinem conſpicimus. 2. per διαπήδησιν, quando ob rarefactam vaſorum tunicam tenuis ac ſeroſus ſanguis tranſudat atque tranſcolatur: Unde etiam tranſudatio ſive transcolatio aliis exultus audit. 3. Per διαίρεσιν ſive diviſionem, vel ut medicè magis dicam, continui ſolutionem, ſive hoc fiat per vulnerationem, ſive per contuſionem, ſive per rupturam, ſive tandem per eroſionem, ob quam ultimam vel â mordaci & cauſtico, vel ab animatâ putredine infectô ſanguine productam plerumque inſigniores hæmorrhagiæ oriri ſolent. Unde autem

tem hic ſanguis proveniat ; an â cerebro , an ex ipſis ſaltem naribus profluat , vel juxta Noſtri monitum , per venas oris palati in nares excurrat , Autores mirificè perplexos ſe exhibent. Verùm nos reſpondemus , modicas hæmorrhagias ex ipſis narium venulis , carni illi ſpongioſæ , quam oſſa narium tenella opplere ſupra diximus , potiſſimum implantatis , ſi aperiantur iſtæ , quomodocunque etiam id fiat , omninò trahere originem ſuam poſſe ; ſin verò immodicæ ac ingentes imô & prodigioſæ exiſtant hæmorrhagiæ , ex cerebri ſinubus & torculari tunc emanare ſanguinem pariter non ambigimus, quas potenter compeſcendi præſidium phlebotomia iterata juxta Dogmaticos erit exoptatiſſimum.

Ad § 8.

Circa Univerſalia & ab Autore hîc iterum collaudata medicamenta narium, quoque morbis omnibus competentia ſingulæ circumſtantiæ ex prioribus jam planæ ſunt ac liquidæ , niſi quod hîc etiam ſollicitè attendendum ſuadeamus , num malignitas in penetralibus latens & febris acutæ conſortio juncta inſimul tunc præſtô ſit: Quod ſi ita habere ſe perſpexerimus , angue omninò pejus fugienda erunt purgantia illa. Cœterùm ad narium ulcera utut cancroſa etiam atque cacoëthica valdeque ferocientia feliciter ſananda ex armamentario Hermetico 🝆rum ſive balſamorum (alibi Noſter etiam Eſſentias vocat) ſingulari virtutis præcellentiâ pollentium quædam nomina hîc adſcripſit , quorum præparationes ſive præparandi modos dilucidè ac ſtudioſè conſignatos præſertim in ejusdem Autoris noſtri Myrotheciô ſive Pharmacopœa ſpagyricâ , item in pharmacopœa Excellentiſſimi Schröderi invenire licet , ut propterea labore has conficiendi rationes repetendi hîc ſuperſedere queamus. Oleum igitur dulce ſive Eſſent. ☿ ulcerum impuritates licet contumaciſſimas ac ſummè malignas funditùs radicitusq; evellit,humidum radicale & calorem nativum mirè reparando : Oleum ♄ pro arcano unico aut potiori dumtaxat omnium ulcerum balſamo habetur, quod balſamicâ dulcedine ſuâ omnes humorum acrimonias & mordacitates potenter infringere & evincere valeat : Porrò ☿ 🝏 rubrum ulcera cujuscunque generis cavernoſa , depaſcentia , cancroſa & fiſtuloſa etiam breviſſimo tempore tollit , quod mordicantem humorum

rum graviter corruptorum acrimoniam effectiſſimè non tam mitiget tantùm, quàm penitiſſimè edomet: Balſamum ſive ꝏ ♂ mirum etiam eſt ad ulcera ex voto curanda tam vetera quam recentia remedium, quod humores mali moris ac corrodentes in aliam velut ſubſtantiam commutare, & putredini cuivis ſingulari facultate reſiſtere, imò & potentiſſimâ energiâ ſuâ ſolutiones has adglutinare valeat: De arſenico denique philoſophicâ induſtriâ correcto ab Hermeticorum arcanorum Myſtis dicitur, quod effrænem vim ulceris cacoëthici valenter retundere queat; Et Helmontius aſſerit, quod 60. fortè ulcerum diverſitates arſenicum extinguat, ipſum ſcilicet ulceris fabrum ac cruoris corruptorem (ſub quâ circumſcriptione animata putredo egregiè exprimitur) omnimodè enecando. Atque ſic ſanè res ſe habet: Theriacalia omninò vivisque & peſtilentiſſimis venenis reſiſtentia Topica exinde parari ſolent; præſertim verò ad nobiliſſimæ efficaciæ horizontem deducitur arſenicum, ſi ꝏ ſive eſſentia magiſtralis hinc conficiatur, vel ſi ad dulcedinem ſummam id lege ſublimioris Chymiæ reducatur: ſic enim ex ſummo veneno ſummam fieri theriacam apud cordatiores Philoſophos, quorum corona â vulgarium Chymicorum turbâ infinitis paraſangis differt, in confeſſo eſt. Hæc jam laudata medicamina ſi præſto ſint, quamvis etiam ulcerum malitiam emendare ex ſententiâ licebit. Polypus narium an incipiens ſit, an verò jam factus conſiderandum. Incipientem perita manus filo decenter adhibito injectoque, vel etiam peculiari volſella abſcindere haud difficulter poterit; ꝏ vero ⊖-li vel corroſivum quodvis chymicâ operâ confectum polypum, ſi non ulceratus, nec doloroſus, neque cancroſus ille exiſtat (tunc enim non tangendus) radicitùs eximere valet: Ubi notamus, quod operandi ratio ſit eadem ac illa, quam circa grandinis palpebrarum ablationem ſuprâ laudavimus. Hæc omnia tamen rectiùs ex Chirurgia & hanc artem exercentium ſcriptis atque adminiſtrationibus addiſcuntur. Hæmorrhagia narium nimia, & ubi ad libras quaſdam ſanguis excernitur, acceleratum ſubſidium poſcit, quod an remedia illa, quæ ab Autore hîc conſcripta deprehendimus, neglectis planè Topicis, ſolùm præſtare queant, nempe ꝏ ♂ (vel rectiùs Eſſent. ♂ adſtringens, aut Tinctura hæmatitæ) & Eſſent. ſive Tinctura corall. c. ▽ burſ. paſtor. penes Autorem & experientiam fides eſto: Sin verò contumaciter

perſiſtat hæmorrhagia illa , nec prædictis medicamentis ſe compeſci patiatur, tunc grana quædam de uſnea cran. human. tanquàm probatiſſimum medium dari ſolent , vel de excretô iſtô ſanguine citâ celeritate aliquid ſiccatur , & ad ℥j in ▽ burſ. paſtor. vel equiſet. tanquam balſamicum auxilium porrigitur: Extrinſecùs fronti & temporibus phlegma ⊖~ , vel ○ & ⦶ debitè adplicatur, vel pulveriſata fragmenta ollarum culinarium uſu tritarum cum ✠ acerrimô vel c. prædictis phlegmatibus ſubiguntur, & fronti tanquam ſingulare ſpecificum adhibentur. Item cineres bufonum collo utiliter adpenduntur , vel ſtillare ſanguinem in ☉ ⊖~li optimè calcinatum tunc permittamus ; quæ curandi ratio pro magneticâ & indubitatâ extollitur: Tandem ad laudanum opiatum , tam extrà naribus in formâ turundæ adhibitum , quàm intra ad grana quædam datum , tanquam ad ſacram anchoram in deſperatâ hæmorrhagia confugitur.

C A P. XXV.

De

Faciei & oris vitiis.

§. 1.

FAcies & Os quàm plurimis morbis tentantur , qui reliquis partibus corporis inſueti ſunt propter peculiarem cutem , quâ obtegitur facies : Hæc enim quùm valdè ſicca ſit & arida , ſingularibus propter ariditatem & ſiccitatem talem afficitur morbis, in quorum numerô potiſſimum ardentes puſtulæ reperiuntur , quæ in naſô & reliquâ facie magnâ cum fœditate excreſcere ſolent, quarum puſtularum genera omnia , nempe Lepra rubra , Alopecia , Condylomata , Morphæa , & omnia alia faciei vitia , ab excrementis ▽eis ☿ialibus ſive ipſius ☿ij radicalis impuritatibus originem ducunt: Conſtat enim ſanguis ex ☿iô , ⊖e , 🜍e , ▽â & 🜃â , quæ quinque elementa unum homogeneum alimentum conſtituunt , dum verò â facultate expultrice (quæ nil aliud eſt , quàm ſpiritus cujuscunque partis

partis cuſtos innatus ac inſitus, cui ab ipſâ naturâ demandatum eſt partes cuſtodire, & proinde omnia partibus iſtis inimica & contraria foras propellere) excrementa hinc oriunda foras amandantur, atquê illa ſi ſapiant ☿ij naturam, ſpirituoſa, vel ſi eſſentiam ⊖is radicalis referant, acria & mordacia, vel ſi 🜍ris indolem redoleant, △ea & calida, vel ſi ab aquosâ ſanguinis parte proveniant, aquea, & ſic porrò exiſtunt, fit, ut omnes morbi ab his quinque excrementorum generibus exoriri ſoleant: Unde etiam puſtulæ omnes, quæ faciem deturpare ſolent, ad excrementa hæc radicalia referuntur, & ulcera omnia ſive ♀rea ſint, ſive alia, ex ſolis horum principiorum excrementis producuntur.

§. 2. Hujus quoque ordinis eſt rubor univerſæ faciei præter modum ſine puſtulis in eâ eſſloreſcens, qui â Medicis gutta roſacea vocatur: Color etiam alius, nempè citrinus vel lividus, albicans aut fœdus, turpisque quivis ☿io excrementitio, non verò epatis intemperiei adſcribendus eſt: Nam qualis eſt ☿ii excrementitii color, talis etiam in facie ſtatim effloreſcit. Ergo color faciei non aliunde, quam ex flore ☿ microcoſmici dependet: Qui quidem colores quùm ſanitatem non adeo interturbent, non inter morbos, ſed potiùs inter ſymptomata præternaturalia recenſeri merentur.

§. 3. Multa etiam vitia in dentibus, qui in ore recondun- tur, exoriri ſolent, Modò enim aut exerti nimis vel longiores prominent, modò alterantur & carie afficiuntur, modò nigreſcunt & fœdo lentore ex detergendi incuriâ vel dulcium calidorumque uſu, nec non prava exſpiratione â crapulâ vel cruditatibus ortâ obducuntur: Inſuper ob externam vim & cauſam concuſſi dentes vacillant & mobiles fiunt, quod etiam contingit, ſi eorundem radix multô humore madeat, & ſic laxiores horum alveoli fiant: Dolore itidem graviſſimô affliguntur, de quo jam in Cap. III. hujus Operis dictum fuit: Non rarò etiam gingivæ præter modum in ore luxuriant & excreſcunt, dum ab excremento nimio eoque emolliente & viſcoſo, quod ex alimento educitur, caro gingivarum mollis & ſpongioſa evadit, ita ut dentes obtegat; & hoc præſertim iis accidere ſolet, qui in locis udis & humidioribus vitam degunt,

ut ſunt nautæ, & qui propè mare ac flumina magna habitant.

§. 4. Aphthæ ſunt ulcera, quæ os & partes ejus infeſtare, & palatum, gingivas, ac linguam occupare ſolent. Infantibus potiſſimùm hæc ſerpentia ulcera ſunt familiaria ac frequentia, interdum adultos etiam ſolent afficere, cumprimis ſi febre acuta tententur; item mulieribus etiam contingere ſolent, ſi menſtrua earum ſupprimantur: Quùm enim excrementa Mercurij radicalis in mulieribus per menſes expurgentur, fit, ut, ſi ſupprimantur, Mercuriale iſtud excrementum ad os adſcendat, atque in ore vitium hoc ſuum deponendo aphthas producat.

§. 5. Quùm vitia omnia faciei & oris dependere ab excrementis ☿ ij radicalis, quæ in ſanguine latent, aſſeruerimus, curam quoque ex ſolo ☿ io petendam affirmamus, ſiquidem ex Chymicorum doctrinâ ſimilibus curentur ſimilia. Et quamvis ☿ macrocoſmicus ſit ex genere minerali & metallico, nihilominus tamen ritè præparatus & in Quintam ſuam Eſſentiam reductus animalis ☿ ij ſubſtantiam penetrat eamque depurat, ab excrementisque ſuis & hinc oriundis vitiis liberat ac vindicat. In nullo autem metallo Eſſentia hæc Mercurialis tam manifeſta eſt, quàm in ☿ io ſive argento vivo vulgari, & in nullo minerali tam præſtans eſt & excellens, quàm in ♁o, item in nullo vegetabili, & quidem in ſpecie, in nullo ligno potentior eſt, quàm in Ebeno, fraxino, Guajaco & Junipero, inque herbis nullis efficacior exiſtit, quàm in pulſatillâ, perſicariâ & ſerpentaria: Ex his enim rebus potentior Eſſentia ☿ ialis ad curandos faciei & oris morbos educitur, quàm ex aliis omnibus, ſed ☍ ☿ ij & ♁ij cunctis præſtat. Sunt etiam, qui Lacte Virginis ad faciei maculas & guttam roſaceam tollendam utantur, id quod ego etiam probo. Paratur autem hoc Lac Virginis ex ceruſſa vel lithargyrio in ✳ fortiſſimo diſſoluto, & poſtmodum diſſolutioni aliquid ⊖is ♀ri & ▽a pluvialis in magna ſatis quantitate additur, donec ▽ albeſcat, quæ dicitur poſteâ Lac Virginis. Oleum etiam & Eſſentia vera Mercurii dicitur Lac Virginis, cum quô omnes maculæ faciei & oris vitia cuncta ſolo litu veriſſimè curantur.

§. 6. Cura

§. 6. Cura autem colorum fœdorum in facie,conſiſtit in reſtauratione & renovatione humidi radicalis & ſanguinis noſtri: Oleum vero ſuccin. putrilaginem oris, aphthas, & gingivas corruptas ſanat, atque nigros dentes dealbat. Sic igitur perfectiſſima cura morborum omnium faciei & oris habetur, modò corpus purgetur priùs ℥io noſtro & Extracto Ellebor. noſtri ſuperius præparati: Hæc enim medicamenta renovant & reſtaurant totum ſanguinem, ac humidum noſtrum radicale mundificant.

Animadverſiones.

Ad CAP. XXV. in genere.

EX facie & ſpecioſâ illa oris factura, in qua tanquam platea quadam ac foro omnis ſenſuum fit negotiatio, de animi moribus & affectibus non obſcurè inſtitui judicium poſſe cunctis cognitum eſt, qui vultum eſſe indicem & quaſi januam cordis non dubitent. Eadem ratione ex unici vultus adſpectu & accurata conſideratione non rarò integra morbi hiſtoria ſe pandit, quod totus homo in facie tanquam in parva tabella contineatur, ac virium inſuper robur hîc quoque emicare certum ſit; cujus aſſerti certitudinem vel ſola facies Hippocratica ſuggerere poteſt; cui etiam accedit, quod animum & corpus miro conſenſu invicem conſpirare noverimus: Unde Seneca animum unum dixit corpora conſumere multa. Verùm quum præludia hæc ad ſcopum noſtrum minùs facere videantur, hoc tantum in præſenti ponderandum ducimus, quod magna faciei ſit dignitas ac majeſtas, ex qua cumprimis ob inexplicabilis artificii elegantiam, quâ facies celebris eſt, æſtimium venuſtatis conſtitui ſolet. Ideoque ut omnes deformitatis nævos & ſqalores è pulchritudinis hac palæſtra arcere queamus, Autoris methodum requutu-ri vitia hæc cuncta, & eorum tam cauſam quàm curam ſuccinctè ſtatim perpendere lubet.

Ad §. 1.

Quemadmodum cum reliquis partibus cunctis comparatum eſt, ut morbis tam communibus quàm propriis afficiantur; ſic fa-

ciei quoque contingit, quæ præter communes, & qui aliis quoque corporis partibus accidere obſervantur, etiam proprios ſive reliquis partibus inſuetos ſiſtere ſolet, cujus rei cauſam potiſſimum deſumſit Autor à conformatione & ſubſtantia ſingulari, quod cutis illa, qua ornatur faciei clima, denſitatem apprimè terſam ſolidamque ac ſoliditatem comtè lævigatam (quàm termino ſiccitatis & ariditatis Autor ea, quâ utitur loquendi libertate exprimit) obtineat. Sed nominabimus ſtatim hos faciei affectus & notiones eorundem ſuccincta explanatione evolvemus: Cumprimis autem Exanthemata ſive Efflorescentias, nempe ardentes papulas puſtulasque præ reliquis vitiis frequentius invadentes, quibus faciei decor impensè dedecoratur, adducit Noſter, ac poſtmodum diverſa eorum genera maximam partem barbaris & non adeò uſitatis terminis recenſet. Per Lepram igitur rubram quid intelligat propriè ex puſtularum & excreſcentiarum mentione nobis ariolandum erit: Nos ergo ſtatuimus, quod hoc ipſo nomine aſperitas cutis & quaſi corticoſa rugôſitas eaque valdè rubicans in facie fortaſſis innuatur, quam Lepram rubram qui Impetiginem potiùs rubram (cujus eſſentia conſiſtit itidem in puſtulis cutaneis duris ac rubentibus) amet vocitatam, ei etiam non repugnabimus. Alopecia huic ſuccedit, quam alioquin nil aliud eſſe ac defluvium pilorum in capite & barbâ conſtat; Ibi verò eô ſignificatu hoc vocabulum accipi videtur, quô Ariſtoteles alopecias vocavit corruptiones & alterationes carnis ſuperficialis, vel ut clariùs loquamur, ipſius cutis, hoc eſt quando corrupti humores totam cutem penetrant, & potiſſimum ipſius carnis ſuperficiem eâ nempe parte, quâ cutem reſpicit, tangunt; unde ciliis poſteà ac mento ſummâ cum fœditate pili radicitùs etiam cadere ſolent: Porrò per Alopeciam intelligitur quoque rubedo obſcura in facie cum tumore oculorumque rubore & hæmorrhagiâ narium adparens, quam ipſam pro quarta elephantiaſis haberi differentia in Jonſtonio legimus. Condylomata minùs propriè ad vitia faciei referuntur, de quibus notum eſt, quod per eadem rugoſa quædam ac dura tubercula ſive carnis excreſcentiæ in ani & cervicis uteri rugoſis partibus ortæ indicentur: Quûm itaque eaſdem excreſcentias carnoſas in naribus, facie & palpebris fortè enatas hôc eodem nomine indigitare Autori placeat, nos etiam connivere poterimus. Morphæa ſignificat univerſam cutis in facie defœdationem

nem, quando magnæ maculæ cum aridâ ſcabritię & aſperitate ſeu inæqualitate ſparſim inſident, & colorem faciei turpiſſimo modo mutant; habetur alioquin pro valdè notando elephantiaſis ſignô. Antequam vero cauſas proponamus, hoc fundamenti locô habendum, quod omnia hæc faciei vitia ſint humorum excrementitiorum è viſceribus ad cutem transmiſſiones, inter ſe invicem tam magnitudine quam malitia differentes. Faber noſter humores iſtos adpellitat excrementa aquea Mercurialia ſive Mercurii radicalis impuritates, â quibus has faciei turpitudines ſcaturire demonſtrat. Ut ergo mentem ipſius adſequi rectiùs nunc valeamus, fundamenta illa, quibus Pathologia Autoris noſtri innititur, parumper ad examen ducemus. Præſupponit itaque rerum omnium atque ſic ſanguinis compoſitionem haud accuratiùs explorari poſſe quàm reſolutionis medio, juxta celeberrimum illud ſummi Ariſtotelis effatum: Quæ ſunt ultima in reſolutione, ea in compoſitione etiam prima exiſtunt. Quùm autem in hac ipſa ſanguinis reſolutione & anatome ſpagyricâ non tantùm ▽a & 🜃a, verùm etiam prætereà elementorum illorum ſeu principiorum chymicorum triga, quæ cum prædictis duobus connectuntur, adveniatur, proinde quinque Elementa conſtituere ipſi etiam collibitum fuit, quippe quæ in reſolutione corporis humani & ſanguinis, ipſa autopſia & experientia conteſtante, reperiuntur ultima. Atque hanc reſolutionem appoſitè per artificioſam & chymico ingenio inſtitutam deſtillationem ob oculos ponit, ubi nempè primò egredi aquoſam planè ſubſtantiam, quam alioquin phlegma vocari notum eſt; deinde ſuccedere ſpiritum ſive Mercurium, poſtea 🝆 ſive 🜍; & tandem remanere poſt finitam fortiori Vulcano deſtillationem cineres concernimus, ex quibus præviâ ulteriori calcinatione ⊖ elicitur, & 🜃a denique mera ac penitùs inſipida relinquitur: Quæ ipſa Autoris noſtri Philoſophia in Tom. ult. Panchym. lib. nempe 2. ſect. 3. c. 3. & ſeqq. pleniùs legi atque conſiderari poteſt. Ne autem novitas hæc ſeu peregrina loquendi ratio ſuſpecta cuipiam eſſe aut confuſionem parere queat, dicimus haud difficili negotio cum Dogmaticorum fundamentis hos ipſos terminos conciliari poſſe. Si enim perpendamus 4. humores in ſcholâ Galenicâ computatos, & quintô loco ſerum ſolemniter his adjectum, negotium hoc deſubitò facilitatem hæc omnia invicem haud invidâ Minervâ

nervâ componendi exhibebit. Ex Inſtitutionibus liquet, maſſam ſanguineam conſtare ex quaternario humorum, ſed amicè, ut loquuntur ſcholæ, conſpirantium numero; nempè ex ſanguine propriè ac ſtrictè ſic dictô (Chymici cum ☿iô ac ſpiritu comparant) deinde ex bile (vel 🜍re & ∴ô ſeu 🜄eâ portione) tertiò ex Melancholiâ (ſeu magis 🜃eſtri ſubſtantia) & tandem ex pituitâ, quæ notoriè phlegmati vel 🜄æ reſpondet (veluti hoc interpretamentum ipſe Autor in progreſſu hujus §. dilucidè ſatis ſuggerit) quibus quintò adjungitur ſerum ſeu lixivioſa ſanguinis portio, cujus indolem cùm 🜔ina ſubſtantia exprimat, cum 🜔e etiam id conferre præſtabit. Quid igitur per excrementa ſeu impuritates ☿iales hîc intelligat Autor, faciliori operâ tradi jam poterit: Nempe hæ nihil ſunt aliud, quàm ſpirituoſa & ſubtilia excrementorum effluvia maſſæ ſanguineæ commixta, atque â fermentatione nata, quæ quùm naturâ ſuâ ſurſum tendant, ac denſiſſimam etiam cutem, qualis in facie conſpicitur, penetrandi vim habeant, fit etiam, ut puſtulas, efflorefcentias & ulceroſas, præſertim ſi 🜔inam juxtim redoleant naturam, aſperitates in facie pariant. Atque ut materialem vitiorum illorum, quæ in facie contingunt, cauſam cognovimus, ſic efficiens etiam & principalis conſiſtit in robore expultricis ſeu Archei vel ſpiritus inſiti, cui cùm tutela œconomiæ noſtræ compe-tat, atque propterea omnia hæc excrementa, ſive ſint ☿ialia ac ſpirituoſa, ſive 🜍rea & 🜂ea, ſive 🜔ina atque acria ſeu mordacia, & ſic porrò, tanquam partibus noſtris inimica & deſtructionem minantia exterminare atque propellere ſatagat, per tranſpoſitionem humorum iſtorum excrementitiorum ab interioribus ad exteriores partes poſteà tales puſtulas & conſimilia exanthemata efficere ſolet. Perquam notabili autem phraſi hæc excrementa vocat radicalia, quod nempe fundamenta & radices ſanguinis, qui ex ſuprà jam explanatis elementis conflatus eſt, æmulari omnimodè videantur, ſicuti etiam ipſi Dogmatici eosdem ac tot aſſerunt humores excrementitios tam numero quàm eſſentiâ reſpondentes, quot alimentitios; tot inquam præternaturales, quot naturales. De ulceribus vero faciei in lue ♀rea ſuborientibus hîc adjiciemus nihil, quoniam de his infrà ex profeſso aliquid inſimul dicendi nobis offeretur occaſio: Graviorem tamen & ſonticam cumque virulentia junctam omninò radicalis alimenti ſeu balſami corruptionem, imò & ani-

& animatam putredinem horum ulcerum geneſin præſupponere dubium eſt nullum.

Ad §. 2.

Aliud inſuper in facie oritur malum, quod guttam roſeam ſeu roſaceam plures, & non nulli rubram ſeu rabidam, quando in herpetem ſeu formicam corroſivam aut exedentem degenerare incipit, adpellant: Eſt autem nil aliud, quàm rubedo quædam extranea circa naſum & maxillarum poma potiſſimùm efflorefcens, quæ in principio ſine puſtulis,in progreſſu verò, & quando hoc vitium ingraveſcit, cum puſtulis cruſtoſis ad parvæ lenticulæ modum affligit; atque tunc temporis unum ex iisdem ſignis êxiſtit, quod vel eximiam ſanguinis corruptionem vel imminentem lepram coarguit: Potiſſimum tamen externus hic faciei morbus, & quantum quidem Noſtratibus ſolet eſſe cognitus, in impenſiori rubedine (rubore) conſiſtit. Quod porrò morbidos, turpes, ac præternaturales in faciei cute colores attinet, illi potiſſimùm ab humorum impuritatibus varios ob corruptionis diverſos gradus colores (quorum ratio à nobis jamdudum expoſita fuit) obtinentibus dependent: Rectiùs tamen per florem Mercurij in ſanguine partem ejus ſpirituoſam & delicatiorem magisque balſamicam intelligimus. Itaque ut certum eſt juxta ſpirituum influentium vigorem faciei quoque floridum ſuavemque induci colorem; ſic ex adverſo ex defectu ſpirituum obſcurus lividusque conſequitur adſpectus, non ſecùs atque à ☉is occaſu tenebræ oriuntur, & ſuffocationi flammæ carbonis nigredo ſuccedit: Cui impuritas excrementitia, prout juxta talem vel talem corruptionis aut putredinis gradum hoc vel illo colore tincta exiſtit, ſi maſſa ſanguinea eâdem polluatur, ut paulò ante dictum, non immeritò adjungenda erit. Quamvis autem hæ colorum fœditates, quæ in facie ſæpè numero deprehenduntur, morbum protinùs non indicant, nec actiones naturales actu lædant, attamen quum ſint veluti cometæ quidam imminentes inſignis corruptionis tragœdias intimantes, atque aut breviorem vitam, aut alius ruinæ pericula portendentes, (Archeus enim magnam humorum excrementitiorum corruptionem aut putrefactivam fermentationem,quâ purum ab impuro ſegregare quidem intendit, absque periculoſo labore & laborioſo diſcrimine vix abſolvere valet) φαινόμενα hæc ad

[Mm] præſa-

præſagam medendi partem pertinentia nequaquam ſunt parvi pendenda: Quùm enim vultus potentiſſima ſit interiorum index non vana valetudinis etiam ac vitæ aut mortis ſigna exinde deſumuntur. Atque ſic ingruentia pericula in tempore congruis utique præventionibus intercipere, ac tempore pacis de bello arcendo cogitare poterimus.

Ad §. 3.

Dentes ut ſuas habent ætates, & peculiari œconomiâ in magnâ ſenſus vivacitate viventes ſuſtentantur; ita etiam ſuis certisque afficiuntur morbis, prout Practicorum vireta, ad quæ nunquam non diverti licet, id luculenter oſtendunt. Autor itaque primùm exſertos ſeu prominentes, & quando quaſi oblongiores facti videntur, dentes proponit, quod vitium ab intemperie humida gingivarum, aut â fermentationis impetu in his dentium cavernulis oboriente, ob quam utramque cauſam interiores alvei intumeſcunt, atque ſic dentium radices quaſi locô movent ac protrudunt, provenire quilibet ſtatim concedet. Deinde depravata alteratio dentium illa dicitur, quando vel carioſi evadunt illi; vel nigredinis crimine laborant, aut fœdo lentore, quem plerumque ingratiſſimus fœtor comitatur, cinguntur; quæ ipſa vitia ut plerumq; ſimul ſubeſſe ſolent, ita etiam non ab unâ cauſa oriuntur. Helmontius ſtatuit, tot eſſe in corpore noſtro ſtomachos, quot eſſent digeſtiones & coctiones, vel puri ab impuro ſegregationes. Hinc quælibet pars ſuum habet ſtomachum. De immoderato cumprimis dulcium eſu uſuque conſtat, quod eadem putredini promtè ſint obnoxia & graviter aceſcant, atque propterea ſubſtantiam poſtmodum dentium corrumpere, depaſci, ac nitorem eorum pariter evertere valeant: Calidorum verbi gratia aromatum nimius quoque uſus tunc accuſatur, quod acrimoniam hinc facile ſuccreſcere experientia perſuadeat ac ratio; imò ut omnium rerum exceſſus inimicus eſſe ſolet, ſic & in rebus calidis hoc præſertim veriſſimum eſt. Præcipuè verò frequentior crapula, & hinc ſuborientes cruditates, ex iiſque vel ſpontaneo ſucceſſu natæ fœtentes aut graveolentes putredines (unde fœtidi ac ſummum faſtidium adſtantibus creantes oris halitus) dentibus infeſtæ exiſtunt, veluti hoc alioquin eſt undique notiſſimum, cumprimis tamen iis,

quibus

quibus non ignotum eſt, Ebrietatem ac crapulam rectiſſimè vocitari mortem animatam, morbum veniam non habentem, ruinam excuſatione carentem, fomentum putredinis, atramentum floridæ conſtitutionis, & quæ ſunt alia hujuscemodi egregia ſcilicet crapulæ attributa. Vacillatio ac titubatio ſeu mobilitas dentium, quam caſus non rarò conſequitur, inſuper non prætereunda, quæ uti ex immodico madore, quo radices dentium facilè laxantur & labaſcunt (de vi etenim externa & ictu vel caſu aut concuſſione violentâ manu & objecto alio facta hîc non loquemur, quod dubitationem nullam recipiat) ita etiam ex acribus humoribus aut verminosâ corruptione humorum circa dentium radices ſtabulantium oriri poſſe aſſerimus, imò & dolorem ſeu verminationem dentium ex eadem cauſa utplurimùm provenire ſuprà Cap. III. demonſtravimus. Non nunquam gingivæ odioſam valdé moleſtiam pariunt, dum non tantummodò propter excrementitiam atque vehementiùs emollientem humorum viſciditatem, quæ fortè ibi colligitur, caro earundem adhuc magis ſpongioſam ac fungoſam mollitiem aut raritatem adſciſcit, verùm etiam ita excreſcit ſæpiuſculè, ut ipſi etiam dentes ſic obtegantur: Id quod familiariùs in iis contingere locis ſolet, quæ humidiora fluviis vicina ſunt, ac proinde ſummam vim humectandi habent.

Ad §. 4.

De illis Ulceribus iisque proſerpentibus ac non rarò malignis hîc quoque agit Autor, quæ totum palati templum & oris internam circumferentiam univerſam occupare ac tenellos præcipue vexare ſolent, niſi quod adultos quoque interdum, nempe mulieres menſium ſuppreſſionem patientes, ſcorbuticos item, ac laborantes malignâ febre, ob rationes jam manifeſtas, hoc eſt tam propter impuritates cauſticas & acres retentas, quàm ⊖ſâ ac vehementi putrilagine inquinatum ſanguinem aphthis affligi ſit indubitatum. Sunt autem ulcera illa △eâ quadam caliditate ac mordacitate prædita: Unde etiam aphthæ ἀπὸ τȣ̃ ἅπτεσθαι ſeu accenſſione illa vel inflammatione dicuntur, quod nempe urentem quaſi ac lancinantem dolorem referant.

§. 5.

Acriter inter Profeſſores Medicinæ diſputatum ſemper fuit; an contrariorum contraria, an verò ſimilium ſimilia eſſe debeant remedia: Quod ipſum quoque pronunciatum verbis admodum breve ſed poteſtate maximum adſeveramus. Notum autem eſt, quod Schola Galenica univerſalem medendi apicem per contrarietates tritâ orbitâ conſignatum foveat; Hermetici verò ſimilitudinis lumen potiùs in curatione morborum adhibeant atque tucantur, & talia quidem tunc porrigant, quæ Naturæ ſunt ob iſtam convenientiæ ſuavitatem accepta, eamque reficiendi efficaciſſimam virtutem obtinent. Verùm rectiùs illi ſentiunt faciuntque, qui tantos Autores primo intuitu inter ſe diſcordes in veram potiùs amicitiam reducere ſtudent, quàm qui hoſtiliter eosdem ſtatim redarguunt ac perſtringunt. Atque hanc ipſam concordiam vel conciliandi facilitatem in promtu eſſe deprehendemus, ſi ſtrictam loquendi rationem & rigorem prædicandi Logicis uſitatum in Medicinâ ſuſpendamus ac ſequeſtremus: Sic enim fore non deſperamus, ut utriusque partis aſſertum adhibito placidæ interpretationis ac limitationis candore locum retinere queat. Ergo de contrarietate illa Dogmaticorum ſciendum, quòd tam preſsè hæc notio apud Medicos ſumenda non ſit, ſed in largiore tantum ſignificantiâ, prout quodammodo oppoſita, ſive id mediatè, ſive potentiâ, ſive ex accidenti fiat, comprehendit. Quô præmiſſo Dogmatica regula in facto ſtatim eſſe poteſt, ſiquidem ante omnia ſciendum, quòd Natura, tanquam principalis omnium morborum curatrix, ſemper omni contrarietur morbo: Jam licet medicamenta tanquam Artis inſtrumenta Naturæ ſimilia & amicabilia in rei veritate exiſtant, tamen quàtenus Naturam corroborant, vel â ſarcinâ, quâ anteà erat oppreſſa, liberant, atque ſic ad repugnandi conatum hortantur, medium utique ac potentiam præſtant, ut Natura morbo ſeu cauſæ morbificæ robuſtiùs poſteà adverſari poſſit. Et hoc modo nihilominùs contrariorum contraria (licet potentiâ tantùm ſeu mediatè & ex accidenti hoc fiat) erunt remedia. Eadem ratione Spagyricorum ac Neotericorũ quoq; doctrina, qua ſimilia ſimilibus curari aſſerunt, ſtare poterit, modò conſiderare non ſusque deque habeamus, non ſimilitu-

militudinem totalem ſeu ſtrictè ſumtam, ſed partialem duntaxat, quæ rectiùs veriſimilitudo vocatur, hîc ſubaudiendam, quatenùs aliquid in uno tertio ſimile audit, ad cujus naturam convenientia non in omnibus requiritur, ſed tantùm in aliquibus. Adeoque non opus eſt, ut vehementi refutatione Autorum merita officioſæ ſolertiæ plena protinùs conculcentur atque damnentur, verùm noſtram potiùs gratitudinem, qua æternum Præceptoribus magnis addicti ſumus, commendabit & adornabit, ſi ſtudio conciliandi eorum autoritatem ſartam tectam ſervare, atque ſic amplificare potiùs annitamur. Quomodo igitur Autoris noſtri nunc methodus ſit intelligenda aut exponenda, ex præmiſſis facilè licebit colligere: Ipſe autem Mercuriales morbos præſidiis Mercurialibus, adeoque ſimiles affectus conſimilibus mediis curandos affirmat. Fiat nunc adplicatio earum cautelarum ac limitationum, quas ſuprà conciliationi & honori utriusque tam Dogmatici quàm Hermetici chori conſecravimus. Videbimus nempe Autoris noſtri ſtare ſic poſſe ſententiam, & conſpiciemus pariter ſalvum eſſe Dogmaticæ diſciplinæ canonem. Ideoque ut primum primò demonſtratum demus, ſimilitudo remedii in hoc tertio, atque eo ipſo in puncto cum morbi indole convenire videtur, quatenus utriusque cardo in ſpirituoſa ſeu Mercuriali humiditate verſatur: Sic namque puſtulæ, maculæ & effloreſcentiæ faciei aut hujus characteris alia vel à ſpirituoſa humoris excrementitii parte, quam Hermetici Mercurialem ſalutant, vel etiam ab ipſius ſanguinis ſpirituoſa portione (flos Mercurii audit) corrupta aut potiùs à ſpiritualibus excrementitiis contaminata (veluti ſimile ſemper appetit ſimile, & ſe illi vel ſpontè adſociat; ſic ſpirituoſa ſive Mercurialis excrementorum humiditas ſpiritualibus in maſſa ſanguinea contentis, ⊖ ſic excrementorum cum ⊖e balſamico ſanguinis & ſic porrò, promtè commiſcetur) utplurimum proveniunt. Ergo ut Chymiatri his vitiis ex fundamento mederi valeant, norma ſimilitudinis freti Mercurialia medicamenta hoc eſt talia eligunt, quæ adpropriatarum ſpecierum ſpirituoſam ſive Mercuriale elementum ac principium excellenter continent ac conſtituunt, ut hoc modo remedia illa ſuum ſimile quærere, hoc eſt ad animalis Mercurij ſubſtantiam ſe penetrare, adeoque Mercurium hunc alimentitium in microcoſmo ſua efficacia ac virtute, qua præſtantiſſimè pollent, recreare, corroborare, ac radiis ſuis

oppidò illuſtrare poſſint. Dogmaticæ doctrinæ addictis eadem medendi ratio, quam Hermetici defendunt, non placere non poterit, ſi ob oculos jam iis ponamus, leges contrarietatis (eo ſignificatu tamen acceptæ, ut ſuprà monitum fuit) quas in curatione morbi requirunt, pariliter ſic etiam atque medicamentis in hac theſi laudatis compleri, adeoque regulæ iſti, quæ contraria contrariis curanda docet, ſatisfieri. Licet enim ratione originis ac principii ſui medicamenta & morbi prædicti conveniant, ac Mercurialem ſimilitudinem habeant, tamen in aliis circumſtantiis mirum quantùm diſcrepare, & ſibi invicem oppoſita ſeu contraria exiſtere manifeſtò deprehenduntur. Magnum id obtinendi argumentum ſtatim ſuppeditat impuritatis nequitia, quam cauſa morbifica oſtendit, & puritatis bonitas, qua medicamentum ſpagyrico magiſterio paratum triumphat. Ecquis ergo non videt manifeſtam vel in hac ſola circumſtantia oppoſitionis, ſive, ut Medici loquuntur, contrarietatis notam? Deinde licet malum & medicamen ex una proſapia, nimirum Mercuriali oriunda videantur & exiſtant, attamen in fine & effectu vis oppoſiti ſeu contrarii luculenter ſe ſiſtit: Sic namque certum eſt, quod Mercurialis medicamenti puritas Mercurialem cauſæ morbificæ impuritatem potenter edomare, emendare & expugnare, imò ipſam ſic Naturam ſeu Archeum mirificè recreare ac intimitùs corroborando erigere & excitare valeat, quò poſteà eò fortius, contra hoſtem ſuum inſurgat eumque evincere atque exterminare ex totis viribus ſuis conetur: Sed hæc omnia tam clara nunc ſunt, ut evidentiùs tradi vix queant. Jam in ſpecie ad ipſa hæc medicamenta Mercurialia nos convertimus, quæ tam ex regno minerali ac metallico, quàm ex vegetabili, in quo pariter Mercurialis iſte ſuccus & ſpirituoſa ſubſtantia præſto eſt, ab Autore depromta concernimus. De hiſce medicaminibus ex Mercurii ſtemmate ſumtis in anteceſſum notavit Autor, quemvis Mercurium præſertim verò mineralem (qui ſi crudus adhuc exiſtat, â Natura microcoſmi longè alienus ac diſſitus eſt) ritè præparandum, & in quintæ ſuæ Eſſentiæ aſtrum arte Hermetica reducendum, ut animalis Mercurij ſubſtantiæ ſeu genio acceptus evadat, ac poſteà eum, ſi excrementitio inquinamento ſit occupatus, junctis cum illo armis mundificare, & ab illa ſpurcitia hoſtili ac morbifica liberare ſine impedimento queat: Virtus enim & potentia Mercurii

præſertim

præſertim macrocoſmici & ſubterranei, ſive, qui ex mineris deſumitur, per ſpagyricam præparationem ita exaltatur, ut vires naturalibus ſuis longè excellentiores, ſubtiliores, & reverà aſtrales adeoque mirificas hinc acquirat. Ergo à metallis ordiens Autor perhibet, in nullo metallo quàm in Mercurio currente ſeu Argento vivo vulgari Eſſentiam hanc Mercurialem magis eſſe evidentem: Evidentem inquit, non verò nobiliorem, ſiquidem Mercurius ex ☉, ex ☽, ♃, & aliis metaliis provocatus longe nobilior vulgari, ac proinde Eſſentia etiam exinde facta utique nobiliſſima exiſtit, Adeoque rectè & philoſophicè loquitur Paracelſus, quando dicit, Mercurium in Mercurio eſſe quærendum & exinde eliciendum, i.e. ſpiritualem & radicalem illam humiditatem, quæ vitam & vitæ noſtræ balſamum ſeu ſpirituoſam ſanguinis ſubſtantiam, ne deſtruatur ac pereat, inſigniter fovet, reſtaurat atque ſuſtinet; imò aſtrali ſua virtute omnem corruptionem effectiſſimè impedit, aut ſi facta jam ſit, potenter pellit, unde morbi ex corruptis humoribus (quos Noſter Mercuriales vocat) omnes, cumprimis vero cutanei feliciter curantur. Quomodo autem Quinta hæc Eſſentia ſeu °ɔ ex Mercurio conficiatur, & unde aut ex quibus Autoribus præparatio iſta ſit petenda, ſuprà aliquoties jam ſignificatum fuit. A metallis ad mineralia digreditur, & in nullo minerali Mercurium præſtantiorem ac per conſequens Eſſentiam quoque efficaciorem inveniri, quàm in ♁iô, ſtatuit, atque id noſtro quidem animô nullam ob aliam cauſam, quàm quod Naturæ ☉aris valdoperè particeps ♁ium deprehendatur; Unde etiam ex ſolo ♁io integrum pharmacopolium inſtitui poſſe, â Quercetano pulcrè aſſeritur. Ex hoc itaque ♁iali ☿io (qui cum lixivio ex ✳, ⊖e♀ri, vel etiam Tartarô probe calcinato, & aliis cunctis alkalibus mineralibus potentem reſolvendi vim habentibus facto, in quod exquiſitè pulveriſatum ♁ium eſt immittendum, per diuturnam digeſtionem, & poſtmodum aperto △e factam deſtillationem elicitur) magnitica & magnæ virtutis remedia parantur, quæ ut eandem imò magis eximiam efficaciam habent, atque Eſſentia ex vulgari Mercurio confecta, ſic quoque eadem præparandi ratio, quæ ibi attendenda venit, hìc locum habebit. Ex Vegetabilibus primitùs quædam ligna producit, quæ ſuccô Mercuriali & balſamico, aut viſcoſâ & unctuoſa humiditate, quæ difficulter conſumitur, confertim plena, ac proinde perpetuâ viriditate

tate vigentia (nunquam enim ſuis denudantur foliis) ac diutiſſimè viventia exiſtunt. Quæcunque igitur unctuoſâ ac ſpirituoſa pinguedine ſive balſamo vel liquore Mercuriali egregiè fulgent ac turgent, illa etiam ad conſervandam vitam aut diſpellendos morbos ſuggerunt medicamina inſignes omninò ac heroicas virtutes obtinentia. Lignum Ebeni â Theophraſto multùm præconiis extollitur; quod ſpiritus & 🝐 exinde (quod per ∴ in 🝪 vitreâ ex raſurâ hujus vel aliorum lignorum ſine affuſione alicujus menſtrui elicitur, & poſteà ab empyreumate ac fœtore, ſi cum 🜕 🜔li, vel etiam quod melius, cum Tartarô quam probiſſimè calcinato ſpiritus iſte lignorum fœtidus miſceatur, per iteratas cohobationes ac deſtillationes liberetur) ſicuti etiam ex fraxino, guajaco & junipero (lignum autem juniperi ut & pini ac ſambuci nullatenùs illi exotico guajaci ligno virtute ſuâ balſamicâ ac Mercuriali cedit) paratum omnia ulcera radicitùs mundificandi, puſtulas abſtergendi, ac putredini cuivis maſculè reſiſtendi proprietatem atque efficaciam habeat. Circa commendatas ab Autore herbas idem fermè animadvertendum eſt, ex quibus tamen & earum ſuccis Mercurialis ſive ſpirituoſa ſubſtantia beneficio præviæ fermentationis, ut moris eſt, parari ſolet. Præſtat autem hoc medicamentum ex conſignatis hîc loci herbis, inter quas tamen poſteriores duæ, Perſicaria nempe & ὀφογλῶσσον ſeu Serpentaria (Natterzünglein) prævalent, præparatum, præſertim ſi proprio inſimul ⊖e ſuo centrali accuratè purificatô ſit imprægnatum, & cum hoc ſpiritu poſteà ex recenti ligno Eſſentia fuerit extracta, potentiſſimum in ulceribus & puſtulis cunctis, ex voto & breviſſimo tempore curandis balſamum, ac præterea cutem carnemq; oppido reparandi, & ad priſtinum nitorem vigoremq; reducendi facultatem habet. Verùm ut remedia ex familiâ metallicâ ac minerali deſumta magis perennia ac incorruptibilia, quàm ex vegetabili præparata novimus; ſic etiam vel pronâ manu Autori largimur; Eſſentiam ſive 🝐 ex ☿rio vulgari vel ♁iali paratum cunctis præſtare atq; multis paraſangis antecellere. Ad faciei maculoſæ & turpiter rubicantis emendationem Lac Virginis hîc probari quidem videmus, verum an tituli hujus majeſtas tam vulgatæ, triviali, ac triobolari mixturæ rectè juſteque tribuatur, eſt quod omnibus omninò modis denegamus: Lac Virginis enim liquor eſt, non niſi ab adeptô Philoſopho nominandus, cujus virtus & ineffabilis

bilis & incomparabilis exiſtit. Lac enim Virginis in ſublimiore Chymiâ reverà eſt nil aliud, quam Mercurius Philoſophorum (ſoboles ☉e ac ☽a parentibus prognata) & eſſentia illa Mercurialis limpida, lucida, diaphana, cœleſtis ac pura, aut ſuccus ille Lilii & Lunariæ omnem etiam niveæ albedinis excellentiam inſigniter ſuperans, unde Lactis etiam nomine honoratur; Eſt aqua illa ſapientiæ, ▽ benedicta & viva, ▽ permanens & ſicca Sophorum manus non madefaciens, ▽a catholica & magna, ▽ pontica & comburens, item anima fugitiva & aquila volans, quam Philoſophi cervam aëripedem aurea cornua habentem, & montes properè tranſientem elegantiſſimè ſalutant: Dicitur etiam Azoth, acetum acerrimum, acetum radicatum, fortitudo fortitudinis fortiſſima, menſtruum & clavis Philoſophorum, ſolvens ſine pari, ſanguis Draconis, ſperma & radix metallorum, & qui ſunt alii tantæ dignitatis characteres ex Sophorum aureolis monumentis excerpendi. Ideoq; Lac illud, quod ab Autore hîc deſcribitur, & ex aceto cum anima ceruſſæ impr æ gnato atque adjecto ☉e Tartari rurſum præcipitato ▽avè affuſa probè diluto paratur, impropriè valdè & abuſivè Lac Virginis, quod rectiùs meretricium audiret, nuncupatur: Hoc tamen haud inficiamur, quod albicans hic & ex ceruſſa factus liquor exulcerationum corrodentes acrimonias & maculas valdoperè mulceat atque abſtergat, & ſic conſolidandi eitoque cicatricem inducendi non contemnendam habeat energiam: Lac autem Virginis verum & ſudor ille cœli Philoſophici radicalem adeoq; incomparabilem virtutem ab omni fœtore & immunditie corpora ac humores citâ celeritate mundandi obtinet, ſive intrinſecùs ad paucu-las guttas porrigatur, ſive externè adhibeatur. Fortunatus ergo ille, qui aſtralem hanc panacæam ac cœleſte hoc Nectar poſſidet: Is enim tanquam Hercules alter omnes feras & rabioſas etiam morborum belluas ſive monſtra indubitatâ hac clavâ potenter edomare aut enecare oppidò poterit. De Aphthis opportunè & optatò curandis hoc adjicimus, quod rob. diamoron. vel etiam dianucum fructuoſe hîc uſurpetur, efficacius tamen ad collinendas affectas oris partes eſt mel roſatum, ita tamen ut pauxillum de nucis moſchatæ raſurâ ei commiſceatur. Omnium tamen efficaciſſima eſt inter ea, quæ ad manus vulgò eſſe poſſunt, ▽ ſpermat. ranar. vel prunell, vel plantag. vel etiam fontanæ tantùm, ſi nimirum

aliquot guttulis de ſpiritu vel ∴ ⊖li ſed ad gratiſſimum acorem vel ſub acidulum ſaporem, ne ex corroſione dolorem inferre queat, inſtillatis una ex dictis ▽is animetur & frigidè adhibeatur.

Ad §. 6.

Colorum fœditates in facie, quæcunque jam illæ ſint, rectiùs emendari aut tolli haud poterunt, quàm ſanguinis inquinati mundificationem expediundo promovendoque. Medicamenta huic ſcopo ſatisfacientia ſunt illæ Mercuriales ſubſtantiæ & Eſſentiæ, quas ex utroque regno conficiendas Autor nobis paulò antè inſinuavit: Nos tamen inſuper Tincturam ☿ij vel corall. veram, utramque noſtram, item Tincturam ſalutis noſtram à ſalutari effectu nobis ſic nominatam exoptato cum fructu tunc uſurpamus, ubi tamen purgantia illa hactenus multis præconiis hîc decantata, ut ex fundamento mundificari poſſit ſanguinea maſſa, cum Autore non negligenda monemus. Oleo ſuccin. ſingulare virtutis robur ab Autore hîc adſignatum quoque conſpicimus, quod etiam eò felicius in emendanda oris putrilagine, curandis aphthis, & tollendá dentium nigredine (qui hujus ∴ ſuccin. uſus tamen hactenus Pragmaticis minùs fuit cognitus) exerere valebit, modò Oleum hoc iterata rectificatione, veluti in præcedenti §. jam monitum fuit, à fœtore ſuo non tantùm liberetur, verùm etiam ad ſummæ puritatis, albedinis, & fragrantiæ culmen ſic perducatur: Unde etiam Oleum illud ex ſuccin. alb. quod longè nobilioris eſt virtutis, ob magis digeſtam quam habet ſubſtantiam, quàm flavum, eliciendum venit.

CAP. XXVI.

De

Linguæ & Gutturis vitiis.

§. 1.

LInguâ nobiliùs nihil in toto corpore, nihil deterius ex Æſopi ſententia reperiri poteſt; cujus proinde encomia & laudes præclaræ,

claræ, ſed & opprobria ac contumeliæ quàm multæ extant; præſertim quod ex hoc fonte laudes & vituperia originem ſuam ducant: Suos tamen & iſta pars Manes patitur, ac morbis afficitur quàm plurimis, non ſecùs ac reliqua corporis membra.

§. 2. Afficitur autem cumprimis lingua blæſitate & balbutie, quæ quidem vitia incurabilia ſunt, niſi cedant medicamento, quod potentiam & virtutem roborandi calidum noſtrum, ac fortitudinem tali modô reſtituendi habet, ſicuti vitia corporis humani cuncta curari ſolent, quod ſolô Elixire Arabicô impetrari poteſt.

§. 3. Batrachus ſic dictus linguæ radicibus in eâ oris parte molli & laxâ, quæ ſub linguâ eſt, innaſci ſolet: Interdum & phlegmones ſpeciem habet, aliquando etiam œdematis laxi mollisque rudimentum imitatur, ex quo aperto mucus ſeu pus albumini ovi ſimile prodit: Infantibus tamen & pueris hoc ulcus familiare ac frequens eſt, quod alioquin apud Avicennam Ranula & Græcis βάτραχος dicitur. Eſt nempe ſpecies tumoris ab excremento calido ac humido ortum ducens, atque tunc refertur ad phlegmonem: Aliquando verò ab excremento humido ac frigido originem trahit, & tunc ad œdematis refertur ſpeciem.

§. 4. Curatut igitur hic affectus cujuscunque ſit generis 🝆ô ⊖~ cum x. ▽æ fontanæ partibus permixto, unde fit gargariſmus, quo ter aut quater in die os colluendum: Hinc enim ulcus tandem rumpitur, atque tunc temporis melle roſat. aut diamorô os colluendum itidem erit, donec ad cicatricem & curationem abſolutam pervenerit: Si verò hâc ſolâ collutione citò ulcus non rumpetur aut aperietur, ſcalpello tenui id aperiendum erit, ac deinde locus affectus melle roſato aut diamoro per oris collutionem erit muniendus.

§. 5. Tonſillæ ſeu amygdalæ ſæpiùs etiam tument ac inflamantur ab excrementis ſuis propriis, quæ ex ſuperfluo & redundanti alimento, non verò ex cerebri defluxione, quicquid clament Galenici, ortum habent. In hiſce autem tonſillarum tumoribus fruſtulum quoddam carnis inhærere faucibus videtur, mole ſuâ premens & guttur obſtruens impediensque, ne cibus ac potus facili

via in ventriculum deſcendere queat ; ſine ſiti tamen & ardore hic affectus exiſtit , quando excrementum hunc tumorem efficiens eſt frigidum humidumque : Interdum verò inflammantur & uniuntur (ſeu coaleſcunt) tonſillæ cum ſiti & ardore ſummo , ita , ut inibi ulcus ſordidum procreetur , quod calidas ac molles laxasque tonſillas corrodit , atque hinc graveolentem reſpirationem ſeu ſpiritum parit : Id quod omne ex excremento acri & mordaci ortum ducit.

§. 6. Omne igitur hujuſcemodi tumoris ac ulceris tonſillarum genus gargariſmô ſuprà citato , & ex ♀. ⊕li cum ▽a fontis permixto curatur : Nam ex ſolo illo gargariſmate excrementa illa acria & mordacia temperantur , & in alienam ſubſtantiam mutantur ; Vel ſi frigida ac humida ſint , roboratô ſic ſpiritu harum partium cuſtode evaneſcunt , quippe qui corroboratus ſuo innato balſamo hæc omnia curare & ad priſtinam ſanitatem reducere valet.

§. 7. Columella etiam in extremitate palati propendens ſæpiùs ex inflammatione ac tumore moleſta nobis evadit , dum laxior longiorque facta , quam par eſt , & perpetuo humore madens in fauces & œſophagi caput illabitur , atque hac ratione moleſtiam parit. Qui igitur tali afficiuntur morbo , columellam perpetuò quaſi devorare ſed fruſtra contendunt , imò metuunt , ne hujus impetu ſtrangulentur : Hoc autem vitii genus oritur ex redundanti excremento humido ſeu aqueo uvulæ , quo perpetim madet; unde etiam ſola curatur exſiccatione, cum pipere nempe vel ⁂ ⊖ vel fumo ſuccin. inſtitutâ , qui per infundibulum ad interiora oris transmittitur.

§. 8. Inflammatur quoq; uvula ab his ipſis excrementis ſuis acribus ac mordacibus , quorum ope pars ejus ima craſſa ſit , ſumma verò hujusdem pars tenuis ac nigricans adparet , & ab Hipp. σαφυλὴ ſeu uva hæc affectio adpellari ſolet , quod colore ac magnitudine ſuâ uvæ acinum imitetur. Curatur hæc uvulæ inflammatio & tumor ſolo litu ⁂ ⊖ cum ſpiritu X ac paucâ campohrâ permixti , videlicet ſequenti methodo : Reſp. diamoron. ℥ij ▽ ſalv, & prunell. ana. ℥iij , ⁂ ⊖ ʒj , camphor. ſpiritu X diſſolut. ʒß. M. f. gar-

f. gargariſma, quo ſæpè os colluatur: Sin verò ſanguis tunc abundet ac turgeat, is mittendus eſt ſecundum vires & temporis regionisque ſtatum ac conditionem.

§. 9. Guttur inſuper & fauces ipſæ, hoc eſt ſummæ gutturis & gulæ partes, per quam viam cibus ac potus ſuum habet introitum, tumore cum ſummâ inflammatione afficiuntur, quod malum Græcis dicitur συνάγχη, Latinis Angina ab augendo dicta, quod guttur & fauces augeat, viamque ſpiritui intercludat. Eſt autem genus morbi acutiſſimi & exitioſiſſimi; multos namque è medio tollit; quod in hoc tumore adſit ſumma excrementi, ex quo fit, malignitas, nec illud excrementum ſimplex, nempe calidum & humidum, ſed arſenicali veneno præditum habeat, ſicuti ſemper fermè malignam & peſtilentem febrem ſequitur angina, etſi ſint Galenici, qui ſe vidiſſe anginam ſine febre aſſerant: Aſt hallucinantur tamen, quum fuerit tunc potius columellæ inflammatio vel tonſillarum tumor; angina vero fit in muſculis internis ipſius laryngis & gutturis ab excrementis calidis humidisque cum maligna & fermè peſtilenti qualitate delibutis, unde oritur acutiſſimus hic morbus, qui ſemper comitem febrem habet, & tumor ille anginoſus ad eſcharam vergit, atque partes laryngis & gutturis tunc anthrace ac carbunculo afficiuntur, unde malignitas & venenoſitas illius tumoris valdè vehemens exiſtit, & ardor dolorque ſummus adeſt, cujus ratione ad guttur ipſum & partem affectam humores excrementitii impensè convocantur, qui malum & tumorem ita augent, ut via reſpirationis ſic omninò intercludatur, niſi remedia citiſſimè afferantur.

§. 10. Curatur autem hic affectus ſequentibus remediis: Primò mittendus eſt propter ardorem ac dolorem ex cephalica ad magnam ſatis quantitatem ſanguis, ut fiat revulſio humorum ad partem affectam confluentium: Deinde ſtatim purgandum eſt purgatione noſtra ordinaria nempe ☿iali vel Mercuriali aut elleborina: Purgato autem corpore ad ſudorifica deveniendum eſt; ſudores enim ſummoperè ſunt proliciendi, ut febris abeat, & tumoris malignitas ſeu venenum foras erumpat: Tumor verò, ſi fieri poteſt digito in guttur immiſſô, eſt rumpendus, & poſtmodum ſyrupô

iujub. vel viol. cum paucô ℞ ⊕ admixto,os eſt colluendum : Solis tamen elicitis ſudoribus hic affectus curatur,quia ſic & tumoris malignitas,& ipſa febris tollitur : His, inquam, ſolis poteſt confidere Medicus Practicus, ita tamen ut rumpatur & aperiatur tumor.

§. 11. Lingua adhuc alio tentatur morbo maligno, qui Prunella dicitur, quod lingua prunorum colorem ac nigredinem imitetur : Hæc autem nigredo linguæ ſupervenit ex febribus malignis & peſtilentibus : Vapores enim atri & maligni,qui ex foco febrili adſcendunt,palatum & linguam potiſſimum iſta nigredine afficiunt, & nihil aliud ſunt,quàm excrementa, quæ in foco & fodina febrili putreſcunt.

§. 12. Curatur hic affectus curatâ febre, à quâ dependet, per purgationem noſtram & ſudoribus ſudorificô noſtro bezoardicô minerali elicitis, quod ☿io, perlis & coralliis ſimul mixtis, & ⊖ri ⊖e ter & quater calcinatis conſtat,quæ tria poſtmodum calcinata (admiſcendum autē eſt reſpectu coralliorum & perlarū ☿ij triplum) optimè ſimul eluenda ſunt ▽â communi ād tollendum ⊕um,deinde vero exſiccanda, & in vaſe vitreo optimè clausô reſervanda ſunt. Doſis hujus pulveris bezoardici eſt ʒß. in ℥j. ▽ card. benedict. aut ulmar. Colluendum quoque eſt os, ut lingua ſuam nigredinem deponat, ⊕rô cum ♀ cômbuſtô & in ▽ communi ſoluto,qui ⊖ præparatus ⊖ prunellæ dicitur, curans perfectiſſimè hunc linguæ morbum, qui prunella vocatur. Atque ſic habes omnes capitis & partium ipſi annexarum morbos, habes quoque cauſas, unde videlicet dependeant & originem habeant,ſecundum doctrinam Chymicorum,qui ex librô ipſius Naturæ & hinc orta experientia ſicuti etiam ex Hipp. & Galeno hanc doctrinam didicerunt.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

Blas ab Amaſide Aegypti Rege juſſus de vicimâ peſſimum idem ac optimum remittere,Linguam remiſit. Ratio ex ſapientis dicto cujusdam oppidò claret: Mors,inquit,& vita in manu linguæ eſt. Atq; hoc

hoc etiam eſt, quod ex morali promtuariô hîc propoſuit Autor, qui primò linguâ in totô corpore nihil ſubeſſe monet nobilius, ut proinde encomiis & laudibus præclaris, ſi videlicet laudes & benedicta fundat, non immeritò digniſſima cenſeatur, præſertim ſi ea exiſtat juxtim modeſta, atque ut ſic loquar oculata, ut prius probè circumſpiciat, num iter ſit tutum probatumque, antequam progrediatur ac eloquatur. Unde almus quoque Creator geminô velut muro ac retinaculo circumdatam voluit linguam (dentium enim tegmine ac cuſtodia labiorum continetur) ne verba proferantur improvida pariter ac odioſa garrulitate. Recte Poëta:

Optimus eſt homini linguæ theſaurus & ingens
Gloria, quæ parcis menſurat ſingula verbis.

Theſaurus inquam, quia non promenda lingua, ſed proinde recondenda ut theſaurus. Benedicta adeò eſt lingua, ſi benedicat, atque commendabilis, ſi commendet laudesque ſpargat ſinceras, & in magnos uſus dives ſe diſpergat, vel etiam ſi parcè ac modeſtè ſuô fungatur munere: Ex adverſo contumelias meretur ac vituperia, ſi vituperoſam & injurioſam, ſique pernicioſam lingua ſe præſtet. Adeò mala lingua malorum omnium eſt compendium, eſtque reverà phaëton & orbis quoddam incendium, quùm vix ullum in hoc terrarum ambitu ſit malum, quod non incipiat lingua vel augeat penitusque incendat. Eſt utique in linguâ peſſimum nocentiſſimumque mali hominis organum; unde etiam juxta Ebraicum idioma Laſcon ſeu leunculus aut parvus leo nuncupatur, quod ſicuti Leo ſævire & lancinare ſeu laceſſere valeat: Difficillimum ſanè eſt, ut leonem ferocientem, ſic linguam ſub imperium cogere, quùm nullus mortalium tantillum corporis membrum, ſi affectu quodam is præſertim ſit præoccupatus, domare potuerit unquam. Verùm quum anſam nobis hactenus aliquid de linguâ ex doctrinâ morum præfandi ſuppeditaverit Autor, ex phyſico theſauro pauxilla inſuper ſubjicere nobis conſtitutum eſt, ut ſic quaſi pedetentim ad pathologicam linguæ conſiderationem deſcendere queamus. Dignum videlicet notatu eſſe inſinuamus, quod lingua in embryone ultima animetur, & agendi debitum robur extremo loco accipiat, ex adverſo autem prima moriente homine facultatem ſuam

amittendo

amittendo deſtituatur vita atque emoriatur. Sicuti igitur vita â corde, ita mors ab ore incipit ac linguâ: Quod ipſum evenire omnibus ſolet,ut nempè id, quod ultimum fit, primum deficiat, & hoc, quod primum, id poſteà ultimum; quaſi Natura decurſionem reducem agat, & â calce ad carceres, unde proruit, redeat. Deinde linguam, illam voluntatis nunciam, ob nobiliſſimum hunc & ferme divinum uſum, quem præſtat, in hac ſchola naturali utiliſſimum eſſe organum, ejus docent Antiſtites, utpote quam exinde novimus eſſe veluti quoddam loquentis plectrum, & quandam quaſi comedentis manum, quæ defluentem cibum dentibus opportunè ſuggerit, ac motus ſui agilitate poſtmodum hûc illûc transfert, tandemque gulæ miniſtrat, ac in œſophagum trudit: Vox quoque ſic aëris quodam remigio, cujus vices tunc lingua ſuſtinet, vehitur nunc commovens nunc demulcens auſcultantis affectum. Itaque cogitationes tacitæ mentis linguâ & oris ſermone ſignantur, animique conceptus omnes bellè ſic exprimuntur; unde etiam ob mirabile hoc loquendi miniſterium lingua dialecticum ſalutatur organum. Tandem lingua etiam tribunal diſcernendi aut judicandi omnis generis ſapores exiſtit, ita ut ex iis noxios dignoſcere cibos ac reſpuere, commodos verò ſecernere atque accipere oppidò valeat; ſicuti ſane hoc guſtandi beneficium ad incolumitatis cuſtodiam atque ad uſum in eâ oris parte hoſpitatur, quâ eſculentis potulentisque iter patefecit ſapientiſſima mater Natura. Utut autem ethicus pariter ac phyſicus præco linguam appoſitis laudum & illuſtrium meritorum ornamentis cumulare ſatagant, ad noſocomium tamen ut omnes reliquæ corporis partes hoc etiam nobile membrum citatur, ita ut moleſtiſſimam reddat non rarò hominis valetudinem non tantùm ſermonem ac guſtum vitiando, verùm etiam maſticationem ac deglutitionem aſſumtorum perniciosè impediendo, id quod juxta manuductionem & ordinem ab Autore factum nunc ſuccisâ operâ monſtrare aggredimur.

Ad §. 2.

Utrumque tam balbutiei quàm blæſitatis vitium lege artis ac medicâ lance, jam ſuprà Cap. XIV. ſatis ſuperque ponderavimus, quapropter repetitionis moram hîc procul abeſſe etiam jubemus. Imò & præ-

& præterea monemus Guidonis, illius Chirurgorum principis oraculum in morbis manifeſtò & ſuapte natura inſanabilibus, in quorum etiam numero comprehenduntur plerumque balbuties ac blæſitas, eſſe omnino obſervandum; Cave â malis curis, ne mali Medici nomen ſubeas. Ab his utique Medicus famæ ſuæ & Artis gloriæ conſulens, quantùm quidem fieri poteſt, abſtinere debet, quod honoris loco fermè utplurimùm ignominiam exinde reportare ſoleat: Sin incurabili morbo laborans aſſiduis precibus urgeat remediorum uſum, & periculum fieri duntaxat inſtantiſſima efflagitatione deſideret, tunc cum proteſtatione ſemper remedia porrigere Medicus recordetur. Indicium evidenter incurabilem morbum exactè cognoſcendi hîc adjicere licet implicitè videtur Autor, dum Elixiris Arabici fruſtraneum uſum producit, tale circiter ratiocinium, quod elicere nobis incumbit, inſtituendo: Quicunque morbus illi etiam medicamento, quod Archeum ſeu calidum innatum excellentiſſimè roborandi ſummam potentiam & heroicam virtutem alioquin poſſidet, nec non cunctos eosque graviſſimos morbos radicitùs averruncandi, adeoque ſecundam valetudinem ex ſententiâ reſtituendi famigeratiſſimam & catholicam fortitudinem obtinet, quale nimirum eſt Elixir Arabicum, omnium etiam efficaciſſimorum remediorum ſine ulla exceptione princeps ſeu Apollinaris corona, non cedit, ille pro incurabili ac planè deſperato ſine hæſitatione ulla eſt habendus. Jam ultrà ſubſumendi & denique concludendi ratio eſt in promtu. Verùm quum hoc manifeſtò inſanabilis morbi ſignum incomparabili raritate conſtet, atque idem ſit latiſſimè celebratum, ad alia potiùs indicia, quæ Medico cuivis obvia atque ex Inſtitutionibus cognita eſſe queunt aut ſolent, recurrendum erit. Inter rariſſima autem & arcaniſſima Elixir Arabicum rectè reponi conſentiemus ſtatim, ſi citra moram nunc aperuerimus, quid per hoc Elixir Arabicum Autor hic intellectum velit: Scilicet hoc ipſum nihil eſt aliud, quàm Lapis benedictus & magiſterium Philoſophorum Hermeticorum ſummum, eorumque arcanum omnino ſupremum divinumque, quod Naturæ totius breve compendium ejusque inviſibile centrum, elementorum horizontalis nucleus, cœli totius exaltatiſſima virtus, & vitæ reverà vitalis longæque nec non divitiarum certus ac inexhauſtus theſaurus unanimi conſenſu â Philoſophis nuncupatur. Eſt, inquam, ſumma illa & vera Medicina, irradians & ſplendens in ſuâ clariſſimâ puriſſimaque & plusquam ☉ari ſubſtantia, qua res omnes qualemcunque defectum patientes inſtaurari, quave omnia illuminari & reverà regalibus armis defendi poſſunt. Sed plura de hoc ſecretorum ſecreto edicere acquieſcimus, quod paucis & inter tot

ter tot hominum millia vix uni Hermeticam hanc adire Corinthum, aut ad iſta pervenire felicitatis aſtra DEUS, cujus peculiare donum eſt, concedat; cujus etiam cauſam in eo potiſſimum conſiſtere exiſtimamus, quod rari admodum ſint legitimi veræ doctrinæ filii, & quod infrequentes omninò deprehendantur tales, qui ſecundùm Naturæ posſibilitatem (non verò juxta characteres ſeu ſonos verborum) monumenta Philoſophorum legunt & intelligunt, & qui magnum Naturæ librum ſapienter evolvere, aut res naturales per cauſas in centro ſeu profundisſimè abſconditas cognoſcere aſſudant. Hoc ergo ad Naturæ lumen ſeriò adſpirantibus candidi amoris gratiâ relinquimus, ut in ſcrutinio ſeu examine rerum naturalium & legendis Philoſophorum ſublimiorem Chymiam tractantium libris non autoritates aut verborum ſonitus, ſed unicè Naturæ posſibilitatem conſiderare meminerint. *Sic* nimirum quærere Hermeticasque ſcripturas rimari tenentur, & benedicente DEO ſuoque tempore, quod jam commendata ſemitâ unus vel alter quæſiverit, invenire aut bene inſtructus doctrinæ patrem conſequi poterit: Rectius tamen non intellecta, ſi Naturæ imposſibilitas deprehendatur, paulisper in medio relinquitur, & lectione toties iterata repetitur, quàm ut incaſſum male intellecta labori ſumtuoſo & abſurdo committantur. Hæc igitur quaſi obiter ſed ſincerè.

Ad § 3. & 4.

Rana ſive ranula illa ſublingualis, tenellos cumprimis infeſtans, nulli non cognitus eſt morbus, ſic dictus, quod ranæ formam repræſentare videatur. Locus affectus partim ex textu Autoris, partim ex jam præſuppoſita adjectione cuivis patere poteſt; Deprehenditur autem ſub lingua ex molliuſcula laxaque illa carne, cui tanquam pulvinari ſuo incumbit lingua, & quaſi fræno ſeu vinculo commodè alligata exiſtit. Pertinet hic affectus ad doctrinam tumoris, cujus ſpecies eſt, ac duplex ejus attenditur diſcrimen â cauſæ ſuæ ſive humoris eodem confluentis (quatenus nempe calidus calidam ac frigidus frigidam inducit intemperiem, id eſt, vel phlegmonem vel œdema conſtituit) diverſitate natum, veluti Autoris verba expreſſè indicant. Curatur topicis remediis vel chirurgicâ operatione hauddifficulter, ubi circa illa hoc monemus dumtaxat & quidem primò, quòd ſubſtitui locô ▽æ fontanæ poſſit ▽ prunell. aut plantag. &c. ut magè ſpecificus evadat gargariſmus; deinde quod quantitati ▽æ juxta præſcriptum Autoris minùs reſpondeat 🝛um ⊕~, adeoque exigua admodum ſit illa, quia acris nimium & ſatis adhuc corrodens gargariſmus ſic permanebit: Ideoque ut ra-

tio

tio miſcendi non tam juxta pondus, quàm guſtus cenſuram potiùs, donec mixtura gratum ac tolerabilem acorem impetraverit, inſtituatur, ſuaderemus; ſiquidem in rei veritate unus ſpiritus ſeu ♂ ⊕ aliô majorem vel minorem ſive magis robuſtam aut debiliorem acredinis ac corroſionis vim habere ſoleat, ut hôc reſpectu ob varietatem iſtam in pondere facilis contingere error queat. Quùm etiam ranulæ hoc malum præ reliquis ætatibus præcipuè infantibus ſit familiare, hi verò ad præſtandam gargariſationem ſeu collutionem oris vel ad tolerandam gargariſmi hujus per ſiphunculum immiſſionem, quæ ſine impetu quodam celebrari non poteſt, evidenter inepti exiſtant, rectiùs in formâ linimenti hoc præſidium adhibetur ita, ut ♂ ⊕ cum melle roſat. decenter commiſceatur: Quod medicamentum quùm reliquis prævaleat cunctis, alia conſultò præterimus. Cœtera quæ hic adjecit Autor, jam ſuô ſtanttalô.

Ad §. 5. & 6.

Laryngi verſus uvulæ latera & juxta iſthmum ſeu fauces geminas adſtare glandulas, quæ à figura tonſillæ (quod tonſas ſeu palos referre videantur) vel amygdalæ, vel à ſitu pariſthmia dicuntur, ex Anatomicis abundè conſtat, quarum intumeſcentia ac inflammatione nihil fermè frequentius eſſe Chirurgi norunt. Cauſæ indago eſt facilis: Quùm enim glandularum uſus ac natura ſit, ut ſuperfluas humiditates (ubi nequaquam defluentia â cerebro excrementa ob viam manifeſtiſſimam excludere cum pace tamen Autoris licebit) imbibant atque abſorbeant, error in exceſſu promtè hinc ſuboriri, & glandulæ illæ intumeſcere, aut ſi corruptiva fermentatio conſertim attractæ humiditatis accedat, inflammari vel etiam ulcerari poſſunt. Medium cognoſcendi tumefactas amygdalas viſus pariter & tactus ſub maxillâ miniſtrat: Intus etiam confirmationis argumentum deprehenditur, dum velut fruſtulum quoddam faucibus inhæreſcens conſpici tunc ſolet, quod mole ſuâ valdoperè premit, & obſtaculi moleſtiam non levidenſem affert, quò minus tranſire edulia ac potulenta, item ipſa etiam ſaliva humectationis aſſiduæ benignitatem exhibens, valeant. Ut autem tonſillarum tumor ſimplex humiditatem excrementitiam frigidam tanquàm materialem cauſam accuſat, ita ſi inflammationis ſodalitio is inſimul ſtipetur, efferveſcentem mordacemque humorum acrimoniam quaſi digito monſtrat, imò ſi ingraveſcat cum inflammatione tumor, ſymptomata non tantùm graviſſima cum ſumma anhelandi difficultate, verùm etiam exulceratio iſtius tumoris magnam pariens graveolentiam, exinde oboriuntur: Unde

non rarò ob imminentem ſtrangulationem, ſi materia corrupta & purulenta per aſperam arteriam in pectus ac vitæ antrum penetret, hujuſcemodi patientes vitæ periculum incurrunt. Utut autem circa curandi ſcopum magnus gargariſmorum & topicorum catalogus à Practicis Chirurgisque operoſô ſtudio recenſeatur, bonâ attamen fide aſſerimus, ⊕latâ iſta & paulo antè laudatâ ▽â plus nos proficere poſſe, quàm reliquis formulis cunctis: Ubi notabile eſt, quod hac una fidelia, ut in proverbio eſt, duo dealbari parietes adpoſitiſſimè queant; adeò namque tam frigido quàm calido tonſillarum tumori ex voto ſatisfacere poteſt, ut ita non immeritò in hoc unico ⊖e minerali ſeu ⊕lô tertiam Medicinæ partem ac integram propemodum officinam latitare perhibuerit cum Paracelſo Quercetanus. Si itaq; tonſillarum inflammatio affligat, tunc ℴ°ℴ ⊕li ob nobilem, quam habet, præcipitandi efficaciam, humorum acrimoniam deſubitò contemperat; fervorem mitigat, dolorem lenit, putrilagini maſculè reſiſtit, ſymptomatum ferociam compeſcit, & ab omni immunditie aut ſqualore locum affectum vindicat. Sin verò â frigidis excrementis ortus tumor tonſillas ſaltim moleſtet, tunc eas laudatum ℴ°ℴ Vitrioli confortat, & incidendo attenuandoque intumeſcentiam egregie tollit, vel balſamicô & reſoluto ⊖e ſuo, quo ſpiritus aut ℴ°ℴ Vitrioli opulenter eſt imprægnatum, Archeum ſeu ſpiritum his locis ingenitum corroborat, quò hoſtem hunc eò citiùs edomare poſtmodum valeat: Eadem enim ratione balſamicâ hac aciditate ſuâ ut ventriculum confortat & appetentiam concitat, alias quoque partes reficere poterit, ut appetitus (ſic loqui liceat) ſeu fermentum nativum in iis renovetur, quo privatam ſeu ſpecificam alimenti ſui coctionem ac digeſtionem (quam cujuslibet partis nutritio adpetit ac deſiderat) nec non convenientem diſpenſationem aſſimilationemque ritè peragere, & purum ab impuro decenter ſegregare excrementumque ſuum excernere præſtent. Et hoc eſt, quod dicto Helmontii alioquin obſcuriſſimo lucem evidentioris intellectus confeſtim conciliat, dum dicit, tot eſſe in corpore noſtro ſtomachos ac fermenta, quot ejusdem partes & harum ſpeciales digeſtiones ac nutritiones, adeoque ſub tropicâ & ſingulari hac locutione magnum in morbis feliciter cognoſcendis ac medendis deliteſcit myſterium, ut paulò jam antè id delineavimus, & quilibet pathologiam hanc ingenioſè ſeu cum acumine judicii ulteriùs ponderans perſpicere id poterit.

Ad §. 7. & 8.

Anatomia nos docet, epiglottidi ab extremo palato pendulum imminere corpus fungoſâ & rubicundâ carne productum, quod gargareonis, columel-

columellæ, aut uvulæ titulô Autores inſigniunt, & ad faciliorem alimenti deſcenſum vocisque lenitatem, nec non inſpirati aëris ad pectus tanquam vitalis auræ ſanctuarium aliquam præparationem conducere dictitant. Affectus hujus particulæ præcipui ſunt laxatio & inflammatio, ſic innuente hoc etiam Autore noſtro. Illa ut moleſtiſſima eſt (obtitillationem, quam qui patiuntur, uvulam ſic relaxatam perpetim deglutire incaſſum nituntur, pertimeſcuntque, ne impetum ejus ſuffocatio conſequatur) & quotidiana, ita quælibet etiam anicula in hoc caſu auxiliares pollicetur manus, & nimis elongatam columellam medicina domeſtica contrahere ſtatim ſatagit. Quùm autem hæc moleſtia proveniat ab excrementitiâ humiditate nimiâ, quæ hic decumbit, exſiccandi quoque ſtudium methodo medendi ſatisfacere omninò poterit. Prodeſſe ovum ad duritiem coctum, ac per medium diſciſſum vel etiam fermentum vertici per aliquot horarum ſpatium impoſitum, triviale eſt. Sed placent nobis ea, quæ ab Autore hic commendata cernimus, cumprimis autem gargariſmus ⊕-latus, ſummam adſtringendi virtutem habens, præſentiſſimam opem hîc afferre potis erit. Inflammatio uvulæ eandem theoriam ac curandi ſolertiam admittit, quam conſillæ ſic affectæ poſcunt: Ubi gargariſmo illi ab Autore peculiariter hîc conſignato calculum noſtrum non addere non poſſumus, quod præter jam adductas rationes Camphora putredini efficaciter reſiſtat, & refrigerandi aut inflammationes extinguendi exoptatum robur obtineat. V. S. obſervatis cautelis, quas hinc inde ſparſimus, noſtro etiam conſenſu tunc locum habere poterit.

Ad §. 9.

Famoſa illa & periculoſiſſima faucium ac gutturis vel rectiùs muſculorum his partibus ſervientium inflammatio Angina dicitur, Græcis κυνάγχη uel etiam λυκάγχη, quod canes & lupos frequenter afficiat, vel quod adeô gravis & acuta ſoleat eſſe illa inflammatio & linguæ fauciumque intumeſcentia, ut ægri linguam inſtar canum ac luporum defatigatorum tunc exſerere cogantur; item συνάγχη, â ſimilitudine ſuſpendii, quod non ſecùs ac laqueus præfocans enecet: Αγχόνη enim laqueus eſt; vel â συνέχειν, quod reſpirationem inhibeat ſpiritum continendo. Latini anginam ab ango vel angorem infero deductam volunt, & ſic appoſitè alludunt, præſertim quod τό angere idem ac ſtrangulare, ſuffocare, ſeu fauces adſtringere ſignificet: Illis enim, qui anxietatem percipiunt, quaſi præcordia conſtringi, ac reſpirationis beneficium intercludi videtur. Autoris philologiæ ſuum etiam non invidemus honorem, dum anginam ab augendo deri-

 vat,

vat, quòd ea morbum in auctâ magnitudine ſeu tumorem faucium concomitantem habeat. Non immeritò autem affectus iſte inter periculoſiſſimos, ſummè malignos, truculentos, feroces, magnos & acutiſſimos â Medicorum coronâ reponitur, quod reſpirationem potenter intercludere, ac ſubitò (inter primum enim & quartum diem plerumque hæc ægritudo perimere ſolet, teſte Avicenna) ſic interficere poſſit: Calor enim innatus oppeſſulatâ hâc reſpirandi portâ ventilationis libertate orbatus marceſcit, perit, extinguitur: ac proinde ab aliis malum vocitatur præfocativum. Non tantùm autem ab anginâ febris acutiſſima eſt inſeparabilis, quoniam illius eſſentia in inflammatione vehementiſſima conſiſtit, verùm plerumque etiam crudelis malignitas, ob graviſſimam & fœtentem arſenicalique hoc eſt ſummâ ac peſtilenti virulentiâ contaminatam humorum corruptionem ac putredinem juxtà adeſſe ſolet, unde poſtmodum tanta ſymptomatum atrocitas morbum hunc comitari, imò & exanthemata anthracibus & carbunculis ſimilima internas faucium partes æſcharoticas aut cruſtoſas reddere ac velut exurere experimur: Imò nullum quoque eſt dubium, quin excellens illa faucium putredo ſit inſimul animata, & venenatiſſimis vermiculis abundè ſcateat, ut ſubitanea vitæ extinctio, quòd locus affectus vitalibus locis ſit proximé vicinus, propterea ſit in promtu. Ergo ſequeſtratâ omni morâ commodè remedendi promtitudo quantum poſſibile accelerranda, ne poſt feſtum, quod dicitur auxilia adhibeantur: Si enim in ullo, certè in peſſimo ac ſummè hoſtili anginæ morbo, qui carnificis adinſtar velut reſti fauces conſtringendo citisſimè ſtrangulat, occaſio opportunè celeriterque arrepta feliciter medendi anima vocari meretur.

Ad § 10.

Venæſectionem eâ conditione tunc admittere poſſumus, ſi videlicet in principio ſtatim, quando anginæ inſultus tantùm pertimeſcitur, & antequam ad incrementum ſuum perveniat malignitas, moresque ferocientes induat; ſed ſi malum & hoc comitantia funeſta ſymptomata vires ſuas jam exerere cœperint, tunc nulla ratione hoc præſidium & hanc ſanguinis rapinam convenire aſſerimus. Eadem ſententia circa purgantium quoque in hoc caſu uſum eſto, cujus rationes hinc inde ex ſuperioribus repetantur. Unde in admirationem nos trahit illa Autoris anginam curandi methodus, qui alioquin in omnibus & ſingulis ſagacisſimum pariter ac circumſpectum ſe exhibere ſolet: Verùm ſeduxit eum fortasſis trita Gallicorum conſuetudo, qui nullum omnino morbum; quiscunque etiam is ſit,

is ſit, ſine V. S. ac purgatione curari poſſe, communiter ſibi perſuaſiſſimum habent. Quùm ergo Autor expreſsè nobis veram indicationem in curatione animadvertendam propoſuerit, ut nempè eò tunc invigiletur, quò humoris malignitas & venenum foras, hoc eſt, â centro ad ſuperficiem corporis externam ſeu circumferentiam prorumpere poſſit non tantùm videmus V. S. & purgantium, quæ contrarium præſtant, & excrementum malignum ab externis ad interiora potiùs revocant, uſum tunc eſſe omnimodè damnatum, verùm rectiùs etiam ad nobiliora Sudorifera intentionem dirigendam, veluti paulò poſt ingenuè ſententiam hanc ſuam mutat Autor & explicitè confirmat, ſolis ſedulò elicitis ſudoribus abſolutè & potiſſimum hunc curari affectum, hanc inſuper addendo rationem, quòd tumoris humorisque malignitas ſic effectiſſimè tolli queat. Sudorificorum autem nobiliorum nomina hic repetere haud opus eſſe ducimus, ſiquidem eorum mentio non tantùm in ſuperioribus jam facta ſæpiùs fuerit, verùm etiam, ubi de febrium cura agetur, ea ulteriùs commemorandi dabitur anſa. Fundamentum rationis hoc eſt, cur virtus ſudorificorum & tollere febrem & malignitatem edomare valeat: Sudorifica nempe potentem plerumq; ſudandi vim habentia tam fermentationem impetuoſam, unde ſpirituoſæ & incendium parientes ſeu flagrantes fuligines generantur, maſculè compeſcunt atque ſedant, quàm ſpiritus illos ſeu effluvia excrementitia â fermentatione morboſa jam progenita per inſenſibilem tranſpirationem aut ſudorem diſſipant atque ſtrenuè excludunt: Atque ſic ſedatur febrilis paroxyſmus. Deinde dum excellentiora diaphoretica vermibus præcipuè ſunt infeſtiſſima, & proinde horum germina præſentiſſimè extinguunt ac mortificant, patet ſtatim, quòd malignitatis emendatio atque debellatio nil aliud ſit, quàm eximiæ illius & animatæ putredinis efficax internecio. Ut autem ad anginam ex fundamento curandam requiritur æſtus febrilis & malignitatis ſublatio, ita etiam eò omnis flectenda eſt intentio, ut tumor, tam deglutitionis quàm reſpirationis ſummam tunc efficiens difficultatem, ante omnia etiam tollatur, hoc eſt, ut adhibitis adhibendis blanda inſuper dextraque ruptura, quàm fieri celerrimè quiverit, aperiatur, id quod potiſſimum ipſe patiens digito ſuo fauces intumefactas ſæpiùs tentando ac comprimendo præſtare poterit. Cœterum apertô ſic hoc ipſo tumore, ea omnino locum hîc ſibi vendicant, quæ circa curationem exulceratarum tonſillarum, paulò ſuprà fuere producta.

Ad § 11. & 12.

Prunellæ nomen Germanis **die braune** promiſcuè accipitur, & modò in ſpecie

ſpecie linguæ duntaxat nigredinem ſignificat; modò pro ipſâ & quidem communiter ab ipſis Chirurgis ſumitur angina, quod linguæ hic affectus quaſi ſolemniter cum eadem concurrat; modò etiam medicamen contra affectus oris fauciumque cumprimis ſpecificum denotat, atque hoc ipſum itidem duplici ratione, quatenus vel herbam illam ſeu conſolidam minorem, quæ vulneraria eſt, vel quatenus ⊖ 🜍atum, quod vulgo ⊖ prunellæ audit, cujus præparationem vel lippis tonſoribusque notam Autor etiam hîc attigit, id innuere neminem fugit. Derivata porrò creditur prunellæ vox vel â prunâ ſeu carbone candente, quod ab ardente & cauſticâ morbi maligni & peſtilentis materia ſive Δeis effluviis ex focô febrili oriundis (nos verò ſuo tempore monſtrabimus, nigram hanc linguæ ſcabritiem in febribus malignis & virulentis à verminoſa putredine ſeu ſqualore calidum nativum linguæ extinguente, ejusque humidum radicale ferociter depaſcente potiùs ſcaturire) hoc malum provenire ſtatuatur, prout exquiſitum etiam ardorem habere junctum ſolet: Vel â pruno, quod prunorum colorem fuſco & aquilo livore ſuo tunc infecta lingua referre videatur. Tandem contra hunc affectum Autor magnificum bezoardicum (ſummam enim vires exſolutas juxtà reficiendi virtutem habet) conficere docet, quod ipſe vocat ſudorificum ſeu Bezoardicum ſuum minerale, nos verò rectiùs diaphoreticum ſeu bezoardicum perlato coralliatum id dici exiſtimamus. Modus præparandi ſua luce ex textu claret, quem quivis præſtare poterit, modo ♁ium diaphoret. in omnibus Tyrociniis chymicis dilucidè deſcriptum vulgari modo parare calleat, de quo ſuprà etiam à nobis dictum fuit. Verùm de prunellæ curâ nihil ampliùs addimus, quod eandem Medici induſtriam atque angina vel tonſillarum vehemens inflammatio & intumeſcentia requirat.

CAPUT XXVII.

DE

Morbis thoracis & partium illi annexarum, in ſpecie verò de morbis ac ſymptomatis pulmonum.

§. 1.

IN thorace quamplurimæ clauduntur partes diſtinctæ ac omninò differentes, quæ variis etiam ac diſtinctis tentari morbis ſolent. Eſt autem in thorace

thorace Pulmo, Cor, Mediaſtinum, Pleura, Aſpera Arteria &c. quæ partes omnes diverſis diſtinctisque afficiuntur morbis, in quos ſingulos quum nobis jam inquirendum, quò opus hoc abſolvi queat, primo pulmonum morbos inveſtigabimus, ac deinde cœteros etiam manifeſtabimus.

§. 2. Pulmonum voce comprehendimus vaſa omnia, quæ in iis exiſtunt, atque ſic ipſam quoque aſperam arteriam, in quibus potiſſimum vaſis fiunt obſtructio, peripneumonia, vomica, abſceſſus & tabes.

§ 3. Obſtructionis in pulmonibus cauſæ ſunt excrementa & copia eorundem, quæ ex alimento pulmonum ſeparantur: Unde poſteà hinc fiunt vel grando, & lapis, ♀rusque coagulatus, vel ſi liquidus adhuc ſit, ex his excrementis oriuntur tuſſes, aſthmata, & catarrhi ſuffocativi.

§. 4. Tuſſis nempè fit primò ex pulmonum obſtructione, qui dum obſtruuntur excremento aliquo liquido vel vaporoſo, ſpiritus pulmonis & ſic aſperæ etiam arteriæ cuſtos ſeu facultas ejus expultrix contra excrementum illud, tanquam id, quod eſt præternaturale inſurgit, & per tusſim foras ita expellit vel expellere nititur.

§ 5. Sin verò expellere nequeat Natura hoc excrementum, atque ſic illud in fiſtulis pulmonum permaneat, tunc craſſeſcit indies magis magisque, & tandem lapideſcit, ut ſic ſæpiùs in ipſâ pulmonum ſubſtantia fiat grando, lapis & calculus; aut ſi non lapideſcat iſtud excrementum in lentam, vitream ac gypſeam planè mutatur viſciditatem, cujus copiâ poſtmodum fit ac producitur verum aſthma, cui ſenes præcipuè & omnes illi ſubjiciuntur, qui viſcidis lentisque ſcatent excrementis pulmones infercientibus, quæ excrementa ex pulmonum proprio & innato alimento alioquin ſeparari debent: Quod ſi verò imperfecta eorum contingat ſeparatio, tunc remanent in pulmonum ſubſtantiæ poris, & ibi vel à ſolo calore naturali craſſeſcunt, atque ♀ius hinc producitur, qui nihil aliud eſt, quàm excrementum priùs aqueum, poſt viſcidum lentumque factum, ac ita ſæpiùs induratum, ut in gypſeam materiam converſum lapides, grandines & calculos in ipſa pulmonum ſubſtantia generet: Quo facto crudele aſthma, quod doctiſſimus Fernelius etiam cognovit, atque hinc fieri aſſeruit, producitur; nempè aſthmatis illa ſpecies, quæ Orthopnoea dicitur, in quâ ægri reſpirare non poſſunt, niſi rectâ cervice, adeoque cum maxima difficultate ſpiritum ducunt.

§. 6. Hæc aſthmatis ſpecies, cum omni alio aſthmate ſeu reliquis ſpirandi difficultatibus cunctis, curatur cum purgatione noſtra elleborinâ aut ☿iali vel Mercuriali: Atque ſic ter aut 4ter purgato corpore ægroti per

[Pp] 8. dies

8. dies ▽a peti communis & noſtratis utantur, cujus ▽ ℥jv. ſingulis matutinis horis jejunô ventriculo ſumant, cui add. guttul. viij. vel x. °o° ⊕l vel ſpiritus ⊕; atque ſic pulmones infarcti â ſuburrâ viſcidi lentique excrementi liberabuntur. Purgatione autem ☿iali noſtrâ antecedens cauſa aſthmatis & omnis reſpirandi difficultatis tolletur.

§. 7. Affligitur etiam pulmo peripneumoniâ ſeu inflammatione, quæ aliquando in ipſo producitur mediaſtino, hoc eſt in illa membrana, quæ partes pulmonum dextras â ſiniſtris ſeparat, unde etiam mediaſtinum dicitur: In hôc inquam phlegmone producitur ſeu tumor calidus & humidus, ab excrementis calidis humidisque ortum ducens, unde & totus poſteà pulmo inflammatur, atque tumor hujuscemodi oritur, qui peripneumoniæ titulo ac nomine comprehenditur. Hic autem quùm ſæpiùs rumpatur, pus etiam ac ſanguis maxima in quantitate per exſcreationem & ſputationem ejicitur; quæ tamen excrementa, ex quibus peripneumonia fit, non ſolùm excrementitia ſimplici qualitate ſua peccant, ſed & maligna peſtilentique inficiuntur; Unde Paracelſus occaſionem afferendi ſumſit, hæc excrementa arſenicalia eſſe & auripigmentalia: Et quamvis arſenicum & auripigmentum reverà & realiter nunquam in corpore humano reperiantur, nihilominùs tamen quædam excrementa ex alimento alterato producta, & malignâ venenataque ſua qualitate prædita arſenici & auripigmenti naturam imitantur: Unde non inconcinnè Paracelſus ea arſenicalia & auripigmentalia dixit. Ex hoc ipsô igitur percipitur, quantùm ſit periculi his omnibus, qui peripneumonia afficiuntur, niſi citisſimè aptis remediis iisdem proſpiciatur, id quod tutiſſimè hac methodo fieri poteſt.

§. 8. Peripneumonia igitur ſive ſit ſimplex inflammatio, ſive tumor phlegmonodes mediaſtini, miſſione ſanguinis curatur: Ego ſanè ſanguinis miſſionem in curationibus morborum non flocci pendo, neque noxiam eſſe exiſtimo, quamvis is ſit vitæ theſaurus: Nam ſæpè peccat & quantitate & qualitate, quarum illa tolli, hæc corrigi meretur, & hoc quidem ſecundum leges ac normas Naturæ, quæ ſanguinem quantitate peccantem vel per venas narium ac hæmorrhagiam, vel per vaſa ani & hæmorrhoidalem fluxum emittere ſolet, ut hinc Naturam ſequendo errare non poſſit Medicus therapeutes. Et hæc eſt ratio, cur in peripneumonia, quùm in ea ſanguis peccare & quantitate & qualitate ſæpiùs ſoleat, mittere ſanguinem in ſatis magna quantitate ſecundùm vires & robur ipſius ægrotantis ejusque ætatem ac temporis regionisque conſtitutionem audacter debeamus:

tus: Plus tamen ſanguinis in meridionalibus effundere licebit & temperatis regionibus, quàm in frigidis & ſeptentrionalibus terræ plagis.

§. 9. Miſſo ſic ſanguine ſtatim alterantibus ac refrigerantibus utendum eſt, ut alteretur fervor ſpiritus noſtri, qui tunc in peripneumoniâ æſtuat: Itaque Julapiis refrigerantibus ☍ô potiſſimum ⊕li ac Tincturâ viol. alteratis eſt utendum; ſequenti vero die ☿ialis purgatio noſtra eſt adhibenda, ut hoc motu rumpatur tumor, ſi qui ſit in pectore. Cura autem præcipua & abſoluta eſt in ſanguine hirci vel in pulvere virgæ cervi ſeu tauri; ſemper tamen Julapiis ſupra dictis vel ptiſana ☍ ⊕ ſeu ⊖e prunell. alteratâ utendum: Quibus medicamentis ſolis pulmo ita roboratur, ut ab omnibus, quæ illi præternaturaliter adſunt, ſe extricare queat. Flores etiam ♀ ex colchotare ♎ati in curanda peripneumonia maximè proſunt, qui ſumuntur ad ℈j. vel ij cum conſerv. viol. ℥ß c. gutt. x. ☍ ⊕li admixtis: Atque ſic pulmo alteratus & peripneumoniâ affectus perfectiſſimè curatur. Spiritus etiam terebinthin. & ☍ ⊕ pus ex pectore copiosè educunt, ulcus abſtergunt & cicatricem perfectam inducunt, omnesque reliquarum partium obſtructiones omninò tollunt; unde ſequitur abſolutiſſima peripneumoniæ cura.

§. 10. Jam perſequendi ſunt alii pulmonum morbi ac potiſſimum vomica, qua multi homines in orcum detruſi ſunt, imo adhuc ad ſepulcrum detrudentur, ſi malè ac perversè tractari hæc cura pergetur.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

QUisque fermè populus in condendis urbibus ſtruendisque ædificiis genii ſui imaginem exprimit, imò quot civium urbis compita alunt, tot ingeniorum ac ſenſuum diſcrepantias ibi animadvertere licebit. Adeò quilibet ſua abundat mente, atque mille hominum ſpecies & rerum diſcolor uſus. Conſimiliter cum microcoſmi ſtructurâ planè comparatum eſt, in quâ ſanè quælibet pars peculiarem habet conſtitutionem ac naturam, & propterea ſingularem etiam ſe ſuſtentandi modum: Unde in propatulo confeſtim eſt, tot ſpecifica eſſe fermenta & peculiares digeſtiones, quot in humano corpore organa, ſiquidem aliud pro delicata ſui indole delicatam quoque & exquiſitam nutritionem, aliud minùs nobile perfunctoria ſaltem & minus accuratâ etiam digeſtione contentum ſe præbet, & ſic

 porrò,

porrò, ut ita quam plurimi digeſtionis ac nutritionis gradus obſervari ac computari in uno corpore queant. Hoc ipſum utique eſt, quod de admirabili thoracis crate ac mœniis innuit Autor, dum iisdem diverſas omnino atque diſtinctas partes contineri, & per conſequens diverſi quoque generis morbos in hoc præcordiorum antro ſuboriri, licet implicitè, oſtendit: Quodlibet namque membrum cum habeat adpropriatum fermentum, ac proinde ſingularem digeſtionem, diverſiſſima verò membra, ut in quavis noſtri corporis regione, ſic etiam in thorace, comprehendi, jam fuerit commonſtratum, neceſſum etiam erit, prout hujus vel illius partis digeſtio à norma rectitudinis aberrat, & appropriata nutrimenti purificatio ſeu excrementorum impuritatumque decens ſegregatio labefactatur aut delinquit, pro diverſarum digeſtionum depravatione & retentarum impuritatum retentione earundemque corruptione, diverſos etiam morbos promanare: Sæpiùs enim jam per ſuas partes declaratum fuit, cujuslibet morbi eſſentiam potiſſimùm in depravata hujus vel illius partis aut totius etiam corporis digeſtione & excrementorum congerie conſiſtere. Quibus ſic probè conſideratis, Autoris ſententia ſtatim expedita eſſe ac evidens poterit.

Ad §. 2.

Pulmo tam inter contentas eſt partes, ratione nimirum thoracis, qui eum comprehendit, quàm inter continentes, quatenus ſua vaſa complectitur, ut ex Anatomiis notum: Quapropter rectè monet Autor, per vocem pulmonis totam ejùs ſubſtantiam & partes ſimilares ſingulas, potiſſimum tamen vaſa, ex quibus hoc vitæ flabellum eſt conflatum, hic ſubaudienda eſſe. Cum autem partes ſpiritualem pulmonis fabricam conſtituentes ſint diverſæ ob ſuprà adnotatam cauſam ſeu digeſtionum varietatem, diverſæ etiam prout hujus vel illius partis digeſtio læditur, erunt ægritudines, quæ pulmonibus contingere queunt. Deinde ut pulmo non tantùm radices & propagines venæ arterioſæ & arteriæ venoſæ fovet; ſic etiam arteria aſpera hîc non negligenda, cujus mentionem hîc faciens Autor non ejus truncum, qui colli potiùs incola eſt, ſed diſſeminationes ſive cannas ac fiſtulas, quæ per totum pulmonis diſtrictum ſparſæ concernuntur, & bronchia alioquin Anatomicis ſalutantur, intelligit. Cœterum morborum ac ſymptomatum pulmonibus competentium accuratè diſpoſitum ordinem qui diſcupit, is Sennertum atque Jonſtonium aliosque Medicinæ fundamenta tradentes conſulere poterit: Nos vero Autorem ſequemur.

Ad § 3.

Ad § 3.

Cùm pneumaticum pulmonum regimen & nobile horum munus aut vitale miniſterium in reſpirationis (quæ juxta Aſclepiadem eſt animæ generatio , vel ſecundùm Anaxagoram , ejusdem corroboratio : Tanti enim reſpirandi neceſſitatem æſtimarunt , cùm ſine ea nequaquam vitam eſſe ſuperſtitem aut animam cum corpore unitam permanere poſſe , adeoque reſpirationem & vitam pari ambulare paſſu concernerent) libertate citra controverſiam conſiſtat,in propatulô ſtatim eſt, quantus labor & calamitas protinùs ſuboriatur, ſi aëris ad vitalem hanc officinam decens ingreſſus atque in præcordiis collectarum fuliginum promtus egreſſus ſeu emiſſio ex ſententiâ non ſuccedat. Unde itaque & ob quam cauſam reſpirandi hoc beneficium impediri aut laborioſum effici queat , Autor hîc demonſtrat , tam pulmonum obſtructionem, quàm hujus cauſas effectusque producendo denominandoque. Anſam ab ovô repetendi illorum minus prudentem ſententiam , quæ materiam excrementitiam , quæ pulmonum hanc hoſtilem parere obſtructionem ſolet, à ſupernis ſeu capite per aſperam arteriam in pectoris intima defluere ſeu deſtillare aſſerunt , hîc minimè arripiemus, utpote cui jam ſuprà ſatisfactum eſſe recordamur , ſed paucis tantùm dicimus, hanc ipſam mediam & vitali monarchiæ deſtinatam ſufficere omninò regionem, ad copiosè cumulanda & progeneranda hæc excrementorum nocumenta : Quæ enim partes uberiori indigent nutrimento , illas etiam multa coacervare excrementa poſſe , nullum utique eſt dubium ; aſt de pulmonibus & aliis in thorace partibus hoc jamdudum certum fuit : Imò accedit hûc etiam, quod in cujuslibet ſpiritus rectificatione (ſpirituum autem vitalium , qui â fermentô vitali in corde ſummam impetrant perfectionem , ibi ſubeſſe officinam , notorium eſt) multum magmatis, ut Chymici loquuntur , relinquatur. Si itaque hæc excrementa ritè non excernantur , vel ſi ex digeſtione alicujus partis depravatâ ipſum quoque nutrimentum inſuper in excrementitias ſcorias degeneret , manifeſta deſubitò obſtructionis in pulmonibus cauſa præſtô eſt, quam diverſa vel quantitas vel qualitas retentorum excrementorum variare poſtmodum ſolet. Affectus autem effectusque ex hac obſtructione pulmonum promanantes hîc ſpeciatim haud arbitrabimur,quùm de iis quædam monendi ſubſequentes theſes occaſionem ſint miniſtraturæ.

Ad §. 4.

Bronchia pulmonem quùm aëri vehendo ad vitæ conſervationem ſint

conſecrata, ab omnibus etiam excrementitiis impuritatibus libera ac pura naturaliter eſſe debent. Si ergò contingat, ut reſpirationis iſti tubuli aliquid de excrementitio ſqualore concipiant contineantque atque hinc obſtrui incipiant, tunc tuſſim, quæ nil aliud eſt, quam vehemens efflatio, cujus beneficio à partibus ſpiritualibus, quicquid obſtat illis, aut reſpirandi vitalem functionem lædit, expellere nititur Natura, oriri, nulli non in oculos incurrit. Quænam autem ſit materialis cauſa tuſſis (abſit autem ut credamus tuſſem eſſe deſtilationi, qua humores in pulmonum penetralia â capite decumbere creduntur, germanum affectum) paulò antè cognovimus, quæ ſi altiores radices ibi ponat, ſucceſſu temporis ita inſpiſſatur, ut vel lapideſcat & in calculum ſeu Tartaream ſubſtantiam vertatur, vel vitreſcat, ut gypſea ac glutinoſiſſima evadat: Quo facto nullâ propemodum ratione vel ægerrimè pulmonis œconomia poſtmodum ab eâ liberari poteſt; unde aſſidua etiam ac perpetua tuſſis. Et hæc eſt cauſa cur tuſſis â Paracelſo vocitetur affectus excrementalis, & ab Autore noſtro excrementi crimen tantoperè accuſetur, quod geminum is facit, vel liquidum, quod temporis tractu, ſi remaneat, valdoperè addenſatur; vel vaporoſum vel rectiùs flatulentum, quod ipſum mirè etiam pulmonum circulos turbare ac ſpirandi liberum negotium intercipere ſolet. Cauſa efficiens quoque non reticetur, cujus officio fungitur Natura ſive Archeus vel ſpiritus vitæ (vulgo facultas dicitur) qui tanquam vigilantiſſimus œconomus ac cuſtos confeſtim ſuam adornat ſpartam, & vel retinenda fideliter retinet, aut infeſta ſive excernenda omni conatu explodit atque excernere nititur, id quod tunc temporis concuſſivo hoc thoracis pulmonumq; motu etiam præſtat. Hinc intelligi ſtatim poteſt, quid ſibi velit Helmontius, quando dicit, tuſſim oriri ex ſenſu (propterea etiam vocatur effectus ſenſationis) noxii infeſtantis, & eorum, quæ tendunt ad extinctionem hoſpitis vitalis, ut ipſe loquitur: Deinde quùm tuſſis propterea audiat conatus Naturæ providæ, obſervandum erit imò cavendum; ne temerè tuſſim compeſcere ſtudeamus. Ergò non tantum quantitas & copia excrementorum ibi cumulatorum, verùm etiam qualitas v. g. acris, acida, maligna &c. eſt attendenda, quæ ſummam aſſiduamque tuſſiendi vehementiam concitare ſolet: Ubi hoc tamen nullâ ratione prætermittendum exiſtimamus, quod animata ſive verminoſa excrementorum vel ipſius ſanguinis putredo ſeu corruptio potiſſimùm circa inveteratam aut quoque ſymptomaticam in febribus malignis, peſte, variolis, purpurâ, ſcabie, &c. tuſſim peculiari ſolertia ſit attendenda, quam ipſam pathologiam alibi accuratiùs examinandam partim reſervamus, partim etiam perſuaſiſſimum nobis habemus, facilimô

negotiô

negotiô mentem noſtram conſequi quemlibet tam in penitiore cognitione hujus cauſæ, quàm ipſo curationis felici ſucceſſu poſſe, ſi ea ruminare non faſtidiat, quæ paſſim hoc de notatu digniſſimo themate jam communicata â nobis fuerunt: Adeoque qui malignitatis nervos infringere & verminoſam hanc ſobolem ſive animata illa effluvia vel atomos pulmonibus impactas mortificare callebit, is hujuſcemodi tuſſem quoque ex voto evincere poterit: Illam verò tuſſis ſpeciem, quæ pulmonum à viſciditate excrementorum præſupponit infarctum, haud quoque curabit difficulter, qui aſthmatis contumaciam expugnare valebit, aut reputabit ex Helmontio, flores Sulphuris ſolutos vel ad quintam Eſſentiam redactos afflictis pulmonibus exoptatiſſimum adſpirare juvamen.

Ad §. 5.

Ex pulmonum obſtructione, quam facultatis expultricis imbecillitas enititur, dum excrementitiam humiditatem debitè non proſcribit, difficultas ſpirandi in tres gradus potiſſimum â Practicis diſcernitur, quorum primus diſpnœa, â leviori inſtrumentorum ſpiritualium oppilatione orta audit; alterum refert aſthma, quod ut graviorem obſtructionem præſupponit, ita etiam cum cantu, (unde aſthma quibusdam dicitur quaſi aſma) ſonitu, fiſtulatione ac ſuſpirio, adeoque magno multoque cum labore fieri ſolet, & vel â ſummè viſcida ac glutinoſa impuritate vel â calculo ſive Tartaro ibi progenerato provenire ſuſpirioſum hoc malum ab Autore ſtatuitur. Tertium gradum conſtituit Orthopnœa, quæ reſpirandi difficultas crudelis planè, coacta & calamitoſiſſima exiſtit, utpote quâ laborantes non niſi rectâ cervice & cum miſerabili difficultate anhelitum ac vitam ducere queunt. Quæ omnia ut ex textu Autoris abundè clarent, ita hæc inſuper adjicienda cenſemus: Primum eſt: quòd nobis perſuadere vix queamus, in bronchiis ſalvâ vitâ ſolidum ſeu calculoſum quippiam permanere, multò minùs generari poſſe, quùm certiſſimum ſit & experientia fideliter teſtetur, ne micam panis archeum bronchiorum ſufferre poſſe, quin ſtatim ſuffocatio, ſi eam explodere non valeat, ſuccedat: Haud negamus tamen in ipſo pulmonum parenchymate ac diſperſis ibi arteriæ venoſæ & venæ arterioſæ ramulis calculoſam, tophaceam ſeu Tartaream materiam interdum progigni, veluti non tantùm Practicorum obſervationes id docent, verùm nos etiam ante hoc octennium in anatomiâ cadaveris maſculini â nobis adminiſtratâ his oculis conſpeximus, ac deprehendimus in jam nuncupatis vaſorum ſurculis aliquot lapillos avellanæ magnitudinem æquantes & pumiciam ſcabritiem oſtendentes, quorum tamen præſentia non tam aſthmaticam quàm pungitivi doloris ærumnam parere potis eſt: Alterùm eſt, quod explicationem

poſtulare

poſtulare perſentiſcimus, cur in orthopnœâ non niſi rectâ erectaque cervice reſpirare: adeoque æger hujusmodi nullâ ratione per decubitum quieti indulgere poſſit. Arbitramur videl. rectâ cervice atque erecto thorace materiam excrementitiam ac viſcidam, quia tunc ubertim ſcatent bronchia, verſùs radices loborum pulmonarium, ſeu deorſum, quia ponderoſa & gravia ſunt iſta excrementa, declinare: atque ſic ſpatium aliquod in bronchiis concedi, quò reſpiratio quodammodò licet difficilimè celebrari queat: Sin verò decumbat æger, tunc humiditas iſta excrementitia ſtatim per omnes pulmonum ambitus diffunditur, & bronchia undique implentur, ut ita aër per reſpirationem attrahendus nullum inveniat locum, atque hinc ſuffocationis protinùs immineat periculum. Tertio loco adduci poteſt, quod â maligna & virulenta etiam qualitate pulmones adeò non rarò conſtringantur, â cujus hoſtilitate, quò minùs irrumpere valeat, ita ſe tueri facultas vitalis deſiderat, ut hinc confeſtim ex ſtrangulatione interitus ſubſequatur, velut metallariis id totâ die accidere ſolet.

Ad §. 6.

Laudata ab Autore purgantia, cumprimis verò emetica, omnem cujuslibet morbi & ſic conſequenter aſthmatis etiam, in quo humorum excrementitiorum viſciditas intimiùs nupſit pulmonibus, nervum abſorbere, atque impactiſſimam materiam exturbare poſſe, vel ſpontè liquet. In Anglia beneficio attracti nicotianæ fumi ad mortis usque neceſſitatem aſthmaticum, ſuccedente ſtatim vomitu, feliciter ſanatum vidimus. Præmiſſô vomitivô Autor non immeritò attollit ▽am ex recentibus tabaci foliis, atque hinc expreſſo ſucco deſtillatam, cui nos adjungimus quoque ſyrupum ex eadem ſpecie, ſed decenter paratum: Habet enim hæc planta præ reliquis generoſam maſculè reſolvendi attenuandique glutinoſiſſimos humores virtutem, quo ipſo nomine inter antiaſthmatica ſpecifica nobiliorem omninò ſibi vendicat locum. Nobis talis in uſu eſt formula:

℞. ▽ pulmon. vitul. cum ſuccis
nicotian. ana. ℥iß
ſyrup. d. jujub. ℥ß.
nicot. per iterat, infuſion. parat. ℨiij.
ſpiritus 🜍 g. xv.

f. kräfftiger Bruſt-Tranck auff 2. mahl. Exoptatiſſimum certè in omni ahſtmate præbet auxilium: Ex mumiâ, ſanguine hirci vel cervi, myrrha ac Sulphure adpropriatiſſima remedia contra horridum hunc aſthmatis

matis impetum confici poſſunt, ſi Tincturæ & Eſſentiæ præſertim ex iis l. a. hermeticæ extrahantur.

Ad §. 7.

Acutiſſimum, & qui plerumque interfectivus eſt, Autor hîc proponit morbum, nempè Peripneumoniam, de cujus eſſentia eſt inflammatio & quidem pulmonum, à quibus etiam nomen ſuum affectus iſte habet. Quomodo autem pulmonum inflammatio oriri queat, facilè ex iis percipere poterimus, quæ ſuprà jam de inflammatione faucium vel aliarum etiam partium ediximus. Nimirum hîc pariter impetuoſa nutrimenti corrupti aut impuri ſanguinis vel excrementorum præter naturaliter retentorum fermentatio inflammationis in pulmonibus cauſa eſt, in qua mediaſtinum tantoperè, ut fecit Autor, accuſare aut inculpare nolumus, quùm illud non niſi in conſenſum hujus inflammationis ab inflammato jam pulmone trahi ſoleat. Deinde ex ſuperioribus jam abunde nobis etiam perſpectum eſt, unde inflammatio cum malignitate, quæ ſi vehemens ſit, metallicam & arſenicalem quaſi virulentiam æmulari ſolet, originem ducat, & quasnam circumſtantias illa conſociatas habeat, qua propter repetere eas haud opus erit. Imo quum valdoperè conveniat peripneumoniæ ortus cum pleuritide, ſicuti etiam iisdem ambo hi affectus feliciter curantur ſpecificis, infrà etiam plus lucis, ubi de pleuritide agetur, ad illius notitiam accedere poterit. Præterea apud omnes in confeſſo eſt: Ubi dolor & calor præter naturam ibi major affluxus, In quo canone tumorum conſiſtit geneſis. Ideoque inflammationem hanc tumor etiam non raro comitatur, qui niſi à bonitate Naturæ rumpatur & aperiatur, plerumque cum decumbentis vita actum eſt; adeoque ſi purulenta & cruenta materia extuſſiatur atq; exſcreetur, ſignum alicujus ſpei in curatione præbet. Tandem ut ſola loci affecti præſtantia pernicioſos ac periculoſiſſimos facit morbos, ſic etiam cum peripneumonia comparatum eſt, quod paries proximus vitalis throni ſuſpectiſſimo incendio tunc ardeat. Ergo acceleranda in tempore probatioris virtutis præſidia, ne verba poſtmodum fiant mortuo, & incaſſùm conteratur opera.

Ad §. 8.

Quùm peripneumonia ut plurimùm ab eximia putredine prodeat, ac proinde ſolemniter quaſi malignitatē combinatā habeat, Venæſectionis præſidium ob illas ipſas cauſas, quas dilucidè ſuprà jam aliquoties adduxim⁹, hîc admittere nullô modo poſſumus, ac proinde ſerio monemus, ut de malignitatis præſentiā certiores angue & ipſa morte pejus venæſectionem tunc fugiamus; ſin vero malignitatis ſuſpicio bona fide abſit, & plethora invicem applaudat,

ſanguinem emittere & promiſſi hinc ab Autore fructus fiduciâ potiri tandem licebit.

Ad §. 9. & 10.

Julapia ex decocto pectorali vel etiam alterante uſitato, cui radicem ſcorzoner. inſimul addendam ſuademus, parari atque ad gratum acorem ſpiritus ſeu ℘ 🜍 vel communis vel ♂tis vel etiam ſpiritus Ⓓ aut Sulphur. aut ⊖is ſed optimus inſtillari, fructuoſiùs verò horum ſpirituum loco acidum Mercurii, quod in præparatione Sudorifici Maximi ex ♃ remanere ſolet, ſubſtitui poterit: Tinctura viol. item flor. papav. rhead. beneficio alicujus ex prædictis ſpiritibus mineralibus, excepto ſpiritu Ⓓ, qui animam ſeu purpuram hanc vegetabilium potiùs mortificat, parata, hic conſimiliter ſua encomia meretur, ſi cum vehiculo conveniente ſedulo uſurpetur: Habent enim laudati ſpiritus energiam ſingularem compeſcendi morbificæ fermentationis impetum, atq; ſic inflammationem illam per conſequens tollendi. Sedata malignitate ac inflammatione tutò & utiliter porrigetur commendatum Vomitorium, ut per hanc motus vehementiam præſens in pulmonibus tumor juxtà rumpi queat, quod niſi fiat, in vitæ periculo utique æger conſtitutus erit. Specifica illa contra peripneumoniam, quæ Autor hîc propoſuit, Helmontiana ſunt, & pro peculiaribus in hoc caſu arcanis æſtimantur. Sanguis hirci habetur alexipharmacus, & ſanguinem concretum putridumque qui tunc in peripneumoniâ pulmones occupat, potenter reſolvit. Priapus ſeu virga tam cervi quam tauri omnibus illis vitiis ut effectiſſime medetur, quæ ex ſanguinis ſeu cruoris corruptione oriuntur, ita & viſceribus quacunque ratione afflictis, quorum ſubſtantia nihil aliud eſſe, quàm ſanguis concretus & grumoſus videtur, magno ſolatio eſt. Flores Sulphur. quod pectori ſacrum, rectiùs ex ⊖e communi ♎antur, quam ex ♁ 🜍li, & ſic pulmoniacis magis ſalutares evadunt, atque malignitatem tumoremque validiùs diſcutiunt. Spiritus terebinth. ſi cum pauxillo ſpiritu Sulphur. vel 🜍 per debitam digeſtionem uniatur; & de novo cohebetur, præſtabiliſſimam virtutem abſtergendi & conſolidandi interna ulcera adipiſcitur. Sed plura, quæ graviter etiam affectis pulmonibus inſuper conferunt, ex ſubſequentibus cognoſcenda dabuntur.

CAP. XXVIII.

De *Vomica.*

§. I.

VOmica eſt pulmonis abſceſſus ſeu tumor parvulus exiguusque ab excrementis

mentis virulentis & malignis ipſius pulmonis ortum ducens :Ne autem cordi ac ſpiritui vitæ noceant illa , ad partem aliquam pulmonis detruduntur ac ſeparantur, inſuperque membranulâ tenui obducuntur , ſub cujus tegumento putreſcunt , & adeò magnam malignamque qualitatem acquirunt,ut tandem hinc rumpatur iſta membranula, & virulentum malignumque illud pus per totum pectoris ſpatium diffundatur, cor petat, vitamque ejus inficiat, ac calorem inſitum obruat atque extinguat , unde repentina mors ſequitur.

§. 2. Occultum ſanè & abſtruſum hoc vitium eſt, quod nec ipſi ægroto nec Medico patet : Neque etiam eô laborantes munia ſua ac vitæ functiones ullô pacto intermittunt, ſed ſani occluſam ſub pectore mortem gerunt. Sunt tamen ſigna quædam ſed leviſſima, quibus deprehendi morbus hic poteſt : Qui enim vomicâ laborant, ſublivido colore in facie tinguntur, & lingua lentore quodam delibuta eſt, maximè cum longè â cibo abſunt & diu jejunarunt, ſiquidem vapores lenti ac viſcidi ad fauces hinc adſcendant & linguam inficiant ; adeſt ſpiritus gravis etiam ac fœtidus, corporis gravitas, pectoris oppreſſio levis, & ſpirandi quædam difficultas : Rarò autem tabes comes eſt : Tale etenim venenum diu ſub pectore latere non poteſt,quin ſigna quædam ſuæ malignitatis oſtendat; quibus apparentibus ſic ſtatim ſuccurrendum eſt.

§. 3. Purgandum inprimis eſt corpus noſtrâ purgatione ☿iali , nec exiſtimo meliore ac tutiori medicamento, quàm hoc ſolo uti Medicum poſſe adverſus crudelem & tantum hoſtem , quod ter aut quater eſt continuandum per 3. aut quatuor dies ac ſummo mane jejunoque ventriculo danda ſunt vj. vel viij. gran. ☿ noſtri præparati cum Vino pauco, poſt tres verò horas propinandum eſt juſculum butyro alteratum, ut meliùs fluat alvus.

§. 4. Purgatô corpore utendum deinde eſt Oleô ⊕ vel Sulphuris cum pauco ſpiritu terebinth. ad gutt. x. aut xij. uniuscujusque propinatis , & cum ſyrup. viol. permixtis : ſic enim curabitur vomica , & vel evaneſcit vel rumpitur ſine læſione, quia malignitas majori ex parte purgatione noſtra evacuatur , quæ nullo alio medicamento evacuari poteſt , niſi ſolô hôc ☿iô purgativo vel ſudorifico, quod ſudoribus elicitis in tuto ſit æger.

§. 5. Rubrum etiam ☿ij ℅ in curatione vomicæ mirum , tutiſſimum & jucundiſſimum eſt remedium , licet condemnatur, quia ex ☿iô educitur: Tantum namque in ipſum ☿ium eſt timoris , ut, quicquid ex eo eliciatur, condemnatur , etiamſi ſit optimum.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

VOmicæ nomen apud Philologos eſt internus abſceſſus copioſam ſaniem quaſi vomens, unde etiam derivatum creditur. Propriè apoſtema illud eſt pulmonis tuberculum, quod Autor tumorem parvulum vocat, papulæ ſeu veſiculæ adinſtar ſe habentem & ſub tunicâ pulmones cingente, quæ tunc diſtenditur, malignum excrementum continentem, de quo tuberculo omnium primus Hippocrates ediſſeruit. Humoris ſeu mucilaginis excrementitiæ ſumma malignitas ac virulentia, quæ vomicam conſtituit, ut ab inſigni pulmonis errore contingit, & à Naturæ providentiâ â centro pulmonum ad circumferentiam propellitur, ita veriſſimum quoque eſt, quod Autor & cum ipſo Helmontius omnesque cordatiores Practici aſſerunt, quemvis nempè ex ruptâ vomicâ interire confeſtim ac mori, quod maligniſſimo hoc contagiô totum thoracis cavum ſic compleatur inficiaturque, atque ſic vitalia effectiſſimè extinguantur. Præ reliquis tamen metallarii huic obnoxii obſervantur malo, dum eructatum ex fodinis gas realgare ac virus arſenicale, hoc eſt, ſubtiliſſima pariter ac penetrantiſſima metallicorum fumorum malignitas ab illis inſpirando attrahitur, quam dum ſpiritus vitæ expellere conatur, talem abſceſſum ſeu vomicam in pulmonum ſuperficie fieri cuncti fatebuntur, quibus perſpecta eſt criſium abſceſſuumque cauſa & natura; quos ſpiritus vitæ ſive Archeus poſſeſſionem ſuam tueri geſtiens principaliter efficere ſolet.

Ad §. 2.

Valdè inſidioſus & obſcurus eſſe ſolet cujusvis malignitatis inſultus, ita ut dum in fieri illa adhuc eſt, tam Medicum quàm ipſum malignitate hâc infectum non raró ita ſecuros reddat (præſertim quod functiones naturales ſolitasque absque evidenti impedimento adhuc expedire poſſit, licet hoc virulentiæ ſeminium in pectore jam reconditum habeat) ut poſtmodum inſperato tyrannidem ſuam exerat atque deſubito jugulet. Quùm itaque levioris momenti videantur ſigna illa, quibus in tempore hujus affectus exordia cognoſci queunt, ea junctim, quæ ab Autore hîc cernimus appoſita, ſedulò ſunt attendenda; imò ſi vel minima hujus mali ſuſpicio adſit, ſtatim ad excellentiora Bezoartica & Alexipharmaca tunc recurrendum erit. Atque ut incipiens ac levis etiam reſpirandi difficultas nullam aliam præ ſe ferens aut exhibens cauſam manifeſtam, eſt ſuſpecta valdè, ita malignitas tunc ſtatim in mentem nobis venire debet, præſertim ſi ſpontanea

quædam

quædam corporis laſſitudo, quam Autor corporis gravitatem nominat, huic accedat, præterea etiam quod livor faciei ſi is quoque tunc adſit, (futuram calidi nativi extinctionem ominans) lentor linguam obſidens (corruptiſſimi enim excrementi viſciditas malignitatis genuinum nidum præbet) & inſolitus ex anhelitu fœtor, qui graviſſimam putredinem ſignificat, malignitatis evidentia omnino ſunt attributa. Cur verò tabes vomicam comitetur rarò, fit propterea, quod illa temporis diututnitatem requirat, hæc verò citò & inopinatò fiat, atque celeriter etiam ob ſummum & cordi vicinum malignitatis acumen terminetur.

Ad §. 3.

Quum exquiſitæ malignitatis certitudo eſſentiam ac naturam vomicæ conſtituat, â purgantibus omnimodè abſtinendum, & ab Autoris parte, ſalvô tamen ejus honore, hoc in puncto nequaquam ſtandum ſeriò aſſerimus, ob cauſarum illarum impenſè arduum pondus, cujus mentio toties jam celebrata fuit.

Ad §. 4. & 5.

Spiritum illum abſtergentem ex ſpiritu terebinth. & 🝆 Sulphur vel ⊕li præviâ digeſtione probè unitis compoſitum, ſicuti etiam omnia ea remedia, quæ peripneumoniæ curandæ adpropriata probavimus, in vomicâ ſananda convenire concernimus quidem, ſed eâ conditione tamen, ut Sudorifica ac Bezoardica nobiliora tam ex ☿iô parata, quam alia, quorum catalogus jam ſuprà nobis innotuit, ante omnia adhibeantur, utpote quibus ſolis præcipuè infenſi & maligni hoſtis ferociam expugnari poſſe, ſuo jam demonſtravimus loco. Tandem ⸪ ☿ij rubro ſed ritè & juxta abſtruſiorem phyſicamque pyrotechniam parato ſuas alibi jam diximus dicavimusque laudes, quod nempe ſit in corroborandâ Naturâ & purificando ſanguine ſingulare arcanum, velut ex Myrothecio ipſius Autoris patet, qui tam præparationem quàm peculiares virtutes luculenter explanatas reliquit.

CAPUT XXIX.

De *Tabe & Phthiſi.*

§. 1.

TAbes ſeu phthiſis in pulmone fit ab excremento lento ac viſcidô 🜍ris balſamici, quod â calore continuô ⊖is ſeu calcis & 🜿ri naturam acquirit,

quirit, pulmoneſque deſiccat & conſumit: Hinc ex particulari hâc pulmonis tabe ac phthiſi cor, & deinde totum corpus deſiccatur atque areſcit. Pulmo interim ſic arefactus aut deſiccatus contrahit quoque ulcus, unde ſpiritus pulmonis cuſtos excandeſcit ac inflammatur, & febris hectica ſeu lenta tabem phthiſinque ſequitur: Spiritus etenim noſter ab excrementis illis præternaturaliter viſcidis lentisq; excandefactus ſeu inflammatus, quod ipſa edomare & foras propellere ſtatim nequeat, domum ſeu ſedem ſuam, cor puta, cui ſe inſinuat, itidem inflammat, ut exinde febris per totum corpus oriatur, cum ſpiritus inflammatus totum etiam corpus permeet atque penetret. Rationem quod ſpectat, cur ſpiritus tunc excandeſcat ac inflammetur, ea in hoc potiſſimum conſiſtit: Nempe dum excrementa hæc qualiacunque tanquam ipſi noxia hinc expellere is contendit, difficultatem verò ob eorum lentorem ac copiam inveniat, tunc neceſſe eſt, quia calor inſitus id ſolùm facere non poteſt, ut irritetur & excandeſcat, ſeu potiùs, ut calorem ſuum inſitum augeat, quò iſtud peragere queat: Unde ejus excandeſcentia ſeu inflammatio, atque ſic ſecundum rationem excrementorum, quæ foras à ſpiritu propellenda ſunt, febris generatur. Itaque die criticô ſeu potiùs ante criſin augetur febris, ut expulſio excrementorum potentior ac fortior fiat, donec propulſa ſint: Tunc enim miteſcit & quieſcit ſpiritus noſtri accenſus calor, quod ipſum tamen multò clarius in tractatu de febribus, quàm in præſenti hoc de Tabe ſeu phthiſi capite oſtendemus.

§. 2. Et quamvis phthiſeos comes ſemper ſit febris, tamen non ſolùm ratione excrementorum, quæ ſpiritum noſtrum irritant & incendunt, ſed etiam ratione ulceris & ſoluti continui, quod ibi reperitur, ea fieri ſolet. Ulcus autem & ſolutio unitatis, quæ ſpiritum pulmonis cuſtodem conſimiliter inflammat atque incendit, ſic pedetentim ortum ſuum habet: Scilicet pulmonis alimentum, quod ab ipſa Naturâ ſeu ſpiritu ad pulmonem demandatur, ut eo nutriatur ac conſervetur, totum purum non eſt, ſed excrementa quædam habet: Hæc igitur niſi ſeparentur & â pulmone propellantur, tunc cumulantur illa, & poſtmodum â calore continuô ita acria & mordacia redduntur, ut tandem longitudine temporis calcis ⊖isque imitentur naturam, demumque ulcerent ac ſolvant partem, cui inhærent. Atque ſic fit in pulmonibus ulcus.

§. 3. Quùm autem excrementa illa ſicca valdè ſint & arida, ideò ſiccant & exurunt pulmones propter illam ariditatem ſeu ſiccitatem ſuam, unde etiam propriè fit tabes ſeu phthiſis, quæ rectiùs aridura â Paracelſo dicitur, quod reverà ab aridis ſiccisque cauſis proveniat, & quod ſiccet

adurat-

aduratque non tantùm pulmonem, verum totum etiam corpus : Nam ab ipsô pulmone cor tandem patitur quoque & à corde poſteà communicatis auctisq; hinc ſimilibus excrementis aridis ſiccisque totum corpus afficitur : Quali enim alimento nutritur pulmo, tali ac prorſus ſimili totum nutritur corpus , unde ab iisdem ac ſimilibus aridis ſiccisque excrementis ſiccatur etiam & aduritur totum corpus, atque ſic tabes, conſumtio & aridura totius corporis oritur,quæ tamen in quocunque etiam ſit gradu curari poteſt, quicquid Galenici etiam clament.

§. 4. Inprimis ergo evacuanda ſunt illa excrementa ſicca & arida, quæ tabem & phthiſin conſtituunt, quæ tamen evacuatio omnibus aut quibusvis medicamentis Catharticis ac purgantibus non fit , ſed ſolùm peculiaribus ac propriis, quæ corpus inſimul humectant atque reſtaurant : Deſumuntur autem potiſſimum ex ☿:ô vulgi ſeu communi , ex quo miris modis fit ▽ & ☍ , quod rectificatum & ad dulcedinem perductum verum , tutiſſimum ac certiſſimum tabis ſeu phthiſeos omnis eſt remedium : Hoc enim excrementa illa ſicca & arida foras expellit non ſolum per alvum, ſed & per urinas ac ſudores, ſicque totum ſanguinem ab omnibus excrementis expurgat atque proinde partes omnes reſtaurat & reficit , cùm alimentum earum , in quo ſolo robur & reſtauratio conſiſtit , ita renovetur reficiaturque.

§. 5. Margaritæ etiam in Eſſentia illa ☿iali diſſolutæ & in butyrum converſæ beneficioque ſpiritus X rectificati in verum ∴ dulce converſæ ſunt tutiſſimum & certiſſimum phthiſeos remedium. Sunt quamplurimi, qui hanc eſſentiam ☿ialem conficere norunt , & proinde non opus eſt , ut hæc doceatur , quò omnibus communis ſtatim & vulgaris fiat , licet vulgaris eſſe mereretur propter neceſſitatem ; quùm tamen ſit margarita totius Alchymiæ , hæc proſtitui non poteſt,nec communicari indignis , ſed qui eam ſcire cupit,chymiæ & operibus ejus ſtudeat.

Animadverſiones.

Ad CAP. XXIX. in genere.

Ad §. 1.

NE nominum ratio nos confundat , hoc de iis præmonendum cenſemus , quod modò latè accipiantur , modò preſsè : Latè ſumuntur pro

pro conſumtione & macie univerſali ſeu totius corporis, ex quacunque causâ id fiat; ſtrictè verò pro ea, quæ ex putreſcentia ac ulcere pulmonis primariò, ſive id jam præſens ſit ſive futurum, oritur; Phthiſici enim non ſolùm ii conſueverunt dici, qui jam actu laborant, & ulcus pulmonum patiuntur, ſed etiam, qui diſpoſitionem naturalem eò habent, quales v.g. ſunt illi, qui anguſto ſunt pectore: Autor tamen hîc loquitur potiſſimum de illa phthiſi, quæ ulcus pulmonum habet, quod extenuatio totius corporis vel colliquatio potiùs excipit, quum omnia viſcera adeoque totus corporis habitus in mucum ac ſputum, quod copioſiſſimè ac perpetim rejicitur, migrare tunc videatur: Malum ferinum, quod certò jugulet, & eodem, ut Helmontius conqueritur, integræ pereant familiæ, haud inconcinnè vocatur.

§. 1.

Ad generationem phthiſeos ut multa poſcuntur requiſita & circumſtantiæ, ita cumprimis ad cauſas antecedentes & diſpoſitivas, ut ſic loquar, reſpiciendum cumprimis eſt. Ante omnia ergo videndum, num ſeminium, vel juxta Helmontianam phraſin, ſigillum & character hujus morbi â parentibus hæreditariô jure ſit traductus; quod ſi ita ſe habeat, & parentibus phthiſicis quis natus exiſtat, tunc leviori de cauſa poſtmodum vis hujus transplantatæ phthiſeos ideæ erumpere ſolet, imò archeus pulmonum ac præcordiorum vel naturaliter tunc debilior præſtò eſt; cui ſi etiam vitium conformationis in pectore ejusque anguſtiâ, ita ut pectus videatur velut ex duobus aſſeribus compactum, accedat, phthiſicum malum eò faciliùs incrementa ſua capeſſere valebit. Poſteà renum infirmitas atque obſtructio nulla ratione hîc negligenda: Hæc ipſa enim eſt, quæ ſalſedinis, acrimoniæ, & aciditatis, quæ nunquam non viſcidæ mucilagini cuidam inhærere ſolet (unde 🝛rus fæcalis mucilago vitrea ſeu glutinoſiſſima Poterio etiam audit) labem ſanguini imprimit, eamque ad illam poſteà corporis partem transfert, quæ naturalem quandam imbecillitatem nacta eſt. Si itaque pulmones hæreditariâ infirmitate ſint præditi, vitium ſanguinis vel ſponte hîc decumbit, atque ſic diſpoſitio illa ſeu primordium ad phthiſin conſtituitur. Quibus præmiſſis mentem Autoris conſpicue ſtatim percipere poterimus: Nempè cum tenera pulmonum ſubſtantia delicatum & probè purificatum requirat nutrimentum, pulmones verò ſint fortè naturâ debiles, ac prætereà ſanguis ipſe, quo nutriendum eſt molliculum hoc pulmonum parenchyma, ob ſuprà accuſatam renum oppilationem, multâ viſciditate, quæ in centrô ſui velut ſepultam habet iſtam ⊖ſuginem ſeu 🝛ream ſaburram, ſcateat, fit poſteà, ut propter hanc

hanc ipſam pulmonum nativam vel etiam non rarò adventitiam imbecillitem & ſanguinis impuritatem ſpecificâ digeſtione ſanguis iſte tunc potiri decenter non queat, hoc eſt ut excrementa & partes illæ nutrimenti, quæ alendis pulmonibus non conveniunt, non ritè ſegregentur & propellantur, ſed retineantur potius ac coacerventur, atque ſic ſucceſſu temporis tam facultas nutrix ita infringatur, quàm ipſum alimentum inquinetur, ut corruptionis adparatus omnibus modis hinc ſuccreſcere & vim ſuam exerere incipiat. Adeoque cùm circa præcordia & in eorum penetralibus focus caloris nativi radicaliter diverſetur, non poteſt non fieri, quin excrementitii humores illi præternaturaliter in pulmonibus retenti corrumpantur ac putredinem concipiant, atque primò non tantùm lentorem illum glutinoſum, verùm etiam ex continuata hâc aſſatione majorem acrimoniam & vim corrodendi ex ſalſedine illâ tunc magis ad actum perducta adſciſcant, unde tam pulmonum (qui ob teneram ac delicatam quâ pollent mollitiem poſteà non difficulter eroduntur atque exulcerantur) quàm totius corporis tabeſcentia ac conſumtio protinùs in propatulo eſt, veluti Autor etiam hoc nobis in textu ſuo ſic declaratum dedit. Verum enim verò ſi impurum alimentum & retenta excrementa per morbificam fermentationem corrumpi ac putreſcere, & hinc non ſolummodò ea acida, quæ pulmonum genio impenſè hoſtilia ſunt (humorum enim aciditas eſt primus & indubitatus ad corruptionem gradus) verum quoque magis adaucta illâ putredine ac corruptione eiuſdem animata inſuper ſeu verminoſa (corruptio namque non eſt ſine generatione & vice verſâ) evadere attenderimus, doctrina hæc fulgidiorem utique impetrabit lucem, ut tam genuinam ac veram copioſi ſputi in tabe rejectionis aſſiduæque tuſſis, quàm ipſius etiam tabis, quæ æquè pulmonibus ac toti tunc contingit corpori, item exulcerationis nec minùs febris hecticæ ſeu inflammationis cauſam & eſſentiam luculentèr tradere vel ad amuſſim exponere, ſed & appropriàta remedia advenire, atque excogitata famoſo huic Medicorum ſcandalo aut opprobrio opponere valeamus. Verùm quum hoc ipſum nobile in Medicinâ fundamentum jam ſuprà notis ſuis illuſtraverimus, & infrà de febribus acturi illud ultrà explicandi anſam accipiemus, inſuperque certiſſimum ſit, quod exulcerationis ulcerumque omnium documenta rectiùs cognoſci haud poſſint, quàm ſi animatam corruptionem accuratè habeamus perſpectam, ideoque prolixitatem plura circa cauſæ dilucidationem hic proponendi ſtudiosè jam evitabimus: Imò ſtante hôc Neotericorum fulcrô Autoris ratiocinium illuminato ſenſu abundè ac veluti ſpontè gaudebit.

Ad §. 2.

Phthiſis perfecta & ad vigorem perducta omninò ſtipatur ſemper febris ſatellitiô, non verò illa protinùs, quæ eſt adhuc in fieri: Ut autem â fermentatione & putredine excrementitiorùm humorum in pulmonibus collectorum hujus viſceris ac totius corporis contingit inflammatio ſeu febris, dum per fermentationem hanc vitioſam ſpirituoſa excrementitiæ ae morbificæ nequitiæ effluvia confertim hinc generantur, efflantur, atque undique cum inflammato hinc nutrimento ſeu ſanguine diſtribuuntur; ita etiam indubitatum eſt, præſente in pulmonibus ulcere fermentationem illam ac inflammationem vehementiùs continuari pariter atque exacerbari, veluti graviores exulcerationes partium præſertim verò vitalium plerumque concomitantem habere febrem ſolent: Quum enim ulcus & ſolutio unitatis utplurimum dolorem habeat junctum, præſentem verò dolorem uberior humorum & cum iis impuritatum quoque affluxus excipere ſoleat, fit etiam, ut fermentatio violenta non interruptâ ſerie hinc continuetur, & febrili incendio corpus perpetim ſic flagret: Deinde ulceris etiam ratio ita eſt inſtituenda, ut tam ejus ortus quam effectus hîc exactè conſideretur, Ex magnâ corruptione impuritatum in pulmonibus factâ oriri verminoſam ſobolem, cujus natura nobis ex doctrina de putredine animata hactenus & alibi ſatis innotuit, nullo modo dubitamus, adeoque pronunciamus, pulmonum conſumtionem, corroſionem & exulcerationem quoque exinde reverà provenire, & â vermiculis illis atomorum adinſtar minutiſſimis dependere; quod ipſum qui ſibi perſuadere non poterit, is corruptionis naturam accuratius examinet, & ſputa etiam â phthiſicis rejecta auxilio microſcopii rectè parati ſedulò inſpiciat, & oculis ſuis videbit, ſputa illa in rei veritate animata eſſe: Deinde quùm verminoſa hæc progenies ſui expoſcat nutritionem, veram conſumtionis ſeu tabis, quæ pulmonibus & toti tunc accidit corpori, cauſam in oculos quaſi incurrentem habebimus, atque conſimiliter intimiorem adhuc deprehendemus rationem, unde affluxus vel avida attractio humorum ab aliis partibus ad locum hunc affectum tantoperè tunc ſuppetat. Atque hæc illa eſt cauſarum catena, quæ cuivis Medico ſtudioſiſſimè ponderanda venit, utpote ex qua appropriatæ curationis articuli ex votô poſteà ſuccurrent.

Ad §. 3.

Per excrementa ſicca & valdè arida more Medicorum Autor intelligit ea, quæ

ea, quæ ſiccitatem & ariditatem ſummam inducunt, vel quæ obtinent vim ac potentiam corporis habitum & carnoſitatem, adeoque ipſum radicale humidum tandem cum vehementiâ conſumendi ac depaſcendi, qualia ſunt acida ac ſummoperè ſalſa vel aduſta illa ſive cauſtica recrementa; noſtro tamen animo præcipuè verminoſa illa miaſmata hîc ſunt reſpicienda, quæ ex nido ſuo toti corpori ſe inſinuant, & in omnes ſingulaſque ejus partes diſperguntur: Illa enim reverà ſuccum & humidum omne penitùs devorandi & radicitùs depopulandi tyrannidem exercent: Hæc ipſa verminoſa effluvia ſtabulari hinc in toto corpore poſſe, cumprimis in ſuperficie corporis ſeu inter cutem, enatæ maculæ illæ pulicares vel aliam formam oſtendentes ſufficienter confirmatum dare poſſunt, quæ maculæ ſanè nihil ſunt aliud, quam iſta animata effluvia ſub cute latentia, quæ vel livida vel rubentia vel nigra etiam, & ſic porrò concernuntur, prout corruptionis gradus aut malitia ſe habet: Niſi enim maculæ illæ vel cutis efflorеſcentiæ, exanthemata, aut puſtulæ etiam ac papulæ &c. eſſent animatæ, impoſſibile omninò duceremus, ut tam citò ob appulſum externi frigoris vel aliam quoque cauſam repelli ac retrahi â circumferentiâ ad centrum poſſent; deinde etiam retrograda jam facta hæc exanthemata ſi meræ eſſent fuligines, tantam anxietatem & vitæ imminens periculum inferre haud poſſent, veluti ex praxi hoc ipſum conſtare ſolet: Imò ſi puræ putæ exhalationes eſſent, faciliori etiam negotiô expelli rurſum â centro ad circumferentiam poſſent: Retropulſa vero animata effluvia veluti perterrida multò arctiùs poſteà & contumacius partibus præſertim vitalibus viſceribusque nobilioribus adhæreſcunt, ita ut hinc ſuprema citiſſimè accelerentur. Quæ ipſa pathologia ut diligentiſſimo examine ac ſolicitudine eſt digna, ita ſuo tempore ac loco magis ex profeſſo â nobis perputabitur. Affectis & humiditate ſua admodum orbatis pulmonibus ipſum vitæ quoque conceptaculum ſeu cordis fabricam eandem ariduræ ærumnam ſuſcipere atque ſic promptiſſimè compati, nemo in dubitationem vocabit, modo junctam horum viſcerum viciniam & arctiorem ex peculiari invicem cônnexione ac uſu neceſſitudinem attendat. Quum itaque cor ſit ☉ ac jubar vitale microcoſmi, (non ſecùs ac ipſe ☉ appoſitè rurſus cor cœli audit) fit etiam ut ſpartam Solis excellentiſſimè adornet, & virtutis vitalis radios in omnes corporis noſtri plagas perpetim diffundat, easque vitali lumine affatim illuſtret, & alimentum ibidem vitali donô probè inſtructum indeſinenti influxu pro conſervatione ac vegetatione partium transmittat. Si itaque vitale nectar, quod in præcordiis ultimam adipiſcitur perfectionem, & efficaciter quasvis partes nutriendi poteſtatem, jam ſuprà damnatis ſpiritibus

excrementitiis atque potiſſimum animatis fuliginibus inquinatum infectumque exiſtat, patet confeſtim, unde reliquarum corporis omnium partium ariditas eodem modô hinc contingat, ut anteà de pulmonum conſumtione dictum fuit. Ergo canonis indubitati autoritatem obtinere poterit: Quali alimento nutritur pulmo, tali totum etiam corpus, & bono quidem benè, malo malè nutriri neceſſum eſt. Tandem an phthiſis curari ex ſententia ac facilè poſſit, hîc quærendi offertur anſa: Autor id aſſerit; ſed Helmontius rectiùs omninò hic ſentire videtur, cujus verba adſcribi propterea merentur: Admodum difficilis eſt, inquit, labentis vitæ (quæ calamitas phthiſicis quaſi propria eſſe videtur) reſtauratio. Pulmo nempe ab alimentis imò & medicamentis vix opem nanciſcitur, quippe quæ per tot digeſtionum officinas nativæ ſuæ indolis ac virtutis dotes deponunt, antequam pulmonem intrent: Vel parum certè eſt, etſi tantillum priſtini odoris è concreto ſuo reſervarint: Eſt nempe id ſatis inefficax & reſtaurandæ virtuti, quæ tunc in pulmonum diverſorio fracta, aut emendandæ debilitati omnimodè impar &c. Et hactenus Helmontius. Ex quô manifeſtum ſtatim evadit, cur affectus pulmonum & præſertim phthiſis eaque jam conſummata curatu ſit difficilima. Ergo ſi quiſpiam ex toto morborum cumulo ſibi incurabilitatis epitaphium expoſcat adſcribendum, certò pro cœteris omnibus phthiſin hæc ſibi vendicare poſſe, ipſa experientia quotidiè comprobat.

Ad §. 4.

Magnum utique diſcrimen eſt inter Evacuantia ſeu Purgantia, qualia vendunt officinæ & vulgaris Chymia parare docet, quæ nempe non ſine impetu & quadam imò ſæpiùs inſigni cum virium proſtratione humores excrementitios, & cum iis quoque alimentitium vitalemque ſuccum exturbant; & inter illa Evacuantia, quæ non tantum ſordes in penitioribus etiam corporis noſtri latebris hærentes quaſi ſaponis adinſtar abſtergunt, & omnem è vaſis amurcam per ſudorem & lotium cumprimis potenter ſine ullâ moleſtiâ educunt, verùm inſimul etiam vitalem Tincturam ſuaviter irrorando ac humectando confortant, & refectionis hoc nec minùs exoptatæ mundificationis beneficium præcellenter præſtant; ſicuti ſemper eò invigilandum eſt Medico, ut Naturam, quæ præcipua eſt morborum curatrix, non conſternendo eam, ſed corroborando potiùs ab impuritatum ſarcinâ liberet. Igitur ad arcana & ad thronum perfectionis ſummæque puritatis ac ſubtilitatis perducta remedia hîc recurrendum, quæ aut fulguris adinſtar abditiſſimos etiam corporis receſſus ſe penetrare, vel quæ ſui proprietatem ad minimum radialiter ad diſſitas partes diſpergere valent, non ſecus ac juxta Helmontium vel ſola ſtomachi virtus in

cunctas

cunctas digeſtionum quarumvis familias extendi dicitur. Autor unicum, quod inſtar omnium eſſe poterit, hic denominat arcanum, nempe Eſſentiam ſeu ☿ ex ☿io vulgi confectum, & ad ſummam dulcedinis ſuavitatem redactum, quod ut in Myrothecio ſuo præparare is dilucidè docuit, ita de hac quoque Eſſentia, quod nempe ſanando perficiat, quicquid optare poteſt Medicus, dictu & notatu neceſſaria jam ſuprà nos adjeciſſe meminimus. Id tantummodò hîc ſubolfaciendum monemus, quod Autor commendando hoc præſidium & medicamentum ſummum in centro ☿ij deliteſcens, vel tacitè etiam innuere videatur, aut nos ſaltim concludere hinc teneamur, animatam putredinem in phthiſeos cura cumprimis eſſe attendendam, ſiquidem certiſſimum ſit & ipſe Autor etiam id ſciverit, vermibus potiſſimum & per conſequens verminoſæ itidem putrilagini, adeoque omni corruptioni nihil tam inimicum ac ferale, quoniam citiſſimè eam extinguit ac mortificat, quàm ☿ium, & ex eo rite parata remedia atque melle dulciora facta.

Ad §. 5.

Quid margaritæ ſint, quas alio nomine modò uniones perlas vocant, Phyſici pariter ac Medici ſpecioſa paſſim induſtria exprimere nituntur: Et illi quidem, dum eaſdem nil aliud eſſe mirantur, quâm concharum mirificos partus, vel qui meditationum ſuarum alas altiùs dirigunt, coagulum roris cœleſtis, quod mirabili quadam potentiâ ſeu magnetiſmo conchæ marinæ rorem cœleſtem ☉aremque â ſpiritu univerſi approbè imprægnatum attrahere, atq; ex eodem virtute ☉is & jam benedicti ſpiritus margaritæ generari ſoleant. Quod ipſum agnoſcentes poſtmodum & ambabus maninibus arripientes Sophiatri ſtatim argumentati ſunt, margaritas præſertim ſpagyricè præparatas, & in virtute ſua mirum quantum exaltatas, hoc eſt in materiam ſuam primam redactas Cardiacum potentiſſimum præbere, humidum radicale ſive vitæ humorem potenter roborare, depaſtumque â cauſis præternaturalibus reſarcire &c. quod auri imò & ipſorum aſtrorum præſtabiliſſimas vires egregiè æquet lucidiſſimus perlarum ſplendor. Autor itaque hinc butyrum beneficio eſſentiæ Mercurialis conficiendum eſſe ſuadet; quod arcanum (eſt enim hoc remedium reverà ex indice arcanorum Hermeticorum) Helmontius elegantius adhuc indigitat, & modò lac ſpermaticum, modò elementum lacteum, Raimundus Lullius verò lumen perlarum, & Paracelſus Elixir margaritarum adpoſita denominandi ratione ſalutant. Præcipuè tamen ſublimiorem de hôc medicamine imò de univerſa ariduræ curâ philoſophiam inſtituit Paracelſus, quam ut paucis hîc inſpiciamus & tangamus, adeoq; ad ſublimiora ſurgendi ſcalam offeramus, utique operæ eſt pretium. In curatione phthiſeos, inquit circiter magnus hic Philoſophus

omnium primò conſiderandum eſt, ut phœbo microcoſmi ſufficiens ſubminiſtrari humiditas queat, quo perpetim ſe ſuſtentandi medium habere queat: Medico igitur incumbet, quùm ſuperi cœli plagas ad obſequia ſua pro lubitu cogere non valeat, ut ad artis abſtruſioris recurrat penetralia, & hinc aliud cœlum, hoc eſt peculiare aliquod arcanum ad feliciter conſequendum hunc ſcopum ſibi parare ac perficere ſtudeat: Nam arcanum hujuscemodi in manu Medici conſimilem omninò energiam exhibet, quam ipſa culmina cœli, cujus cryſtallinum & refulgentem nitorem, hoc eſt ſummam puritatem id obtinere debet. Quod ergo cœlum ſuperius Medico tunc denegat, id inferior Olympus ubertim largitur ac veluti reſarcit. Cœlum, inquam, hoc eſt tale arcanum tunc in promtu habere debet Medicus, quod æqué ac ſphæra cœleſtis ſuperior fontis ſui venas aperit, hoc eſt pluvias & rorem ſuppeditat, ſeu ariditatem illam ac phthiſin effectiſſimè tollit. Et talem effectum ex votô præſtare ſperma margaritarum poterit: Ut enim hoc ipſum in mammis lac, quod anteà deficiebat, oppidò exuberare facit; ita ad phthiſicorum curam hinc ratiocinari haud ineptè licebit; Margaritarum nempe cœlum ſive lumen aſtrale ſeu arcanum pluviam quaſi & rorem vivificantem in partibus à tabe ſeu phthiſi conſumtis concipit, & non ſecùs ac cœlum influentiæ hoc beneficium imprimit atque commodat: Qua propter ſerenda & inſerenda eſt corpori noſtro iſtius beneficii magnitudo, quam ſumma ſacraria cœli eidem tunc denegant; ſic nempe Medicus olympum in manu ſuâ gerere poteſt, cujus ſidera ſunt arcana & horum aſtrales virtutes. Ut itaque ☉ microcoſmi per deſiderati roris acceſſum denuò exhilaretur, ſeriò ſuadet Paracelſus, aſtralem hanc ſobolem ſeu margaritas in Elixir cœleſte liquidum & fermentum vitale convertendas, quò tellus microcoſmi extremè arefacta tanquam pluviâ & rore ſuaviſſimo recreari, & ex fundamento humectari, hoc eſt phthiſis feliciter ſanari poſſit. Quam Paracelſi ſubtilitatem ſi penitiùs inſpiciamus & arbitremur, videbimus omninò ſub hâc latitare vera Sophorum Hermeticorum fundamenta, quæ beneficio menſtrui univerſalis & ▽æ benedictæ ſeu cœleſtis eorundem veram & verè Philoſophicam margaritarum eſſentiam ac elementum lacteum ſpermaticumque earum, imò arcana quævis conficienda eſſe, unicè docebunt: Aſſumtâ namque hâc medicinâ principe ex margaritis philoſophicè conſtructâ, magnetem exoptatiſſimum phthiſicus in ſe reconditum habebit, ut poſteà ros vitalis & pluvia vegetanter humectans huic microcoſmi phœbo împoſterum deeſſe non poſſit. Interim tamen ignoſcat nobis Autor, ſi dicto ejus, quo aſſerit, quam plurimos videl. eſſe, qui Eſſentiam hanc Mercurialem Philoſophorum parare norint, fidem hâc vice ad-

ce adhibere hæreamus, ſiquidem ipſa experientia contrarium ſtatim ſenſibus noſtris manifeſtò incutiat. Ne itaque quùm rari ſummæ hujus medicinæ præſtò ſint Poſſeſſores, omni ſolamine & auxilio priventur phthiſici, Eſſentia ſive butyrum margaritarum beneficio illius ☿ialis eſſentiæ, cujus deſcriptionem habet Autoris ſpagyrica Pharmacopœa, parari atque ipſis ſedulò porrigi poterit. Cœterùm illa medicamenta hîc quoque ſibi ſubſellium ſuum vendicabunt, quæ ſuperiùs contra peripneumoniam & aſthma adducta fuerunt. Nos inſuper emulſiones perlarum probè pulveriſatarum c. ▽ pulmonum ac epatis vituli nigri factas aſſiduò tunc uſurpandas ſuademus, item Tincturam 🜍, Eſſentiam mumiæ vel ſanguinis hirci & flor. hyperic. præthereà eſſentiam & ſpiritum ex pane factum, nec non decoctum ex contuſis ♋ fluviatilibus pro concilianda partim efficaci humectatione, partim pulmonum exulceratorum conſolidatione laudamus, quo ipſo nomine remedia vulneraria hîc cumprimis magni habenda veniunt, ita tamen ut illa etiam medicamenta, quia verminoſam putredinem mortificare valent, juxtà ſedulò ac præcipuè adhibeantur. Sed ut plura circa curandi media Practicorum monumenta hîc ſuppetitabunt, ita jam perfecta phthiſi laborantem habemus omnino pro vivo mox triumphaturæ mortis ſimulacro ac teſtimonio certiſſimo.

CAPUT XXX.

DE

Pleuritide & Empyemate.

§. 1.

Acutam febrem cum tuſſi & dolore lateris pungitivo â phlegmone membranam coſtas ſuccingentem occupante pleuritidem dicunt Galenici, quam ex bilioſo & tenui ſanguine, qui ex vena cava cordi aſſidente per venam ἄζυγον, ac deinde per minores coſtarum venas impetu quodam incurrit, ortum habere aſſerunt. Aſt hanc nos improbavimus ſententiam, cum ex libro ipſius Naturæ & experientia ipſa ſciamus, nullum in corpore bilioſum humorem, ſed ſanguinem purum homogeneum, alimentum unicum partium omnium dari, ex cujus excremento acido, quod in membranâ illa coſtas ſuccingente pleura dictâ reperitur, per ſeparationem & putrefactionem ipſius fit pleuritis.

§. 2. Ergo phlegmone illa pleuram occupans veriſſimè non fit â ſanguine bilioſo, ſed ab excrementis ipſius pleuræ acidis, quæ quidem excrementa bilioſa dici nequeunt, cùm ipſius bilis factæ indolem ac naturam redolere

dolere nequeant: Nam dum ſeparantur per ſpiritum noſtrum, & parti adhuc adhærent, corrumpuntur, & per corruptionem illam abeunt quandoque in maligniſſima excrementa ac venenata prorſus aut peſtifera; unde ſæpiùs dantur etiam pleuritides peſtilentes, contagioſæ ac mortiferæ, aliquando autem in benigniora tranſeunt illa excrementa, unde leniores nec ita mortiferæ fiunt pleuritides: Quod ipſum ſanè conſiderandum & judicandum relinquo, quùm corrumpendum non poſſit in determinatam & certam abire corruptionem, neque agentia determinata reperiantur in actione faciundæ corruptionis, quod tamen contingeret, ſi pleuritidis natura ſemper produceretur ex bilioſo ſanguine: Sed cùm varia ſit & multiplex pleuritis, variæ etiam ſint neceſſe eſt cauſæ efficientes.

§. 3. Sunt itaq; excrementa pleuræ hîc reſpicienda, quæ cùm ſint varia ſecundùm corruptionis ſuæ varietatem, varias etiam & diſtinctas producunt pleuritides; aliquando nempe malignas & peſtiferas, aliquando etiam mitiores & nullo pacto peſtilentes, ſed ſimplices tantùm; interdum quoq; ex flatibus ſolum proveniunt, unde dolores pungentes ſine tumore ullo fiunt: Aſt quæ cum tumore fiunt, illæ ſunt pleuritides veræ, & tunc neceſſe eſt, ut tumor rumpatur, atq; ex pure illo per totum thoracem diffuſo fiat Empyema, quod expurgatur non nunquam exſpuitione, aliquando etiam per ⊡as, quæ expurgatio per 40. dies & plus durat.

§. 4. Empyema autem quum ſemper pleuritides ſuppuratas & ruptas ſequatur, non eſt, ut in ejus gratiam peculiare conſtituamus caput, ſiquidem nihil aliud ſit, quàm pus pleuritidis vel peripneumoniæ vel anginæ in thoracis capacitatem effuſum, quod arte & Naturâ ipſa juvante expellere poſſumus tam exſpuitione quàm per ⊡as.

§. 5. Curatio pleuritidis ſequenti methodo optimè inſtituetur: Pleuritis igitur cùm ſit inflammatio pleuræ, ab excrementis alimenti ſui â pleurâ non ritè ſeparatis, quæ corrumpuntur & in abſceſſum poſteà abeunt, orta, ſanguinis miſſio erit potiſſimum curandæ pleuritidis arcanum: Mittendus autem erit ſanguis maxima ſatis in copiâ ſecundùm vires ægrotantis, conſtitutionem temporis regionisq; & climatis temperiem, ex latere nimirum illo, ubi fit dolor pungens: Deinde ſi perſiſtat dolor & febris, tunc ex oppoſitô brachiô ſequenti die iterum mittendus eſt ſanguis.

§. 6. Poſt V. S. ad eliciendos ſudores erit deveniendum. Detur autem potio ex ▽. ulmar. ad ℥iv. cum ſyrup. papav. rhæad. ℥ij, & gr. xij bezoard. mineral. quæ potio ter per 3. dies iteranda, & ſummo mane propinanda, æger verò in lecto ſuo probè cooperiendus.

§. 7. Parti dolenti poſteà hoc unguentum adplicandum ℞. Mell. opt. ℥iv. C.

℥iv. C. V. in pulverem redact. ℥j. M. f. Linimentum, induc. ſuper linteolum, cui ſic perunćto ſupponenda prius eſt papyrus; atq; ſic parti dolenti adplicandum hoc linimentum: Oportet enim ut fiat inter mediante papyro, ne linimentum carnem immediatè tangat, atque non interpoſita charta eandem ulceret.

§. 8. Si pleuritis non curetur hiſce medicamentis, deveniendum erit ad arcana alia, quæ per inſenſibilem tranſpirationem tumorem hunc diſcutiunt inter quæ ſunt potiſſimum ſtercus equi, quod diſſolutum in X tenui & albo atque percolatum ſummo mane propinatur; ægrotus verò benè cooperiatur, ut ſudet. Et ſi ægrotans ſit vir, tunc ſtercus equi, ſin ſit mulier ſeu puella, ſtercus equæ eligendum erit. Magna enim eſt vis diſcuſſiva in fimô equi propter ejusdem 🜔 & ⊖ tam fixum quàm volatile, quod inibi copioſum reperitur. Imò & ☍ rubrum, quod per deſtillationem ex ſtercoribus humanis elicitur & ⊡is, eſt potentiſſimum curandæ pleuritidis arcanum, exteriùs pariter applicitum quàm interiùs ſumtum ad gutt. vj. vel vij. Sed notetur illud ☍ eſſe fœtidiſſimum, niſi cum ſpiritu X rectificetur, qui corrigit illius fœtorem: Poſt correctum ergo hunc fœtorem eſt potentiſſimum curandi empyematis ſecretum, & non tantùm in balſamo hoc rectificato ſola empyematis cura, eaque tuta ac certa conſiſtit, verùm etiam in balſamo 🜔ris cum ſpiritu terebinth. elicito, & poſteà cum eſſentia ſeu ☍ aniſ. rectificato, donec nil habeat fœtoris; tunc nempe temporis eô ad curam pleuritidis & empyematis abſolutam uti debemus.

§. 9. Sin verò flatus tantùm adſint, & dolores laterum efficiant, tunc ▽. card. benedict. ad ℥ij cum ʒj C. C. uſt. fugat & propellit diſcuſſis flatibus hos omnes dolores ſeu pleuritides illas nothas ac ſpurias; ſanguis etiam hirci ex teſticulis ejus extractus eſt certiſſimum remedium, nempe ad ʒj aſſumtus vel extrinſecùs etiam inunctus.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

ACutiſſimum ſæpiusque truculentiſſimum malum tam probè cognoſcendum, quam citò debellandum hîc proponit Autor, de cujus nomine pauxilla hæc adſpergimus. Ut autem denominationis hanc rationem iſte morbus à locô affectô cumprimis obtinet, ita notandum etiam, quod inter pleuram &

pleuron diſtinguēdum ſit: Nam illa ſignificat membranam ſeu tunicam iſtam, quæ coſtas & internos thoracis parietes ſuccingit ac veſtit, cujus inflammatio pleuritis & quidem genuina illa ſeu vera dicitur: Hoc verò totum latus indicat, quatenus muſculi inter coſtales tunc potiſſimùm afficiuntur, atq; ſic morbus lateralis vulgò dictus ſeu pleuritis ſpuria contingit. Porrò febris ſemper comitatur pleuritidem ſeu inſignem hanc pleuræ inflammationem, & ea quidem, ut rectè docet Autor, continua atque acuta, modo tamen pro humoris peccantis malignitate vel benignitate vehementer præſertim ſi pulmo cordi viciniſſimus juxtà compatiatur, modò remiſſior; id quod tamen potiſſimum pleuritidem legitimam concernit, ſiquidem ſpuria, & quæ ex flatibus oritur, etiam ſine febre laterales puncturas afferat: Inſuper afflicto thorace, in propatulo confeſtim eſt, cur tuſſis tunc concurrat, & fermè ab initio hujus mali urgeat. Natura nempe tunc robuſta adhuc inflammatis præcordiis ſtatim ſuccurrere, & materiam morbificam, quæ ob pravam qualitatem ac morem ſuum plerumq; malignum inſimul graviter lancinandi vim habet, excutere conatur, quæ thoracis concuſſio tuſſis audit. Dolor tandem punctorius isq; atrociſſimus, continuusq; eſſentiam pleuritidis veræ & ſignum quoque pathognomonicum ejus conſtituit: Quum enim forinſecùs tunc nihil adpareat, & tamen cum febri acuta doloris ſævities adſit, cogitare ſtatim de pleureſi oportet. Pungitivum hunc dolorem quandoq; comitatur etiam gravativus, quatenus pulmo tunc temporis invicem participare incipit. Sed ob quamnam cauſam bilioſus tenuisq; ſanguis, quem ſchola Galenica potioris hic facit, ab Autore explodatur, ex adverſo autem excrementum p.n. retentum ac corruptum l. ipſum etiam alimentum valdoperè depravatum inquinatumq; ſedis affectæ potiùs atque præcipuè hîc concernendum accurrateq; examinandum ſtatuatur, ſæpiùs ſæpiusq; jam cum omnibus ac ſingulis circumſtantiis, inter quas primas obtinet morbificæ fermentationis & efferveſcentiæ ſeu inflammationis articulus, â nobis ſuprâ expoſitum fuit, ita ut repetendi affectum pro ſupervacaneo hinc non immeritò habeamus.

Ad §. 2. 3.

Circa humorem ſeu excrementum peccans ut eò clarius nos ac breviori manu expedire queamus, de pleurâ ſeu coſtali tunicâ ſciendum eſt, quod peritonæo non nihil craſſior, durior, ac robuſtior exiſtat, & duplex ubiq; advertatur, ut nempe inter hanc duplicaturam venarum & arteriarum propagines cōmodiuſculè fieri queant. Inter has ergo partes pleuræ exteriorem ſcil. & interiorem materia excrementitia ſeu pleuritica colligitur, aceſcit ac putreſcit, adeoq;

deoq; exinde in hoc ipſo morbo, ſicut in omnibus aliis thoracis morbis decuplo ſæpè fieri craſſior ſolet: Interior tamen tunicæ iſtius pars cum ſuâ naturâ tenuior ſit, mirum quantùm in pleuritide attenuatur, ut conſpicuum hinc ſtatim evadat, tumorem pleuræ vel abſceſſum eò faciliûs hinc rumpi & vel ſponte aperiri poſſe. Quum itaq; pleura etiam, ut omnes aliæ corporis partes, alimento ſuo egeat, excrementorum ſeparatio hic pariliter ſuum habebit locum: Quæ ſi fortè p.n. retineãtur, & corruptionem ſeu putrefactionem ſuſcipiant, hæc verò ſine impetuoſa fermentatione fieri non ſoleat, cauſa pleuriticæ inflammationis deſubitò elucеſcit: Deinde ſi valdoperè ingraveſcat corruptio, & ſumma hîc contingat excrementitii ſqualoris putredo, tunc in hoc caſu etiam veriſſimum evadit, quod Raimundus Lullius appoſitè hîc expreſſit: Nulla res in mundo poteſt naturaliter naſci, nec animari, niſi poſt ſuam corruptionem, putrefactionẽ, & mortificationem, quia tunc Natura in Naturam mutatur. Certè ad animatam & verminoſam putredinem humorũ excrementitiorum egregiè celebratiſſimi iſtius Philoſophi dicterium etiam in pleuritide quadrat, quæ ſi in pleura contingat, maligniſſima, peſtifera & lethalis plerumque pleuritis ſeu dolor pleuriticus atrociſſimus tunc fieri ſolet; de quâ ipſa malignitatis, contagionis, & doloris exquiſitiſſimi indole jam ſuprà aliquoties egimus. Porrò differentias pleuritidum varii corruptionis gradus, quatenus illa vel levis, vel magna, vel maxima eſſe conſuevit, omni dubiô procul conſtituunt, velut ex ipſo Autoris textu abundè hoc patet, aut perfunctoriè conſideranti evidens ſtatim eſſe poteſt. Quod ſpuriam ſpectat pleuritidem, eam cumprimis flatuum copia & quaſi rebellio efficit; inſimul Autor tumorem nullum ſubeſſe dum aſſerit, contradicere videtur Helmontio, qui flatuum corporis partes in tumorem extollere docet: Aſt ſi diſtinxerimus inter partis inflãtionem, quam non rarò Autores licet impropriè tumorem quoq; adpellant, & inter tumorem verè proprieq; ſic dictum, qui humorem peccantem præſupponit, litem illam facili negotio dirimere poterimus. Flatus lateralem hunc dolorem parientis nativitas easdem hîc etiam agnoſcit cauſas, quas alioquin flatuum doctrina in genere admittit: Non opus autem eſt, ut hic refugiamus ad debilem calorem, vel quod Medicis perinde eſt, frigidam partium intemperiem, veluti factâ quaſi inter Autores unanimi conſpiratione generationem flatuum communiter determinatam legimus; ſed colliguntur flatus obſeratis communibus viis, nec minùs impeditâ transſpiratione inſenſibili: Dum enim ob partis alicujus obſtructionem humores excrementitii conſtringuntur, calor domeſticus utpote pariter tunc conſtrictus intendi & fortiùs in eoſdem agere, atq; ſic fermentationem concitare concipit, in quo ſanè fermentationis actu fuligines & flatus (qui proinde

humor quidam extenuatus dicitur)generari ac cumulari luculentiſſimè claret, unde partis obſtructæ inflatio, diſtenſio, & hanc confeſtim ſubſequens dolor, quùm flatus præſertim effrænes Naturæ noſtræ omninò ſint infeſti, provenire poſteà ſolet. Ideoq; flatus vel circa præcordia ipſa ex contingente ibi fortè meatuum obſtructione tunc generari ac cumulari queunt, vel ab infernis partibus erumpentes ſurſum juxta naturam levium cum impetu feruntur aut potiùs irruunt.

Ad §. 4.

Aſt quùm pleuritis vera Autori noſtro hîc potiùs ſit curæ, & ea tumorem ſeu abſceſſum pleuræ aſſociatum habere ſoleat, hâc occaſione de Empyemate is quoq; agit, quod nihil aliud eſſe ſcimus, quam pleuræ (in pleuritide) vel pulmonum etiam (in peripneumoniâ) diſruptus abſceſſus, & purulentæ materiæ hinc in capacitatem thoracis effuſæ collectio. Ut autem curatio nullius eſt ſpei, ſi in pleuritide & empyemate nihil expuitur, neque per ⊡am expellitur, ita è contrario bona ſpes illuceſcit, ſi vel per ſputum, vel per lotium, vel utraq; etiam ratione ſanioſus ille humor promtè ſed & copioſe excernatur: Utplurimum tamen thoracis hæc ſuppuratio ob vitalem regiam, quam tunc oppugnat, funeſtum portendit eventum.

Ad §. 5.

Quæ noſtra ſit ſententia circa V.S. in morbis malignis & febribus acutis adminiſtrandam, ſincerè nos non unâ ediximus vice. Si ergo pleuritis junctam habeat malignitatem, velut id plerumq; in legitimâ fieri novimus, eodem ac ſimilimô pronunciato phlebotomiam hîc quoq; latronis obtinere ingenium adſtruimus: Sicuti enim hic viatorē & aurô & vitâ ſpoliare; ſic & illa cum virium theſaurô ipſam quoq; vitam tunc diripere ſolet. Nos verò cum Neotericis pleuritidem utut etiam ſæviſſimam absq; V. S. tutius omninò ac feliciùs curari poſſe, toties jam experti ſumus; modò ſtatim ſpecifica adhibeantur remedia, & ea quidem potiſſimum, quæ tam furibundum tunc circa præcordia & inflammatæ pleuræ regionem fermentationis impetum accelerata virtute compeſcere ac cicurare, quàm animatam putredinem deſubito enecare, Naturamq; proſtratam potenter erigere poſſunt.

Ad §. 6.

Quùm ergo pleuritis legitima utpl. febris malignæ acumen habeat junctum, ad Bezoardica, alexipharmaca & diaphoretica nobiliora etiam recurrendum

rendum, nempe talia, quæ fermentationis ferocientẽ vehementiam & animatæ putredinis jugulantem tyrannidem evertere, ut paulò antè diximus, maſculè valent. Ipſa potio, quam Autor hîc adſcripſit, jam deſideratæ virtutis laudibus ut digna eſt, ita etiam nobis præſertim arridet, quod parciorem in præſcribendo ſyrupo flor. papav. rhæad. (qui flores alioquin & omnia exinde parata medicamenta inter ſpecifica antipleuritica numerantur, dubio ſine, quod vi ſuâ temperatiſſimè narcoticâ, quâ pollent, fermentationis ferociam ſopire queant) is ſe præbeat, ne, ſi in majori quantitate admiſceretur ſyrupus alias facilè fermenteſcens, pleuritis ex adauctâ hinc fermentatione magis exacerbaretur. Rectius autem hoc modo, ne quantitas abſterreat clientem, formula iſta formabitur:

℞ △ ulmar. ℥jß vel ℥ij
bezoard. mineral. gr. xij vel xv.
ſyrup. fl. papav. rhæad. ℥ij.
Spiritus 🜍 vel ⦶ g. v. vel vij.
M. ſ.

Stårckend Schweißtrånckiein auf 1. mal wohl umbzurůtteln.

Memoriter etiam nobis ſunt ex ſuperioribus nota bezoardica & ſudorifica planè magnifica, quorum uſus in pleuriticâ calamitate omni ex parte erit convenientiſſimus, & exoptatam exhibebunt efficaciam, velut bezoardica cuncta ex familiâ Mercurii & ℥ij deprom̃ta verminoſæ corruptioni præſentiſſimum interitum afferre ſolent.

Ad §. 7.

Non tantum interna, verùm etiam externa, quæ acerbiſſimos puncturarum lateralium cruciatus ſi non penitùs tollant, tamen mitigare ac lenire valeant, in hoc affectu ſubminiſtrari ex Practicis conſtat. Quanam igitur ratione unguentum cum C. V. paratum dolentem partem ſolari ac mulcere poſſit, paucis indicandum erit. Pleuritidis veræ malum eſſe igneum, ex ipſa ejusdem ſuprà liquidum eſt definitione: Deinde △em ſive calorem ambientem & externum quodam confinitatis magnetiſmo ad ſe vocare & attrahere internum, & proptereà cutis ſpiracula oppidò aperire, ſicque inflammationem efficaciter compeſci, in Medicinâ hodiè nihil eſt tritius. Jam ſi perpendamus Calcem V. forinſecùs loco affecto adhibendam pariter eſſe △eam, cauſam ſuæ boni-

tatis hoc unguentum profiteri promtè poterit: Nempe △ea C.V. poteſtas extrahit pleuræ flammam, atque ſic incendium illud, quod dolorem pungitivum ac mordientem auget & exaſperat, indubitatò imminuit: Prætereà etiam C.V. alkali naturam imitatur, imò penitùs poſſidet; quô ipsô ſic ſtante, habebit quoque vim 🜔 volatile, quod ad inflammationem continuandam quaſi lignum & pabulum ſuggerit, foras alliciendi, item fermentationis importunitatem cohibendi, adeoque ipſam putredinem inſimul coërcendi, ut Chymiatris fuſius id conſtat, quibus virtus & indoles alkalium penitiùs eſt perſpecta. Quùm verò habeat vim adurentem & mordacem inſimul C.V. propterea papyrum ſeu chartam interponendam ſuadet Autor inter locum affectum & ipſū linimentum, ne cutis exulceratio hinc tam facile contingat: Quæ cautela ut nobis etiam non diſplicet, ita ſi nihil adjumenti ſeu levamenti ex hoc unguento juxta præſcriptum modum adhibitô æger perſentiſcat, cuti immediatè & remota papyro iſtud admovendum eſſe ſuademus, ut hinc cutis eveniat exulceratio, & per conſequens ab internis loci affecti partibus ac centro vitali ad externam ſuperficiem & ignobilia circumferentiæ loca humor corruptus ſeu materia morbifica eò potentiùs proliciatur: veluti hac ratione tanquam ſtratagemate quodam ſingulari verminoſam putredinem decipere, & ab internis ad externas partes inſigni cum afflictorum vitalium membrorum levamento allectare licebit, quod verminoſa progenies alioquin in exulceratis locis diverſari peculariter delectetur; qua de thematis nobilitate, utpote quod occaſionem edifferendi olim dabit, quomodo morbos malignos quosvis, quos cutis efflo- reſcentiæ, qualescunque etiam ſint illæ, comitari ſolent, impoſterum feliciori ſucceſſu curari poſſe, ſuo loco ex profeſſo magis agere recordabimur. Inter vulgò uſitata linimenta antipleuritica eſt cumprimis unguentum dialth. cum 🝆o ſcorpion. ſive ſimplici ſive compoſito, 🝆ô flor. hyperic. 🝆 chamæmel. tam per infuſionem & coctionem, quam deſtillationem facto commixtum, ex quibus talis fieri formula poterit:

℞. Unguent, dialth. ℥vj.
🝆 flor. hyperic.
Scorpion. ana ℥ij.
ſtillat. chamæm. g. viij vel x. S.

Euſſerlich Sälblein oder Liniment gegen das ſtechen.

Ad §. 8.

Res quidem indigna & execrabilis tam humanum quàm omnium animan-

mantium ſtercus nemine diſſentiente exiſtit, atque propterea nequaquam fœda ejusmodi remedia ad humanum uſum comparata vel advocanda eſſe videbuntur, nihilominus tamen indubitatis experimentis hactenus firmiter comprobatum fuit, ſub deteſtandô hoc fœtore magnas mirabilesq; virtutes latere, atque in animalium omnium excrementis (mirum dictu) rara & perfecta omninò reperiri contra deſperatisſimos morbos auxilia. Adeoque omnia etiam ab Autore , qui fimi equini in Xo. diſſolutionem lege artis clarificatam, nec non 🝆 rubrum ex humano ſtercore & lotio deſtillatum tanquam mirandæ & balſamicæ virtutis in hoc caſu (& omni omninò ſummâ putredine) arcanum laudat , hic adpoſita atque aſſerta benè ac verisſimè ita ſe habent, ut prolixitas plura de iis monendi non immeritò hinc â nobis prætereatur. Neque improbamus adeo in eligendo ſtercore diverſitatem ſexus, quum quilibet ſexus peculiarem ſuam obtineat proprietatem & ἰδιοσυγκρασίαν, ut hac ratione â fœmininis corporibus deſumta ob ſexus communis convenientiam Naturæ mulierum magis accepta & proficua eſſe queant, quam ſi ſecus fieret ; atque ſic porrò. Deinde remedia ex ſtercoribus confecta non ſolum ex vi illa discuſſivâ, quam reſpectu 🜔is ſui habent, verum quoque & cumprimis propter copioſi 🜍ris, quo abundant, penetrabiliſſimam efficaciam ſunt æſtimanda, quæ ſanè ut omnia alia 🜍rea & ex minerali etiam 🜍re parata medicamenta verminoſæ corruptioni & inſigni cuivis malignitati ſunt infauſta pariter atque infeſtiſſima, veluti id alibi jam monſtravimus. Quapropter etiam cenſemus jam laudata medicamina nativo ſuo fœtore , in quo anima ſeu nervus energiæ potiſſimum conſiſtit, quive animatæ putredini cumprimis funeſtus eſt (niſi empyreumatis vitium hîc ſubaudiamus, quod utique omni ſtudio tollendum & corrigendum) non penitùs eſſe privanda. Admodum verò 🜍rea eſſe ſtercora, v.c. humana, ipſa teſtatur experientia : Unde Helmontii verba hîc adſcribi merentur , utpote quæ hoc aſſertum clariſſimè confirmant ; *Stercoreus flatus, inquit, qui in ultimis ſeu craſſioribus formatur inteſtinis, ſi per anum erumpat, atq, per flammam candelæ tranſmittatur, transvolando reverà accenditur, flammamq; diverſicolorem iridis adinſtar exprimit.* Sed nec hoc reticendum exiſtimamus, quod 🝆 hujus ex ſtercoribus deſtillatio magnam eorum copiam poſcat, & tam longum tempus requirat , quàm etiam multum faſtidij afferat, quod tamen patienter exanthlatum virtutis ſingularis nobilitas effectiſſimè compenſabit. Reliqua per ſe luculenta ſunt.

Ad §. 9.

Pleuritis ſpuria flatulenta præ reliquis ſtatim ſibi carminantes Clyſteres

depo-

depoſcit, poſteà verò longè utiliùs dabitur & meliori cum ſucceſſu iſta ab Autore præſcripta potiuncula, ubi loco ▽æ card.benedict. iſta magis adpropriata erit, quæ ex card. Mar. cujus herbæ ⊖ (ad quam claſſem magiſterium vel pulvis præparatus dent. apri & mandibul. luc. piſc. referendus eſt) laudes ſpecifici antipleuritici valdoperè ſibi vendicat, parabitur: Pulveres etiam & alia remedia præcipitantia nobis jam nota convenientiſſimè hic porriguntur: Sanguis hirc. cujus miram virtutem ſæpiùs jam decantavimus, potiùs ad nobiliora ſpecifica, quæ legitimæ & malignæ pleuritidi medentur, recenſendus, præſertim ſi quis l.a. hermetice exinde eſſentiam elicere calleat. Cœterùm ad feliciter ſanandam pleuritidem Julebos & decocta alterantia tam ex ▽is ſpecificis, quàm etiam bezoardicis parata, ita tamen ut ſpiritus ⊕ vel ⦶i vel 🜍ris ad gratum acorem iis admiſceatur, ad frequentiorem uſum tunc trahenda ſerio ſuademus.

CAPUT XXXI.

De

Palpitatione Cordis.

§. 1.

Cor ipſum vitæ principium & fundamentum, utpote in quo ſpiritus vitæ potiſſimùm radicatur & implantatur, ſuis etiam morbis afficitur, qui ex obſtructione ac corruptione ibi factâ, præcipuè autem palpitatio, ortum habent.

§. 2. Palpitatio igitur originem ducit ex 🜿rô ſeu excremento viſcidô, quod ex alimento in capſulam cordis detruditur, ac poſteà ipſi meatus porique jam dictæ capſulæ obſtruuntur, atque ſic ſpiritus vitalis aditus præcluditur; unde cor palpitat, ac motus ejuſdem ordinarius & conſuetus fit tremulus & palpitans, dum ſpiritus vitalis liberè non permeare ac penetrare totam cordis ſubſtantiam poteſt.

§. 3. Nec ſolùm hoc fit ab ipſo corde obſtructo, ſed ex vaporibus etiam malignis, qui ſæpè ex ventriculo, liene, meſenterio ac epate oriuntur, & ſurſum adſcendentes cor directè petunt, ſuamque propter malignitatem cordis palpitationem inducunt.

§. 4. Cu-

§. 4. Curatur autem hæc palpitatio medicamentis chymicis facili viâ, atque hac methodo: Purgandum nempe imprimis corpus palpitatione affectum ♁io noſtro, quod dari ad gr. vj. aut viij. in corporibus robuſtis cum conſerv. roſ. aut viol. vel cum Xo tenui aut albo, vel cum butyro debet, & repetenda eſt doſis ter aut 4ter per 3. aut 4. dies.

§. 5. Deinde roborandum eſt cor eſſentia Corall. vel margaritar. vel Tinctura Sol. ad gutt. vj. vel viij. in potu Xi vel in ſpiritu meliſſæ: ſolus enim hic ſpiritus curat cordis palpitationem purgato corpore; ſin vero non ceſſet affectus iſte poſt purgationem ♁ialem ac confortationem cordis per prædictas Eſſentias, deveniendum tunc erit ad ſudorifica noſtra, & potiſſimùm ad Bezoardicum noſtrum generale, quod ſequenti methodo præparatur: ℞. regul. ♁ ℥ij, ☉ opt. ʒij. liquentur ſimul in tigillo, poſtquam verò ab △e ſeparata ſunt, & in pulverem redacta, add. Corall. rubr. & margarit. ana ʒij. M. ſimul per triturationem: Huic pulveri tenui poſteà addatur tantundem ponderis ⦶ri optimi, & in tigillo forti admodum comburantur & △eantur per 3. horas △e fortiſſimo, poſteà in alchool tenuiſſimum redigantur & laventur ▽â dulci & ſiccentur, demumque 🝭æ vitreæ imponantur cum ſpiritu X optimo, & deſtillatur ſpiritus iſte ter aut 4ter cohobando ab illo pulvere; Qui ita præparatus pro bezoardico pulvere inſigni ſic conſervandus: Hic enim virtute & energiâ ſuâ bezoardicum lapidem orientalem & occidentalem antecellit. Uſus hujus pulveris eſt ad ʒß cum ▽ card. benedict. aut ulmar. vel ▽ meliſs. dati in palpitationibus cordis ut & in febribus malignis omnibus quantum quidem poſſibile curandis inque variolis foras propellendis, nec non roboranda Natura: Aurum enim & Corallia atque margaritæ auxilio ⦶i & combuſtionis reguli ♁ij aperiuntur, prout calcinata quævis ſolent eſſe oppidò reſoluta.

Animadverſiones.

Ad CAP. XXXI. in genere.

Ad §. 1.

NOmina palpitationis & tremoris, quo micat & graviſſimè concutitur vitalis aura, ſæpiùs uſurpari promiſcuè, notorium eſt; hic tamen illâ

levius malum & ejus initium eſſe videtur. Sed diſcriminis iſta ſollicitudo nunc tranſeat, quod ad praxin parum conferat, ac præterea eadem medendi ratione effectus uterque tractandus veniat. Cor itaque conſimiliter præternaturaliter ut reliquas partes omnes affici, vel ſola hæc palpitatio abunde teſtatum facit: Imò quò nobilior & excellentior pars exiſtit, eò magis exitioſæ & periculoſæ ibi calamitates ſuccreſcunt. Paucis etiam hîc tangit Autor generales palpitationis, quæ in corde contingit, cauſas dum primò obſtructionem meatuum vitalium, ob quam concluſus & quaſi coarctatus atque proinde in anguſtiis conſtitutus ſpiritus vitæ ſtatim ad extremum conatum impulſus inordinatè ſe jactitat, atque ſic terrificum dirumque hunc cordis inſultum, ut cum Poteriô loquar, aut rectius ſubſultum, hoc eſt, palpitationem efficit; deinde corruptionem nutrimenti vel magnam impuritatem ſanguinis, quam dum cordis nobiliſſimum conclave ac fermenti vitalis majeſtas perferre non poteſt, eandem cum vehementiſſimo impetu ſeu impetuoſa pulſatione propterea excutere nititur, denominat; quo de negotio biga ſequentium theſium agit magis ſpeciatim, id quod ſine morâ nobis etiam ad examen nunc ducendum:

Ad §. 2.

Cauſam immediatam Autor non tam ipſius cordis tribuere antris ſeu ventriculis videtur, quam capſulæ potiùs illi, quæ alioquin pericardium audit. *Si itaque fiat*, ut humor excrementitius, cujus origo ob toties dicta nos fugere non poteſt, in hâc cordis clauſurâ ſeu pericardio colligatur ac cumuletur, tunc liberior cordis motus confeſtim inhibetur, & ſic conſequenter, interclufis videlicet ob Tartaream hunc humorum viſciditatem pericardii poris ſeu ſpiraculis, debita fuliginum tranſpiratio, ut & ſpirituum vitalium decens commercium ſeu reciprocum influxus refluxusque ſui iter impeditur, atque hac ratione dum extrema tunc conari cogitur Natura, valida cordis concusſiò ſeu palpitatio oritur: Verùm ab impuro & craſſo viſcidoque ſanguine, quem Tartari viſcidi nomine circumſcribit Autor, utplurimum provenire, nullum eſt dubium. Sicuti namque circulatio ſanguinis, cujus primordium & cauſam principalem cordis ſuggerit atrium, adeò eſt neceſſaria, ut ſine vitæ periculo (in quo ipſo fundamento nervus axiomatis illius conſiſtit; Quamdiu nutrimur, tamdiu vivimus, & ex adverſo; iſta autem nutritio ſine circulatione fieri nullatenus poteſt) intermitti nequeat, ita etiam cum revolutio illa ſanguinis toties

ties ad cor celebranda veniat , ut nempe ibi vel ultimam nanciſcatur perfectionem , vel ſi ob præſtitam nutritionem ſanguis iterum exhauſtus ſit , in cordis vivificante ſinu denuò is inſtauretur , non fieri non poteſt , quin ſanguis iſte ſi fæculenta , Tartarea , craſsâ ac viſcidâ impuritate ſcateat , ad cordis quoque penetralia ſic comparatus perveniat , atque Archeum vitæ monarcham ibi reſidentem graviſſimè offendat laceſſatque , qui poſteà irritatus ſic , præſertim ſi excrementitia iſta viſciditas fibroſis ventriculorum cordis lateribus contumacius adhæreſcat , cum vehementiſſimo impetu contra infeſtam illam materiam protinùs inſurgit, & ad motum ſummè inordinatum hinc redactus ludicram hanc artem, ut jocatur Comicus, facit, & validiſſimam palpitationem inducit : Quid quod etiam iſta viſcidıtas quandoque lapideſcere in cordis parenchymate , imò in ventriculis ejusdem calculi nonnunquam , ſic notante Zacuto Luſitano , colligi ſoleant ; Unde etiam non niſi quotidianæ & aſſiduæ imò vehementiſſimæ palpitationes ſuccedere queunt , & ita quidem , ut ab adſtantibus vel ante fores & ipſum conclave etiam hos potentiſſimè verberantis cordis ictus diſtinctè percipi potuiſſe obſervaverit in Pharmacopolâ quodam CL. Tulpius , & alibi nos legiſſe recordemur , ob immanem palpitationem propiores coſtas diffractas fuiſſe. Unica hujus rei cauſa conſiſtit in eo , quod omne id , quod præternaturale & excrementitium eſt , imperio vitali valdoperè inſidietur , atque ſpiritui vitæ impensè ſit infeſtum atque inimiciſſimum : Si enim tantopere impuritates intra Naturæ limites improbentur, quantò magis in ipſo vitæ centro ac throno illæ damnabuntur.

Ad §. 3.

Differentia palpitationis, quatenus alia in corde fit per eſſentiam, alia verò per conſenſum , hîc ab Autore innuitur. Atque ut pleræque palpitationes ac tremores cordis fieri per conſenſum , ob flatus ad cor ſe penetrantes , vel propter vapores atque effluvia maligna , ex inferioribus corporis partibus , nempe ex vitio coctionis primæ vel corruptione humorum circa primas vias ſeu meſenterium ac pancreas , potiſſimum verò in ſplene aut utero , ſurſum delata atque cordis intima directè petentia , certum eſt , ita etiam liquet , hinc contingere non contemnendam ſæpè conſtrictionem ſive coarctationem cordis evidentem , quod iſta vaporum malignitas ſeu pravitas impensè ponticam ac conſtringentem habeat qualitatem , ut hinc in corde concamerati ſpiritus cum impetu erumpere , ſuf-

focationis fatum evitaturi geſtientes , hanc vitalis iſtius viſceris concuſſionem ſive palpitationem neceſſariò parere cogantur : Veluti id etiam metallariis familiare eſt , qui propter realgarica atque arſenicalia ex fodinis miaſmata ſive exhalationes virulentas effrænem palpitationem cordis incurrunt , dum non tantùm venenata iſta fuliginis pernicies per ſe acidam atque valdoperè conſtipantem proprietatem obtinet , verùm etiam provida Natura vitalium nobilitatem â venenatis fumis defendere intendens , meatus ac vaſa cordis arctiſſimè tunc conſtringit ac claudit , unde fuliginūm exſpiratio atque pariliter ſpirituum vitalium effluxus intercipitur , ac per conſequens eodem modo , ut ſuprà dictum , palpitationem cordis fabricari , velut in oculos incurrit. Atque hæc omnia ſe benè habent , ita accuratiùs veræ malignitatis in corpore noſtro enatæ genium , quem animatum ac verminoſum omninò novimus , perpendentibus vera palpitationis cauſa longè clarior adhuc eſſe poterit : Si ergo maligni vapores , hoc eſt animata ſeu verminoſa effluvia in cordis ſacrarium irruant , ac poſtmodum eâ , quâ pollent , glutinoſa viſciditate ſua internæ cordis regioni adhæreſcant, atque extinctionem vitalis luminis moliantur, Natura ad incitas redacta extremè ac cum furore reluctari tanto hoſti ſatagens palpitationis hunc modum & inſolentiſſimam concuſſionem cordis præſtare cogitur.

Ad §. 4.

♁ialis illa purgatio ſive Mercurius vitæ ritè præparatus, quæ nihil aliud eſt , quàm ſtibij genuina proles , ſicuti omnem fermè cujusvis morbi nervum ſeu robur abſorbet , ita exoptatiſſimam efficaciam hîc exhibere etiam, ac proinde radices hujus mali funditùs exſtirpare valebit, modò tunc ſcopo huic febris maligna non contradicat atque hanc medendi rationem diſſuadeat , id quod alibi jam ſtudioſè monitum fuit.

Ad §. 5.

Robur partis affectæ ante omnia conſervandum dictitant boni Practici : Nam niſi faveat Medici conatibus Natura maſculè cooperans, oleum & operam is perdet. Illuſtris autem remediorum ternio hîc determinatur , quùm quodlibet eorum ſit cordiale nobiliſſimum , & calidi nativi ſummum analepticum , dum balſamum vitæ oppreſſum inſigniter recreat ; ac vigorem cordis mirificè exaltat , imò & noxios humores vaporesque fortiter

fortiter diſcutiendo ſanguinis theſaurum ex ſententia mundificat. Ut tamen virtutes corallorum, perlarum, & auri fortiores & magnificentiùs confortantes evadant, Eſſentias atque Tincturas hinc eliciendas ſæpiùs jam injunxit Autor: Terque igitur 4terque felicem illum celebramus Chymiatrum, qui lumen ſeu ☽are perlarum jubar, qui ſaturatam Corallorum purpuram atque coruſcantem ☉is ſplendorem lege philoſophici magiſterii præparare callet; næ is olympum & aſtrales virtutes quaſi in manu habebit. Nobiliora ſudorifica & bezoardica in hoc affectu præmiſſis tamen univerſalibus (niſi febrilis malignitas aliud tunc ſuaſerit) tanto magis adpropriata ſunt, quantò certius, ea præter pernicioſarum fuliginum effectiſſimam expulſionem ac mortificationem, quam per διαφόρησιν oppidò præſtant, invicem dotes cordiales excellenter obtinent. Atque ad conſequendum hunc ſcopum Autor nobis bezoardicum planè regium, (tanquam verum omnis malignitatis ῥιζοτόμον) quod etiam ☉ diaphoreticum adpellare poterimus, ab ipſo catholicum ſeu univerſale dictum, hîc conficere omnibus atque ſingulis circumſtantiis ſat dilucidè expreſſis nos docet, ita ut vix habeamus, niſi pauxilla quædam, quæ monere ibi poſſumus: Primum eſt, quod regulus ♁ij priùs quàm optimè ſit liquandus, & benè fluente poſtmodum eô ☉is folia injicienda, quæ ſic eò facilius abſorbebuntur. Alterum eſt, quod flammam ſeu coruſcationem vix concipiet, nec tam facilè accendi poterit in æneo mortario comburenda hæc materia, ſiquidem ♁ium reguli formâ jam indutum ſuo 🜍re inflammabili orbatum ſit, adeoque ille modus locum hîc minimè invenire poterit, qui in præparatione ♁ij diaphoretici (ex ♁io crudo nimirum) alioquin attendi ſolet, dum ♁ium crudum cum 🜕o commixtum & in pulverem redactum detonari debet, paulatim nempe ac per vices mixturam prunis ardentibus crucibulo vel mortario injectis inſpergendo. Ergo ſtatim pulveriſatus regulus ♁ij ille ☉aris corallatoque perlatus cum 🜕o combinatus crucibulo eſt imponendus, & aperto igni admovendus, præterea etiam 🜕rum prunis candentibus quandoque ſollicitandum, ut ſic citiùs conſumi 🜕rum (quod ab Autoribus appoſitè admodum tam 🜄a congelata, quam 🜂 coagulatus vocatur) poſſit. Tertiò ſciendum propterea, binâ dumtaxat vice recentis 🜕ri additionem & iteratam calcinationem hîc præcipi, quod regulus ♁ij jam ad cujusdam fixitatis gradum traductus ſit; per 3. verò horas committitur ignitionis martyrio, ut nempe majorem fixitatem ac vim adſtrictivam impetrare queat: Quartò Autor ab hoc pulvere bezoardico edulcorato & probè exſiccato rectificatum ſpiritum X aliquoties cohoban-

dum jubet non tantùm , quod exactiorem reſolutionem huic bezoardico regali , quod noſtro etiam judicio multis paraſangis ipſum lapidem Bezoar orientalem ſuperat , ſic conciliare liceat, verum etiam quod ſic præcavere queamus, quò minus pulvis iſte tractu temporis 🜁i expoſitus pravam & quaſi malignam induere naturam ſeu ad priſtinam indolem redire poſſit : Hoc enim ſi fieret, & intra corpus ſi ſumeretur, cordis anguſtias, palpitationes , deliquia animi vomitusque & conſimilem ſymptomatum malitiam procrearet. Tandem calcinationis merita & efficaciam præconiô ſuccincto hîc proſequitur Noſter , quam operandi rationem Artis ſpagyricæ principes pro ſingulari theſauro & verâ clave ſolemniter habent : Tantæ adeò neceſſitatis calcinatio eſt , ut illum etiam,qui ſecreta ejus neſciverit, totius pyrotechniæ emolumenta ignorare affirmetur, quod ſic omnia, quæ firmiſſimo duriſſimoque repagulo etiam obvallantur , ex centro ſuo in lucem prodire cogantur, imo res ipſæ calcinando ad aſtralem virtutem ac mirandas energias deducantur. Cœtera cuncta quàm rectiſſimè ſe habent.

CAPUT XXXII.

DE

Syncope & Lipothymia.

§. 1.

SYncope & Lipothymia unum & idem eſt ac ſonat apud Græcos, nempe animi deliquium ſeu defectum. Eſt autem animi defectus præceps virium lapſus cum quadam intermiſſione commercii ipſius ſpiritus vitalis cum animali, in qua intermiſſione pulſus aut nullus eſt aut extremè rarus & obſcurus : Corporis ſumma frigent , tempora , cervix & thorax frigido ſudore madent , facies pallet , totumque corpus quaſi enervatum jacet , & mens omnisque ſenſus deficit.

§. 2. Lipothymiam autem inferunt cordis pathemata omnia,ut timor & mœſtitia gravis, voluptas maxima, dolor atrox, inedia, labor, evacuatio immodica,& quæcunque calorem nativum ſpiritusq; vitales inſuper diſſolvunt, nempe Venus immodica,febres magnæ, malignæ & ardentes, va-

riolæ

riolæ & morbilli : Dum enim foras erumpere hæc exanthemata volunt ac protrudi debent, vapores hinc exſurgentes cor quoque petunt, motusque cordis interturbant, unde Lipothymia vel ſyncope exoriri ſolet, ſiquidem omne malignum ac venenatum vitæ noſtiæ ejusque ſpiritui noxium valde ſit & inimicum : ſpiritus namque vitæ noſtræ fundamentum & columna unica, dum ab hoc inimico ſeu hoſte inſultatur, ſiſtit ſuos naturales motus, ut ſe defendat, cujus motus interruptione fit ſyncope.

§. 3. Huic malo ſic ſuccurrendum eſt : Evacuandum ſcilicet eſt, quicquid malignum & noxium in corpore noſtro latitare poteſt, ſive id meſenterio, ſive epati aut lieni vel ventriculo & aliis quibuscunque corporis noſtri partibus inhæreat : Id evacuandum inquam eſt purgatione noſtra ☿iali vel Mercuriali aut elleborinâ ; ſunt enim hæc ſola medicamenta propria & apta (quicquid clament Galenici) ad evacuanda omnia, quæ maligna ſunt & noxia in corpore noſtro, ſive jam in profundô corporis centro latitent, ſive in corporis habitu ac ſuperficie hæreant.

§. 4. Purgatô corpore ſpiritus X rectificatus cum ambrâ & moſchô aromatiſatus ſaccharoque dulcificatus eſt ſummum & tutiſſimum curandæ ſyncopes & lipothymiæ remedium : Qui enim malignis iſtis excrementis turgent, ſolô illô X ſpiritu ſingulis diebus manè jejuno ventriculo aſſumto ab illis ſe vindicare poſſunt.

§. 5. Imò quicquid in palpitatione & tremore cordis appropriatum eſt, ſyncopi & lipothymiæ itidem ſummoperè prodeſt, unde Eſſentia Solis, corallor. margaritar. item Oleum ſuccin. alb. rectificatum certiſſimum & jucundiſſimum curandæ lipothymiæ remedium exiſtit.

§. 6. Et hæc ſunt, quæ de cordis & thoracis partiumque illi annexarum morbis dicenda erant, quæ quamvis Galenicam & Græcorum non ſapiant doctrinam, tamen ab ipſis etiam Galenicis non contemnenda erunt : Eſt enim utilitas quàm maxima in his ipſis tanquam omnium morborum tutiſſimas curas præſtantibus, atque proinde ad experientiam omninò vocandis, veluti id ipſa experientia ſatis clarè demonſtrare poterit.

§. 7. Pilulæ polychreſtæ in ſummo etiam uſu ad curandam ſyncopen ſunt, quæ ſequenti methodo fiunt : ℞. Aloës epatic. & ſcammon.

ana

ana ℥j, diſſolv. in ſpiritu Vini, ſed ita, â feſtucis ut anteà liberentur, poſteà ſeparetur ſpiritus X calore lento aut Solis, materiæ viſcidæ remanenti add. gumm. gott. ℈ij; pulver Jalap. & Turbith. ana ℥ij pulver cinamom. & caryophyll. ana ʒß, margaritar. & corall. ana ʒjß, ſucc. roſ. ℥j vel potius q. ſ. M. omnia, & reducantur in pilularum maſſam, cujus doſis una pilula gr. xij eſt.

Animadverſiones.

Ad Cap. XXXII. in genere.

Ad §. 1.

COrdis affectus frequentiores & potiſſimi ſunt palpitatio & ſyncope, quos Practici ponderare ſolent. De illâ jam egimus, hanc verò in præſenti nobis conſiderandam præbet Autor. Circa differentiam nominum videl. lipothymiæ ac ſyncopes diſceptare, utut etiam operoſos ſe Autorum quosdam hîc præſtare videamus, ſtudiô ſuperſedemus, quod ne hilum utilitatis hinc ſperandum. Sufficiat hîc dixiſſe lipothymiam & ſyncopen differre ſecundùm minus & majus, atque lipothymiam ſyncopes eſſe primordium, item quod ſyncope per eſſentiam, lipothymia per conſenſum potiùs ſit: Communiter tamen hæ voces pro ſynonymis atque indiſtincte accipiuntur, quatenus nempe ob ruinam ſubitaneam ac ſimultaneam vel fugam ſpirituum facultates tam in corde quàm cerebro ita conciduntur, franguntur ac diſſipantur, ut nec cor nec cerebrum cum ſenſoriis ſuis tunc facere officium valeat. Utrumq; igitur nomen denotat cordis ſeu animi deliquium, vel ſi quis mavult, dereliquium ac defectionem. Definitio ſyncopes eſt Galeni, quam Autor hic adduxit; ab illo namque ſic deſcribitur hoc malum, quod ſit præceps virium (ſeu virtutis vitalis) lapſus, hoc eſt ſubitus ſive repentinus omnium facultatum defectus: Syncope etenim ſeu lipothymia cum ſit ſymptoma in actione abolitâ, operationes etiam omnium facultatum tunc deſtrui quivis ſubſumet: Quæ noxa tamen potiſſimum ad pulſificam & ſpirituum generativam (tam modus quàm uſus circulationis hinc oppidò conſpicuus evadit, quæ nihil aliud eſt, quàm naturalis & ſuavis ſanguinis fermentatio, ut hinc ſpiritus generari, hoc eſt ſanguis in æthercam ſobolem luminis nimirum vitalis immediatum hoſpitium mutari queat) pertinet, ex cujus utriusque actione abolitè læſa fit, ut ſan-

ut ſanguis arterioſus & cum hoc ſpiritus vitales reliquis corporis partibus non communicentur, ac pereunte cordis actione influxuque hinc non demandato commercium illud inter ſpiritus vitales commune intercipiatur: Unde ſtatim etiam liquet, cur facies tunc palleat, membra frigeant & quaſi funerata evadant &c. item motus pulſatilis aut nullus aut certè obſcurus deprehendatur, imò & ipſe anhelitus quaſi extinctus videatur: Ut enim ſpiritus influentes tanquam radii vitales in arteriis exoptatâ fluctuatione micantes, quorum beneficio anima ubivis in corpore eſſe dicitur, totum illuminant, vivificant & vegetant corpus, ita contrarium in oculos ſtatim incurrit. Frigidus etiam ſudor in hoc caſu emanat, quia calor nativus tunc extinguitur vel extinctioni proximus eſt, & provenit is ipſe â diſſolutione humiditatis ſubſtantificæ partium, quæ illis aſſimilari debebat, ob fractam facultatis retentricis virtutem, ut non immeritò gelidus hic ſudor funeſtum ſanguinis ſeu cruoris liquamen ab Helmontiô hinc appellitetur.

Ad §. 2.

Dum animi affectus ſeu pathemata inculpantur ab Autore, quod lipothymiam concitare valeant, de iis ut rem illam eò meliùs capere queamus, præmonendum eſſe cenſeo, quòd affectus dicti vel boni vel mali conſtituantur, quorum utrique ſi moderati ſint, ſanitatem conſervant, aut licet mali exiſtant, ob moderamen iſtud nec quicquam tamen in corpore mutare aut nocere poſſint. Ergò mentis hæc pathemata ſive bona illa ſint ſive mala, ut animi eclipſin inferre poſſint, exceſſum (qui ſemper in vitium vergit, vel ipſe vitium ſeu error vocari meretur) patiantur neceſſum eſt, veluti ipſe Autor appoſitis juxta epithetis vehementiam innuentibus id quoque deſignavit. Atque hic ipſe exceſſus quò intemperatior vehementiorque exiſtit, aut ſi repentinus ille ſit, non tantum de naturali ſtatu dejicit corpus, verùm etiam eò magis vires depopulatur, atque hinc ſpiritus ita diſſipat, ut ſyncopen ac mortem ipſam eamque ſubitaneam (ſiquidem ſyncope mortis quædam imago & illi quam proxima exiſtere ſoleat) non rarò inferat, id ipſum abundè comprobantibus oppidò multis hiſtoriarum monumentis. Nihil enim adeò εὐκρασίαν & œconomiam partium humorumque perturbat ac diſſolvit; nihil in perniciei & ruinæ ſodalitium corpus tantoperè trahit, nihil æquè ſpiritus vel exhaurire, vel diſſipare vel opprimere & ſuffocare, ac propterea omnes ſingulaſque functiones lædere ſolet, quàm vehementior & inordinatior animi motus. Quod autem

animus corpori, & corpus animo tam exquiſitè compatiatur, fit mediantibus ſpiritibus, quorum miniſterio regitur corpus ab anima, & pars utraque functiones ſuas exercet: Hi enim ſunt, qui pro variis animi pathematis nunc interiora corporis violentiùs irruendo ſubeunt, nunc confeſtim & confertim foras erumpentes interiora relinquunt ac deſtituunt, nunc rurſus velut concluſi, coanguſtati & incarcerati intra verſantur, atque in ipſo vitæ centro violenter conſtringuntur, ita ut ſpirituoſo hoc ſanguine cor nimis confertim occupante diſtributio ſpirituum omninò prohibeatur. Atque horum primum accidere ſolet in conſternatione & timore gravi; alterum in effuſiore gaudio, lætitiâ repentinâ & voluptate maxima; poſtremum in longâ mœſtitiâ. Quibus ita conſideratis facilè intelligere eſt, unde ſyncope & interceptio commercii illius, quod ad ritè expediundas functiones tam ſpiritus vitales quàm animales invicem celebrare tenentur, ex animi perturbationibus originem ſuam trahat. Deinde omnes immodicæ evacuationes, ad quarum claſſem referuntur etiam minùs opportuna vel immoderata ſanguinis miſſio, ſudor copioſus ac ♀ nimia, quùm vitæ theſaurum valdoperè profundant, calorem nativum ac humidum radicale inſigniter depaſcantur, ſpiritus potenter reſolvant, viriumque robur manifeſtiſſimè enervent, conſimili ratione ad ſyncopen diſponunt, veluti ex Medicorum obſervationibus id ſatis luculentum eſt. Tandem qui reputabit, inter ſymptomata horrenda & graviſſima, quibus in evertendâ microcoſmi republ. ac vitali cumprimis regiâ virulentus monarcha & malignitatis ferocia utitur, agmen quaſi ducere vel claudere potiùs ſyocopen & animi dejectiones ferali inſultu toties recurrentes, is non mirabitur, febres malignas & ſic conſequenter etiam morbillos variolasque præſertim lipothymiam unà ſecum adducere. Nempe putredinis malignantis animatus vapor per omnes corporis tractus diſperſus & adhæreſcens, dum morſu continuo vellicat lancinatque quas occupat partes, Natura ſive ſpiritus vitæ iis adminiculari & ſuccurrere geſtiens ſuum thronum derelinquit, ut ſic facultates principes deficiente hinc ſpirituum influentium miniſteriô fatiſcant, unde animi deliquium: Vel maligna & verminoſa hæc miaſmata ad cordis interius ſacellum penetrantia flammæ vitalis pabulum ac fomentum abſumunt, atque illud lumine ſeu virtute ſua ſic indubitato exſpoliant. Fieri etiam eâ ratione lipothymia poteſt, ſi verbi gratia vaſa jugularia obſtruantur, tunc ſanè propter obſtructionem illam ſanguis in cor relabitur, atque ſuffocationem inducturus ſyncopen parit, ita ut, niſi ſyncopticus revocetur ſtatim debitis mediis, ipſe etiam ex ſuffocatio-

ocatione interitus conſequatur. Syncope uterina haud incommodè hic etiam conſiderari poſſet, ſed quùm infrà in Capite de Uteri ſymptomatis de eadem agendi nobis plenior dabitur occaſio, eam quoque tunc potiùs accipiemus.

Ad §. 3.

Niſi malignitas ſtrictè ſic dicta ſyncopen tunc conſtituens, quæ nunquam non febris acutæ conſortiô ſtipata eſſe ſolet, aliud dictitet, Autoris effato & nosmet promtiſſimè ſuffragamur, veluti hanc ipſam cautelam circa Emeticorum & potentiorum purgantium uſum omninò obſervandam, atque ab eô ſub malignitatis incendio dominioque penitùs abſtinendum toties jam inſinuavimus.

Ad §. 4. & 5.

Excellentiora confortantia rectè hic proponuntur, circa quorum ſeriem non immeritò notat Autor, purgato corpore & remota excrementitii humoris ſentinâ (quæ alioquin obſtat, quò minùs remedia refectiva ad penitiores corporis latebras penetrare ſe queant) ea demum eſſe adhibenda. Si igitur malignitas fortè purgationem diſſuaſerit, & ab eadem ſyncope orta fuerit, tunc antè omnia mortificandum eſt illud malignitatis ſeminium animatum, & poſteà purgandi ſcopus abſolvendus, quò tandem cum fructu ad corroborantium efficaciam recurrere valeamus: Itaque ſpiritum X (qui eò nobilior & virtuoſior erit, quò fragrantius ac generoſius extiterit vinum, cujus quinta eſſentia ſeu anima is fuit) & quidem ſolerter rectificatum hoc eſt per iteratas cohobationes ad ſummum puritatis ac ſubtilitatis culmen perductum rectiſſimè in paroxyſmo ſyncopticô laudat Autor, utpote qui eâ, quâ præſtantiſſimè pollet penetrabilitate ac mirificâ refocillandi virtute lumen vitale tunc extinctioni proximum valdè denuò quaſi accendit, ſpiritusque influentes priſtini motus ſui ſeu circulationis memores facit, atque ſic commercium iſtud vitale effectiſſimè rurſus inſtaurat: Unde hic ſpiritus etiam propter nobiliſſimas, quas habet dotes â quibusdam ▽ vitæ, Sulphur & menſtruum aſtrale, ▽a cœlica (licet Philoſophi Hermetici hâc titulorum maieſtate longè aliam innuant lympham & nympham) & ſic porrò ſalutatur, quod nempe ſit balſamus efficaciſſimus & balſamo noſtro naturali virtutique vitali roborandæ convenientiſſimus. Non tantum autem ſpiritum Vini ſummoperè rectifica-

tum, verùm inſuper etiam beneficio ambræ & moſchi aromatiſatum tanquam magis contra ſyncopen adpropriatum hîc commendatum videmus, quod ipſum additamentum eò magis hoc medicamen nobilitat præſtantiùsque reddit, quò certius eſt, tam ambram quàm moſchum cor ac ſpiritus noſtros Sulphureâ ſuâ ac ſuaviſſimâ exhalatione mirificè ſuſcitare ac potenter reficere. Quid autem aromatiſatum Medicis ſit, ſatis vulgatum eſt: Ut enim aromatis nomen non tantùm denotat condimentum, quo cibi habiles utilesque ac ſuaves magis redduntur, ita & ipſam odoramentorum quoque familiam ac ſpecies, hoc eſt res ſingulares exoticasque, præcipuè veró plenum atque gratum perſeverantemque odorem ſpirantes ſub ſe comprehendit. Aromatiſatio autem illa ſic inſtituitur: In petia nempe ligatur ambra & moſchus, atque ſic ſpiritui X rectificatiſſimo immittitur; vel roſtro alembici in ultimâ ſpiritus X rectificatione imponitur; quâ ipſa methodo utriusque odoramenti virtute ſpiritus ſeu alchool X oppidò etiam imprægnatur animaturque. Quod hujus ſpiritus edulcorationem ſpectat, ut eam in hoc caſu non adeò proficuam commodamque, quod penetrabilitas ejus ſic impediatur potiùs, cenſeo, ita notandum eſt, quod ſpiritus X rectificatiſſimus ſaccharum haud ſolvat, atque proinde edulcorari, aut cum eô ſaccharum miſceri non poſſit, niſi vel ſaccharum liquetur priùs (**es müſte dann zuvor der Zucker geläutert ſeyn.**) vel in alio liquore ſolvatur: Imò eodem nomine & titulo, non ſecùs ac ſpiritus X, omnes quoque ſpirituoſi liquores alii, quales ſunt ▽æ antiapoplecticæ, epilepticæ, paralyticæ &c. ſyncopen curare, & in hujuscemodi paroxyſmo deſideratam opem afferre poterunt. Deinde ut Confortantia illa eminentiora ex aurô, perlis, coralliis & meliſſa parata jam adductis rationum argumentis expoſita fuerunt, ita nullum eſt dubium, ea etiam remedia, quæ contra palpitationem cordis peculiariter proſunt, in ſyncope appoſitum exhibere effectum, ſicuti etiam reverâ hi affectus invicem intimitus confines ac plerumque combinati eſſe ſolent. Tandem Oleum ſuccin. alb. idque probè rectificatum omnia omninò principalia corporis membra, præſertim cerebrum & cor vivificô & balſamico ſuo ſpiritû, quem continet, ad miraculum usque reficit, unde animi etiam deliquiis efficaciſſimè medetur; cumprimis verò malignitati & cuivis putredini eximiæ atque ſic animatæ etiam fugiendæ enecandæque ſummum & magnificum eſt remedium.

Ad §. 6. & 7.

Ad §. 6. & 7.

Quid diſtent æra lupinis, aut quantum præſtet Chymiatrorum Philoſophia Galenicorum documentis, tam perſpicuum nobis jam eſt, quàm conſpectiſſimum: Ut enim Galenici accepta â Veteribus dogmata ſuis tantùm poſteris tradiderunt, ita conſentiendi hanc vecordiam averſantes Hermeticos ac Neotericos fundamenta Jatroſophica ex Naturæ librô potiùs & lumine, ex Naturæ ſinu & adamantinâ illâ aureaque rerum naturalium catenâ ſtudioſiſſimâ ſollicitudine ſub præſidio ipſius rationis & applauſu experimentalis Phyſices depromta Filiis ſuis inſinuare ac commendare cernimus. Pilulas polychreſtas ab Autore ultimò adpoſitas, quas ex ſpeciebus quibusdam purgantibus & aromaticis videmus præparatas, tanti momenti haud eſſe exiſtimamus, ut glorioſum pathologiæ Hermeticæ theatrum ſubire mereantur; ſed quùm tutò tamen, niſi obſtet malignitas, uſurpari queant, & leniendi vim obtineant, uſum earum libero cujusvis arbitrio concedimus, ita tamen ut tres potiùs pilulæ ex hoc xij. gr. pondere pro faciliori deglutitione formentur.

CAPUT XXXIII.

De

Morbis Ventriculi.

§. 1.

VEntriculus eſt totius corporis coquus: Coquit enim & præparat alimenta omnia, licet varia ſint illa ac omnino diſtincta, atque in unam ſimplicemque ſubſtantiam, quæ chylus dicitur, convertit. Ex ſimplici hac ſubſtantia poſtmodum hepatis beneficiô fit ſanguis, qui iterum eſt ſimplex & homogenea ſubſtantia, quâ partes omnes nutriuntur.

§. 2. Prima igitur alimenti præparatio fit in ventriculo, qui ut â Deo Creatore & ipſa Natura quùm deſtinatus ſit, ut alimenta cuncta etſi varia in chylum homogeneum ac ſimplicem convertat, ita nullum eſt dubium, quin

quin inter coctionem & alterationem diverſorum alimentorum multum ab excrementis patiatur, quæ â chylo tunc ſeparantur, præſertim ſi ventriculus non adeò fortis ac robuſtus exiſtat; unde ventriculi imbecillitas, βραδυπεψία ſeu vitiata concoctio & cruditas exoritur, quæ omnia ex unico fonte, nempe ex imbecillitate nativa ſeu ſemine parentum originem habent: Et quamvis hoc ipſum vitium corrigi queat benigno ſiderum adſpectu & optimo victus regimine, nihilominùs tamen ſeminis interna virtus ac energia ſemper in partibus inde generatis elucere ſolet.

§. 3. Imbecillitas ventriculi ſeu apepſia & cruditas generat ventriculi dolores graves, atroces eroſiones, ardores, flatus, inflammationes, ingentes fluxiones & tabem, dum nempe in ventriculo ex alimentis malè coctis ac digeſtis vel depravata ventriculi coctione excrementa Tartarea, viſcida, acria & mordacia producuntur ac remanent, quæ parietibus ventriculi adhærent, & membranam ejus acrimonia ſua lancinant ac erodunt: Imò non tantùm hæc omnia, verùm etiam omnis generis febres hinc proveniunt, velut in tractatu de febribus, DEO dante, clarum & manifeſtum id faciemus.

§. 4. Ut autem imbecillitatem nativam ventriculi corrigere & omninò curare valeamus, nihil in totâ Natura fortius & potentius eſt oleo ⊕li ♀ris: Eſt enim hoc °° eſurinum, quod ventriculum ita roborat ac reſtaurat; ut is ferrum alterare quaſi ſtruthiocamelus queat; ſumitur c. conſerv. viol. vel cum ſyrupo violac. ad gratam acetoſitatem.

§. 5. Purgatur tamen ventriculus bis in anno, vere & autumno, ☿io noſtro, quo tollitur ſaburra illa excrementorum ſiccantium, quæ ex vitiatâ ventriculi coctione cumulantur; poſteà vero prædicto °° ⊕li ♀ris confortatur: Nec opus eſt docere hîc præparationem hujus ex ♀re ⊕li, quod iſtud nimis triviale ſit, ac lippis tonſoribusque notum.

§. 6. Aqua etiam cinamom. ventriculum ſummoperè roborat ſingulis diebus manè jejuno ventriculo ſumta ad ʒj. ſic etenim ſpiritus inſitus ventriculi, ſanitatis & coctionis ibidem verus œconomus, ſpiritu cinamom. & vini, qui ſimul in ▽ cinamom. ſunt juncti, ſummoperè roboratur, modò Tartarea & viſcoſa excrementa ☿iali purgatione priùs foras expellantur: Spiritus ſiquidem cinamomi ſpiritum ventriculi ſuo vitali nectare ac calore omni-

omninò reſocillat atque reſtaurat , unde facili negotio ab omni Tartaro ventriculus ſe vindicat.

Animadverſiones

Ad CAP. XXXIII. in genere.

Ad §. 1.

VEntriculi uſus vulgò ſatis ſuperque cognitus eſt, quod nempe ſit veluti penu & promtuarium totius corporis, ſiquidem præſtabili hoc potentiæ nutritivæ inſtrumento munus illud publicum ſeu confectio chyli, ut exinde in hepate ac corde poſtmodum ſanguis ſingulis partibus in alimoniam perfici queat, expediatur, atque ſic coctio prima dicta (ubi notandum in eâ ſignificatione ventriculi vocabulum hîc accipi , quatenus quoque inteſtina, quæ nihil aliud ſunt , quam ventriculus continuatus , id includit) abſolvatur : Unde etiam coquus & œconomus ab Autore noſtro imò Rex totius corporis â Poëta ſalutatur propterea, quod ventriculi validus firmet tenor omnia membra. Subeſſet jam occaſio quidem ex profeſsô demonſtrandi , quàm operoſum ſe præſtet Helmontius circa principatum ſtomachi multis argumentis atque mirabilibus exemplis ſtabiliendum , quod v.g. tanta ventriculi autoritas ſit in caput, quod ſtomachica medicamenta diſſitos etiam ſanent morbos , adeoque in eodem omnium ægritudinum ac ipſorum etiam vulnerum vera curatio ſollicitanda veniat, quod rector digeſtionum omnium exiſtat , quod vitæ faſces aut frænos geſtare videatur , quod uteri claves teneat , & conſimilia quàm plurima , quæ in opuſculis ejus inveſtigari poterunt : Veruntamen hâc vice pulcherrimum hunc ingredi campum non placet ob tædium prolixitatis ; aſt quod differtur in præſenti, non penitùs auferetur. Vel unum hoc admiratione condignum eſt, quod ex diverſis eduliis, quæ priùs benè maſticata & fermentô ſalivali imbuta per alterationem & colliquationem ibi in prima quaſi elementa rediguntur, homogeneus ſuccus ſeu chylus, modò naturaliter ſe omnia habeant , in membranacea hâc ac ſua natura ut primô intuitu videtur , frigida olla parari poſſit. De fermento vitali ac ſpirituali ac ore , qui dubio ſine â benignitate ſplenis, viſceris illius tam multiplici venarum & cumprimis arteriarum contextu locupletati , ventriculo inſpiratur , ut coctionis

primæ

primæ vigor feliciter ſuccedat, controverſiæ ſerram trahere nolumus, ſiquidem hoc negotium per ſe planum ſit, modò veritatis fundamenta non uſque deque quis habeat: Huic accedit præter venas notabilis arteriarum complexus, qui per totam ventriculi ſubſtantiam expanſus vitale lumen oppidò huic inſinuat. Unde perſpicere ſtatim licet, quomodo chyli digeſtio ac diſpoſitio radicale ad vitam principium in ipsô jam ventriculô accipiat: Videmus hinc ventriculum pariter calorem proprium & non adeò exiguum eum, ut vulgò creditur, habere, quem tamen â calore viſcerum ſanguineorum adjacentium tam hepatis quàm lienis non nihil ſoveri non negamus, ut proinde dicta jam viſcera rectè quaſi foculos quosdam ignearios Galenus vocaverit. Ex ſimplici igitur hâc chyli materia epatis beneficiô ſanguinis itidem homogeneam ſubſtantiam (loquimur enim de illo ſanguine, qui ſecundum Naturam ſe habet) tanquam commune omnium partium fieri nutrimentum perhibet Autor, hoc eſt cremor ille lacteus ad inteſtina tenuia, ubi ultimam is acquirit perfectionem, transmittitur, quibus inſerta vaſa lactea vaporis ſub ſpecie meliorem chyli partem aſſugunt & ſurſum ad officinas ſanguificas vehunt. An vero hepatis ac ſpecificæ ejus ſubſtantiæ beneficio chylus Tincturam rubicundam vel prima ejus rudimenta adipiſcatur, nos omninò dubitamus, imò intrepidè negamus, quùm anaſtomoſis venarum & arteriarum, quæ in meſenteriô impenſè conſpicua eſt, & illi etiam arteriarum ſurculi, qui in partem ſimam ipſius hepatis â ramo cœliaco producuntur, & vitalem illam Tincturam afferunt, longê aliud nobis perſuadeant. Sed hæc omnia ex phyſiologicis codicillis uberiùs petenda.

Ad §. 2.

Quemadmodum ventriculus rectè coquens & digerens adſumta, adeóque ſpartam ſuam decenter ſuſtinens, ſanitatis unica quaſi ſcaturigo eſſe videtur, & cuncta in corporis œconomiâ tunc plerumque ex voto valent, ita ex adverſo â depravata vel impeditâ ventriculi actione morbi propemodum cuncti natales ſuos habent, ſiquidem error concoctionis primæ non corrigatur facilè in ſecundâ, ſed vitioſus exinde excrementitiusque ſanguis neceſſariò generatur, multò minùs in tertia, cujus poſtmodum cauſa omnes atque ſingulæ partes male nutriuntur, & hinc variæ paſſim ſeditiones ſuccreſcunt. Huc itaque reſpiciens Plinius ventrem vas corporis peſſimum non immeritò dixit, quod circa illum numeroſiſſima ſit Medicinæ opera, & una

una alvus plurimum ſollicitudinis negotiique mortalibus exhibeat. Succiſâ autem ratione cauſas depravatæ chylificationis vel deficientis ventriculi Autor hîc ediſſeruit, ubi primò luxum & diverſorum ciborum ingeſtionem rectè accuſavit, quæ vel operoſam vel difficilem vel vitioſam planè coctionem reddere ſolet: Scimus enim Naturam paucis eſſe contentam, & cibi ſimplicitatem eidem, utpote quæ ipſa ſimplex eſt, quàm maxime acceptiſſimam. Varia ergo & diverſa non alunt, ſed inquinant, ut Seneca ait, quùm impoſſibile ſit, ut omnia illa, quæ diverſas & qualitates & ſubſtantiam habent, inſimul â Natura ſubigi & decenti coctione æquè evinci poſſint; adeoque tunc manebunt pleraque incocta, & proinde corrumpentur poſteà, putrilaginem adſciſcent, & excrementitia evadent, quæ chylum inſigniter contaminare & chylificationem vehementer turbare ſolent. Ut autem diverſitas illa mirum quantum nocet ac reluctatur Naturæ, ſic & multitudo ciborum ventriculi tonum impenſè evertit, quando nempe ad ambas uſque aures, ut in proverbio eſt, quiſpiam ſe replet & ſupra modum ingurgitat: Habet enim voracitas ſemper ſuum ultorem ſecum, videlicet cruditates & hinc natam omnigenam morborum ærumnam: Huc refero etiam cibos parùm aut planè non maſticatos, vel ſuâ natura coctu difficiles aut pejoris ſucci quosvis, quos poſteà ventriculus comminuere atque in ſuccum redigere non poteſt; unde conſimiliter cruditatum meſſis in aprico eſt. Altera & frequentior magisque celebrata cruditatum ac depravatæ chylificationis cauſa eſt imbecillitas ventriculi, quam ut ſuprà jam culpatus in victu error, præſertim ſi crebriùs committatur, communiter parit, ita â parentibus traducta illa utplurimum eſſe ac hæreditaria ſolet, adeoque non pauci à nativitate ſtatim morbidam ventriculi διάθεσιν ſeu diſcraſiam obtinent, cujus ratione ex optimis etiam peſſimus chylus conficitur. Hæc ſanè innata & per traducem ſeminalem â parentibus transfuſa ſtomachi infirmitas ſeu ἀτονία utut eam ſobrietatis cultus ac temperatus vitæ modus, cui alioquin ſanitas tanquam filia tribuitur, nec non blandiens ſiderum benignorum (ſunt enim & aſtra ad emolumentum & ſalutem hominis condita) adſpectus, quodammodo mulcere ac ſolari valeat, nullâ tamen ratione ex fundamento aut perfectè ſanari, atque ad exoptati roboris conſtantiam redigi poterit, adeoque Medici licet præſtantiſſimi conatum nunquam non elidet atque eludet.

Ad §. 3.

Quamvis varia ventriculi ſymptomata recenſeri & â Practicis ſollicitè

obſervari ſoleant , nempe tam ea , quæ facultatem ejus ſentientem & adpetentem , quàm retentricem & expultricem ſpectant , attamen in hoc Capite tantùm illa accidentia conſiderat Autor , quæ circa concoctricem contingunt (de reliquis enim in ſequentibus capitulis agit) & uno verbo vel imbecillitatis vel cruditatum indigitantur nomine , quas cum fluctuationibus obmurmurationibus & rugitibus â debilitatô rectiùs fermento , quàm calore (hujus enim officium ac uſus eſt , excitare vim illius, ut hac ratione coctionis cauſa principalis ſit vitalis fermenti vigor , inſtrumentaria verò ſeu miniſtrans caloris robur) fieri novimus. Triplicem hujus *ἀῤῥωςίας* ventriculi faciunt ſpeciem juxta ternam læſionis claſſem Pathologiæ Doctores , quarum prima *βραδυπεψία* , id eſt tarda vel imminuta coctio , *δυσπεψία* altera ſeu depravata digeſtio, & *ἀπεψία* ſeu omnimoda cruditas tertia dicitur. Hôc præſuppoſitô ſtatim ſupponendum crudos & malè digeſtos cibos è veſtigio ſubſequi corruptionem , unde & ventriculus dupliciter corrumpere cibum dicitur , aut in nidorem aut acorem ; hic autem ut illo benignior & emendatu facilior exiſtit , ita nidoroſa quævis morbificum vehementioris putredinis fermentum in ventriculo ſignificant, quæ genitalem febrium cauſam quaſi in ſinu gerunt. Ciborum ergo corruptela nil aliud eſt , quàm ciborum mucilaginoſa ac putrilaginoſa cruditas, primò acidam deinde creſcente corruptione nidoroſam acrimoniam acquirens , quam Theophraſtus , Sennertus & nos cum illis Tartarum ac ſqualidam veluti vappam infinitæ calamitatis originem adpellamus , ſicuti alioquin cruditas , in quâ ſemper latitat contumax impuritas (quæ enim cruda ſunt , indubitatè impura Naturæ ſerenitatem inſigne quantum obfuſcantia exiſtunt) omnium morborum fœcundiſſima audit genetrix.

Ad §. 4.

Specifica ſtomachica eaque nobiliora non immeritò ſupremum in medendo ſubſellium occupant , utpote quæ reliquis remediis exoptatam conciliare quaſi autoritatem & aditum ſolent. In ſtomachicorum autem claſſe cumprimis eminere Autor hîc docet ſpiritum ⊖li ♀ris , cujus gloria adeò etiam famigerata eſt , ut peculiari titulô Paracelſus hunc ſpiritum acetoſum eſurinum ſalutaverit , quod ſit arcanum mirificè ventriculum infirmum roborans , & virtutem ejus reſtaurans , inibique cruditates oppidò emendans. Atque cùm latiſſimè jam notæ ſint vires ſpiritus ⊖li communis,

munis, quas Practicorum unanimis conſenſus eidem adſcribit, dubium eſt nullum, longè efficaciùs energias illas ſpiritui, qui ex ⊖-lô ♀ris deſtillatur, competere. Vel obiter ſubolfaciant hinc & ſapere demum diſcant fermenti oſores, laudatæ coctionis principatum fermento rectè ſe habenti cumprimis deberi, dum infirmitates ventriculi adpropriatorum acidorum uſu potiſſimum corrigere, vel ipſi neſcientes quid agant, eumque ſic reficere ſtudent. Cupro cœterùm in Medicinâ magnæ aſſignantur virtutes, ita ut etiam quibusdam aſſerere placuerit, nullum metallorum ſalubriorem ſpirare auram, quàm cuprum; ſicuti etiam recordamur Hippocrati præter reliqua metalla & mineralia cuprum præcipuè frequentiſſimô fuiſſe in uſu. Sed ſufficit hîc nobis certitudo illa, quâ eximia & præſtantiſſima ex ♀re parari medicamenta, & præſertim ex ⊖-lo ejus ritè parato, nobis oppidò conſtat. Hyperbolicam hujus ſpiritus eſurini laudationem quâ ſtatuit Autor, ejusdem uſu tam robuſtum evadere ventriculum noſtrum, ut iſte non ſecùs ac ſtruthiocamelus ferrum digerere poſſit, modeſtè excuſamus, & hoc ipſo utendi modum, quem præſcripſit, pariter non improbamus, licet rectius commodiusque hunc ⊖-li ♀ris ſpiritum in juſculo carnis adſumi cenſeamus: Utiliter etiam commiſcetur hic ſpiritus cum ſpiritu maſtich. per deſtillationem facto, & quidem hoc modo: ℞. ſpiritus maſtich. opt. ʒij, ſpiritus ⊖-♀ ʒj. M. f. Kräfftiger Magen-Spiritus 30. Tropffen auf 1. mal. In hujus defectu ſpiritus ⊖-li vulgaris ſed probè rectificatus, vel ſi haberi poteſt, ſpiritus ⊖-li ♂tis ſubſtituetur.

Ad §. 5.

Sed antequam ad uſum hujus confortativi ſtomachici nos convertamus, neceſſum omninò eſt, ut ab impuritatum & cruditatum ſarcinâ priùs liberetur ventriculus, id quod expeditius haud præſtari poterit, quàm Emeticorum beneficio; tunc demum enim confortandi intentio feliciter ſuccedet: Quod ſi verò negligatur ventriculi purgatio, vitioſum fermentum ex uſu remedii acidi potiùs exaſperabitur, ac proinde ſymptomata graviora præſertim circa ſenſitivam ventriculi facultatem ſuborientur. Sed de magnificâ hujus Emetici, quo vel ſolo vitium primæ coctionis emendari & principia morborum, nempe ciborum ſuperfluitates auferri poſſunt, (unde Ægyptii quosvis morbos vel jejunio vel vomitu ſanare conſueverunt) virtute multa jam nos deprædicaſſe meminimus, quæ huc quàm

rectiſſimè etiam adplicabuntur. Quod autem modum conficiendi ex ♀re ⊕lum concernit, is noſtro quidem judicio tam vulgaris non eſt, ut Autor exiſtimat, præſertim ſi de vero & genuino loqui ſit animus, qui talis eſt: Calcinatur nempè limatura ♀ris cum Sulphuris duplo, & conſumta Sulphuris flamma beneficio ∇æ fontanæ coquendo extrahitur ſive elixiviatur ⊖ illud ⊕latum ♀ris, quod evaporatâ ∇â relinquitur, & coeruleum ſplendorem ſeu pulcherrimam viriditatem ſuam ſic deſubitò oſtendit: Hic labor toties ſuper eadem ♀ris limaturâ iterari poterit, donec ſufficiens quantitas ⊕li ♀is nobis ſubſit, ut exinde ſpiritum poſteà deſtillare queamus: Nam certum eſt, quod ex unâ librâ limaturæ ♀ris beneficio toties totiesque de novo additi Sulphuris, quod ex gremio ♀ris natum omninò eſt, decem ac plures imò ⊕li ♀ris libræ elici poſſint.

Ad §. 6.

Aquam & Oleum cinamom. quod fragantiſſimi hujus corticis ſeu delicatiſſimi aromatis virtus naturali balſamo noſtro intimè correſpondeat, & excellentiſſimam corroborandi exhilarandique omnia viſcera, nec non ſpiritus vitales multiplicandi efficaciam habeat, tanquam ſpecificum ſtomachale ſummum nos quoque vel propterea veneramur, quod confortato ſtomacho is eô potentiùs poſteà ab inimicâ cruditate ſe expedire valeat. Rectius tamen hoc cinamomi nectar porrigetur, ſi ventriculus probè priùs ac decenter fuerit expurgatus: Cùm enim fermentum vivificum omnium partium, & ſic quoque ventriculi ſit progenies ſpirituum vitalium, patet quoque quod multiplicatis excitatisque hinc ſpiritibus vitalibus (odores ſiquidem juxta Helmontium immediatum cum ſpiritibus vitalibus contactum habent) tam ſplenis quàm per conſequens ventriculi vitale fermentum oppidò inſtauretur ac renovetur, vel ad minimum purificetur illumineturque. Quò autem odoratius eſt mixtum aliquod, eò nobilius & magis luminoſum id habere fermentum quàm manifeſtiſſimè liquet: Unde Helmontius vel ſolô odore graviſſimos morbos feliciter curari adſeverat. Nos Oleum caryophyll. aromaticor. ſtillat. ob fragrantem acredinem ſuam valdè acceptum etiam eſſe ventriculo experti fuimus, ex quô v.g. rotulæ ſtomachales ſic præſcribi poſſunt:

℞. ſacch

℞. ſacch. in ▽ caryophyll. aromatic. ſolut. ℥ij.
☋ caryophyll. ſtillat. g. viij.
f. l. a. Rotulæ. ſ.

Kräfftige Magen-Küchlein auff etliche mahl.

quod ſi quis magiſterii Maſtich. ℈j vel ʒß adjicere tunc pariter velit; is omninò hoc remedium magis nobilitat. Ex ▽ & ☋ cinamom. eadem ratione rotulæ ſtomachales virtuoſiſſimæ componi poſſunt. Pro ditioribus adjici poteſt hiſce rotulis de ambr. vel moſch. ℈ß.

CAPUT XXXIV.

De

Eroſione, Tabe ſeu phthiſi Ventriculi.

§. 1.

EXcrementa illa Tartarea, viſcida & lenta, quæ ex reliquiis chyloſeos ſeu coctionis in ventriculo relinquuntur, non ſolùm cruditates & imbecillitates generant, ſed & ſæpiuſculè eroſiones, tabem ac phthiſin in ventriculô producunt. Excrementa enim Tartarea illa quò longiori tempore reſident in ſtomacho, eò fortiùs coquuntur, & ex coctione hâc fortiori acriora evadunt, & ita quidem, ut in cauſtica potentialia tranſeant, quæ ipſum ventriculum ſolvunt atque cauſticant, ut inde ulcera cum ſummô dolore fiant: Et ſic perſentiſcitur eroſio & ardor ſummus in ventriculo cum febre lentâ & hecticâ, quæ hinc exoritur; unde tabes illa ſeu phthiſis ventriculi.

§. 2. Nihil igitur aliud eſt Eroſio, Tabes ſeu phthiſis ventriculi, quam ulcus erodens in ipſo ventriculo ab excrementis Tartareis mordacibus & acribus productum. Inflammatur autem ventriculus ab ulcere, atque propterea marceſcit, cum alimentum ejus â depravatâ & vitiatâ coctione ſuâ pariter depravetur, donec denique totum pedetentim marce-

 ſcat,

ſcat corpus, quoniam & illi tunc verum deficit alimentum; Si enim ventriculus deficiat in præparando chylo, hepar etiam in præparando ſanguine deficit, utpote quod talem depravatam coctionem corrigere non poteſt, cum nimis magna ſit; ſi levis eſſet illa depravata coctio, corrigere eam adhuc poſſet, aſt cùm ſit adeò magna, ut in calore omnino deficiat, ſanguis laudatus inde fieri non poteſt: Hinc deficit omnibus corporis partibus verum alimentum, & hinc defectum illum tabes & conſumtio omnium partium ſubſequitur.

§. 3. Atque hæc tabes ſeu conſumtio non omnibus Medicis cognita eſt: Cordi enim referunt cujuscunque conſumtionis exordium, quod tamen falſiſſimum eſt, & â veritate longè alienum, quoniam ſæpiſſimè ex ventriculo ortum habet, & â digeſtione ſeu coctione exacerbationem ſuſcipit, id quod non fieret, ſi in corde eſſet conſumtionis hujus ſeu tabis fundamentum, ut clarius in Tractatu de febribus fiet.

§. 4. Demonſtrâſſe nobis ſufficit, dari Tabem ſeu phthiſin ventriculi, quæ ſedem in ventriculo omni ex parte habet, & quidem ab excrementis Tartareis viſcidis & lentis, quæ coctione perenni â calore ventriculi acriora & mordaciora, quàm par eſt, efficiuntur, adeò ut calcis & cauſtici potentialis naturam acquirant, quæ ventriculum tandem ulcerant & cauſticant; unde tabes ſeu phthiſis ventriculi, & deniq; totius corporis conſumtio ex defectu veri alimenti ſuboritur, ſiquidem hepar inſigniter depravatam illam ventriculi coctionem emendare nequeat.

§. 5. Curatio eroſionis & tabis ſeu phthiſeos ventriculi dependet ex ſublatione excrementorum Tartareorum, quæ ex reliquiis coctionis ventriculi ortum habent. Ergo in roboratione & confortatione virtutis ipſius ventriculi tota hæc cura reſidet, quæ ex ℥io petenda: ſolum enim ℥ium eſt, quod ventriculum ab omnibus hiſce Tartareis excrementis purgat ac liberat.

§. 6. Expurgato ſic ventriculô Oleum rubeum ℥ij porrigatur, quod ventriculum roborat omnino ac ejus virtutem ſeu facultatem coctricem confortat, ipſumque priſtinæ ſanitati ita reſtituit, ut aliis medicamentis ad curationem ſuam abſolutam eroſus vel tabe affectus non egeat. Butyrum quidem margaritarum ſummoperè prodeſt ad hanc ventriculi tabem

bem ſeu phthiſin omnino emendandam, ſed qui Oleô dulci & rubeô ℥ij utitur, aliis medicamentis ad curationem ventriculi ſic afflicti, imo & reliquarum partium malè affectarum opus non habet: In hôc ſolô enim Oleô ſunt omnia, quæ requiruntur ad perfectam morborum omnium curationem, præſertim ſi illud auri virtutibus impraegnetur.

Animadverſiones.

Ad Cap. XXXIV. in genere.

Ad §. 1. 2. 3. 4.

INfrequens planè & rariſſimus eſt affectus iſte, quem hîc adduxit Autor, eumque eroſionem ſeu tabem (cujus ex ſiccitate ventriculi ortæ mentionem quoque Galenus fecit) & phthiſin, Avicenna ventriculi hecticam, Sennertus maciem ejus & extenuationem, Zacutus Luſitanus ventriculi maraſmum, aliique marcidam ejus ſiccitatem, & ſic porrò, adpellitant. Atque cum Autor eroſionis nomen hîc uſurpet, eadem ratione & ulcera ventriculi, quæ pariter inſolita ſunt & rariùs contingere ſolent, niſi â vulnere provenerint, ad hoc Caput reduci poſſunt. Notum autem eſt, quod ventriculus in homine convenientem debitamque craſſitiem ſuam obtinere debeat, utpote quæ non parum ad coctionem rectè abſolvendam conducit; unde animantia præſertim volucres ventriculos ſucculentâ craſſitie probè munitos, ut ſic duriſſimos cibos imò lapillos etiam digerere valeant, habere obſervamus. Si itaque decentem parenchymatis ſui craſſitiem amittat ventriculus, coctionis negotium manifeſtiſſimè impeditur ac læditur, imò omnimodè & ita evertitur, ut maraſmus ſeu macilentia totius corporis hinc non ſuccedere non poſſit, ſiquidem defectus chyli ſanguinis inopiam evidenter inducat. Circa cauſas hujus mali vix adſtipulari poſſumus Autori noſtro, dum Tartarum ſeu putrilaginem ſqualidam ſeu humores corruptos ob longam in ventriculo moram acquirere cauſticam acrimoniam ac veluti calcinari aſſerit, ut non tantùm conſumtio carnoſæ craſſitiei, quâ ventriculus naturaliter inſtructus eſſe debet, verùm ipſius ſubſtantiæ etiam ſolutio ſeu exulceratio, eamq; comitans doloris indubitata atrocia, & ex inflammatione febris hinc ſuccreſcat; Tantus enim urentis caloris

loris adparatus in ventriculo non eſt,ut hunc præſtare effectum queat. Niſi igitur animata & verminoſa putredo, quæ in ventriculô haud difficulter ſubnaſci poteſt, ſicuti alioquin vermium geneſis in ventriculo ſatis notoria eſt, hîc ſurrogetur, & talis quidem, quæ interiori etiam parenchymati ejus, quo præditus eſt ventriculus, impacta ſit, ut ſuccus & craſſities ventriculi ſic conſumatur vel etiam ſubſtantia ejus penitus ulceretur, ſeriò præſupponatur, veram hujus affectus cauſam haud excogitare poterimus. Et quamvis aciditas eaque vehementior ac præternaturalis non rarò torqueat ventriculum, & ipſi admodum familiaris ſit, tamen illa non tam extenuandi quàm corrugandi ac conſtringendi potiùs tunicas ventriculi vim habebit: Crapula tamen ac intemperantia præſertim quotidiana ſilentiô hîc nequaquam prætereunda, ubi ventriculus cibi potusque copia adeò extenditur, ut craſſitiei ſuæ ſtabilimentum hinc perdat, atque tunicæ ejus poſteà diſtentæ maneant, adeoque ventriculus ſe iterum contrahere, & ingeſta, prout par erat, pro commodiore digeſtione arctè complecti ampliùs non poſſit. Unicum hujus mali exemplum hâc noſtra ætate nobis innotuit, quod in Ferdinando III. auguſtiſſimæ memoriæ Imperatore Archiatri Cæſareum cadaver eviſcerantes, ut conditurae illud adaptarent, cum ſtupore animadverterunt, dum ventriculum adeò extenuatum deprehenderunt, ut delicatiſſimi floſculi ſeu folii vel interioris in cepâ pelliculæ teneritudinem ſive tenuitatem ſaltim æquaret.

Ad §. 5. & 6.

Medicamenta hîc deprædicata, quæ dignitate illuſtri & catholicâ in Praxi utique fungi jam ſuprà aliquoties monuimus; nempè Oleum ♉ rubeum dulce tam ſimplex quàm Solare, & butyrum ſeu elementum lacteum margaritarum, in hoc periculoſo deſperato & immedicabili, adeoque lethali morbo incaſſum adhiberi, famamque probatæ nobilitatis, quâ ſplendent illa alioquin, proſtitui potiùs non ambigimus, quapropter circa impoſſibilia prolixiorem quoque ſollicitudinem non impendemus.

CAPUT

CAPUT XXXV.

DE

Cardialgia ſeu dolore Ventriculi.

§. 1.

DOlor ventriculi græcè dicitur καρδιαλγία, eò quod os ventriculi ſuperius cardia vocetur propter ſympathiam, quam cum ipſo corde habet; unde etiam cardiogmus ſeu cordis morſus adpellatur.

§. 2. Dependet autem hic morbus ab iisdem excrementis Tartareis ac viſcidis, quæ dum ſtomachum ſeu orificium ventriculi ſuperius occupant, orexes, ardores, lancinationes, & immanes dolores propter horum excrementorum acrimoniam ibi fiunt, dum ipſum ventriculum adurunt ac vehementiſſimè pungunt vel lancinant. Eſt enim hoc ipſum orificium ſenſibile admodum propter nervos multos eò pertingentes, & ſpiritum animalem, quô illud hinc turget. Spiritus animalis autem eſt verum ſenſationis organum, non nervi, aſt quia per nervos hæc ſpiritualis facultas defertur, ideò illis etiam aliquâ ratione ſenſationis fundamentum conceditur, licet impropriè valdè. Quum ergo ſuperius ventriculi os animali ſpiritu valde turgeat, ſenſu etiam exquiſitô abundat, unde noxia potenter perſentiſcit, ac immanes valdeque atroces dolores concipit.

§. 3. Ad curandos hos ſtomachi dolores ſola purgatio noſtra antimonialis ſufficit, purgatoque ſic â cauſis illis præternaturalibus ventriculo roborandus eſt ventriculus oleo aniſ. aut cinamom. vel Aqua cinamom. ſive ſequenti etiam electuario: ℞. Corticis citri conditi, contuſi & Aqua cinamom. diſſoluti ℥v, Olei aniſ. ʒj, Olei cinamom. ʒß, Moſch. & Ambr. ana gr. vj. M. f. Electuarium, quo poſt purgationem utatur æger ad quantitatem ʒß ſummo manè jejunô ventriculô.

Animadverſiones.

Ad CAP. XXXV. in genere.

Ad §. 1.

ET cui non conſtat Priſcis τὴν καρδίαν adpellitatam quoque illam partem, quam œſophagum vel ob amplitudinem ſtomachum ſeu orificium ventriculi vocant Anatomici. Rationem ſubjicit Autor, quam â conſenſu cum corde exquiſitiſſimo, cui nos addimus viciniam ſitus (ſiquidem non tantùm per thoracem ſuam ille habeat viam, verùm cordi etiam quàm proximè ſubjaceat) deſumſit. Cardialgia igitur ſive cardiogmus, quæ voces coincidunt, & idem denotant, mulieribus noſtratibus **das Hertzgeſpan** / ut vulgò tribuitur cordi, ſic ſaniores rectè hunc adſcribunt affectum ſtomacho, in quo vel propterea vitale initium reſidere videtur, quod lipothymiæ & alii etiam morbi, qui cordis eſſe creduntur, & ab ejus dignitate nomen habent, reverà hinc proveniant, corfirmante id praxeos fide, ubi hujuſcemodi animi deliquia (quæ propterea ſtomachica dicuntur) angores & dolores ſeu roſiones ac morſus datô ſpirituoſô liquore vel inſinuatâ aromaticâ fragrantiâ confeſtim & in continenti ægrum ſe recolligere ac meliùs habere experimur.

Ad §. 2.

Cauſam cardiogmi facilè cognitam habere poſſumus, ſi ad mentem nobis revocemus acida & nidoroſa, imò & putrilaginoſa quævis ob imbecillitatem ventriculi â cruditatibus ac corruptis eduliis facili negotio hîc oriri atque cumulari, quæ ipſa dum ad orificium ventriculi ex fluctuatione illa, quam pariunt aut junctam habent, adpellunt eidemque adhæreſcunt, vel ſi putrilaginoſi vapores & effluvia ſeu flatus hûc perveniant, calamitoſam hanc moleſtiſſimam lancinationem efficiunt. Hinc patet etiam, cur infantes huic malo familiariter obnoxii ſint, quod nempe lac, præſertim ſi malè conſtituta ſit nutrix,

facilimè

facilimè aceſcat. In febribus malignis omni dubio procul iſta anxietas dolorifica circa ſtomachum à verminoſa putredine & malignitatis eſſentiâ ſcaturiginem ſuam habet. De loco affecto notorium eſt, quod ob nervos inſignes à ſexto conjugio huc derivatos & orificio iſti conſpicuè inſertos, atque hinc factam ſpirituum animalium redundantiam acutiſſimi eximiique ſenſus ſit particeps, ut animæ ſenſitivæ ſedem ac centrum, nec non proprietates cordis (non ſecùs atque radix vegetabilium locus vitæ centralis eſt) huic parti Helmontius aſſignare fuerit commotus, qui hac de re videri poterit.

Ad §. 3.

Curatio, ſi à malignitate ortus fuerit iſte ſtomachi dolor, illis remediis ex voto expeditur, quæ putredinis excellentiæ potenter reſiſtunt, & animatam eam deſubitò mortificant. *Sin verò ab acrimonia nidorulenta* ſeu aciditate humorum putrilaginoſa provenerit, præſentiſſimum exhibebunt adjumentum ea, quæ vim tam maſculè præcipitandi, quàm etiam radicitùs recrementa illa expellendi habent, quam ob cauſam Emeticum hoc famigeratum ex antimoniô confectum fundamenti loco præmittendum erit, & poſteà præcipitantium uſus, quorum nomina (uti ſunt verbi gratia pulvis Marchionis, ſperma ceti, magiſterium eboris, corallior. oculor. ♋, Tinctura Tartari &c.) jam memoriter nobis ex ſuperioribus conſtant, ſubjiciendus. His ita obſervatis fragrantia & aromatica etiam, utpote quibus archeus ventriculi ſingulariter delectatur, ſpecificè convenire & adpropriatum habere locum pariter concedimus; unde illa quoque medicamenta, quæ Autor curando huic affectui conſecravit, omninò multum tunc pollere confirmamus: Oleum enim aniſi egregiè diſcutit excrementitii humoris impactum vitium, atque ſaburram iſtam in ventriculo collectam blandè ejicit, imò ſtomachicum per ſe audit. Citri cortices putredinem oppidò compeſcunt, eamque, ſi animata ſit illa, ex ſententia fugant. Aqua chamomill. & Oleum ſtillat. ejus ſingulares tunc ſibi vindicat laudes quod effectiſſima virtute dolores mitigare valeat; unde etiam extrinſecus & quidem in dorſo præcipuè, utpote cujus oras ſtomachus potiſſimum occupat (quod Practico benè notandum) regio iſta Oleo chamæmelino, cui guttulæ quædam de deſtillato ejusdem Oleo ſunt

inſtillandæ, exoptato cum fructu inungi ſolet. A vulgo contra hoc malum uſitatiſſimè expeti unguentum potabile, quod butyrum rubrum alioquin vocatur, ſolet, quo ſcrobiculum cordis inungunt mulierculæ; imò ad intra etiam inutiliter non accipiendum porrigunt: Habet enim efficaciam efficaciter diſſolvendi ac diſcutiendi, ſicuti etiam caſtoreum & ſperma ceti tanquam nobiliora ingredientia iſtius remedii præſtantiam faventibus argumentis affatim ſtatuminant.

CAPUT XXXVI.

DE

Singultu Ventriculi.

§. 1.

SIngultus eſt motus ventriculi præternaturalis quo in vanum nititur expellere, quæ illi nocent, cum ſonitu, quia motu illô aër ventriculo incluſus cum violentiâ pellitur, & in palato tanquam concamerato loco, poſteà ſonitum illum effundit.

§. 2. Hippocrates ad repletionem & inanitionem ſingultus cauſas refert: Et inanitionem quidem ab immodico ſanguinis profluvio & ab immodicâ purgatione effici, repletionem autem fieri ſtatuit verbi gratia in pueris, qui cùm edaces ſint, multo cibo & alimento ſe replent; vel etiam in iis, qui crapulæ indulgent, ſeque cibo potuque ſummoperè ingurgitant & infarciunt.

§. 3. Attamen cum pace Hippocratis dixerim; dantur & aliæ multò graviores ſingultus cauſæ: ſpiritus enim ſeu vapor malignus ac venenatus in os ventriculi effuſus, multò deteriorem gravioremque ſingultum facit & infligit, uti id videmus in venenatis quibusdam & incantamento afflictis, item in febribus malignis & peſtilentibus, nec non in ipſa jecoris inflammatione, in quibus omnibus non datur neque repletio-

pletio nec inanitio ulla, ſed maligna tantum qualitas quædam ac venenata, quæ os ventriculi imò & totum afficit ventriculum, qui hunc motum convulſivum excitat, quô ea omnia, quæ illi nocent, foras expellere & â malignâ qualitate ſe ita vindicare nititur.

§. 4. Curatio ſingultus ex ſublatione cauſæ materialis & ipſum ſingultum efficientis dependet: Tollitur autem ſola purgatione antimoniali, ac deinde eſſentia ſeu Oleo aniſi verô, interiùs adſumto ad guttas quasdam in juſculo optimo vel Aqua cinamom. ventriculus roboratur, qui etiam eodem oleo exteriùs ungitur. Deſtillatur quoque Aqua pro ventriculo roborando ex galang. maſtich. & ſpiritu X alchooliſato, cujus uno cochleari tollitur omninò atque ſedatur ſingultus.

Animadverſiones.

Ad Cap. XXXVI. in genere.

Ad §. 1.

Singultus nomen â ſonô fictum videtur, vel quod ſingulatim, hoc eſt per intervalla fiat: Atque ut ſuſpirium ſeu gemitus fit in pulmonibus, ita etiam ſingultus eſt ſtomachi pulſus aut convulſio ventriculi, non quidem vera, ſed vel quaſi: Quâ ipsâ conditione etiam ſingultus tanquam ſymptoma, quod in cenſu depravatorum motuum eſt, inter convulſiones particulares collocatur, quatenus nempè œſophagus cum muſculis participare videtur. Rectè autem ab Autore hic motus Naturæ præternaturalis vocatur fruſtraneus; quia per eundem reverà nihil eliditur expelliturque, utut etiam ventriculus nocivis tunc ſcateat excrementis: Eſt nempè ſonitus, prætereaque nihil, & quidem talis, qui tam ſingultienti quàm adſtantibus admodum moleſtus exiſtit. Aërem quoque per inſpirationem deſcendere unà in ventriculum, nullum eſt dubium, quapro-

pter hîc ipſe aër, quem flatus non rarò comitantur, tunc non absque violentiâ exploditur, atque factâ poſtmodum in faucium fornice ſeu concamerato palati antrô ejus repercuſſione ſonitus iſte editur.

Ad §. 2. & 3.

Nobis ne quicquam negotii hîc eſt cum inanitione & repletione illâ Hippocraticâ, quoniam ventriculi præſertim ejusdem orificii membranæ, quæ juxta Helmontium magnam ſibi prærogativam, ob cauſas toties jam adductas, vendicat, intervallata hæc ventriculi concuſſio attribuitur, dum dicta tunica ab acidis, acribus vel alia ratione infeſtis humoribus vaporibusque lancinata convulſionem hanc efficit; quibus vacuatis aut depreſſis ac præcipitatis vellicatio illa & hinc proveniens ſingultus ſtatim etiam ceſſat. Repletio illa eſt igitur non immediata ſed mediata ſaltim hujus moleſtiæ cauſa, ut ſuprà id jam in Capite de Convulſione monſtratum fuit. Præſertim vero magis ſuſpectum inducit ſingultum virulenta, maligna & animata putrilago, ſi tunicis ventriculi illa ſit impacta atque eisdem contumaciter adhæreat, nec non aſſiduâ lancinatione affligat, quia malignitatis dominium proſtrata & ſubjacente tunc Naturâ exin manifeſtè colligitur: Unde in febre maligna & peſtilentiali nec non quibusvis morbis graviſſimis ſummè exitiale ſignum præbet ſingultus, adeò ut Epiphanius Ferdinandus etiam Deum teſtetur, hoc ſignum ad mortem certò prædicendam ſe nunquam decepiſſe. Quò ergo malignior & pejoris characteris erit materia peccans, eò graviorem vehementioremque ſingultum etiam pariet; ſicuti apud Practicos portentoſi monſtroſique ſingultus non pauca exempla concernere licet. Poterius caſum immaniſſimi & fermè inauditi ſingultus ſe obſervaſſe dicit, qui totum nempe corpus adeò concuderet, ut vix momento facultas reſpirandi ægro daretur, nec efferendæ loquelæ propemodum eſſet ſpatium.

Ad §. 4.

Remota cauſa removeri effectum jam pridem ſuo ſtetit talo. Ideoque ſi contumax ſingultus ferociat, aut ſi frequentiùs ille ac levi de cauſa invadat, niſi id prohibuerit forte febris maligna (ubi narcotica cum alexipharmacis & bezoardicis mixta commodiſſimè dantur) vel deſperata macies, præſtabiliori medio radix mali haud averruncari poterit, quàm

ſolemni illa cum ☿io purgatione. Deinde immutatio humoris peccanti, non ignobilem hîc obtinet locum , cujus beneficio acrimoniam & mordacitatem ejus præcipitando compeſcere ac tollere oppidò licebit , ut ſenſatam illam noxam inferre ampliùs , & Archeum ſeu Naturam ad vanum illum expellendi conatum movere nequeat. Præmiſſis ergo univerſalibus ſpirituoſa & confortantia ab Autore hîc appoſita ſingultum feliciter ſiſtere , ac ventriculi robur ex ſententia ſtabilire poſſe , per ſe confeſtim claret , ſicuti etiam ſingultus ſedandi præcepta nemini non cognita ſunt , quando nempe , dum ceſſat ille pauliſper , ſpiritum longô tempore cohibendum aut ▽â fauces colluendas , vel aliquid ſumendum eſſe , quo nares moveantur ac ſternutatio ſubſequatur , item ſingultientem ſubitò perterrefaciendum , vel etiam ſingultus primi , ſecundi ac tertii computationem faciendam dictitant, quâ de re plura in commentariis noſtris ad aphoriſmos Hippocratis deprehendere curioſus poterit.

CAPUT XXXVII.

De

Flatibus & ructibus Ventriculi.

§. 1.

FLatus & Ructûs in ventriculo naſcuntur & producuntur ab imbecillitate caloris ejusdem : Nativus enim calor ventriculi dum coquit ac digerit alimenta ventriculo ingeſta , partem ſubtiliorem alimentorum ſurſum pellit ; unde flatus & ructus fiunt : Hæ ipſæ autem exhalationes & vapores , qui ex digeſtione ſurſum feruntur , ſi laudata ſit ea , ſonum gratum ac levem efficiunt ; ſin verò depravata ſit ventriculi digeſtio , nidoroſi & malè olentes ructus flatusque hinc fiunt.

§. 2. Corrigitur hoc vitium roboratô ventriculo ▽â cinam. ſummô manè epotâ , vel ▽â Imperiali , vel eſſentia aniſ. vel 🝆 ⊖li ♀ris cum ſpiritu Vini permixto , & ſic cum juſculo optimo , idque

pariter

pariter ſummo mane jejuno ventriculo aſſumto : Et ſic flatus & ructus evaneſcunt.

Animadverſiones,

Ad CAP. XXXVII. in genere.

Ad §. 1.

RUctus ad res præternaturales & abſurdas referendos haud eſſe, nos perſuadere Claudii lex publica poſſet, quâ juſſit ructus crepitusque ventris inter epulas tolerandos ; undè etiam edicti hujus reſpectu ad menſam ejus hæc quoque adſcripta feruntur verba : Heîc eſt Natura præſide turpe nihil. Sed aliter omninò ſentiunt Medici, qui ructum ad ſtomachi affectionem pertinere, & flatuum in ventriculo vagantium atque â vitioſâ fermentatione orientium eſſe indubitatum pignus norunt. Reverà enim ructus, præſertim ſi frequentiores illi ſint, impotentiam quandam teſtantur ſeu ventriculi infirmitatem & δυσπεψίαν præſupponunt, hoc eſt ex vitioſa indigeſti cibi ſeu cruditatum fermentatione, fluctuatione ac corruptione proveniunt, ut hac ratione ructus nihil aliud ſit, quàm cibi potusque in ſtomacho malè percocti corruptique ventoſa ſeu flatulenta efflatio, vel flatuum è cruditate ventriculi naſcentium eruptio rejectioque ſicut quoque ructus nomen à ruendo ſeu eruendo, id eſt cum impetu erumpendo deductum videtur. De ructuum diverſitate & ejus cauſa Helmontius probè notanterque ſe exprimit : Stomachus debiliſſimus, ait, ructus dat inſipidos ; minùs autem debilis acidos ; vitioſus tandem nidoroſos, amaros & acres juxta nempe corruptionis gradus, de quibus jam alibi dictum fuit. Hinc lumen etiam aphoriſmo Hippocratico affulgere poteſt, cur ructus acidus ſuperveniens nidoroſis bonum præbeat ſignum: Denotat nempe hæc aciditas, quæ hactenus ſepulta quaſi erat, fermentum, illud ſtomachicæ tutelæ decus tunc reviviſcere, & coctionis negotium rurſus inſtaurari, adeoque corruptionis labem ſe evaneſcere.

Ad §. 2.

Ad §. 2.

De cinnamomi præſtantiâ notiſſimum eſt, ejus uſum tam in virium inbecillitate eſſe ſolenniſſimum (quod viſcera ſpiritusq; ſingulos peculiariter refocillet) quàm concoctiones & digeſtiones etiam potenter juvare. Ergò ſtante hâc experimenti certitudine ▽ cinam. ructuum incivilitatem emendare valebit æquè, ac eandem ſingultus compeſcere & ventriculum confortare jam ſuprà monuimus. Idem quoque de aniſi famâ ſentiendum. Aquæ Imperialis compoſitio & virtutes pariter non obſcuræ erunt, ſi modò Diſpenſatoria & Schrœderi Pharmacopœiam conſulere non ſit tædio: Ut autem ea potiſſimum ex aromatibus & radicibus, foliis floribusq; aromaticis atq; refectivis conſtat, ita etiam ventriculi imbecillitatibus egregiè mederi eam legimus & novimus. Nobile præterea corroborans præſtare ſpiritum X optimum cum ſpiritu quodam minerali maritatum, Chymiatri cumprimis profitentur, adeoque ut ſpiritus ⦶ cum ſpiritu X chymica arte combinatus ſpecifici anticolici ſingularis autoritatem obtinet, ita ſpiritus ⊖is vel ſpiritus ⊕ præcipuè ♂tis aut ♀ris ſi idem cum ſpiritu X rectificatiſſimo conjugium ineat, ſtomachum & viſcera nobiliora reliqua atque omnia radicali refectione beare ſolet. Quùm ex ſuperioribus etiam perceperimus, ructus eſſe fermentationis exorbitantis nepotes, ideoque præcipitantium virtus, utut etiam Priſcis fuerit incognita, hîc conſimiliter non negligenda erit, quem doctrinæ nucleum ſæpiùs jam inſinuavimus. Zacutus Luſitanus Ambræ, quam in ſubſtantiâ cum X porrigendam is ſuadet, quotidianum uſum contra ſummam ructuum importunitatem valdoperè laudat, & probata experientia confirmat; rectiùs tamen ambra cum ſacchari albiſſimi vel etiam magiſterii cujusdam, nempe Ebor. aut Corallor. vel perlar. aut oculor. ♋. duplô commiſcebitur, & poſtmodum cum X vel ovò ſorbili dabitur.

CAPUT XXXVIII.

De

Vomitu violento Ventriculi, quem alii choleram morbum dicunt.

§. I.

VEntriculus tot & tanta ſæpiùs excrementa ex reliquiis depravatæ coctionis congerit, ut ad vomitum admodum violentum provocetur cum dolore ipſius ventriculi ſummô & animi fermè deliquiô, vel ad minimum cum virium inſigni proſtratione, eò quod excrementa illa virulentâ & malignâ aliquâ qualitate ſint prædita; unde cor quoque afficiunt ob viciniatem, quam cum corde ventriculus habet: Vapores enim maligni ac virulenti facili viâ

hûc uſque penetrant, ut vires proſterni ac ſummoperè hinc deficere queant, dum nempè ſpiritus vitalis tanquam columna ſanitatis ac roboris fundamentum ab illis virulentis vaporibus valdè conſternitur.

§. 2. Hæc excrementa, quæ ventriculum & inteſtina tantô cum impetu interturbant, flava ſæpiſſimè ſunt ac viridia aut amara, aliquando valdè nigra aut colorem fæcis ſeu ♀ri referentia, quæ ſanè non aliunde proveniunt, cujuscunque etiam ſint coloris & qualitatis, quàm ex depravatâ ventriculi coctione, adeoque in ipſô formantur ea ventriculô, atque ex malè digeſtis aut concoctis alimentis, nec aliunde producuntur, non verò ex ciſta felleâ, ut ſomniant nonnulli, deferuntur: Non enim ſunt canales adparentes, nec ductus occulti, qui hûc tendant, ut fellea iſta ſubſtantia ad ventriculum deferri poſſit, adeoque morbum illum, quem choleram vocant, efficiant.

§. 3. Impropriè igitur & inſulsè valdè hic affectus cholera dicitur, quia cholera non eſt, quæ vomitu tunc ejicitur, ſed merum excrementum ex depravatô nempe alimentô, ob ventriculi depravatam coctionem, in ipsô ventriculô progenitum, quod laceſſit ventriculum & vellicat ipſum, unde convellitur, & vomitu tendit ad evacuationem illius excrementi: Defertur hoc etiam ad inteſtina, unde pariter & illa vellicantur, atque alvi fluxus violentus admodum cum torminibus valdè atrocibus & intolerabilibus excitatur.

§. 4. Sic nèmpe affectus hic & ventriculum & inteſtina afficit atque affligit; unde hunc morbum ſic definire poſſumus, quod ſit ventriculi & inteſtinorum tormentum ab excremento acri & valdè mordaci à depravatâ ventriculi coctione exortô proveniens, quô ventriculus ad vomitum & inteſtina ad fluxum cum dolore ſummo ſummaque virium proſtratione excitatur: In hoc namq; affectu tantô cum impetu fertur ventriculus ad vomitum ac ita convellitur, ut excrementa etiam vel ex ipſis craſſioribus inteſtinis ad ſe attrahat, vomituque ejiciat.

§. 5. Periculoſus & acutiſſimus hic affectus eſt, utpote qui intra duos vel ſaltim 4. dies hominem è medio tollit, & cum ſummo dolore viriumque naturalium proſtratione ad ſepulchrum trahit, unde *Miſerere mei* dicitur, quod ægroti peculiari divinâ gratiâ ad curationem hujus affectus egeant: Naturalibus tamen medicamentis poteſt curari, quibus ſi Deus benedixerit, felicius agent, atque ægrotum è faucibus orci potentius & quidem ſequenti methodo educent.

§. 6. Inprimis vomitus eſt compeſcendus Poſca antiquorum, i. e. acetô roſaceô & ▽ fontana ſimul permixtis ſequenti doſi ℞ ⋇ roſac. ℥j. ▽ laudati fontis ℔j, M. f. potio, quam ſumet unô hauſtu: ſtatim à vomitu rurſus iteranda eſt hæc doſis ter aut quater in die, donec affectus vomendi ceſſet.

§. 7. Ceſſante vomitu deveniendum eſt ad purgationem noſtram ☿alem, quâ

quâ ſolâ tollitur cauſa materialis hujus morbi, & calor ventriculi eximius nec non excrementa nimis acria & calida ſic temperantur. Peractâ hâc purgatione, quæ ℨß ☿ dulc. cum conſerv. roſar. ℨj. commixta peragenda eſt, roborandus eſt ventriculus & totum corpus excitatô ſomnô. Excitatur autem ſomnus ac vires reficiuntur datâ unâ pilulâ laudani Paracelſi ſeu ſummi anodyni noſtri in Capitulis hujus Operis deſcripti. Demum ad Julapia deveniendum eſt, quæ ſequenti modô componuntur. ℞ ▽ laudati fontis ℔vj. R viol. c. ☍, ⊖li extract. ℥iv. ſyrup. viol. ℥vj. M. f. Julebus pro 6. doſibus manè & ſerò ſumendis. Atque his Julapiis adſumtis poſt purgationem noſtram ☿ialem perfectiſſimè curatur hic affectus crudelis admodum & acutiſſimus.

Animad-verſiones

Ad §. 1.

Ventriculum malè ſe habentem magnæ & multijugæ calamitatis autorem eſſe, partim hactenus ediximus, partim etiam præſens malum id confirmatũ præſertim reddere valebit, quod Choleræ ſeu cholericæ paſſionis vocabulô inſigniunt Practici, eamq; definiunt, quod non tantum ſit immodica ac ferox, ſed & periculoſa per utrumque ventrem perturbatio ex continuâ ciborum cruditate vehementiq; (quod addere nobis viſum eſt) eorum fermentatione, putredine ac velut colliquatione proveniens. Diſcrimen autem fluxus hujus ſeu Choleræ, cujus nomen quidam à χολὴ ſeu bile, quidem verò à χολὰς quæ vox inteſtinum denotat, quod nempe ad inteſtinorum fluores & diarrhœas hic affectus eſſe referendus omninò videatur, deducunt, tribus præmittemus, ut diſtinctè magis rem ipſam poſteà proponere valeamus: Choleram aliam nempe humidam, aliam faciunt ſiccam, illamque in humorum excrementitiorum & graviter corruptorum, hanc verò in ſpiritus flatuoſi duntaxat æquè tamen tam per ſuperiora quàm inferiora excretione validiſſimâ conſiſtere dicunt. Quicquid verò hîc philoſophentur & ambigant Autores, nos tamen de illa cholera hîc agemus, quæ communior eſt & in oculos incurrit, ſive ſimpliciter ſic vocetur, ſive cum adjectione, cholera humida: De ſiccâ verò hîc ſcientes volentes remittimus, quod potiùs ad malum hypochondriacum pertineat, de quô ſcimus, quod iſtud Veteribus nominetur à flatuum abundantiâ morbus flatuoſus. Deinde qui recordatur, Practicis conſuetum eſſe vacuationes vel criticas vel ſymptomaticas, adeoque bonas ac ſalutares vel peſſimas & lethales conſtituere, is ſtatim admittet, hanc pariter in cholerâ diſtinctionem habere locum adpoſitiſſimum. Tandem animadvertendum utique eſt, num propriè vel impropriè choleræ ſeu morbi illius vocula accipiatur: Nam illa cholera ſeu fluxus ventriculi, qui v. g. ex re-

centi crapula urget, utut ſurſum deorſumque fiat, reverà impropriè ſic dicitur; ideoque de vehementiſſimo & ſummè violentô vomitu, qui graviſſimis juxta ſymptomatis, nempè ſyncope, acutiſſimô dolore ac torminibus, atroci anxietate, inſigni virium jacturâ, & cæteris ſtipatus eſt, hîc nobis negotium erit, quod ipſe Autor etiam noſter innuit in frontiſpicio hujus Capitis, quem ſequi propterea præſtabit. Cauſam tam ipſius choleræ quàm accidentium, quæ eam comitari aut ſupervenire tunc ſolent, hîc inſimul adductam conſpicimus, ubi tanquam cauſa remota ſeu Antecedens non immeritò inculpatur depravata coctio aut vitioſa digeſtio ſeu mala chylificatio, quam ſequitur cauſa hujus affectus proxima, ſcil. excrementorum hinc relictorum copia, cui propinquiorem adhuc jungimus, quæ conſiſtit in vehementiſſimâ & excellenti horum excrementorum putrefactione, corruptione, colliquatione & ferociſſima fermentatione (quô nomine comprehenditur utique inſignis humorum commotio, ebullitio ac fluctuatio) quàm excrementorum indoles non adeò difficulter concipere ſolet. Ideoque dum propter eximiam hanc putredinis malitiam humores excrementitii non tantum exquiſitam aciditatē & acrimoniam, verùm etiam indubitatam malignitatem (hic itidem non tam includimus quàm denuò inculcamus vivam & animatam illam putredinem crudeli impetu partes lancinantem) ac virulentiam neceſſariò adſumunt, violentiſſimi aſſiduique vomitus ac dejectionum continuò affligentium ratio tunc protinus in propatulo eſt. Nimirum impetuoſiſſima hæc cum gravi corruptione juncta atque in ventriculô facta fermentatio ac fluctuatio excrementorum totam corporis œconomiam & humores ibi ſcatentes impenſè pariter turbat, atque idem rebellionis ſigillum imprimit; unde ad locum primariò affectum cum tumultu accurrunt vel etiam ſeditioſè attrahuntur, atque ſic calamitoſæ hujus tempeſtatis exacerbationem præſtant. Deinde vel ſpontè etiam patet, humorum excrementitiorum ſic graviter corruptorum atque ferocientium ſummam acrimoniam vel etiam vivam tunc putrilaginem vehementer lancinando, laceſſendo, vellicando ac convellendo ſenſibiliſſimas tunicarum partes, quibus ventriculus & inteſtina ſunt inſtructa, expultricem atrox quantum ſtimulare, ac proinde periculoſiſſimam hanc tot excretionum ærumnam efficere. Hæc omnia ſi accuratâ perpendamus lance, unde porrò ſuprà citata & tam periculoſa ſymptomata tunc invicem oriantur atque ſuccedant, evidentiſſimè ſtatim innoteſcet. Neque difficile eſt cognitu, cur graviſſimè afflicto ſtomacho cor conſimili anxietatis calamitate afficiatur, quoniam non tantùm vicinitas utriusque partis id digitô quaſi monſtrare valet, verùm quod etiam non fieri non poſſit, quin per vias ordinarias maligniſſimę hujus ſeditionis particeps fiat vitale hoc centrum.

Ad §. 2.

Ad §. 2.

Quomodo excrementa in ventriculo p.n. collecta ac retenta tam eundem quàm inteſtinorum circumplexos orbes, imò & totum corpus atque omnes hujusdem partes ſtupendo cum impetu ac cruciatu turbare & excruciare poſſint, jam perſpicuè expoſuimus, atque monitis hisce præterea addimus, quod diverſitas colorum juxta varios putredinis gradus æſtimanda veniat, veluti alibi id ediximus. Sed unde color ♀rum ſeu fæces Xi referens? Reſpondemus id dubiô ſine non tantùm à cruditate, quæ hunc colorem ſibi alioquin vendicat, verùm etiam ab infauſtâ & confusâ mixturâ ſeu turbatione potiùs humorum tam bonorum quàm malorum dependere, ſicuti præterea etiam nobis in mentem venit, miſcellam variorum colorum hujuscemodi hoc eſt ingratum valdè intuitum habere. Quæ omnia cùm ita ſe habeant, & quùm certiſſimi utique ſimus ob talem vel talem corruptionem, quam malè digeſtus chylus vel excrementorum colluvies incurrit, gradum humores illos corruptos modò flavedinem, modò viriditatem, modò nigricantem colorem, & ſic porrò, adſciſcere, haud opus erit perperam ad obſcura Veterum recurrere dogmata, qui ex veſiculâ bilariâ per neſcio quos poros aut ductus occultos bilem in ventriculum tunc transfundi, & ita hunc concitari morbum aſſerunt; præcipuè vero quod impoſſibile ſit tantam in hac exigula ciſtula fellis copiam generari, quæ pro centum vel 200. & quandoque pluribus adhuc vomitionibus atque dejectionibus ſufficere queat. Atque ut Helmontium ex profeſſo bilis patrocinium ſuſcepiſſe, & inſignem ejus nobilitatem, dum eam nectaris ſeu balſami vitalis conditionem explere & ſupra ſanguinis ſortem eſſe probat, ſingulari induſtria deduxiſſe legimus; ita & nos fellis hunc liquorem non pro excremento ſed pro balſamico & vitali condimento, quod cruorem ac chylum ad hepar proficiſcentem fermentali ſuo ſpiritu à corruptione potenter præſervat, ſolemniter habemus: Deinde haud ſufficere ad ſtabiliendam hanc Galenicorum ſententiam flavedinem vel amaritiem exiſtimamus, cujus utriusque conditionem referre per vomitum tunc rejecta videmus, id quod per infinitas inductiones demonſtrari poſſet; ſed cautiùs illos facere potius dicendum, qui diſtinguunt inter colorem fellis & inter fel ipſum, ſic excrementa talem quidem obtinere colorem poſſunt, ſed non ſequitur, quod proinde ſtatim aliquid de bile comprehendant. Fellea E. quæ videntur, nequaquam ſtatim fellea exiſtunt, ſicuti nec omne, quod ſplendet vel aureum colorem refert, aurum protinùs eſt.

Ad §. 3.

His ita præſuppoſitis propriè hoc malum choleræ titulo non inſigniri, quoniam tunc nulla excernitur propriè ſic dicta bilis nec biliosi quippiã, rectè argumenta-

mentatur Autor, attamen cùm in civitate medicâ hoc nomen jam receptum ſit: eatenus hanc notionem retinere etiam nobis jam placet, quatenus ea, quæ tunc excernuntur bilioſa vulgò ſic dicta eſſe quidem videntur , non autem quod in rei veritate talia exiſtant, eadem ſcilicet ratione , qua ſtomachi dolor dicitur cardialgia, non quod reverâ cor ibi afficiatur , ſed quod id ipſum affligi tunc tantùm videatur,

Ad §. 4.

In definitione ſeu deſcriptione hujus affectus dicit Autor, eum eſſe ventriculi & inteſtinorum tormentum &c. An itaque rectiùs hic legeretur fermentum (puta violenter exorbitans) quàm tormentum, non immeritò quis ambigere poſſet: Nos tamen utrumque hic oppidò quadrare ac ſtare poſſe affirmamus, & ex præmiſſis etiam hoc obtinere nos valere non deſperamus, quoniam ubi dolor aut tormentum , ibi quoque ſæviens fermentum, & ubi hoſtile fermentum, ibi & in promtu tormentum.

Ad §. 5.

Ut Autorem in fine præcedentis theſis mentionem iliacæ paſſionis propter confinitatem fortaſſis, quam cum Cholerâ habere videtur, feciſſe ſpectitamus, ubi ventriculum tantâ cum impetus vehementiâ convelli & ad vomendum irritari ait, ut ſtercora etiam ſeu alvi excrementa ex inteſtinis craſſis attrahat, atque ſic ſtercoreum vomitum, in quô ipsô hujus affectus conſiſtit eſſentia, efficiat, ita quoque in præſenti nomen hujus mali affert, quô illud Miſerere mei adpellari ſolere infert; quam ſic nominandi rationem ut in genere omnibus morbis deſperatis competere certum eſt ; ita horribili hôc modô afflicti cumprimis tam divinâ miſericordiâ auxilioque cœleſti indigent , quàm ſingularem commiſerationem ac intimiùs commiſerandi neceſſitatem luctuoſæ fœdiſſimi affectus circumſtantiæ tunc adſtantibus incutiunt ac veluti extorquent. Variæ cauſæ huic miſerabili ægritudini hinc inde aſſignantur , inter quas potiſſimùm ſunt inflammatio ac ſcirrhus inteſtinorum , item fæces valdopere induratæ & hernia inteſtinalis, quæ omnia motum periſtalticum habendo ſeu meatum hunc naturalem contumaciter obſtruendo faciunt , ut nihil per inferiora deſcendere poſſit, licet quis acerrimô Enemate utatur , quod etiam eſt ſignum iliaci mali proprium & inſeparabile, & in hôc à cholerâ differre inſuper videtur. Ideoque quum deſcenſus excrementorum hâc ratione ſit intercluſus , redire illa rurſum & ſtercoris vomitum præſtare coguntur , quam excrementorum elevationem ſuperveniens fermentationis vitium poſtmodum fortiter promovere valet. Quod inteſtinorum convolutionem ſpectat, quam Priſci excogitarunt, & inteſtina ita tunc torqueri putarunt, ut ex ovium inteſtinis chordas fieri novimus, unde hunc affectum etiam convolvulum nuncuparunt, meræ omninò nugæ ſunt,

quibus ſicuti Anatomia & meſenterii cum inteſtinis arctiſſima ſocietas maniſeſtiſſimè repugnant, ita easdem quoque ſeriò proſcribimus. Præcipuè tamen illa cauſa, quam Autor adduxit, adplauſum meretur, & exceptâ herniâ præ cæteris frequentius utique hanc miſeriam parere videtur: Nititur autem illa ipſa cauſa fermentationis impetuoſæ ac ferinæ fundamentô, quod in ventriculô tunc oriens & choleram concitans inteſtina & ibi ſtabulantes humores cum excrementis in conſenſum ita trahere poteſt, ut validô cum impetu ſurſum potiùs ferantur, ac per ſuperiora vehementer erumpant, veluti cereviſiæ recens coctæ & muſti efferveſcentis exemplo hoc negotium perſpicuè declaratum dari poteſt. Uterque cæterum affectus, tam cholera quam iliaca paſſio magnum & periculoſum acumen habent, adeò ut nullius propemodum ſpei ſit curatio, atque perniciosiſſimè cum primis laborent illi, qui ſtercorei vomitus tortura jam diſcruciantur. Ideoque curandi ſcopus principiis obſtare jubens quantum quidem poſſibile feſtinandus, & ad præſtantiſſima ſtatim remedia, dum vires adhuc non nihil conſtant, atque Natura cooperari valet, acceſſus faciundus.

Ad §. 6.

Ad Choleram compeſcendam Poſcam depoſcit Autor, quæ Veteribus cumprimis uſitata ὀξύκρατον alioquin dicitur, & nihil aliud eſt, quam πόσις ſeu potio ex ✠ ſeu Xô acidô ▽â permixtô: Quemadmodum enim eſca ab edo derivantur, ita à potu poſca, ut poſca pro potu & poſculenta pro potulentis legantur. Magis medicata tamen ac proinde omninò virtuoſior hæc potio conſtituitur ab Autore, dum locô aceti ſimplicis roſaceum accipiendum præcipit. Ex horum autem ingredientium viribus certiores reddimur, potionem hanc acidulam habere virtutem ſuaviter adſtringendi, putredinem & malignitatem probè compeſcendi, atque ſi viva illa ſit enecandi, humorum fervorem contemperandi ſeu ferocientis fermenti incendium extinguendi, maſculeque præcipitandi, ſed & vires non leviter corroborandi; unde acetum feſſis & æſtuantibus valdè jucundum, atque aceti nequitiæ magnos ad uſus efficacia ineſſe dicitur. Circa confectionem poſcæ roſaceæ vel etiam ſimplicis monemus, quid ad gratam aciditatem acetum roſatum vel ſimplex ▽æ fontanæ ſit commiſcendum. Nam ℥j aceti ſi debile illud ſit, ſufficere ad conſequendam intentionem haud valebit, vel ſi perquàm generoſum ſit acetum, tunc ℥j nimis acidam potionem illam, adeoque ingratam potius reddet. Julapium in coronide textus & ſequente paragrapho commendatum, quod huc pariter ſpectare videtur, eandem ac magis efficacem quàm ὀξύκρατον obtinebit virtutem ratione ☍ ⊕li, quod vomitus ſingulariter ſiſtere ac nobilem præcipitandi ventriculumque ſeu fermentum ejus vitale confortandi energiam exerere ſolet: Hoc tamen obſervandum, ut illa potio aut hic julebus (qui rectius cum Julebo quàm ſyrupo violarum compo-

componetur) ſtudioſè nihilominùs iteretur, utut primùm expectationi haud reſpondere videatur, ac vomitus illi urgere pergant, quum impoſſibile ſit, ut tam vehemens & ſeditioſa humorum commotio adeo repente ac velut ex abrupto ſedari queat. Deinde nec hoc negligendum, ut pro doſi magnum hauſtum vel oxycrati vel julebi æger aſſumere allaboret, quò eò potentius contemperatio ac præcipitatio efferveſcentium humorum ſic conciliari queat: Et tandem ſciendum, quod unicè vel poſcam vel julebum præſcriptum æger tunc uſurpare, adeoque à quovis potu alio omni ſtudio abſtinere is debeat, præſertim verò ab illo, qui fermento obnoxius eſſe poteſt.

Ad §. 7.

Sedatâ vomendi violentiâ adpoſitè monet Autor, humores vitioſos beneficio oxycrati vel Julapii ⊖lati expugnatos præcipitatos ac velut mortificatos, ne denuo maligni fermenti flammam concipere, ac recrudeſcere calamitates iſtæ poſſint, quantocyùs, ſed tamen cum cautelâ expurgandos: Cautè inquam hîc procedendum, ut talia nempè huic ſcopo inſervientia pharmaca tunc exhibeantur, quæ citra virium rapinam & nimiam turbationem hanc commodè expurgandi intentionem expedire valeant. Ideoque Autor ☿ium dulcem juxta leges ſpagyricas ſollicitè paratum & cum conſervarum roſarum aut violarum vel aliâ datum prudenter in hoc caſu laudat, quippe qui omnes humores noxios blandè & ſine ullo perturbationis impetu educere potis eſt. Peracto hoc purgandi in cholerâ negotio, cui Clyſteres noſtri ex ⋇ ☿iali vel Râ ⊖ balſamica vel etiam liquore noſtro virgineo parati & peculiari præcipitandi abſtergendique vim habentes ex ſententia ſatisfacere queunt, ſomniferorum uſus non immeritò inſuper inſinuatur, quæ notanter valdè ab Helmontio arcana conſopitiva ac ſedativa vocari legimus, quod Archei confuſionem, quæ in Cholera utique enormis, tollant, & pacem ſeu tranquillitatem ei imperent, vel quod Archeum tumultuantem ac proprio luxu furioſoque tædio inſigniter laſcivientem ſopiendo placare ac ſedere oppidò valeant. Approbat hanc medendi rationem ipſum Hipp. oraculum, quo immodicas evacuationes conciliato ſomno cohiberi aſſeritur. Ut autem laudanum opiatum Paracelſi & opium ☿iale Autoris præ reliquis Hypnoticis principatum obtinent, ita notitia & doſis eorum ex ſuperioribus jam nobis eſt perſpecta. Nos unà cum Julapiis pulveres generosè adſtringentes, inſimul ac præcipitantes, uti ſunt raſura eboris, corallia rubra, pulvis noſter magnetic⁹ aut ſtipticus, pulvis antihypochondriacus, pulvis admirabilis, magiſterium magnum &c. quibus tamē aliquid de bezoardico ☉ari vel aliis magiſteriis bezoardicis ac ſudorificis nobilioribus ſemper admiſcemus, vel qui tam adſtringentem quàm alexipharmacalem virtutem inſimul habent, ut ſunt raſura C.C. 🜃a ſigillata, bol. armena &c. alternatim porrigimus, quod malignitatis in-

tis inſidioſus concurſus plerumque tunc præſtò eſſe ſoleat ; ac propterea cum ſingulari ſollicitudiue is attendi debeat. De Iliaci mali deſperatiſſimo caſu hoc ſaltim adjicimus, quod juxta candidam Helmontii communicationem utiliter tunc aliquot globuli muſquetarum ſeu bombardarum deglutiantur, qui ſolo pondere ſuo obſtructionis contumaciam ſolvere, aut ſi excrementa tunc fortè obſtent, propellere ſufficiunt, ut reliqua etiam medicamenta contra choleram ſpecifica, utpote quæ pariter in hoc affectu iliaco conveniunt, cum fructu poſtmodum præbere liceat. Quò enim plures, inquit Helmontius, ac majores deglutiuntur, eò tutior celeriorque tunc ſequitur ſanatio, modò æger pauliſper ſtare vel ambulare vel erecto abdomine duci poſſit. Loco hujus ſubſidii tutò & longè feliciùs omninò dari ☿ium vivum currentem, ſed benè prius depuratum ad ℥ß vel ℥j, vel prout neceſſitas ſuadet, adhuc in majori quantitate in cura periculoſiſſimi hujus affectus cenſemus, utpote qui propter ponderoſam mobiliſſimamque lubricitatem ac fugitivam velocitatem ſuam citò tranſire & deſperatò obſtinatam inteſtinorum viam potenter reſerare, adeoque ſui copiam nobis poſt exiguum temporis ſpatium rurſus facere ſolet.

Globuli aurei quippe ponderoſiores hic magis utiliter adhibentur, quàm plumbei. Sed notetur, quod ante deglutitionem probè tepefiant, & illinantur 🝆 amygd. dulc.

CAPUT XXXIX.

De

Bulimo ſeu canino appetitu.

§. 1.

Bulimus ſeu canina appetentia nomine ſuo ſatis indicat ſuam eſſentiam : Bȣ enim apud quoſdam Autores Græcos eſt quaſi πολὺ, multum; unde Bulimus quis polimus, multa & ingens fames dicitur: In eo enim affectu ſeu morbo multa appetuntur ac in ventriculum ingeruntur, ac poſtmodum ſine ulla coctione ac digeſtione, prout ingeſta fuerunt, evomuntur, quod ventriculus copia & quantitate alimenti oppreſſus ſic ad vomitum cogatur : Neque ceſſat illa appetentia ſeu fames canina aſſumto ad nauſeam cibo, ſed accreſcit potiùs & magis magiſque augmentatur.

§. 2. Hoc autem affectu tentari ſolent illi, qui hyemis tempore per nives & glaciem deambulant, ſi debili ſint ventriculo, quia nimio frigore ventriculus tunc corrugatur, & ejuſdem fibræ contrahuntur, ita ut quicquid in ventriculo reſiduum reperitur, poſt coctionem ſuam aceſcat, à quo acido deinde excremento fit canina appetentia ſeu bulimus, dum os ventriculi tali excrementô acidô imbutum ſemper appetit, donec acetoſus hic liquor à medicamentis purgantibus vel omninò tollatur vel alteretur.

§. 3. Morbus igitur hic poteſt definiri affectus p. n. ab excrementis acidis

vel ex digeſtione ventriculi depravata relictis, vel ex ſimplici frigida & ſicca intemperie in ipſo ventriculo collectis, à quibus cauſis corrugatur nimis os ventriculi ſuperius, ubi naturalis appetitus ſedes eſt; unde nimius & p.n. fit appetitus à vellicatione acidi excrementi, ſicut naturalis appetitus à ſuctione & defectu veri alimenti fieri ſolet, quo accepto ceſſat hic appetitus; præternaturalis verò ſeu morboſus accreſcit & augetur potiùs, etſi alimentum copioſum in ipſo ventriculo exiſtat.

§.4. Curatur hic morbus ſublatis cauſis, quæ ipſum efficiunt: Si ergò à ſimplici intemperie frigida & ſicca ortum habeat, ut ſolet contingere in quibusdam debili ventriculo præditis tempore hyemis, ſi per nives glaciemque diu deambulent, tunc ſolùm curatur hic affectus meri potione: Merum enim ſeu Vinum & purum & optimum calidum & humidum eſt, cauſa autem mali frigida & ſicca: Contraria igitur contrariis ritè appoſitis curari ſolent. Sin autem dependeat hic affectus ab excrementis acidis ex digeſtione depravata in ventriculo collectis ac relictis, tunc hæc excrementa noſtra purgatione ☿iali vel extracto noſtro elleborino ſuperiùs primis in Capitulis hujus Operis præparato radicitùs evacuari debent; oportet autem ter vel quater repetere hanc noſtram purgationem repetitis vicibus, & poſteà ventriculum roborare Vino puro vel aqua cinamomi, vel pane toſto & vino delibuto, in quo ſaccharum ſolutum & cinamomum adſperſum ſit, vel etiam Vino Hippocratico ad ℥iv epoto, idque ſummo manè jejuno ventriculo.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

FAmem vel appetitum naturalem pariter ac præternaturalem ſeu morboſum, quem Helmontius meretricium, alii ſpurium, quidam proverbialiter autumnalem vocant (quod iſta temporis conſtitutio unà cum hyeme voracitati aptiſſima eſſe ſoleat) dari, ex Medicinæ fundamentis diſcimus. Quod itaque ſpectat nimiam ſeu magnam appetentiam, accuratiores Pathologici eam diſpeſcunt in tres ſpecies, appetitum nempè immodicum, deinde caninum, & tertiò bulimum: Et quamvis Autor h.l. indiſtinctè conſideraverit iſta nomina, & pro ſynonymis habere videatur, tamen nos negligentiæ illi unguem imprimimus, ac feliciùs eum hîc etiam docere aſſerimus, qui benè diſtinguere non faſtidit. Stamus itaque à parte doctiſſimi Hoffmanni, qui temerè notiones haſce non confundendas, ſed potiùs cauto opus eſſe monet, ne, quod vox bulimi jubet, (particulâ enim βȣ̃ ſignificationē augendi vim habere norunt Gramatici) magnam ſeu multam duntaxat famem, veluti Autor etiam fecit, interpretemur. Hoc igitur modo de hiſce ſpeciebus ſentiendum erit: Appetitus ἄμετρος nimi-

nimirum ſeu nimius fit, cum exceſſus eſt in quantitate, ſed ſine ullo ſymptomate; & hoc accidere poteſt ob frigus ambiens vel ob humorem acrem ſeu acidum, ventriculi orificium ſtimulantem : Canina verò adpetentia cum eo contingit & quidem inſeparabili ſymptomate, quod ægri non ſecùs ac canes tunc vomant ingeſtum, ac non raró indigeſtum cibum potumque. Non nemo quoque deceptus à bulimi etymo caninam hanc appetentiam vocat bovinam, ſed quàm malè hoc fiat, natura boum ob oculos ſtatim ponet, quod vomitu quadrupedum hoc genus ingeſta ejeciſſe nunquam quis viderit, neque unquam etiam compertum fuerit. Tandem bulimus ſuccedit, vehementiſſimam & adeò intolerandam famem Græcis denotans, ut lipothymiam inducat, & ægri ob implacabilem inediam animo deficere cogantur; unde etiam à Galeno definitur, quod ſit perpetuum animi deliquium originem ex magna fame obtinens.

Ad §. 2.

Cauſam tam antecedentem ac remotam, quàm proximam hîc determinat Autor, quarum illam frigus aëris ambientis, quod hyberno tempore per nives & glaciem iter facientes potiſſimum experientur, & ventriculi infirmitas, quæ cum ejus frigida intemperie æquiparatur; hanc vero humorum acor, in quem ventriculus frigidus corrumpere cibos dicitur, exprimit. Utut autem hujus negotii vera explanatio difficultate non careat, tentabimus attamen illam pro virili & quidem paucis expedire. Ventres hyeme calidiores adeoque robuſtiores eſſe, Hippocrates nos docet. Atque ut hoc ipſum veritati omnimodè conſentaneum eſt, ita idem contingere in fontibus, cellis & locis quibusvis ſubterraneis hyberno tempore, quæ tunc omninò tepida exiſtunt, quum ex adverſo æſtate frigida ſint, obſervamus; Cujus rei cauſa etiam in aprico eſt: Videlicet concentratur ac conſtringitur tunc magis calor ſubterraneus in macrocoſmo atque interaneus in microcoſmo, quod frigus ſummam poros ſeu ſpiracula tam terræ quàm corporis noſtri vim conſtipandi habeat, quò minùs exhalare ac imminui poſſit jam laudatus ignis: Deinde conſtat etiam, quod hyberno tempore ☉is potentia in ſublunaria ſit imbecillior; unde etiam eo, quo pollet, magnetiſmo ☉em corporis noſtri ac telluris ipſius internum extrahere ac reſolvere adeoque debilitare non poteſt. Tunc itaque præſupponitur, ob præſentem hactenus ventriculi imbecillitatem, eum jam ſcatere multis cruditatibus atque impuritatibus, quas dum Archeus ventriculi; qui eo tempore magis vegetus exiſtit, fortiùs aggreditur, ac digerere eas conatur, fit poſteà ut illi humores excrementitii jam alioquin ſubacidi magis magisque corrumpantur, adeoque potentiorem aciditatem hinc concipiant; unde neceſſariò quoque ob inſignem acidi exceſſum vitiatur ventriculi fermentum, & hinc ille appetendi intempe-

rantia efficitur, quod delictum fermenti copioſi ſtomachum valdopere conſtringat, ac morſicando vellicandoque eum impensè irritet, adeoque ſenſitivæ facultatis furorem hinc concitet: Vel oriri etiam poteſt appetitus hujus ferocia ac contumacia à fermento ex ſplene (quod viſcus ut reliqua omnia hyberno tempore etiam vegetius eſt) nimis immodicè in ventriculum confluente, veluti omne exceſſivum eſſe vitioſum novimus. Ut enim fermentum à ſplene tanquam fermenti iſtius genuina officina ventriculo decenter adſpiratum egregiā ad appetendum commoditatem præſtat, ita è contrario importunam & vehementem famem nimia fermenti illius, præſertim ſi vitiatum hoc ſit, copia, & adpetitus defectum ſeu proſtrationem ejus penuria parit.

Ad §. 3.

Frigus habere vim vehementer conſtringendi & quis corrugandi, omnes illi nobiſcum fatebuntur, qui injuriam frigoris experti fuerunt, imò vel ſola cutis, quæ tunc rigida aſperitate horret, teſtatum facere poteſt: Nervis enim & membranis ſeu nervoſis ac membranaceis partibus ut infeſta ſemper eſt ac inimica intenſi frigoris vehementia, ita facilè licebit ſubſumere, quod per conſequens ſtomachus ex appulſu & ambitu ferocientis gelu conſtrictionem validioremque corrugationem illam tunc ſuſcipere ſoleat. Et hæc quoque eſt cauſa, cur ventriculus hyberno tempore rectiùs feliciusque digerat ac concoquat, quia tunc accuratiùs clauditur orificium ventriculi, atque ſic tam caloris quàm fermenti virtus tunc concameratior ac unita magis ſervari poteſt, non ſecus ac olla tegmine munita coctionis negotium meliùs ſemper accelerare ſolet: Sin vero ventriculus multis tunc turgeat cruditatibus, certum eſt, quod excedens acor tanquam corruptionis filius (hic enim ex cruditatibus & nulla ratione chyli ſalubris ſuavitas expectanda) magna & celerrima capturus incrementa, atque poſteà eo modo ut ſuprà expoſitum fuit, urgentiſſimi appetitus laſciviam ſit progeneraturus. Ea ſi ſolertiùs ponderemus, vel manu palpabimus, ſuctionem illam, quam Veteres finxerunt, nihil aliud eſſe, quàm dictam iſtam ſtomachi conſtrictionem, quam non ſine exacta ſenſatione fieri poſſe, ex ſuperioribus vel ſponte colligimus. In orificio ventriculi ſuperiore appetitus naturalis ſedem eſſe, inſuper ſtatuit Autor: Ubi ſciendū per τὸ naturale hic intelligi illud, quod vitioſo, morboſo ac præternaturali opponitur, alioquin appetitus ille juxtà Phyſiologiæ normam rectiùs vocaretur animalis: ſcimus enim ex hac doctrina duplicē in ventriculo ſubeſſe appetitū, animalem aliū & aliū naturalē: Animalis ille dicitur, qui fit ſenſibiliter & in gratiā totius corporis œconomiæ, unde etiam publicus audit, quod alimentum ſeu chylus ex aſſumtis in ventriculo tanquam in culina pro toto corpore coquatur ac præparetur; naturalis verò nomi-

nominatur, qui fit inſenſibiliter, & cauſâ nutriendæ ventriculi ſubſtantiæ à ſanguine per vaſa ventriculi tunicis inſerta hûc translato (nullatenus enim chylô nutriri ventriculum ſanioribus cunctis in confeſſo eſt,) expeditur,atq; propter-eà privatus dicitur, quod ventriculi nutritionem ac conſervationem ſollicitet. Communiorem cauſam,cujus ſuſpicio in hôc caſu ſemper habenda eſt, ſilentiô præteriit Autor,nempe lubricorum pluralitatem pariter ac magnitudinem præſertim, qui ſi in ventriculo hoſpitentur, implacabilem famem atque caninam hanc eſuriem, imò & ipſum bulimum concitare poſſunt: Unde tunc cæteris remediis amara (Luſitanus hieram picram,nos eſſentiam abſinth. inſuper it. ſalviæ ac myrrhæ commendamus) & omnia illa, quæ vermibus odioſa ſunt (de quibus ſæpè jam egimus) ac enecare eos valent, omninò quàm utiliſſimè porrigentur.

Ad §. 4.

Acceptiſſimum ſanè ſuo ſe clienti Medicum hîc præbet Autor, dum Vino generoſo malum,ſi ex frigiditate ſubortum ſit,compeſcere nititur. Et quidni ingentem utilitatem hilaritatis hoc dulce ſeminarium habeat, ſiquidem ad Medicinam & medendas ægritudines tam animi quàm corporis vitamque fovendam balſamicus hic 🜃æ ſanguis vel nectar Deorum,imò ſuccus omnium vegetabilium princeps notoriè ſit conditus: Unde etiam vinum pro ligno vitæ mortalibus datum eſſe creditur,atque aptiſſimâ phraſi auriga vitæ vocatur. In vite, ait quidam,eſt flagrantia vitæ & mirificæ omninò medicinæ valetudo. Sed ut hæc omnia ſe rectè habent, & quilibet noſtrum Autoris ſententiæ alacriter applaudet,ita ſine ratione etiam effato huic fidem protinùs eſſe adhibendam non cenſemus: Indagabimus igitur paucis nunc illam, & in anteceſſum propterea monemus, Autorem non Vinum ignobile aut crucium, quod acore ſuo cruciat (marter guter Wein) hîc innuere, ſed Vinum merum, generoſum ac purum (elegantiores Medici id quadranter valdè Vinum vivum ſalutant) prætereaque benè maturum & ſufficienti fermentatione exaltatum vel etiam aromatiſatum ſeu claretum, quale eſt Hippocraticum in Galliâ uſitatiſſimum, ab eô laudari, quod nimirum ad famem caninam curandam, ſi frigori ſcaturiginem debeat, remedium citra controverſiam ſit præſtantiſſimum. Locô canonis igitur præſupponimus, Vinum optimum virtute ſuâ, quâ excellenter pollet, refectivâ morbis omnibus in ventriculo ſedem obtinentibus maximoperè prodeſſe. Si itaque appetitus nimii furor frigiditatem agnoſcat matrem, cur Vinum tunc præcipuè auxilietur,quivis ſtatim ſubodorabitur,ad mentem ſibi primitùs revocans regulam ex methodô medendi famigeratam, contraria contrariis curari. Jam verò nihil eſt tritius, quàm Vinum eximia caloris, vel ſi quis mavult, fermenti vitalis ſeu aſtralis ſemina in ſe habere , atque ſuâ naturâ ignitum eſſe, adeo-

adeoque potum quàm effectiſſimè corpora ac viſcera calefacere ſeu refocillare: Deinde Vinum quoque ſingulari præcipitandi & acido contemperandi robore gaudere, illi non negabunt, qui ex Paracelſo recordabuntur, Vinum quàm maximè præ cæteris ⊕-latum eſſe: Jam ſi ad ⊕-li, quod ad claſſem nobiliorum præcipitantium jure merito refertur, naturam provocemus, & hoc ſuô lumine ſplendebit. Præcipitantia autem cumprimis in curatione hujus affectus locum habere, & nos omninò credimus, & Artis pariter Filiis attendendum inſinuamus: Nec diſplicet ratio, quam Helmontius ſubjicit, dum Vinum in hoc affectu eam ob cauſam potiſſimùm convenire affirmat, quod facultas immoderatè appetens ac ſenſitiva ſic veluti inebrietur, atque furor ejusdem hinc conſopitus oppidò placari queat. Cæterum ſi contumacia infame hoc malum reddat, toties decantatum Emeticum ſine ullô dubiô exoptatam tunc præſtabit efficaciam, & radices morbi funditùs averruncabit; poſteà verò commodius utique Vinum generoſum aut liquores analepticos alios non minùs generoſos propinari tam clarum eſt, quàm quod certiſſimum.

CAPUT XL.

De *Jecoris inflammatione.*

§. I.

JEcur inter omnes corporis partes ferme infinitis morbis ac præcipuè inflammatione tentatur, quæ nihil aliud eſt, quàm excandeſcentia ſpiritus vitæ ipſius jecoris ab excrementis ex reliquiis coctionis, quam jecur peragit, in hôc ipsô parenchymate productis orta, quæ excrementa poſtmodum ſpiritui vitali jecoris copiâ ſuâ negotium faceſſunt: Si enim excrementa illa ex reliquiis hepaticæ coctionis progenita ſpiritus hepatis cuſtos non omninò vincere nec protrudere queat, fit ut indies maxima in copia augeantur, & obſtructiones variæ in ipsô hepate producantur, unde prohibetur ventilatio, qua prohibita ſpiritus vitæ jecoris excandeſcit & inflammatur.

§. 2. Adde, quod, cùm ipſe ſpiritus excrementa illa vincere nequeat, calorem ſuum naturalem actione ſua in hæc excrementa magis augeat, donec ea evicerit: quod ſi diu hæc actio duret, in habitum tranſit, & fit in hepate hectica conſtitutio ac febris, unde poſteà colliquatur hepar, & hinc totum corpus macilentum atque hecticum evadit. Exinde clarum etiam eſt, febrem hecticam non ſolùm in corde, ſed & in hepate, ventriculo ac liene radices habere; ex quibus omnibus malè conſtitutis in corpore humano fit conſtitutio hectica, ut ſic corpus marceſcat atque tabeſcat.

§. 3. In-

§. 3. Inflammationis jecoris ſigna ſunt, febris ardens ſed lenta, ſitis perpetua & inexhauſta, linguæ ſcabrities & huic inhæreſcens lentor primò flavus, deinde tandem nigricans, nauſea ac cibi faſtidium, interdum ſingultus, corporis color cinericeus, ⊡æ craſſæ, rubicundæ ac turbidæ, vomitio flava & amara, non ex bile, ſed ab excremento flavô poſt coctionem in ventriculô relicto, quod utpote acre & mordax dum delabitur unà cum chylô in jecur, excalefacit illud & inteſtina quoque ad alvi fluxum proritat: Ab hepate inflammato transeunt etiam ſemina ac germina ſeu fomenta inflammationis, vel ut cum Hippocrate loquar, phlegmones in ſanguinem; unde vitia multa in cute & carne ſcaturire ſolent, quibus ſuccurritur ſuccurrendo hepati inflammato, quod ſequenti viâ ac methodô fiet.

§. 4. Curatur hepar inflammatum & omne illud, quod ex illâ inflammatione ſequitur, eſſentiâ ☿ ac ♃is: Ad miraculum enim hæ Eſſentiæ hepar reficiunt, & ad ſuam conſtitutionem naturalem idque paucis diebus reducunt, niſi hepar omninò corruptum ſit, & à ſuâ naturali conſtitutione alienatum, uti in hydropicis confirmatis contingere ſolet, in quibus hepar à ſua natura ita alienatum eſt, ut non amplius videatur hepar, ſed quid ſcirrhoſum & maſſa informis, prædura, ac prægrandis, duodecim aliquando libras ponderans, cætera viſcera premens & quaſi ſuffocans.

§. 5. Paratur autem eſſentia ☿ij vel per ſe, vel cum additione. Per ſe deſtillatur eſſentia ☿ii in vaſis vitreis & 🝭is lutô munitis & ſibi invicem adaptatis, donec ☿ius △e ſic toties agitatus tandem in ▽am convertatur, dum hôc modò in 🜁em & ſuum chaos per △em reducitur: Vel 🝛 æquali in pondere cum amalgamate ♃ & ☿ii conjungitur, ac ſimul putrefiunt ambo in calore fimi, vel exponuntur aëri frigido, donec ſolvantur, ac poſtmodum deſtillantur omnia ſimul. Vel ▽a per cohobationem impetrata ſeu ſpiritus △eus deſtillatus fæcibus iſtis aut ☠ redditur, ac putredini invicem committuntur, atque deinde deſtillantur. Hoc deſtillatum cuſtoditur, & guttulæ vj. aut viij in ▽ cichor. aut ſyrupo flor. cichor. ſingulis diebus propinantur, donec perfectè curetur æger. ☠ etiam, quod in fundô remanet, multis ſolutionibus ac filtrationibus purificatur, donec clarum nitidumque evadat, quod ad quantitatem gr. iv aut vj. in ▽ cichor. diſſolutum datur: Et hæc eſt ſumma ac tutiſſima jecoris vitiati & potiſſimum inflammati cura.

Animadverſiones

Ad §. 1.

HOffmanno oculi & aures dolent, quoties videre & audire ab Autoribus cogitur Epar, quoniam gravis in græco ſpiritus ſeu adſpirationis character

hepar eſſe ſcribendum irrefragabiliter oſtendit. Id quod datâ hâc occaſione & nos monere debuimus. Cæterùm ſi ſtructuram hepatis, cui labor ſanguificationis incumbit, & vaſorum labyrinthos ferme inextricabiles, anguſtiſſimos atque mirabiles omninò accuratiùs contemplemur, obſtructiones hîc de facili contingere poſſe, haud difficulter nobis perſuademus, præſertim ſi adſit crimen concoctionis primæ, quod juxta canonis illius ſolemnem tenorem in ſecunda emendari non poteſt. Ergo præſupponitur jecoris obſtructio, antequam de inflammatione cogitandum: Hæc enim nec cognoſci rectè nec curari poteſt, niſi obſtructionis ratio ſit perſpecta, quam nonniſi unam afferere poſſumus, nempè ex Helmontiô retenta noxia, vel ut cum ſcholis loquamur, humores craſſos putrilaginoſos atque immobiles, h. e. excrementitios, vel ſuâ naturâ, prout hoc vitium ex ventriculo ægrè conſtituto acceperunt, vel mora, quæ ſpiſſitudinem hanc etiam conciliare ſolet, factos in jecore tales. Quibus ita præmiſſis philoſophiæ Autoris de hâc inflammatione ſtatim ſuus concedi locus poterit. Itaque inflammatio illa nihil aliud eſt, quàm Archei ſeu ſpiritus inſiti incandeſcentia & conceptus contra materiam peccantem ibi collectam vel præternaturaliter retentam, quam cum impetu ſubigere, evincere ac propellere nititur, furor: Quò enim per obſtructionis morbum magis coarctatur ac veluti incarceratur ſpiritus vitæ, eò majorem impetum concipit, ut libertatem ſuam, liberam ventilationem, patulosque receſſus & minimè impedita influentiarum beneficia reparare, & obſtacula cuncta amoliri valeat. Hunc ipſum furorem ſeu acre hoc certamen Archei contra adverſarium ſuum alibi fermentationem exorbitantem ſeu morbificam diximus, cujus naturam & vim adeò expoſuimus hactenus, ut repetitione, nî fallor, omninò hîc ſuperſedere queamus. Hæc autem fermentatio cùm poſcat locum ac cavitatem quandam, Anatomicis ſanè reſponſum in promtu erit, qui aliam determinabunt nullam, quàm venas, præter quas aliæ cavitates in jecore non ſunt. Stante hâc fermentationis baſi demum explicare poterimus, unde calor naturalis tunc augeatur atque duplicetur, atque inflammatio illa unde reverà oriatur; ſcilicet ob fermentationis efficaciam ex materiâ excrementitiâ vehementer fermentante & adhuc efferveſcente ſpirituoſas fuligines exire, nullum eſt dubium, id quod etiam negabit nemo, niſi fermentationis naturæ & operationum prætereà chymicarum planè ſit ignarus: Hi itaque excrementitii ſpiritus cum ſpiritu noſtro commixti, & ſub unô inſimul contuberniô exiſtentes calorem illum valdoperè auctum, exorbitantem & præternaturalem utique efficiunt: Huic accedit etiam, quod ſpiritui inſito in carceribus anguſtiarum conſtituto adjacentium partium natura quoque ſuccurrat, ac ſpirituum influentium auxiliares copias transmittat, atque ſic calorem illum duplicet triplicetque. Et hæc eſt unica ac vera inflammationis cauſa, quæ hepati

hepati adſcribi poteſt, & nulla alia: Unde vitio protinus Helmontio vertere nolumus, quod jecur nunquam propriâ temperie in calore peccare, ſed per accidens illud calidum eſſe, imò hepar in ſe cadaver exiſtere ac frigere potiùs, niſi per ſpiritum vitæ foveatur, adeoque omnem calorem hepati advenam & exoticum eſſe, aſſeruerit, unde etiam falsò per refrigerantia ſanationem ſic affecti hepatis tentari innuit. Quomodo autem incaleſcere poſſit hepar, hôc ſimili iſte clarat: Digitus, inquit, temperatiſſimè ſe habens mox tumet, pulſitat, caleſcit & inflammatur, ſi ſpina, quæ tam actu quàm poteſtate frigida eſt, ei infigatur: Ita etiam comparatum eſt cum hepate, quod naturaliter ſe habens temperatum omninò exiſtit, nec unquam calet, niſi moleſtam materiam, quæ inſtar alicujus ſpinæ ipſi infeſta eſt, in ſe conceperit. Quemadmodum igitur curatur digitus ſic inflammatus, ſi evellendæ ſpinæ non autem refrigerationi incumbatur; ſic hepar etiam remotô humore peccante præſertim acri acidoque vel etiam jam animato, qui non ſecùs imò quandoque acerbiùs, ac ſpina infixa pungit, ſanabitur.

Ad §. 2.

Hepatis ſubſtantiam corrumpi & hectica ſeu habituali calamitate affici, eidemque conſimile putrilaginis ſigillum imprimi poſſe, non ambigimus, ſi nimirum obſtructionis contumacia præſtò ſit, atque humores excrementitii huc delati ibique impacti aſſiduâ malignaque fermentatione putreſcant: Imò ſi magis magisque ingraveſcat hæc ipſa in hepate putredo ac corruptio, colliquationem ejus ſubſtantiæ & omnimodam diſſolutionem conſequi tandem poſſe, liquidò ſtatim patet, ſiquidem per putrefactionem res etiam ſicciſſima ac duriſſima colliquari & in mucilaginem quandam redigi queat, veluti ex operationibus ſpagyricis notum eſt. Deinde ex præmiſsâ hâc circumſtantiâ quomodo habitualis ſeu hectica febris & macies exinde toti corpori ſuccreſcere queat, nullâ adeò probatione eget, ſiquidem ſanguis hâc putredinis labe inquinatus, qui hinc per totum corpus poſteà diſpenſari debet, ac prætereà in coctione tertiâ corrigi non poteſt, hecticam hanc atque cachecticam febrilemque atrophiam manifeſtò parere valeat.

Ad §. 3.

De ſignis illis inflammationem hepatis deſignantibus animadvertendum eſt, quod nullum ex iis pathognomonicum, ſed cuncta aliis morbis ac viſcerum quoque inflammationibus communia exiſtant, quapropter primò & ante omnia ad dolorem gravativum cum æſtuatione junctum dextri lateris ac regionis, ſub quâ hepar abſconditum eſt, reſpiciendum erit, ac deinde ſigna demum illa ab Autore hic adducta junctim, & quatenus vel omnia vel pleraque ac potiora ea concurrunt, attendenda erunt; ſin ſecùs fiat, dignoſcendi certitudinem

hinc polliceri non licebit. Sunt autem hæc ipſa ſigna ſeu ſymptomata hîc alligata nihil aliud, quàm germina quædam, ut Autor rectiſſimè loquitur, ſeu fructus inflammationis hepaticæ atque efflorescentiæ corrupti ſanguinis, qui corruptelam ſuam hepati vitioſè ſe habenti atque obſtructo (quas verò incommoditates jecoris obſtructiones producant, ſuprà jam cognovimus) debet, ita ut ex ſymptomate morbus, cujus eſt ſymptoma, quod propterea ab Autoribus non malè morbi umbra dicitur, deprehendi omninò queat.

Ad §. 4.

In curatione ſæpiùs nominatæ inflammationis ex jam prælibatis aſſequi poterimus, qua ratione radicaliter huic malo remedendum ſit. Non itaque refrigerantia vulgò ſic dicta tunc adhibenda, ſed ea, quæ Archeum hepatis reficiendi facultatem obtinent, atque inſimul obſtructionem reſerandi ac prætereà fermenti vitioſi malitiam edomandi, adeoque ſanguinem ab impuritatibus probè liberandi virtutem habent: Quô ipsô diligenter ſic obſervatô, malè affectum ac debilitatum hepar priſtino vigori reſtituere, & magnetiſmum ejus, quem præ reliquis etiam viſceribus vivificantes vegetantesque influxus efflictim appetendi attrahendique excellentiorem habet, oppidò roborare poterimus. Purgantia communia, utpote quæ citra virium jacturam operationem ſuam exerere non poſſunt, non immeritò hîc tranſmiſit Autor, in quorum uſu etiam hepatici mali curatio nequaquam conſiſtit, niſi ad expurgandas primas vias Clyſteribus non purgantibus tamen ſed abſtergentibus ſaltim & præcipitationem præſtantibus quis uti velit, id quod tunc minimè negligendum & nos cenſemus, ſicuti etiam una vel altera vice pilulas ☿iales vel ♂tiales ritè paratas, quæ cum virtute ſuô munere nunquam non funguntur, porrigendas ſuademus; ſed alia tunc potiùs excogitanda, quæ mundificationem hepatis confortando invicem hoc viſcus ac ipſi inſitum ſpiritum abſolvere valent, qualia ſunt ♃ aut ☿ii eſſentia ab Autore hîc laudata, cujus utriusque præparationem, ut ex Myrothecio ejus ſpagyricô alioquin addiſcere licebit, ita in ſubſequenti theſi alias parandi rationes adduxit, quas paulò pòſt examinabimus. De Eſſentia ſtanni, quam proprietates ac virtutes Eſſentiæ ☽aris quàm proximè æmulari ipſe Autor affirmat, certum eſt, quod hepatis affectus omnes peculiariter ſanet, ejusque calorem nativum evacuatis per vias urinarias, ſudores, & inſenſibilem tranſpirationem ex ſanguine excrementitiis ac putrilaginoſis humoribus mirificè adaugeat, omnemque corruptionem potenter hinc compeſcat. Virtus autem Eſſentiæ ☿ialis jam ſæpiùs & aliquoties debitis laudibus ſublimata à nobis fuit, quarum tenor ex ſuperioribus ſollicitari poterit. Cæterum per morbum ac contumaciam obſtructionis hepar non tantùm à ſuô naturali vigore ac conſtitutione mirum quantum alienari, verùm monſtroſam quoque magnitudinem non raro ca-

peſſere

peſſere ſolet, ut etiam Xij libras teſte Autore noſtro vel viginti & unam, id referente Helmontiô, aliquando hoc viſcus ponderaſſe fuerit obſervatum. Ubi ſanè quivis facillimè ſubſumere valebit, calamitoſiſſimam hujuscemodi conditionis homines tunc agere reſpirationem ac vitam, imò ſuffocationis periculum ipſis perpetim imminere, quod diaphragma & præcordia, quorum cum hepate exquiſita vicinitas ac conſenſus nemini non notiſſimus eſt, item ventriculum & reliqua viſcera inſigniter gravando ac comprimendo haud perfunctoriè affligat. Unde autem hepatis moles ſic ſuccreſcere & intumeſcere poſſit, dictu etiam non adeò difficile eſt: Nempe humores excrementitii ob conceptam fermentationis vehementiam ejusque impulſum per vaſa quaſi transcolantur, & in ſubſtantiam hepatis totam ſe penetrant ac redundant; ſin verò poſteà accedente & increſcente præternaturali calore ſiccetur, tumida ſic hepatis ſubſtantia & tenues liquidæque partes abſumantur, mirum quantum obdureſcere hoc parenchyma & ſcirrhum concipere tunc incipit: In quo caſu notandum, quod plerumque inſanabile ac deſperatum ſit hoc malum, præſertim ſi hepaticæ ſubſtantiæ corruptio accedat, qua præſente & jam facta fundamentum reſtituendæ ſanitatis omnimodè amiſſum, adeoque omnis ſpes occiſa eſt.

Ad §. 5.

Remedia excellentiora omninò ad ſanandum operantur feliciùs, ſi ſub uniſono Naturæ gratiſſimo nata exiſtant: Ut enim ipſa Natura unica eſt ac ſimplex, ita & ſub hôc ſimplicitatis atque unitatis vexillô ſincerè triumphat Medicina, Naturæ illa miniſtra fideliſſima. Quod ſi hoc ſibi dictum exiſtiment Chymiatri tanquam afflictæ aut fortè non ſufficientis Naturæ adjutores gratioſi, omnem quoque operam navare ſtudebunt, ut cum Naturæ ingeniô ac geniô omnia ea concordent, quæ tentare ac moliri tam in curationis quàm medicamentorum confectionis propoſitô ſatagunt. Ideoque illi etiam, qui remedia ad unitatis ſymbolum ſurgentia naturæ noſtræ eſſe acceptiſſima reputant, modum illum Eſſentiam vel ☿ij vel ♃ parandi præferre ac eligere non hæſitabunt, qui per ſe & ſine additione alius celebrari ac peragi ſolet: Ubi ſtatim hoc ſciendum adjicimus, quod tunc & factâ hac electione ſeu ſtata intentione Eſſentiam ☿ii vel ♃ absque additione, adeoque per ſe parandi, non ☿ currens aut ipſum ſtannum, quatenus jam metalla h.e. animâ ſuâ orbata ſunt (impoſſibile enim eſt, ut ex illis per ſe & ſine congreſſu alterius ſolventis medicamenta præparari, ac eadem in ſua principia ſeu materiam primam ac liquorem primogenium ſeu Deorum nectari ſimilem reſolvi queant) ſed tantùm minera aliqua vel ☿ialis vel ♃ialis tunc accipi debeat: Ex hâc enim demum, & per eam, in eâ, atque cum eâ beneficiô philoſophicæ ſeu Hermeticæ putrefactionis, digeſtionis, corruptionis ac reſolutionis deſiderata atque in rei veritate nobiliſſima Eſſentia vel ☿ii vel ♃is

impetrari poterit, veluti ex putredine illa philoſophicô ingeniô inſtituta & nullâ profectò ratione aliâ demum vita ſeu vitale, h. e. ex ſententiâ efficax medicamen omni aurô atq; theſaurô pretioſius producitur. Quô de venerabili myſteriorum ſacrariô plura effari nec poſſumus, neque etiam ſi virium valentia ſubeſſet, quam tamen haud arrogamus nobis, liceret. Obiter E. hæc affigere nunc lubitum duntaxat fuit, ut anſa ad altiora adſcendendi nobis hinc ſuccreſcere poſſet. Modum quod attinet, quem per ſe parandi Eſſentiam ſeu aquam vel humiditatẽ radicalem ☿ii currentis nos docuit Autor, is omninò decipiet imitatores ſuos ac diſcipulos, ſi utut etiam centies hunc ex alia 🝭a in aliã cohobationis laborem ac circulationem ☿ii iterare improbô cum labore aſſudaretur, niſi ſolvens quoddam minerale, cum violentiâ Vulcani humiditatem primigeniam ac vivificantem in ☿iô currente jam conſumſerit, animamq; ejus mortificaverit, eidem affundatur, atque ſic cohobatio illa ſeu iterata deſtillatio menſtrui à ☿ ô illo toties repetatur; quæ tamen præparandi ratio ad vulgarem potiùs, non verò ad ſublimiorem Chymiam referenda erit. Illa porrò præparatio, quæ fit cum additione ☿ti, eodem planè modo, quô Sudorificũ ſuum Maximum Autor conficere ſuprà docuit, niſi quod ⦶ hîc omittatur, peragitur. Id tamẽ hîc inſuper notandũ eſt, quod ſub aëre liberô colliquatio materiæ, quam facilitant & promtè ſuſcipiunt alcalia, quorum beneficiô ☿ius ſublimatur, præcedere ſemper debeat, antequàm deſtillatio perficiatur: Sic enim ſolutionem illam penitiorem ☿ii ac ♃is nobis promittere, & majorem ſpiritus iſtius ſeu ▽æ ♃iales ☿ialisque, quæ tamen multum tunc quoque de alkalibus per hunc parandi modum ad volatilitatem non nihil deductis participabit, copiam impetrare poſſumus: Deinde ut hic liquor magis exaltetur & excellentiori virtute nobilitetur, Autor tanquam peritus artifex rectè imponit, ut ſpiritus iſte magmati ſuo ſeu 🜎, ſub cujus larvâ regales adhuc vires reconditæ ſunt, reddatur, atque ſic invicem leni ſuavique digeſtioni, in quâ genuinæ & nunquam ſatis in arte Hermetica laudandæ putrefactionis ſolutionisque cardo verſatur, ad minimum per menſem unum committantur, tandemque deſtillatio decenter repetatur: Nec unâ vice hunc laborem feciſſe ſufficit, ſed quò plus is iterabitur, eò magis etiam virtus hujus remedii multiplicabitur, quoniam per has digeſtionum ac putrefactionum repetitiones quod fixum eſt, magis magisq; volatile redditur, adeoque eô modô hoc acquiritur beneficium, ut ⊖ia fixa volatilia fiant, atque eorundem virtute ▽a ſeu eſſentia vel ſpiritus prælaudatus pariter ſic imprægnetur atque animetur; quâ de re plura ex ſuperioribus peti poterunt, ubi de robore ſaponariorum medicaminum Helmontio appoſitè ſic nominatorum quædam dicta fuerunt: Denique ipſum etiam 🜎 non rejiciendum erit, ſed lege artis ⊖ fixum, quod adhuc remanſit, exinde extrahendum, atque poſtmodum ſtudioſè clarificandum veniet, donec ad cryſtallinam niveamque purita-

puritatem perductum fuerit. In defectu laudatæ Eſſentiæ utriusque ſubſtitui intereà non incommodè poterunt ſpiritus aperitivus Penoti, ſpiritus ⊕li ♂ vel ♀ris vel quoque ſpiritus ⊕li Philoſophorum, it. acidum ☿ii, ſpiritus ♄ vel etiam ⊖is, vel ℞æ flor. bellid. papav. thead. viol. &c. cum ∞ ⊕li factæ, & ſic porrò, quæ ſi cum ▽ cichor. vel taraxic. endiv. lactucæ, agrimon. epatic. nobil. Eupator. aut ▽a epatica alia ſedulò adhibeantur, multum auxilii afferre in hôc caſu valebunt. Nobis quoque in uſu tunc eſt ℞a noſtra ☿ii, it. ℞a ♃is, Corallior. ſalutis, Eſſentia gumm. ammoniac. noſtro modo parata: Salia etiam vegetabilium hepati appropriatorum, nempe cichorii, abſinth. fraxini, valdopere conveniunt, & ſingulare levamen præbent, præſertim ſi cum Ebore præparató vel ejus magiſterio commiſceantur.

CAPUT XLI.
De
Atrophia & Cachexia.

§. 1.

Atrophia & Cachexia totius corporis non ſolùm à ventriculo, ſed ab ipſo etiam hepate originem trahere ſolet: Et atrophia quidem ab hepate provenit, dum illud chyloſam ſubſtantiam à ventriculô demandatam malè coquit ac digerit, ut laudatus ſanguis tunc fieri non poſſit.

2. Eſt ergò atrophia vitiata hepatis coctio, unde nutritionis error fit in partibus omnibus ab illaudatô ſanguine ſeu alimentò ab hepate per venas transmiſſo: Unde deficiente alimentô decreſcit pedetentim corpus ac conſumitur ſive tabeſcit, quià ſic deperditur naturalis & inſitus partium ſpiritus, ex cujus potiſſimum deperditione fit atrophia; ac propterea etiam ex febre hectica, pulmonum exulceratione, ventriculi aut hepatis vitio atrophia generari ſolet, quæ nihil aliud eſt, quàm defectus ſpiritus naturalis ſeu inſiti partium naturalium, atque itidem defectus veri laudatique alimenti.

§. 3. Cachexia autem eſt malus ac depravatus corporis habitus ex depravatô vitioſoque alimentô ab illaudatô ſanguine ac chylô proveniente oriundus: Adeoque cachexia ex depravata ventriculi & hepatis coctione exoriri ſolet, quæ à ſpiritubus mechanicis, dum illaudatô alimento illi foventur ac inquinãtur, dependet: Unde poſtmodum ♀rea, viſcoſa atque tenacia admodum excrementa colliguntur, quæ corporis molem quidem augent, ſed tam ſubſtantiâ quàm colore vitioſam efficiunt: Tantum enim abeſt, ut vivido colore ea tunc floreat, ut potiùs pallido, livido aut citrino illo ſqualida ac deturbata exiſtat: Unde cachexia propriè nihil aliud eſt, quàm principium hydropis; niſi enim tempeſtivè malum illud corrigatur, hydrops radices profundiſſimas agere ſolet.

§.4. His Cachexiæ & Atrophiæ malis Chymici & adepti Medici prædictis ☿ij & ſtanni ſeu ♃ eſſentiis ſuccurrere ſolent, item purgatione noſtra ♁iali ac ☿iali laxativâ cum △ album. ovor. ſtillatitia & △â ○nis parata; quod medicamentum laxativum ſummoperè efficax eſt ad ſaburram humorum ex depravata ventriculi coctione & hepatis ortorum educendam: Quibus mediis Cachexia & Atrophia perfectiſſimè curari, adeoque initia hydropis profligari atque radicitùs exterminari poſſunt.

Animadverſiones

Ad §. 1.

VUlgata læſarum actionum diſtinctio ſtatim ac luculenter ob oculos ſiſtere poteſt, quid differant inter ſe atrophia & cachexia, quos affectus ad læſæ nutritionis familiam pertinentes propterea Autor fortaſſis hîc junxit, quod fermè unam eandemque curandi rationem admittant. Quæritur itaque poſito hoc triplicis læſionis fundamento, an nutritio quoque abolitè lædi queat. ℞. abolitam nutritionem, ſi ea accidat, ipſam mortem eſſe, quod vita & nutritio pari ambulent paſſu, veluti hoc eruditè in ſuis Inſtitutionibus demonſtratum Hoffmannus dedit. Aſt nomen atrophiæ nobis nihilominùs obſtare videtur, quod abolitam ac denegatam penitùs nutritionem ſignificare quis opponet. Verum hîc recordamur, apud Græcos τὸ a non ſemper merè privativum eſſe ac negativum, ſed difficultatem etiam afferre, veluti Philologis id notum eſt; adeoque Medicis atrophiam de imminuta, difficili ac fruſtrata nutritione ſolenniter accipi ex doctrina Artis deſubitò diſcimus. Reſtat jã depravatæ nutritionis culpa, quam Cachexia an potiùs Cacotrophia ex redundantia vitioſi humoris ac corruptela ſanguinis nata utique ſuſtinet. De utroque etiam malo indubitatum eſt, quod tam ventriculum deficientem, quàm labefactatum hepar ambo præſupponant: Ex his enim fontibus ſanguis ad laudabilem nutrionem ineptus, atque corrupti humores potiſſimum ſcaturire ſolent.

Ad §. 2.

Atrophiam eſſe totius corporis exſiccationem, ariduram atque contabeſcentiam ex imminutâ ſeu fruſtrata ejus nutritione ſubortam, Practici conſenſu unanimi affirmant: Quo ipſo cognoſcimus ſtatim per atrophiam, de qua nobis jam negotium eſt, maciem univerſalem, non vero particularem (wann ein Glied ſchwindet) nos intelligere, cujus cauſam tam remotam quàm proximam hic adduxit Autor: Illam conſtituit ventriculi debilitas, chylum pravum crudumque fabricans, & hepatis vitiata præſertim coctio ſeu vacillans ſanguificatio; hanc vero ſanguinis ipſius (qui alioquin eſt commune totius corporis pabulum) aut vitium notabile, aut defectus ac inopia. Si vitioſus, vel ut Autor loquitur,

quitur, illaudatus ſit ſanguis; hunc facultas nutrix partium tanquam ad præſtandam nutritionem minimè idoneum nec appetit nec attrahit, neque aſſimilare ſibi eum etiam valebit, quum impoſſibile ſit, ut tanta impuritas, v.g. craſſities, viſciditas, putrilaga &c. in coctione tertia ac nutritione particulari emendationem admittere queat; Vel ſi eum attrahat tandem & digerere, h.e. purum ab impuro ſeparare aggrediatur Natura, tunc fatigatur valdoperè & adeò debilitatur, vel etiam ad furorem & exorbitationem redigitur, ut ob illam ἀταξίαν poſteà officio ſuo ſatisfacere tunc nequeat; unde nutritio partium imminuitur, ac macilentia ſeu exſiccatio hinc ſuccedit. Et hoc ipſum etiam eſt, quod innuit Autor, dum non tantum deficiens vel vitiatum alimentum, verum Archei infirmitatem quoque aut defectum caloris nativi humidique radicalis, in quo baſis fermenti vitalis ſeu appetitus naturalis vel magnetiſmus attractorius, quem quælibet pars ſingularem habet, reverà conſiſtit. Id quod toties & tam ſeriò Helmontium Lectoribus ſuis iuculcaſſe legimus, ut proinde peculiariter laudari ac perſeveranti induſtria luſtrari mereatur. Atque hæc ipſa Archei ſeu calidi nativi partium imbecillitas quantum pariat detrimenti, hactenus à nobis etiam ſedulò ac ſæpius inſinuatum fuit. De ſanguinis vitio hoc etiam adſcribendum inſuper ducim', quod ſumma ejus aciditas & acrimonia non tantũ inſignitè depaſcatur & conſumat carnoſitatem ſeu corporis habitum, verum multò magis viva etiam atque animata putredo non negligenda ſit, quæ cumprimis omnem ſuccum alimentitium ac ſubſtantificam humiditatem ſuffuratur ac potenter devorat, adeoque præ reliquis potiſſimum nutritionis opus turbat atque fruſtratur, veluti ſcorbuticorum & eorum, qui atrophia laborant, maculæ in circumferentia corporis ſeu cute comparentes in rei veritate nihil aliud ſunt, quàm minutiſſimorum vermiculorum ſub cute hinc inde latentium indubitata ſignacula ac genuinæ notæ, quas qui negligit, ſcorbutum ſeu atrophiam ſcorbuticam & ei conſimiles ægritudines ex fundamento curare nunquam poterit: Id quod ἐκ βραχέως cauſa boni publici etiam indicare hîc voluimus.

Ad §. 3.

Per cachexiæ nomen vitium & in ſpecie quidem depravationem facultatis nutricis hic tantum innui, paulò antè diximus, ex qua depravatæ nutritionis culpa univerſum corpus in aquoſam & tumidam fœdamque mollitiem diffunditur. Ex hac enim coloris fœditate ſeu decoloratione judicatur potiſſimum de Cachexiâ, quia color à ſanguine non naturali ſeu corrupto non poteſt eſſe naturalis ac floridus. Unde Hippocrates etiam dicere conſuevit: Talis in cute eſt color, qualis in corpore ſanguis. Alterum Cachexiæ ſignum eſt, quando veſtigium digiti impreſſi manet, quæ ad λευκοφλεγματίαν, quæ nihil aliud eſt, quàm cachexia adulta, tendit; unde ſemper ante hydropes de cachexia tanquam diſpo-

ſitione

ſitione hydropica certiſſima agendum eſt. Diverſitas coloris, qui in Cachexia modò pallidus cum livore modò cum virore eſt, quem citrinum dicere licebit, à diverſo corruptionis, quo ſanguis tunc affectus eſt, gradu dependet, veluti aliquoties id monitum jam fuit. Spiritus influentes Autor mechanicos proptereà vocat, quod eorum medio tanquam inſtrumento chylificationis & ſanguificationis negotia Archeus machinetur. Ut autem venuſtus cutis color diffuſioni ſpirituum influentium rectè ſe habentium, ita etiam luridus ſqualidusque ſpiritibus inquinatis non immeritò adſcribitur: Ex malo enim & vitioſo ſanguine non niſi conſimilis malitiæ ſpiritus oriri poſſunt.

Ad §. 4.

Circa curationem videmus Autorem eandem methodum, quam in præcedenti Capite adſcripſit, nobis commendare, ſicuti etiam reverà omnia ea locum habere hic queunt, quæ ibidem adnotavimus. Hoc ſaltem monendum prætereà cenſemus, ut in curanda atrophia ad animatam putredinem omninò reſpicientes ea quoque nobis laudata tunc habeamus, quæ verminoſa hæc inquinamenta effectiſſimè extinguere atque enecare valent, quorum mentionem jam aliquoties ſuprà factam novimus. Deinde ut ☿ialem purgationem in atrophiâ adultâ, ubi virium valor inſigniter jam exhauſtus eſt, haud conſultò præberi exiſtimamus, ita eadem ex adverſo in Cachexiâ fructuosè dabitur iterabiturque. Per ☿ium illum laxativum quod propriè ſibi velit Autor, primò intuitu capere non poſſumus. Nobis in uſu eſt ▽a coſmetica præſtantiſſima ex ☿iô dulci ritè præparatô c. ▽ album. ovor. & phlegmate ☉is probè invicem mixtis facta, contra Impetiginem rubram, Morphæam & guttam roſaceam aut faciei puſtulas alias vultum dedecorantes, quæ ut tunc feliciter operationem ſuam exſerit, & nervorum illorum ſeu macularum turpitudinem approbè abſtergit, ita etiam intrinſecus ſumta hæc aqua fortè eandem abſtergendi efficaciam exhibebit, & colluviem excrementitiorum humorum ex delictô tam primæ quam ſecundæ coctionis in corpore redundantium oppidò educet: Quicquid ſit, tutò utique hujus rei periculum inſtitui poterit, neque dubitamus ☿iale hoc laxativum expectationi noſtræ tunc ex votô reſponſurum. Cæterum tanquam appropriata contra Atrophiam pulvis antihecticus Poterii, & contra cachexiam pulvis cachecticus Quercetani, ut & remedia ex ♂ ac ♀iô parata quævis in utroque caſu utiliſſimè dabuntur.

CAPUT

CAPUT LXII.

De
Hydrope & ejus ſpeciebus.

§.1. CApite ſuperiori vidimus, originem hydropis ex Cachexiâ & atrophiâ; jam verò peculiariter tractandum eſt de Hydrope ipſo: Ut autem ritè hydrops cognoſcatur, dicimus eum eſſe tumorem p. n. vel particularem vel univerſalem omnium membrorum, à vitio nutritionis ortum ducentem, quod nutritionis vitium dependet ab illaudato, depravato & malè in hepate propter ejus obſtructionem & debilem calorem nativum ſpiritumque cocto ſanguine.

§ 2. Nempe vitium hepatis ex ejusdem obſtructione ſemper in hydropo ſubeſt: unde hinc malè coquit hepar chylum à ventriculo per venas meſaraicas ipſi demandatum, atque ſeroſitates & viſciditates quàm multas una cum ſanguine pauco producit; Jam quod hinc laudati adeſt ſanguinis, à partibus tanquam alimentum adſumitur, unde aliqualiter nutriuntur, quod verò ſeroſum ac viſcoſum eſt, à facultate expultrice ſeu ſpiritu impetum faciente, ſanitatis œconomo rejicitur, ac demandatur per poros ſeu inſenſibiles canales ad abdominis capacitatem tanquam partem minus nobilem, ut ibi per poros tranſeat, vel derivatur in inteſtina ac veſicam, ut iſthic foras propellatur: Si itaque, prout ſæpiuſculè contingit, pori ac meatus dicti à viſcidis ſeroſitatibus illis occludantur, & propterea iſtæ non rejiciantur, tunc venter intumeſcit, & ſic hydrops oritur.

§.3. Ex debilibus renibus etiam hydropem provenire ſuſpicor: Dum enim aquam ſuperfluam ſanguinis hinc non attrahunt, ſcrotum, crura & tibia, ac per conſequens thorax, brachia & manus tumeſcunt, & ſic totum univerſumque corpus turgeſcit ſeroſitatibus atque viſciditatibus illis p.n. ex digeſtione ſanguinis illaudati non peracta collectis, qui cum omni ex parte digeri, & in partem, ad quam demandatur, converti neque, tunc ibi tanquam excrementum relinquitur, & ſic ab excremento illo ſeroſo viſcoſoque corporis partes intumeſcunt, ſiquidem ab hujuſcemodi excremento illæ nec nutriri, neque hoc à facultate expultrice tunc minus robuſtâ foras per poros inſenſibiliter amandari poſſit.

§.4. Cum autem excrementa hæc, quæ ex nutritione partium ab illaudato ſanguine ſeparantur, varia ſint, variæ etiam ac diverſæ ſecundum varietatem horum excrementorum hydropis ſpecies in corpore humano producuntur: ſi enim excrementa illa ſeroſa ſint & aquoſa, hinc hydrops Aſcites fit, ubi plurimum aquæ coacervatur; aſt ſi aquoſæ iſti materiæ accedat flatus ſeu ventus copioſus, tunc generatur tympanites ſecunda hydropis ſpecies: Nam calor natu-

ralis & ſpiritus æthereus, ſanitatis humanæ miniſter & Archeus ex tenui illa aquoſâ materiâ, dum illam reſolvere tentat, flatus ventosque excitat; ſin verò excrementa illa viſcida ſint ac tenacia multum ſeu craſſiora, neque aquoſam ſimplicemque materiam redoleant, tunc eſt Anaſarca, tertia hydropis ſpecies.

§.5. Sunt etiam inter Chymicos quidam, qui alias duas hydropis ſpecies conſtituunt, non quidem ex diverſitate excrementorum alia, quæ ex illaudato ſanguine produci poſſent, ſed ex loci diverſitate, ubi hæc excrementa coacervari, & tumorem hujuſcemodi aquoſum ventoſumque efficere queunt, veluti in Capite, quod etiam ab excrementis illis tumeſcere & Hydrocephalus iſte tumor vocari poteſt. Sed omnes hæ hydropis ſpecies, ut & aliæ pariter, quæ ex liene vitiato exoriri poſſunt, ad tres illas ſuperiores, nempe ad Aſciten, Tympanitem & Anaſarcam reduci, nec non ſimilibus ac iisdem remediis curari queunt. Ergo de his nihil amplius dicemus, ſed tantum remedia illa enumerabimus, quibus hydropis has ſpecies curari poſſe putatur.

§.6. Curatur igitur omnis hydrops probè roborando hepar & ejusdem obſtructiones cunctas tollendo. Roboratur autem illud ſummoperè ac reſervatur obſtructum Eſſentiâ ☿iali: ☿ius enim in centro ſuo continet aquam, quæ cætera elementa continet; cujus ope omni ex parte hepar reficitur, ita, ut ſi hæc habeatur aqua, alio medicamento haud opus ſit.

§.7. Si autem hâc aquâ careas (admodum enim difficilis factu eſt) poteris uti ♁iô noſtro purgativô ſuperius præparato, quo ter aut quater repetitis doſibus hujus ♁ii corpus purgandum eſt. Eſſentia etiam ♃ ad eosdem uſus valet, ut & oleum ♂; aperit enim omnes obſtructiones, ac hydropicorum aquas in ▽ communi laudati fontis aſſumtum oppidò deſiccat: Oleum ⊕ quoque hepati roborando ſummopere prodeſt, item ⊙ ſudorificum valet multum; quin & ☿ius laxativus hydropicorum aquas educit, easque ſiccat & hepar reficit.

§.8. ⊖ abſinth. ⊖ corallor. & Rª eorum, nec non omnes Eſſentiæ metallicæ curando hepati læſo valdoperè proſunt, ac proinde omnes hydropis ſpecies his Eſſentiæ metallicis curari queunt, quod baſin & fundamentum ☿iale habeant, cujus ſolius virtute & energiâ hepar & lien omninò reſtauratur: Eſt enim Eſſentia ☿ialis vitæ noſtræ fundamentum.

Animad-verſiones.

Ad §. 1.

INnotuit jam nobis ex præcedente Capite Atrophiam pariter atque Cachexiam ſeminium illi præbere morbo, qui ab aquoſo ſqualore, languore & tumore

more nomen accepit, atque hydrops ſeu hydropiſis communi titulo audit. Cæterum Autoribus ſolenniter uſitatum quidem conſpicimus, hydropem inter hepatis ſymptomata recenſere, quatenus à pravo & malè in jecore confecto ſanguine prava fit nutritio partium, quæ ad hydropem omninò diſponit; attamen veros in magnitudine morbos omnis generis eſſe hydropes, ſive univerſales illi ſint ac totum corpus aqua turgidum reddant, ſive particulares, ſeu partem aliquam corporis duntaxat tumere faciant, nullum penitus eſt dubium: Unde etiam hydrops per tumorem vel totius corporis vel partis alicujus præſertim tamen abdominis p.n. ob humoris aquoſi & ſeroſi colluviem vel flatuum quoque collectionem, exortum definiri ſolet: Imò non unus eſt morbus hydrops, ſed complicatus: Præter magnitudinis namque crimen viſcerum intemperies quoque utplurimum, quandoque etiam eorum corruptio ac malignitas adeſt; nec minus conſpicua inſuper obſtructionum catena tunc exiſtit, ſine qua nunquam eſt hydrops, ut in progreſſu id patebit.

Ad §. 2.

Non aberrant à veritatis orbita, qui obſtructionem omnis propemodum morbi proprietatem continere ſtatuunt, ſiquidem vel à poſteriori & curandi quosvis morbos promtitudine id colligere liceat, quam nobiliora deobſtruentia & aperitiva ſpagyrico ſtudio parata præſtare ſolent: Quo ipſo etiam nomine hujus virtutis remedia, & quæ obſeratos meatus obſtructaque viſcera generoſè aperiunt, in hydropis, qui afflicti alioquin vitam non in exiguo diſcrimine trahunt, accelerandâ curâ magnificum commodum afferunt. Ergo ut obſtructiones inprimis contumaces putredinis & depravationis indubitatas cauſas eſſe novimus, ita vitium ſanguificationis & ſcaturigo culpati ſanguinis hinc protinus eſt in propatulo. Verum ut velut in ſpeculo perſpicere & capere queamus modum fiendi, & quomodo ſucceſſus ſuos apiſcatur hydrops, ejus hiſtoriam quantum quidem ingenii noſtri tenuitas eam tam conſequi quàm exprimere pterit, compendioſè planè ratiocinio trademus, exponemus: Hâc enim opellâ fortaſſis non adeò infeliciter ſic exantlatâ tale exinde nobis ſuccreſcet commodum, ut Autorum vepricoſos & intricatos labyrinthos, quibus hydropis veram cognitionem & naturam reddiderunt difficillimam, faciliori conatu ſuperare, & verum à falſo ritè diſcernere valeamus. Fundamentum hujus doctrinæ iterum à canone illo in Medicina tritiſſimo petendum erit: Vitium coctionis immediatæ non emendari poteſt in ſecundâ, longè minus in tertiâ. Itaque hinc deſubito & inſuper colligimus, cauſam vitiatæ coctionis ſecundæ ſeu pravæ ſanguificationis potiorem dependere plerumque à culpa primæ coctionis ſeu malæ chylificationis, & cauſam læſæ tertiæ coctionis (in qua ſanguis pro qualibet partis indole peculiariter ac ſpecificè præparandus, digerendus ac coquendus,

 ulti-

ultima verò coctione adornatus partibus nutriendis aſſimilandus eſt, quod negotium nutritionis nomine exprimitur) eſſe vitium ſecundæ ſeu nequiter in hepate confectum ſanguinem, qui atrophiæ & Cachexiæ, ut ſuprà percepimus, columna exiſtit. Stat igitur ſententia ex mala chylificatione non tantum officinam & ipſum ſanguificationis viſcus (quod à glutinoſa viſciditate vitioſi chyli obſtruitur & intemperatum redditur) verum etiam munus ejusdem ſeu ſanguificationem manifeſtè depravari. Ex corrupto autem ſanguine, qui tanquam cibus & nutrimentum catholicum ad quodlibet corporis membrum ac locum poſteà pervenire debet, quid ſperandum, in oculos ſtatim incurrit: Nempè inquinatum in prima & ſecunda coctione nutrimentum in tertia eò magis corrumpitur, quo certius eſt paulò ante citatum axioma. Si itaque indigeſtus & multis inquinamentis viſcidis aquoſiſque ſuperfluitatibus contaminatus ſanguis ad partes nutriendas vel vegetandas ſic transmittatur, virtutem & calorem naturalem, qui eſt in quolibet membro, adeò protinus obruet, lædet atque debilitabit, ut nec officio ulterioris digeſtionis, ac puri ab impuro ſeparationis neque etiam expulſionis decenter fungi poſſit, unde colluvies & congeries excrementitiarum ſuperfluitatum, quæ ſucceſſu temporis & increſcente putrefactione magis magisque colliquantur & aquoſiores evadunt in partibus omnibus, quæ malè & infauſtè ſic nutriuntur, luculenta ratione ſuboritur, atque per conſequens hydrops hinc ſuos natales accipit. Ut itaque hanc de hydropis origine ita ſermocinandi rationem rectius adhuc capere poſſumus 1. notandum eſt, non de levi aliqua ſanguinis depravatione vel perfunctorio ſanguificationis vitio, ſed de magno & continuato hîc cogitandum eſſe, 2. ſciendũ eſt, quod abdomen ac pedes in hydrope potiſſimum intumeſcere proptereà ſoleant, quod in abdomine (hinc aqualiculus etiam id dicitur) alioquin lateat excrementorum ſentina, & aquoſus tunc adeoque minus ſpirituoſus ſanguis utpote gravis deorſum magis ſua natura tendat, adeoque pedes confeſtim captet, 3. quod tumor ille aquoſus inter cutem cumprimis reſideat, hanc adducimus cauſam: Nempè interiora ſemper magis calent, ut hinc aquoſa illa ſuperfluitas reſoluta ad circumferentiam & exteriores ſeu ſubcutaneas partes propellatur; ſed cum ex adverſo exteriora tunc magis frigeant, & humor iſte aquoſus, utpote à colliquatione & corruptione natus, nec non à ſanguinis conſortio jam excluſus, adeoque extra vitæ ſocietatem ſemel rejectus, jam cadaveriſatus ſeu vitæ privilegio ſpoliatus ac proprio pondere gravatus ſit, ſpiracula cutis ſeu pori ab eo potius obſtipantur rigidique redduntur, imò ob putrilaginoſam viſciditatem, qua inſimul is pollet, pertinaciter occluduntur, donec repleta his aquoſis ſeroſitatibus corporis noſtri circumferentia interiorum & ipſius centri quoque contingat inundatio, atque hanc conſequens ſuffocatio.

Ad §. 3.

Ad §. 3.

Anteceſſores noſtri, qui ex oculatioribus fuerunt, luculentis experimentis & autopſiæ (quæ in hydropicis cadaveribus hepar ſemper affectum fuiſſe reapſe & non uno exemplo refutavit) teſtimonio jam pridem comprobatum dederunt, hepar in hydrope haud perpetuò accuſandum, quùm ſoli renes eorumque obſtructio ac debilitas hanc aquoſæ ſuperfluitatis ac cumulatæ ſeroſitatis in ſanguine redundantiam parere non raró ſed frequentiſſimè ſoleat: Si enim officium renum debitâ lance perpendamus, illis incumbere ex Anatomicis monumentis videbimus, ut ſanguinis ſint purgamentum: Cùm enim ſerum & aquoſitas omnimodè ſit inepta nutritioni, Natura hîc locorum condidit vaſa emulgentia, quæ ex ſanguineâ maſſa tam venoſa quàm arteriali aquoſam ſeroſitatem, quã anteà ſanguis tanquam vehiculo ſuo utebatur, adſurgere & expurgare tenentur: absque enim hâc ipsâ ſequeſtratione ſi eſſet ſanguis, haud foret hominum diuturna vita aut proſpera ſanitas. Obſtructis igitur aut aliâ ratione infirmatis renibus, ut ſerum abducere non valeant, & in officio ſuo ſegnes eſſe cogantur, certiſſimum eſt, ita cumulari in ſanguine hanc ſuperfluæ & luxuriantis ſeroſitatis aquoſitatisque excrementitiæ malitiam, ut propterea aquoſiſſimus omnimodeque depravatus evadat ſanguis, & Cachexiæ occaſionem præſentiſſimam, atque conſequenter hydropis etiam, qui hujus eſt genuinus filius, effectiſſima primordia vel fundamina potiùs conciliare poſſit; imò non tam poſſit, quàm ſolemniter ſoleat. Ideoque renes affecti quam maximè ſunt in hydrope in culpâ; Id quod vel curandi felicitas, quæ tunc per Diuretica excellentiora (hæc enim inter ſpecifica antihydropica non ſecùs ac aperitiva noſtro etiam judicio potiorem paginam faciunt) inſtituitur, perſuadet: Felices enim hydropicos illos, qui reliquis rectè ſe habentibus & cæteris paribus (illa enim ⊡æ emiſſio, quæ vigilantibus ſine ſenſu & invito cum arbitrio fit, funeſta eſſe utplurimum ſolet) cum euphoriâ copioſam urinam reddunt, quod Medicis Practicis in hoc caſu benè notandum. Hæc ipſa cauſæ certitudo vel exinde etiam confirmari poteſt, quod Hydropici in lotio emittendo plerumque Eucliones ac parciſſimos ſe ſiſtant: Ex Helmontio id inſuper diſcimus, hydropem ut à renibus (puta plerumque) fabricari, ſic etiam per illos eum ſolvi ſeu ritè curari, ſi nempe obſtructi decenter & cum virtute reſerentur, aut debilitati confortentur. Hunc textum ſi conferamus & jungamus cum præcedenti ἐκθέσει, tota hydropis eſſentia & natura quàm clariſſima nobis eſſe poterit.

Ad §. 4.

Hydropis propriè ſic dicti, & quatenus tanquam genus in conſiderationem venit, tres ſpecies apud omnes in confeſſo ſunt, quarum prima & maximè famoſa vocatur Aſcites, quod in abdomine non ſecus atque in quodam utre ſeu

amphorâ ſic affecti onus aquoſum gerant: Hâc ipsâ hydropis ſpecie laborantes calamitosâ cumprimis imò clamosâ adeoque implacabili ardent ſiti, ſed nunquam profuturo hauſtu illam lenire conantur: Unde vulpes hydropis onere ſqualida apud Cyrillum in Apolog. moralib. muſtulæ ita ſuum languorem expoſuit: Patior languorem inextinguibilis ſitis, in quo hæc duo potiſſimùm miror; unum eſt, quod cum bibo, plus ſitio; alterum quod miſerabiliter extenuatis vitalibus deforis ſola cutis intumuerit. Cui reſpondit ex Medicinæ fundamento muſtela: Languor ille tuus non ſitis ſed fames membrorum eſt, quæ ſuo cibo & alimento geniali (quoniam tunc ob flammam caloris nativi ſupra modum remiſſam & alias ſuprà adductas cauſas, unde pro ſanguine ▽a generatur, partium nutritio refectioque laudabiliter fieri nullo modo poteſt) adeoque debito incremento in hoc affectu privantur, atque propterea pabulum ſuum arefacta miſereque fameſcentia non immeritò inſigniter concupiſcunt. Ideoque tu errans in hujusmodi judiciô, & appetitus famem corporis, ſitim eſſe perperam putans, dum pro cibô undas porrigis, digeſtivam facultatem adeoque calorem nativum magis magisque potiùs debilitas; propter hoc ipſum etiamſi Danubium ebiberes, minimè hanc ſitim extingueres, quùm aqua illa carnis organa ſubſtantialiter non humectet; ſin verò hydropicus calore naturali confortatus arida membra citò voraverit, mox curabitur. Atque hunc ipſum apologum, quum graphicè & eleganter eſſentiam hydropis depingat, velut obiter ſic adjicere voluimus. Altera hydropis ſpecies dicitur Tympanites, quod militaris adinſtar tympani abdomen valdoperè turgens atque inflatum, ſi digitô percutiatur, reverà ſonitum quendam exhibeat. Ubi id ſtatim monere tenemur, quod in errore vulgari eſt: Sunt enim quidam, qui aſcitem & tympanitem non diſcrepare exiſtimant; quidem verò has ægritudines ita diſtinguere amant, ut Tympanitem ſimpliciter à flatulentia, & Aſcitem à ſolâ aquâ dependere profiteantur; ſed prudentius & juxta veritatis cynoſuram illi ſentiunt, qui in utroque affectu utrumque adeſſe aſſerunt, additô tamen hoc diſcernendi acumine, in Tympanite prædominari ac regnare flatus, qui tamen non ſine aquâ tanquam genitrice ſuâ exiſtunt; aquam autem redundare potiùs in Aſcite, in quò nec flatus, ſub prædominiô attamen aquoſæ ſuperfluitatis, penitùs deficiunt. Tertiam ſpeciem conſtituit Leucophlegmatia, quæ cognoſcitur, quando nimirum tot⁹ corporis habitus cum decoloratione ſubtumidus (unde etiam anaſarca vel hypoſarca vulgò nominatur, quaſi hydrops in carne ſeu habitu) & albo phlegmate plenus deprehenditur. Atque hæc ipſa ſpecies ad malum chronicum refertur, quod materia peccans in totum corporis habitum ſe jam inſinuaverit atque profundiores radices egerit.

Ad §. 5.

Cum præter has jam explanatas tres hydropis ſpecies Chymicis potiſſimùm alias inſuper duas adſcribat Autor, planè non capimus, ſiquidem iis ipſis conſuetum ſit, juxta ſua principia, nempe ⊖, 🜍 & ☿ium, morborum cauſas æſtimare, & proinde chymicum id demum vocitandum, aut Chymicis peculiariter imputandum veniat, quod vel ex iſtis tribus principiis deductum, vel beneficiô pyrotechniæ expoſitum concernitur. Rectius ergo illa ipſa verba (inter Chymicos) in textu omitterentur, quùm hæc particulares hydropes computandi & examinandi ratio ſatis ubique ſit vulgata. Rectè verò hîc docetur, quod juxta loci affecti varietatem quivis particularis hydrops determinetur aut nomen ſuum acquirat: Ad claſſem igitur hanc pertinet hydrocephalus, quem ſuprà jam cognovimus, it. hydrops pulmonum à malâ eorum nutritione vel aquoſô ſanguine ad vitalia hæc flabella regurgitante ortus, porrò hydrops pectoris, uteri, ſcroti &c. ubi de propriô affectu ſpeciatim omninò loquimur, non verò quatenus in aſcite juxta quoque hæ partes replentur, & aqua tunc redundans vel ad ſuperiora ſcandit, vel ad inferiora delabitur: Verùm qui univerſales hydropes & tres illas ſpecies ſuprà declaratas rectè cognoverit & curare calluerit, is quoque particulares non difficulter perſpicere, iisque mederi feliciter poterit.

Ad §. 6.

Sicuti Hippocrates ſolemni canone rectiſſimè monuit, Naturam eſſe morborum aptiſſimam & providiſſimam medicatricem, utpote quæ benigna & ſine doctore docta mirabiles etiamſi nobis incognitas non raró ſibi reperit vias, ut ægros ſervando nempe utilia & expellendo noxia ab intricatiſſimis morbis immunes faciat: Ita etiam Medici, illuſtres Naturæ aulici ſeu officiales (officii namque nomen à Philologiæ Interpretibus præſertim iis tribuitur perſonis, quas neceſſitudo ſuſcitat & ferre opem jubet) ſapienter in morborum curationibus faciunt, ſi nihil ſibi habeant prius, quàm ut Dominæ ſeu reginæ ſuæ placere ſtudeant, eamque, quantum quidem poſſibile, decenti refectione ad alacritatis ſtudia deducant, & ſceptri ſui, ſine cujus valore morbus nullus averruncari poteſt, memorem ipſam obſequioſiſſima ſolicitudine gratisque incitamentis liberè faciant. Et hoc ipſum eſt, quod Autor hîc nobis attendendum quoq; inſinuavit, dum non ſolummodò hepar vel potiùs ejusdem Archeum confortandum, & per conſequens omnium viſcerum naturalium membrorumque præſides corroborandos ſuaſit, verùm etiam obſtructionem illorum quàm celerrimè tollendam ſubjunxit. Quôipsô (cholaſticæ diſtinctioni ac curioſitati, quâ nobis tam illa virium debilitas, quæ à reſolutione calidi nativi ac humidi radicalis contingit, quàm iſta quoque, quæ ab aggravatione utriusque, quam obſtructiones plerumque præſtant, dependet, repetenda venit, Autor hîc affatim ſatis-

ſatisfecit, dum Naturæ per reſolutionem labefactatæ confortantibus ſuccurrendum, & obſtructiones, quæ Naturam graviter obruunt & valdè aggravando ad incitas ſæpè redigunt, accelerato ſubſidiô reſerandas ſuadet. Ergo pergit his commodè præmiſſis ulteriùs & utrumque ſcopum nos feliciter aſſequi poſſe atque ſic quidem pollicetur, ſi ad ☿iale imperium ac poteſtatem provocemus, ut poſteà nullo auxiliô aliô indigeamus, vel alias medicaminis adminiculantes copias nequaquam implorare debeamus. Effatum hoc dubiô ſine ab Helmontiô, quem ſemper veneratur Noſter, mutuum accepit, qui ita infert: Fateor ego, quod votis meis (nimirum in hydrope feliciter curando) ſemper ☿ius ille (puta ſi hermeticè ſeu philoſophicè præparatus ſit, cujus difficilis admodum acquiſitio eſt, inventi tamen duo grana pro doſi ter quaterque exhibita ſufficiunt, ut ejusdem verba habent) obſecundaverit. Et alibi is ipſe dicit: Remedium ex ☿iô ſecuriſſimum à Paracelſo deſcriptum omnes hydropis ſpecies oppidò ſanat, quod ab eo ☿ præcipitatus vocatur. Potiſſimum verò is ☿ius laudatur, qui è ſuâ minerâ mortuus (h.e. minimè currens, quæ præparandi ratio non niſi Philoſophis adeptis nota eſt) educitur, ſub quâ morte ut vita ſplendidiſſima in proximâ potentiâ latet, ita etiam hoc medicamentum Helmontius præ reliquis omnibus approbat & valdoperè commendat, utpote qui ☿ius celeriori faciliorique ratione ad ſuum primum Eſſe deduci, atque exinde vera ac vivificativa Eſſentia parari poſtmodum poteſt. Adeò ☿ialis ille liquor, qui proinde ſolius ▽æ filius etiam dicitur, demum eſt illa ▽a, quæ famem membrorum ſuaviter in hydrope compeſcit atque effectiſſimè eam nutrit, quæ ſitim implacabilem illam ex fundamentô ſedat ac bonâ fide ipſi ſatisfacit: Hoc eſt illud principium, per quod Natura alit omnia, & in quô eſt præſentiſſimus vitæ fomes ac maternum pabulum, blandiſſimumque conſervationis ſubſidium atque fomentum: ☿ialis humiditas ac ſubſtantia ejus delicatiſſima eſt ▽a illa vitalis ſeu humor vitæ, quô propriè nutritur ea ac veluti lactatur, quovè vita, ne pereat, athleticè ſuſtinetur: Hoc ☿iale nectar & aſtrum ſpiritu △eô turget, atque ita in centro ſui △em vitæ ac phœbum ſuum internum reconditum habet, ut calidum nativum, quod in hydrope extremè exhauſtum aut oppreſſum eſt, renovationem ſeu reſuſcitationem ſuam hinc ex ſententiâ ſuſcipere queat. Ut paucis multa dicamus, cum Paracelſo facimus, qui in punctô de rerum omnium conſervatione tam Philoſopho quàm Medico ☿ialem ſeu radicalem illam humiditatem & Lac illud mundi, accuratiſſimè conſiderandum eſſe monet. Hinc etiam Medicorum illi, qui ſublimiori & ſecretiori Philoſophiæ ſeu Iatroſophiæ nomen ſuum nuncuparunt, adhibito ingenio, quo ſemper ad Naturæ leges ſe adſtringere callent, ☿ium, vel ☿iales rectiùs mineras in ſuum primum Ens atque aſtralem Eſſentiam ſeu ▽am ſapientiæ reducere ſtudent, quâ impetratâ habent omninò talem panacæam,

cæam, quâ totum corpus renovare, omnem immunditiem citò expellere, aqueas ſuperfluitates potenter educere, adeoque amiſſas vires ex voto reſtaurare ſeu Naturam debilitatam ad miraculum usque erigere (quæ juxta Helmontium in hydrope jacet penitùs, h.e. impenſè proſtrata eſt) ut novo veluti verè ſub generoſiſſimo & imperſcrutabiles virtutes poſſidente hoc pharmaco vel ſponte reſurgere queat, valent. Verùm multa jam in ſuperioribus de Medicaminibus ex proſapiâ ☿iali parandis nos dixiſſe, atque veluti locos quosdam communes in gratiam eorum conſtituiſſe recordamur, quorum conſideratio ac repetitio hic etiam quadrantem locum habere citra ullam hæſitationem aut exceptionem poterit.

Ad §. 7.

Aſtralia hujusmodi & ex Naturæ ſanctuario depromta medicamenta impetrare non omnibus Medicis conceſſum eſt, atque ad faſtigium nobilioris Chymiæ pervenire potiſſimum eam ab cauſam eſt difficillimum, quod pauci per ſapientiæ ſcalas ad cœlum iter dirigere vel adſcendere, h.e. verum Naturæ genium ejusque poteſtatem & hinc natam poſteà omnium rerum elegantiſſimam catenam ſeriò ſcrutari ac totô ingenii conatu omnibusque animi viribus cognoſcere allaborent, ſed potiùs in verba Magiſtrorum jurare, atque ſic abſurdis, vanis, intricatiſſimisque ſcholarum nugis mordicus inhærere ſpecioſâ quadam vel ſuperſtitioſâ potiùs religione ament. Ne itaque in defectu ▽æ hujus glorioſæ ſeu cœlificatæ Philoſophorum, penitùs deſeratur hydropicus, alia remedia interim excogitanda & accerſenda veniunt, ut Medicus ab hôc ſcandalô liberum ſe præſtare, h.e. hydropem ſanare ſeu microcoſmi hanc inundationem aut diluvium, quod ſi jam factum ſit, plerumque interitum portendit, tollere vel avertere poſſit. Quod igitur ♁ illud præparatum ſeu purgativum Autoris noſtri concernit, de illô toties jam dicta hic etiam nos ſaturare, & ad approbandum ejus in hôc caſu uſum excitare poterunt, modò hydropicus ad ultimam infirmitatis miſeriam adhuc non ſit redactus. Quid quod à Paracelſô hic ☿us vitæ (quem Autor rectè ♁ium præparatum vocat, quia reverà ♁ii partus eſt) omnia viſcera & organa non ſecùs clarificare aſſerat, atque ſtibium purificare aurum alioquin ſolet: Sanguinis enim purpurea aura, cujus ſerenitas ac puritas omnia lætificat membra, non immeritò microcoſmi vocabitur aurum atque ☉aris immunitas, quæ virtute hujus ♁ialis prolis conſimiliter puritatis reſtitutæ beneficium vel exaltationem potiùs accipit: Ubi apprimè notandum, quòd Emeticum hoc hydropicis datum rariſſimè vomitum conciter, quod ⊖ copioſum in colluvie ſeroſa, quâ hydropici tument, ſtabulans vim emeticam corrigat, ſicuti alioquin notum eſt ratione ⊖ium ex emeticis & purgantibus optima

diaphoretica fieri. Oleum ſeu Eſſentiam tam ♃is quàm ♂tis à ſuis viribus in profligandis vehementioribus aut contumacibus valdè morbis jam ſæpiùs decantavimus, ubi pariter adſcribimus præſidia ex regnô ♂tis deſumta palmam in reſeratione obſtructionum & corroboratione viſcerum ſanguificationi deſtinatorum cum applauſu probatæ experientiæ ſibi vendicare, & inter Epatica atque aperitiva inſignia regalem locum obtinere. Ad hanc ipſam quoque claſſem pertinet 🝆 ⊕li præſertim ♂tis vel ♀ris, quod eò potentiùs aperiendi virtutes exhibet, quò magis ad dulcedinis ſuavitatem eſt perductum: Modus verò non unus id præſtandi videatur apud Schröderum in Pharmacop. qui ex Autoribus probatioribus quasdam dulcificandi hoc 🝆 rationes ſolicitâ curâ congeſſit. Aurum ſudorificum à virtutis maximæ, quam in corroborando calidô nativô ac convocando laudatô ſanguine obtinet, majeſtate aliquoties jam nobis commendatum fuit. Magis tamen in hôc caſu ſpecificum erit Bezoardicum ſeu ſudorificum ♂tiale, cujus præparatio ex Crolliô & Agricolâ aliisque jam nota eſt. Nobile & ſecretum ſelectiſſimumque Diaphoreticum denominavit quoque Helmontius his verbis, quæ adſcriptu digna eſſe cenſemus: Obſervavi, nimirum inquit ſi ☿ium in liquorem (h. e. ut ego quidem interpretor, ſi butyrum exinde fiat) ac poſtmodum in pulverem vertatur (ita ut ☿ius vitæ hinc l. a. impetretur) qui tantùm per ſudorem purget (quod beneficiô ori effici poterit, eô planè modô, quo ☿ium diaphoreticum vel etiam Bezoardicum minerale ſimplex communiter parari ſolet) tunc habebitur remedium, quod omnem hydropem modeſtè (ſuaviter puta atque inſenſibiliter) citra ullum recidivæ metum tollit: Et hoc medicamentum ☿ius vitæ bezoardicus ſeu Magiſterium ☿ii diaphoreticum noſtro quidem judicio rectè nominabitur. Sudorificis autem ſuas laudes in ſanando hydrope nequaquam denegandas eſſe, exemplum hoc ante paucos annos nobis obſervatum oppidò confirmabit: Ruſticus quidam isque pauperculus hydropico malo graviſſimè & quaſi deſperatè laborabat, adeò ut nunquam non ſuffocatio hinc ingrueret; Is autem quùm unicè hoc in deſiderio haberet, ut vehementiùs duntaxat ſudare liceret, exinde non incertum ſibi pollicendo levamen, fortè fortuna animadvertebat vicinum panibus pinſitandis occupatum, & propterea in hoc probè calefacto clybano ſe conſtitutum avidè exoptabat. Poſtquam itaque negotium hoc furnarium tunc expediverat vicinus atque hinc diſceſſerat, ille ex casâ ſuâ prorependo ſe totum furno illi tolerabiliter ſed ſatis adhuc fervido cum veſtibus immiſit, capite duntaxat exſerto & foramine clybani linteis benè munito, ne ♎s frigus irruere & furnarium calorem tám citò dispellere poſſet. Indulgens per trihorium ſudori effuſiſſimo, ita ut animi deliquium hinc immineret, ſemimortuus quaſi ſed onere aquoſo tamen liberatus fuit extractus, lectoque exutis veſtimentis, quæ hydro-

hydropica quaſi & undiquaque madidiſſima facta erant, impoſitus intra paucos dies cum proſperâ valetudine plenariè in gratiam rediit, & adhuc in vivis ſine ullo veſtigio hydropis exiſtit. Ut itaque per ſudorem confertim provocatum cauſa materialis hujus ærumnæ oppidò ſic ſublata & infauſta aqua hæc deſiccata fuit, ita etiam ſuffitus ille confortativus, quem panes in furno cocti reliquerant, hîc ſicco pede nullo prætereundus eſt modo, utpote qui apertis per ſudorem poris ad interiora corporis libero paſſu ſe penetrare, ſpiritus vitales (cum quibus immediatum contactum ſervant odores) egregiè confortare, ac per conſequens famelica membra reficere aut balſamico velut nutrimento ſuo præſtabiliter recreare, h. e. vitam citò attingere, & in eâ puritatem ſuavitatemque præparare ſic potuit. Veriſſimum adeò eſt, quod Helmontius dicit, altiora eſſe ſuffituum præſidia, quàm ut hoc vulgò æſtimari ſoleat: Odoramentis enim plurimorum fiunt morborum ſanationes, quod ex illis vires & robur maſculum ſcaturiat. Et quamvis pauci fidem adhibeant Helmontio aut intelligant ejus effatum, quo odorem eſſe fermenti ſymbolum, & ſeminariam transmutationis cauſam continere illum ſtatuit, tamen ſi penitus id conſideramus, hoc veriſſimum & ex ipſo Naturæ ſinu depromtum eſt. Videre etiam hinc velut obiter licet, cur ſemel exuto pharmaci odore vires ejusdem penitùs etiam pereant. Cæterùm de ☿io laxativo idem ſentiendum, quod in calce capitis præcedentis tam ab Autore quàm à nobis monitum fuit; ſicuti etiam ☿ius ritè rectèque dulcificatus tutò ac utiliter hydropicis porrigitur.

Ad §. 8.

⊖ abſinth. afflictum hepar peculiariter ſolari, ſerique diluvium quaſi inſenſibiliter ad minimum tamen vi ſuâ diureticâ per vias urinarias copioſè educere, ab Autoribus experientia id juxtim comprobante adſeritur; quâ occaſione etiam audiviſſe nos meminimus, quod non nemo ſolo ⊖e abſinth. frequentiùs exhibito (ubi notandum, quòd eodem ⊖e abſinthiaco loco ⊖is communis tam juſcula atque edulia reliqua, quàm potulenta, quibus paſcendus ac ſuſtentandus eſt hydropicus, condiri atque impraegnari debeant) hydropem exoptato ſucceſſu ſe ſanaſſe affirmaverit: Ad claſſem illam ⊖ fraxini, ſtipitum fabarum, cichor. tiliæ, ebuli, ſambuci, præſertim verò florum geniſt. ac hyperic. recenſeri omninò merentur, quorum uſus etiam cum & in Vino quotidianus tunc eſto. Tenuioris fortunæ hydropicis cineres dictarum ſpecierum præſcribuntur, quibus, ut illos ſacculis ſeu nodulis comprehendant, atque ſic cereviſiæ immittant, poſtmodumque infuſum hoc aſſiduò bibant (potus enim ſic innocens non ſolùm, ſed & ſaluberrimus redditur, ut tutò tantum potare, quantum allubeſcat, poſſint) imponendum eſt. Socer meus deſideratiſſimus D. D. Paulus Macaſius, magnæ famæ quondam Chymiater, cineres ſummitatum juniper. prædicto modo in

cereviſia pro egenis, ditioribus verò in Vino per infuſionem uſurpandos cum feliciſſimæ efficaciæ fructu commendavit. Cum prænominatis ⊖ibus vegetabilibus (unum vel alterum eligere aut jungere quædam penes Medicum vel ægrum erit) fieri poterit l. a. ſpiritus ⊖is coagulatus & ad cryſtallinum ſplendorem perductus; ſic enim nanciſci illa ⊖ia cum gratiore ſapore faciliorem penetrabilitatem queunt. 🜿rus ⊖latus ut & ✱ ter♎atum vel flores ejusdem præſertim ♂riales conſimilem operando felicitatem exhibebunt. Majoris autem virtutis excellentiam præſtabit ⊖ corallior. ſicuti etiam ℞a ſeu vera Eſſentia eorum, utpote quæ ambo non tantùm nobiliorum diureticorum atque eorum, quæ obſtructos ductus effectiſſimè aperiunt, familiam effatim adornant verùm etiam prætereà balſamum nativum generoſè exaltant, tantæque in mundificando depurandoque univerſô corporis ſanguine Coralliorum vires ſunt, ut omnibus morbis ex corruptô ſanguine prognatis mirificè ac præſentiſſimè medeantur: Ex perquam autem depravatô ſanguine oriri hydropem, hactenus ſufficienti notitiâ percepimus. Tandem cur omnes Eſſentiæ ex metallis hermeticô artificô extractæ intentionem Medicorum in curâ hydropis tantoperè fortunent, ipſe Autor dilucidè atque ex fundamentô ☿ialis aſtri tradidit, veluti uberiorem hujus negotii declarationem notæ ſeu ſcholia noſtra ad §.6. ubertim ſubminiſtrare poterunt. Reſtat ſaltim, ut quæ in hydropis curatione nos facienda exiſtimemus, & quæ in Praxi noſtra deprehenderimus comprobata, pauciſſimis nunc quoque adſpergamus potiùs quàm apponamus. Noſtri & ſuprà aliquoties nominati Clyſteres ante omnia ſpecificè hîc conveniunt. Pilulæ catholicæ noſtræ ♂riales ſemel in ſeptimanâ uſurpatæ ſalubritatem ſuam abundè hîc nobis probarunt: ſæpius hydropes etiam factos ſolô ſpiritu cephalicô noſtro quotidiè aliquoties datô felici auſpiciô curavimus, ſed etiam tamen ut pro una doſi 80. vel plures quoque guttas præbuerimus, & id quidem in die 3. vel 4ter, prout poſtularet neceſſitas: Horis matutinis in juſculô carnis, in quô ſemper aliquid de radice Irid. noſtr. vel etiam Florentin. (quæ inter ſpecifica antihydropica alioquin reputantur, ſicut etiam radix bryon. quam Helmontius aſſerit optimum eſſe hydragogum, modò virus ſolutivum ab eâ auferatur) decoctùm erat, laudatum hunc ſpiritum porreximus. Solô hoc ſpiritu ante hos 10. annos vir quidam deſperatô hydrope decumbens intra menſtruum ſpatium ſub ſollicitudine noſtra ex votô convaluit. Potio noſtra panchreſta it. ℞a noſtra contra calculum, quæ excellenti ▣am ſtrenuè provocandi facultate pollet, ℞a ♉ii & ♂tis utraque noſtra, ſpiritus noſter philoſophicus ſeu aſtralis, Eſſentia pini vel ſummitatum juniperi, & alia non immeritò hîc quoque adhibentur, utpote quæ raro deſiderium noſtrum, modò Natura pauliſper ſaltem cooperari valuit, deſeruerunt.

CAPUT

CAPUT XLIII.

De

Morbis ex cyſti fellis, & primò de Calculo, qui in eâ producitur.

§. 1.

QUi folliculum fellis exiſtimarunt, cyſtim ſeu thecam excrementi cujusdam ex hepate vi excretrice à ſpiritu hepatis cuſtode hûc demandati, toto cœlo errarunt & omninò hallucinati ſunt: Adeò fel non eſt excrementum, ſed verus vitæ theſaurus ac legitimum ſanguinis ſeu vitalis liquoris balſamum.

§. 2. Deus enim & Natura non fecit vaſa propria in corpore humano ad recipienda excrementa; quod ſi verò Veſicam admittamus ad recipiendum lotium, reſpondemus [illegible]am non eſſe merum omninò excrementum, niſi poſtquam penitus ſeparatum fuerit à ſanguine, cui anteà inſerviit, ut per omnes corporis partes tenuitate ſua deferri potuerit.

§. 3. Ultimò autem transmittitur in Veſicam, uti hic loci ultimam præparationem ac ſeparationem recipiat, atque adhuc ibi Naturæ inſerviat, quò ſuis ſpiritibus ſatis volatilibus partes ſpermaticas irritet ad ſperma ac coitum neceſſarium ſuſcitandum; unde etiam Veſica in mediis partibus ſpermaticis collocata eſt, ut ſpiritibus in [illegible]â contentis partes ſpermaticas ad orgaſmum ſeminis excitet: Quæ ipſa etiam cauſa eſt, quod in orgaſmo illo ſeu voluptatis thyrſo urina nunquam ad ſui excretionem urgeat, niſi demum poſt coitum & orgaſmum ſpermaticarum partium.

§ 4. Adde quod aves omnes ac piſces etſi potent & mera vivant aqua, veſicam non habeant, ut excrementum potus & cibi in eam deponant; quod evidens ſignum eſt, [illegible]nam omnino ſeu ſeroſum humorem, qui ex ſanguine ſeparatur, non eſſe merum excrementum, cum in avibus omnibus ac piſcibus potius transferatur ille ad enutriendas avium piſciumque partes. Non ergo fecit Deus & Natura receptacula propria ad excipienda corporis humani excrementa, ſed ipſa rejiciuntur immediatè, poſtquam ab humore alimentitio ſeparata ſunt, & niſi ſeparentur, morbi inde fiunt.

§. 5. Error ergo eſt ſummus felleum humorem, qui in folliculo ſeu cyſti illa continetur, eſſe excrementitium ac rejectaneum, ſed potius liquori vitali eſt neceſſarius ac Naturæ humanæ valdè inſerviens; unde hepati ſubſternitur, in quo morbi quamplurimi exſurgere ſolent ex excrementis, ſi ea in jecore ob vi-

tium aliquod detineantur ; pariter in ciſta fellis per multi exoriuntur morbi ab excrementis ejuſdem, quæ in ea generantur.

§.6. Liquor ergo felleus non eſt flavæ bilis excrementum, etiamſi ſit amarus, ſed eſt aliud quid & omninò diverſum, nec non à bilis natura alienum. Eſt autem folliculus fellis viſcus naturale, quod proprio & innato ſuo calore ac ſpiritu inſito fabricat felleum ſuum liquorem vitæ noſtræ omninò neceſſarium, ſine quo nullum animal vivere poteſt.

§.7. Eſt enim fel omnibus animalibus datum, exceptis aſinis, unde etiam tarditas eorum ac ſtupor, quod ſanguis iſtorum ac membra ſpiritu felleo non ferveant, qui tenuitatem ac ſubtilitatem in ſanguine & membris producit. Ex vitiis igitur liquoris fellei, qui in iſta ciſta continetur, producuntur morbi varii ac potiſſimum calculus, de quo jam nobis eſt dicendum.

§.8. Calculus, qui producitur in ciſta fellis, non ex diverſis diſtinctisque, ſed ex iiſdem ac ſimilibus cauſis materialibus & efficientibus provenit, à quibus calculus in renibus ac veſica aliisque corporis partibus producitur.

§.9. Quales verò ſint iſtæ cauſæ materiales & efficientes, indagatu ſcituque difficilimum certè eſt, quum cauſæ iſtæ in ſcholis Galenicorum notiſſimæ ſint ridiculæ prorſusque inanes ac vanæ: Pituita enim non datur in corpore, nec frigus actu in corpore viventi, quorum medio calculus ſuccreſcat in corpore humano, ſiquidem calor vitalis ubique vigens florensque frigus actuale ex omnibus partibus prorſus eliminet, nec pituita etiam ab iſto calore, ſi eſſet in corpore, coagulari in calculum poſſit.

§.10. Inveſtigandæ ergo ſunt aliæ in corpore humano calculi cauſæ, quacunque etiam in parte is producatur. Si itaque calculus reperiatur in veſicula fellis, oportet ut in loco hujus ſuæ nativitatis tanquam utero reperiatur & materia calculi & coagulator hujus materiæ in calculum.

§.11. Materia autem calculi eſt liquor terreus ſeu ▽a quædam craſſa & viſcoſa, ſpiritu quodam ⊖is volatili ac △eô tanquam coagulatore ſuo in lapidem ſeu calculum, ubicunque etiam locorum materia hæc ac ſpiritus inter ſe agentes ac penetrantes reperiantur, concreſcere poteſt. In veſica igitur fellea eadem hæc deprehenditur ▽a craſſa ac viſcoſa valdè unà cum ſpiritu ⊖is ac ſpiritu ☿ii balſami naturalis, qui ubique reperitur, & ex ſpiritu ☿iali ⊖isque alimentorum omnium ortum habet: Ex hàc nempe materia & agentibus ritè diſpoſitis in veſicâ felleâ calculus generatur, ſed in quibusdam tantum hominibus, quia non in omnibus talis hujus materiæ & agentium diſpoſitio reperitur, ac proinde non in omnibus etiã talis hujus calculus in hac veſicula generatur, utut etiam is in renibus atque veſica urinaria tunc progenitus ſit, veluti infrà in Capitibus propriis de renum & veſicæ calculo id videbimus.

§.12.

§.12. Ut ergo generatio calculi in ſalliculo fellis impediatur, ſpiritus ⊖is balſamici eſt humectandus, ne ſiccitate & caliditate ſua terram volatilem ac diſſolutam in centro liquoris fellei coaguler & in lapidem convertet: Non enim omni ex parte auferri poteſt hic ſpiritus, utpote vitæ noſtræ neceſſarius, ſiquidem ſpiritus vitæ noſtræ, ſpiritu hoc alimentorum balſamico enutriatur atque foveatur, dum immiſcetur vitæ noſtræ ex alimentis, quæ ad hujus reſtaurationem adſumuntur.

§.13. Aſt ſæpiuſculè in quibusdam naturis nimium & ita copioſus abundat, ut tam copia ſua, quàm calore atque ſiccitate ſua innata, cùm non poſſit omninò in ſpiritum vitæ noſtræ ac ſanitatis œconomum mutari, lædat potius atque 🜃as volatiles inutileſque liquorum balſamicorum coagulet in lapides, præſertim vero in renibus & veſica, quibus hic ſpiritus & 🜃a illa volatilis copioſior ineſt.

§.14. Quocirca non cogitandum eſt de auferendo penitus hoc ſpiritu, quia ſingulis diebus cum alimentis noſtris irrepit in Naturam noſtram, ſed meditandum eſt de humectando & in ſolutione ſua ipſum continendo coërcendoque: ſi etenim ſic humidus maneat ac ſolutus, ita ut ſiccitas ejus naturalis atque calor non prævaleat, tunc nullo pacto coagulatur, ſed potius juvat ac prodeſt ſolvendo materias illas coagulabiles, atque ſic impedit, ne fiat in homine lapis vel calculus: Quæ demum eſt vera & tuta via calculi in omnibus corporis partibus impediendi.

§ 15. Ideoque ∇a ☿ialis & ſpiritus ☿i cum natura ſua & humiditate radicali, qua pollet, omnia humectare & à repagulis coagulationis vindicare ſoleat, ſummum curandi calculi facti & impediendi, ne fiat, eſt arcanum: Id quod Alchymiæ Patres excogitarunt, qui calculum tam veſicæ quam renum ∇a illa ſeu ſpiritu ☿ii ſic ſolvere, ac ita in primam ſuam materiam reſolvere docent, qui ita reſolutus calculus humanus, imò & lapides alii, qui in microcoſmo reperiuntur, ſoluti ſeu in primam materiam ſolo hoc ſpiritu redacti poſteà arcanum curandi calculi veriſſimum præbent.

§.16. Sunt alia etiam in rerum natura, quæ miram hanc ex natura proprietatem habent, veluti eſt liquor betulæ arboris, qui virtute ſua ſpiritum balſamicum noſtrum calculi coagulatorem radicali humore ſuo mirificè humectat, & ſic impedit, ne ſiccitate ſua ac calore inutiles & volatiles humorum noſtrorum ſordes coaguler. Deinde ℞a panis ſecalitii, poſtquam panis ille putrefactioni in fimo equino per 40. dies ſubmiſſus, cum ſpiritu X rectificato extracta, & poſt hujus ſpiritus Xi ſeparationem ad mellis conſiſtentiam redacta, mira eſt ad humectationem ſpiritus calculi coagulatoris medicina.

§.17. Porrò ℞a ⊡e humanæ eſt ſummum quoque curandi calculi ſecretum: Deſtillatur nempe Urina humana lentiſſimo △e ad ſiccitatem usque, fæcibus

bus his ſiccis & non combuſtis affunditur ſpiritus Xi rectificatus, & ſic ejus extrahitur Ra, quæ cohobiis multis & deſtillatione ſæpius iterata eſt rectificanda, atque à nidore ſuo ſic liberanda; propinatur ad ʒj cum ▽is appropriatis & calculo diſſolvendo convenientibus. Urina etiam, quæ reperitur in fœtu recentiſſimè nato & quidem in hœdulis vitulisque ſtatim epota, eſt ſummum diſſolvendi calculi in omnibus corporis partibus remedium, quod inſuper aptitudinem gignendi calculi in renibus, veſica, & aliis partibus cunctis tollit.

Animadverſiones

Ad §. I.

ANatomicum examen de veſiculâ biliariâ hîc celebrare ac inſtituere noluimus, ſed ad principia & fundamenta nobiliſſimæ hujus ſcientiæ potius provocamus, quæ cumprimis à Neotericis (hi enim ſplendidioribus longè, ac Priſci fecere, incrementis ornarunt & illuſtrarunt Anatomen, famigeratum illum Artis Medicæ ocellum) tradita ſtructuram ejus ſingularem nec minus admirabilem ad nutum declarabunt. Ideoque documenta hæc cum omnibus anatomicis circumſtantiis tanquam optimè jam nobis cognita præſupponimus, & brevibus uſum felleæ hujus cyſtellæ à Dogmaticis hactenus aſſertum adducimus, ut quid ſeriò ſtatuendum de eo ſit, aut quid ſibi velit in hac ſua de felle doctrina Autor, exactius percipere, verumque à falſo poſteà diſcernere poſſimus. Communi & tritiſſima omnium fermè ſententia eſt, Naturam propterea hanc cyſtim condidiſſe, ut excrementum tenue & amarum ſecundæ coctionis, nempe bilem ab Archeo hepatis hûc depulſam exciperet; quod ipſum ſat ſpecioſo ſimili dilucidatum eunt: Quemadmodum, inquiunt, agricolæ lupinos ſerunt in agros, ut ſuccum amariorem ad ſe rapiant, quò dulcis tritico ſuperſit in alimentum; ita Natura hoc receptaculum in jecore fabricavit, ut bilem ſupervacuam ſecernat à ſanguine, quò dulcior ſuaviorque is redditus melius nutriat, cum præcipua conditio nutrimenti ſit dulcedo. Attrahere autem veſiculam dicunt per ſuperiorem ductum & in ſe colligere tenuiorem illam bilem, collectam pellere per inferiorem ductum; idque dum facit, corpori rurſum duobus prodeſſe modis. 1. ut bilis intra ſe recondita hepatis calorem ejusque parenchyma tueatur à putrilagine, in quam aliàs pronum eſt jecur ob caliditatem humiditatemque ſuam, quam diu in corpore manet. 2. ut transmiſſione bilis in inteſtina ſtimuletur vis expultrix illorum, eademque abſtergantur à fæculentis excrementis, quæ plerumque viſcida ac lenta hoc eſt ſegniora exiſtere ſolent. Hæc, inquam, receptiſſima ac pervulgata eſt de uſu fellis & ejuſdem veſiculæ Autorum fermè omnium opinio, quam poſteà argumentis quamplurimis & controverſiarum

ſiarum pariter numeroſarum deciſionibus, quas aliquot volumina vix comprehendere valent, ſtabilire operoſiſſimo conatu laborarunt, ſicuti id concernere cuivis licet, ſi ad commentarios recurrere faſtidio non fuerit. Verum enim verò Helmontius juxta ipſius Naturæ lancem ac cynoſuram ſingula ſtudioſiſſimè ponderans (à quo Autor noſter hæc omnia de verbo ad verbum mutua accepit) aciem contra hanc ipſam puroputo infinitorum Autorum conſenſu vel potius conſentiendi ignavia ſuſceptam ſententiam acriter inſtruxit, atque contra hunc murum robuſtos rationum, quas ex Naturæ præcordiis & manifeſtæ experientiæ ſinu, imò ex ſublimiore rerum naturalium philoſophia (hæc enim centra rerum atque medullas reconditiſſimas exhibere cultoribus ſuis ſolet, atque nobile illud in rerum eſſentias exiſtantiaſque penitus inquirendi ſtudium inculcat) depromſit, arietes admovendo concutere atque penitus ſubruere haud infeliciter molitur. Hæc ipſa igitur Helmontii philoſophica ratiocinia cum conſideratu digniora nobis videantur, quam ut negligenda protinus veniant (prout pleriſque, quibus non niſi vulgaria ſapiunt & autoritatum pluralitate tantum delectantur, id conſuetum eſt) proptereà etiam eadem ſuccincta diſquiſitione perpendemus, atque elegantiſſimos floſculos ex campo Helmontiano decerptos veritatis patefaciendæ gratiâ, ob quam diſſimulandum nunquam eſt, juxtà ſpargemus. Nullatenus ergo fel eſſe excrementum à jecoris errore partum, & ad ſtimulum inteſtinorum deſtinatum, is docet, ſed in rei veritate id eſſe viſcus in formâ liquoris nobiliſſimum balſamique excellentiſſimi conditionem referre, imò ſupra ſortem ipſius ſanguinis, qui ipſe balſamici hujus fermenti ac fermentalis roboris aſtrale & ſpirituoſum beneficium hic nanciſcitur, exiſtere, atque in nobis vitæ clavum obtinere, notabili nec ſpernendo argumentorum connexu demonſtrat. Aſt veſiculam felleam & inibi contentum liquorem non excrementitium ſed pretioſum eſſe, adeoque balſamici vitaliſque condimenti gazophylacium quoddam non immerito audire, paulò infrà clarius deducendi anſam eò lubentius arripiemus, quo utilius Medici eſt, hujus rei certitudinem ſibi habere ex baſi perſpectam: In anteceſſum tamen Autoris ventilabimus mentem.

Ad §. 2.

Proponere Autorem hîc argumentum ſuum concernimus, quo evincere atque obtinere nititur, veſiculam fellis nequaquam eſſe excrementi cyſternam, ſed præſtantiſſimi potius liquoris, cujus vitalem autoritatem nemo ex Anteceſſoribus cognoverit multo minus inveſtigaverit hactenus, exiſtere conditorium, adeoque excellentiorem longè ejus eſſe uſum, quam ut à Veteribus aſſertum legimus, id quod poſteà ex Helmontii mente etiam demonſtrabitur: Fundamentum ejus hoc eſt, quod nempe DEUS & Natura non fecerit vaſa propria

in corpore humano ad recipiendas excrementorum ſordes, h.e. quod inſtructura humani corporis mirabiliſſima hujuſcemodi organa non deprehendantur, quæ primariò atque unicè conſecrata ſint ſuſcipiendis inquinamentis illis, quæ tanquam corpori inutilia atque impura exilio & expulſione providentia damnavit Natura, ſed quod partes quædam ſecundariò duntaxat recipiendis & educendis excrementis inſerviant. Verum hic ipſe canon dubio ſine Dogmaticis omnibus paradoxum evidentis abſurditatis reum, & manifeſta petitio principii erit, utpote qui deſubito vel paradigmatis ergo Autori noſtro inteſtina craſſa opponent, quæ ſanè manifeſti ſunt impuræ ſuperfluitatis meatus, & quibus alius nobiliorque ſeu primarius uſus aſſignari minimè poterit; neque etiam, quod Noſter de urinâ atque ejusdem ambullâ aſſeruit, quiſpiam ex ſchola Dogmatica ſuo applauſu ſeu fide dignabitur. Profectò ſi nobis jam ediſſerere licet, quod libet, & quid architecturæ humanæ clariſſima ratio dictitat, non video, qua ratione Autoris hoc ratiocinium aut conceptus ſalvari atque defendi poſſit; adeò hujus argumenti vacillante infirmitate illuſtrior veſiculæ felleæ dignitas non ſuſtineri poterit, niſi alia eaque ſolidiora adducantur rationum pondera, quorum indaginem ſubſequentes ex Helmontio ſubminiſtrabunt theſes. Notum quidem nobis ex Anatomicorum etiam theatris eſt, unius rei plures eſſe uſus atque commoda multiplicia poſſe, ita ut uſus hujus vel illius in corpore noſtro partis unus quidem principalis & primarius, ſecundarii vero & accidentales multi ſæpiuſculè exiſtant, veluti ex monumentis eorum id ſufficienter eſt conſpicuum: Attamen urinariæ veſicæ, quæ à viſceribus nobilioribus è remotior, uſum primarium præter exceptionem ⊡æ, quæ nihil aliud eſt, quàm ſeroſi excrementi à ſanguineâ maſsâ ſeparati, ne augmenta ibi infiniata capiat, & calorem vitæ obruat atque extinguat, colluvies, exiſtere alium, nemo unquam concedet, nemoque etiam argumentis admiſſu dignis ſtatuminare poterit. Atque in hâc ipsâ veſicæ fabricâ pariliter ſapientiſſimi Architecti providentiam veneramur: Ut enim ▽æ impluviæ per tubulos & ▽æ ductus concinnè poſitos derivantur in unam pelvim, conſimili modo ſerum toto corpore diſperſum & à renum Archeo attractum mediantibus ureterum canalibus in hanc veſicam veluti conceptaculum, matulam, & corporis noſtri pelvim commodiſſimè confluit. Deinde in hâc ipsâ theſi Autorem videmus ſerum cum ⊡â (illud enim eſt ⊡a ſaltim in potentiâ) confundere & ambo vocabula in eodem ſignificatu accipere, quæ tamen tanquã duo diſtincta utrique erant habenda: Imò ipſe tacita refutatione ſe ferit, dum ait ⊡um (quâ voce tunc ſerum innuit) non eſſe merum excrementum, quot ſanguini adhuc commixtum eſt, & tanquam vehiculum ipſi inſervit; quatenus verò à ſanguine omninò ſeparatum eſt, & ⊡a vocari

vocari meretur; tùnc demum meri excrementi titulum ipſi competere. Sed quid amabo urina eſt aliud, quam ſerum à ſanguinis commercio tanquam inutile excrementum omnimodè jam ſequeſtratum. Serum ergo eſt excrementum nniverſale utile; niſi enim probè beneficio ſeri dilutus & attenuatus eſſet ſanguis, is ſanè circulationis ſuæ iter per omnes viſcerum & vaſorum labyrinthos abſolvere non poſſet: Urina enim inutile eſt excrementum, h.e. tale, quod qualitatem habet à Naturâ alienam, & ad nutritionem ineptum eſt.

Ad §.3.

Sed nec urinam quoque, utut etiam à ſanguine penitus ſit ſegregata, merum eſſe excrementum, ulterius inſtat Autor, licet natura nullum commodum exinde in individuo habeat, ſubeſſe tamen ſpeciem & generationis negotium demonſtrat, in quo non contemnendum urinam præſtare ſervitium docet. Recurrit igitur ad ſpiritus ſalis volatiles (an ſalis, quæ emendatio mihi neceſſaria videtur ob clariorem ſenſum; nam ratione ⊖is, quod in ⊡â tanquam lixivio microcoſmi copioſum eſt, ſpiritus hinc elicere valet Spagyricus) quibus ut abundare dicit urinam, ita etiam dum veſica officinæ & apparatui ſpermatico immediatè adjacet, irritamentum libidinis ac præſentiſſimum ſtimulum ob ſpirituoſam ac penetrabilem acredinem ſuam, quam habet, præbere aſſerit. Verum ut ſpirituoſitatem illam actu jam in ⊡â ſubeſſe, nemo, qui Phyſices experimentalis documenta collet, facilè affirmaverit, ita etiam Venereus æſtus hujusque calcar exinde non ſperandum: Notum namque ex Hermeticis operationibus eſt, beneficio diuturnæ putrefactionis ac fermentationis, quam non immeritò tanquam clavem præſtabiliſſimam colunt artifices, demum poſſe verum Urinæ ſpiritum per deſtillationem ac rectificationem operoſam impetrari. Deinde etiamſi poneremus (non tamen conceſſo) ſpiritus excrementitios & acres actu jam ſubeſſe in ⊡â, tamen tam denſam & compactam habet ſubſtantiam hæc veſica, ut nihil tranſpirare de iis, atque ad generationis vaſa pervenire poſſit; unde etiam veſicarum auxilio vitra, in quibus ſpiritus aſſervamns, quò minus exhalare queant, munire & obſerare ſolemus: Imò ſi ſtimulus carnis hiſce ſpiritibus volatilibus in veſicâ urinariâ contentis adſcribendus veniret, ſequeretur, quod orgaſmus ille & priapiſmus perpetuus adeſſe, ac nullo non tempore urgere deberet, id quod ſtatim experientiæ refragatur. Quod vero inſtantiam illam ſpectat, qua dicit in coitu aut voluptatis thyrſo urinam ſui excretionem planè non ſollicitare, non fit illud propterea, quod ſpiritus illi ⊖is urinarii volatiles tunc avertantur, & ductibus ſpermaticis ex acrimoniâ ſuâ ſtimulum adſpirent, ſed quod in hoc ♀reô actu ſeu adpetitu atque ſalacitatis impetu intumeſcant turgeantque vaſa ſpermatica, quibus hiantibus cervix veſicæ arctius

poſteà clauditur, donec peractum ſit hoc negotium, & orgaſmus libidinoſus rurſum langueat, adeoque vaſa ſpermatica iterum detumuerint: Tunc enim mejendi illa promtitudo ſtatim reſtituitur. Quod verò veſica urinaria ut & inteſtina craſſa, quæ propriè & primariò concipiendis ſordibus utique ſunt facta, locis quoque ſpermaticis ſecundariò & quidem per accidens commodum aliquod exhibeant, id ſanè nequaquam inficias ire intendimus; quoniam illæ ipſæ partes proximam illam adjacentiam ac vicinitatem, quam cum organis ſeminariis per mutuum contactum habent, calore ſuo haud levidenſe fomentum (nullo verò modô ſubſtantialem ſtimulum) in rei veritate commodare poſſunt. Ideoque ratio ſic argumentandi ac ſubſumendi, qua innititur Autor, his omnibus ita conſideratis vel ſpontè collabaſcit atque corruit.

Ad §. 4.

Neque illô argumentô, quod ab avibus piſcibusque veſicâ urinariâ carentibus (hinc enim ⊡am vel ſeroſum humorem potiùs ad nutritionem non planè ineptum, adeoque excrementi ignominia non diffamandum eſſe oſtendere nititur) id obtinere valebit, quod intendit, nempè Naturam nulla vaſa propria excrementorum causâ condidiſſe, & quæ ſunt alia hujuscemodi minùs fundata ac Naturæ legibus planè non conformia aſſerta aut figmenta. Ut enim regni animalis mirè multiplex diverſitas eſt atque innumeræ ſpecies, ita & diverſa atque cuivis ſpeciatim appropriata nutriendi ratio competit, adeoque ac per conſequens pro illa nutritionis varietate varia etiam organa eaque vel pauciora vel plura, prout cujuslibet materialis ſpeciei conditio poſtulat, conſtructa deprehenduntur. Quum itaque aves (quarum fabrica mirum quo tantum diverſa eſt ab illâ, quæ homini & quadrupedibus propria eſt) parciſſimè bibant, & ſolidis plerumque cibis gaudere ſoleant, veſicâ etiam propter ſeri inopiam non indiguerunt, quoniam id, quod liquidiuſculum inſimulque excrementitium eſt, per inteſtina poſtmodum egeritur, veluti notiſſimum eſt, aves illa v.g. anſeres, anates &c. quæ humidis familiariter delectantur, recrementa liquidiora & quaſi ▽ea per alvum dejicere ſolere: Piſces verò ▽am oretenus ut aſſiduò ac confertim hauriunt, ſpirandique neceſſitatem ſic unà expediunt, ita etiam copioſè illam rurſus eructant atque exſpirandi utilitatem hôc modô inſimul perficiunt, adeoque perculiaris vaſis miniſterium ſtructura ac conſtitutio piſcis non requirit, ut copioſè ingurgitata hæc ▽a magnô cum natationis impedimentô concipiatur. Itaque cùm imbecillitas hujus argumenti atque inſtantiæ pro re tam arduâ obtinendâ atque veſiculæ felleæ nobilitate aſſerenda planiſſimè non ſufficiat, meliora & quæ probandi idque tuendi valentiam afferre queant, proponere noſtrum erit.

Ad

Ad §. 5. & 6.

Helmontius ex profeſſô ſuſcepit patrocinium fellis peculiari cyſtulâ reconditi (quod hepatis ſubſtantiæ ſub ejus cavo velut impreſſum & curioſa connexione inſinuatum concernimus) atque notatu dignô rationum pondere hujus viſceris inſignem nobilitatem deduxit, cujus mentem, quâ fieri poterit brevitate nunc recenſebimus. Folliculus fellis, inquit, eſt quaſi nucleus jecoris in cavô ejusdem curioſè ſervatus; hepar verò eſt quidam jam laudati fellis cortex ac munimentum, vel potiùs ipſi ſinum ac gremium veluti maternum præbet. Liquor ille, pergit Philoſophus per △em celebratiſſimus, qui in capſulâ iſtâ continetur, in hâc ipſâ etiam de jecoris ſanguine puriſſimô & ejus quaſi flore (hinc ipſimet etiam Galenici bilem ſeu fel nominant ſanguinis ſpumam, h.e. fermentalem & ſpirituoſam effloreſcentiam) tam materialiter quàm efficienter à proprio fellis archeo paratur. Eſt itaque fel, ait ulterius, jecoris ſanguinisque balſamus, vitam conſervans vel neceſſitatem in opificiâ vitæ manifeſtiſſimam habens, id quod vel ex vulneribus hujus cyſtis luculentum evadit, dum ea confeſtim & abſolutè mortalia exiſtunt. Atque ut repentina ex hoc vulnere mors cyſtim felleam vitæ alligatam obtinere neceſſitatem evidenter oſtendit, ſic etiam neceſſariò in felle tanquam nobili vitaliqúe, ſed & valdè potenti viſcere majus ac generoſius aliquod momentum tam contemplari quàm aſſeverare debemus: Tantum nempe fellis eſt imperium, ut ne piſcibus, qui tamen aliis partibus non paucis deſtituuntur, absque eo vivere ſit licitum. Ergo unica hæc fellis identitas per tot ſpecies animalium quaſi ob oculos ponit neceſſitatis, quam reverà poſſidet, vitalem & excellentem licet hactenus incognitiſſimam utilitatem, cujus famam ſic circiter extollere Helmontium legimus: Fel dimittit ſuum fermentale balſamicumque aſtrum ſeu aſtralia fermenti ſui effluvia in inteſtina meſenterii vaſa, & jecur non proficiendo hæc munia contactu corporali, nec congreſſu conſpicuo, neque ſui commixtione, ſed per adſpirationem conſimilem ac virtutis ſuæ radios vel radicalem penetrabilitatem, non ſecùs ac ſidera cœli in corpora ſublunaria dominantur, & ex ſtelligera hâc ſphæra orte influentiæ eæque inperceptibiles rerum elementarium generationes præperant ac diſponunt, illisque vivifica ſua poteſtate (quam △em inviſibilem ſeu animam mundi ac ſpiritum Univerſi vocant) præſtabiliſſimum robur, etiamſi in ipſo ▽æ profundiſſimo centro corpora ſublunaria diliteſcant, mirabiliter imprimunt. In ſpecie verò Helmontius dicit, hoc fellis aſtrum perficere cremorem ſeu chylum inſpirando nempe ipſi fermentalem ſpiritum ſeu aſtrales radios ſuos (hinc quoque Galenicos ipſos fel ſalutare humorem calidiſſimum △eumque videmus, qui titulus non parum lucis hactenus dictis afferre poterit) ut is ipſe ſic præparetur, quò ad purpureum ſanguinis honorem promtiùs accipiendum aptior evadere queat.

Vocat is etiam fellis fermentum inſuper cruoris ſeu ſanguinis præſervativum, quam ob cauſam balſamici condimenti virtus huic liquori rectiſſimè adſcripta percipitur. Et tandem hoc ipſum fel, juxta Helmontii pronunciatum, ſeri ſive cujusvis impuritatis corruptivum, quatenus nimirum virtute ſua aſtrali fermentationem in ſanguine roborat ac potenter inſtaurat, ut hujus beneficio impurum à puro citiùs ſegregari, illudque à ſodalitio vitæ maturè excludi ac per deſtinata emunctoria expelli poſſit. Hanc ipſam fellis præſtantiam ex Veteribus quidam, qui oculatiores Naturæ fuerunt interpretes, jam olim perſpexerunt, niſi ſalutaris hæc ſententia poſtmodùm à plerisque conſentiendi ignaviæ deditis rurſum fuiſſet ſuppreſſa: ſic Haliabbas & Abenſina hanc ipſam naturalem bilem in arcula ſua repoſitam hepar calefacere, ejusque calorem nativum juvare, adeoque digeſtionem ſecundam confortare, imò toti corpori vitalem calorem inſpirare prudenter admodum ſtatuerunt. Sed nihilominùs tranſire interdum aliquid ex veſiculâ fellis in duodenum, opponet Adverſarius: Reſpondet Helmontius, illud nequaquam fel eſſe, ſed excrementum ſui & liquamen à felle jam ſpretum ac ſecretum: Nullum enim dubium eſt, quod fel unà cum capſulâ ſuâ pari ratione ut alia viſcera omnia partesque noſtri corporis ſuſtentationem ac nutritionem ſuam depoſtulent; quamvis autem particularem ac privatam membri alicujus nutritionem junctam neceſſariò quoque habere puri ab impuro ſequeſtrationem, & per conſequens excrementorum generationem, ſæpiùs jam demonſtravimus; ideoque ne injuria fieret nobiliſſimo huic liquori, Natura porum illum cholodochum ad inteſtina deſcendentem veſiculæ huic addidit, ut ſe à ſuis excrementis in tempore liberare poſſet: Excrementum verò illud in felle eò magis ſuccreſcit, quò infirmius eſt hepar, aut quò depravatior exiſtit ſanguis. Tandem quum fel ſit de ſtemmate ſeu eſſentiâ ſpiritus vitalis, & aſtrali dignitate inſignitum deprehendatur, vel obiter Practici hinc confirmare ſe poterunt, cur fel tauri ſive carpionum (quod ego præ reliquis magnifacere ſoleo) cum clyſteribus adhibitum tanti pretii efficaciam exhibere ſoleat.

Ad §. 7.

Magnam fellis & nobilitatem & neceſſitatem, ut etiam nullum eò carere animal obſervatum fuerit, jam ſatis ponderavimus: Quùm verò Autor ab hâc regulâ Arcadicum pecus tanquam ἄχολον exceperit; hæremus ſanè imò vix perſuaderi poterimus, tantæ molis animans tam neceſſariâ particulâ in rei veritate penitus deſtitui: Niſi enim oculatum teſtimonium & indubitatâ autopſiâ confirmatum, adeò ut hepatis conditio in aſinô exactiſſimâ exploratione examinata fuerit, (veſicula enim fellea in hâc animalium ſpecie jecoris ſubſtantiæ penitiùs profundiusque forſitan inſinuata atque ſub eadem ſic recondita eſſe poſſet, ut primô intuitu in conſpectum non veniat) quis attulerit, tam promtâ credulitate huic

huic aſſerto ſubſcribere omninò negamus: Neque probandi argumentum, quod à tarditate ac ſtupore deſumtum eſt, nos impellere valebit, ut dicto adhibeamus deſubito fidem, cum homines ſæpiuſcule deprehendantur, qui aſinis multò inertiores atque tardiores exiſtunt; proinde tamen non aſſerendum protinùs, ac ſi hujuſcemodi tarditatis atque ignaviæ filius felle careret. Deinde utut tarditas illa atque ſumma ſegnities aſinos damnet, inſigne tamen robur, cujus ratione geſtando nunquam defatigantur, eoſdem rurſus commendat, adeoq; virium hic valor crimen tarditatis oppidò compenſat. Sed robur illud (hûc pertinet etiam ſingulare acumen auditûs, quo pollet aſinus) ſpirituum præſentiam ac vigorem, licet ſuis terminis circumſcriptum (veluti ex adverſò infirmitas ſemper teſtatur virium defectum) digitô nobis commonſtrat: Imò brutus etiam ſpiritus eſt ſpiritus, & propterea de balſamô & ſpiritu felleô, quem aſinus aſininum & ſuæ conditioni convenientem habet, in hôc quoque animali tamdiu non dubitamus, donec autopſia nos contrarium docuerit, & aliquid aliud analogum locô veſiculæ iſtius bilariæ oſtenderit. Cæterum ut omnes corporis noſtri partes, ob vitium privatæ coctionis ac depravatæ nutritionis vel deficientem puri ab impurô ſegregationem, aut excrementorum (ſicuti quamlibet partem ſuum generare excrementum novimus) retentionem, morbis obnoxiæ evadunt, ita nec hæc veſicula morborum ſuorum exſors eſſe poterit.

Ad §. 8. & 10.

Calculum in cyſti fellis non rarò generari poſſe, non tantùm homo, verùm animalia quævis, familiariter tamen boves affirmatum dabunt. Cujusdam fœminæ hîc recordor, quæ cum calamitoſiſſimam cum aſſidua virium proſtratione vitam agens & tandem hinc defuncta diſſecaretur, in veſiculâ felleâ ipſius plusquam 200. lapilli magnitudinem partim piſi partim lentis referentes inventi fuerunt. De cauſis nullum eſt dubium, quin calculi generatio, in quacunque etiam parte hæc contingat, ab iisdem tam materiali ſeu coagulabili quàm efficiente & coagulante expediatur; adeoque eadem theoria, quam calculo renum & veſicæ urinariæ conſecratam ſpectamus, in eô pariter calculo, quem vel non nunquam colligit ac continet, locum habebit. Ubicunque igitur aut in quacunque parte generari debet lapis, ibi tanquam in matrice tam patiens quàm agens concurrere debent.

Ad §. 9.

Non opus eſt, ut ad examen generandi calculi omnes quatuor cauſæ, quas ſcholæ computare aliàs conſueverunt, hûc acerſantur, quum nempe materia & efficiens hîc ſatisfacere nobis queant. Utriusque autem conſideratio magnâ omninò difficultate & multâ obſcuritate implicata apud Autores deprehenditur, qui integras hâc de re, ut ſic loquar, bibliothecas conſcripſerunt: Ante omnia

autem

autem iis hîc nuntium mittimus, quorum ſententia de calculorum geneſi in qualitatem occultam deſinit, utpote quam ſolis literis differre à purâ ignorantiâ cum Höffmanno fatemur. Galeni igitur poſteritas, ubicunque de materia calculi agit, pituitam nobis occinit, quam tamen recipere hîc quoque non poterimus, eandem ob cauſam, quam alibi jam determinavimus. Deinde famigeratiſſima de efficiente eſt opinio, quam geminam Dogmatici conſtituunt, atque calorem & frigus quaſi in uno ſacco habent, quorum illum coquere, hoc autē condenſare ſeu coagulare ſtatuunt. Verùm parcant mihi Manes Anteceſſorum: Quis enim duorum extremorum æquivalentem actionem uno eodemque loco ac tempore præſumet, cùm ab alma Natura unius extremi ad alterum immediatus, tranſitus non admittatur (niſi is per media fiat germana) multominus conſpirans utriusque activum regimen uno tempore ſtare per naturam queat. Quid quod vita & calore vitali ſuperſtite activum hoc frigus, ut calculi congelatio hinc fieri vivo in corpore poſſit, aſſerere ex ſanioribus nemini in mentem unquam venerit. Alia igitur methodo ac via, quam Naturæ leges rerumque generationes, nec non Pyrotechniæ experimenta probabunt, lithiaſis illa in contemplationem deducenda erit.

Ad §. 11.

Autor utramque cauſam & modum generationis, ſeu qua ratione in corpore producatur calculus, hîc proponit, cujus mentem nunc paucis inſpicere ac perpendere lubet. In anteceſſum enim hîc monemus, quod niſi verus Naturæ genius ac concentus hîc conſulatur, & à macrocoſmo ad microcoſmum fiat applicatio, rem acu tangere, h. e. lapidum in macrocoſmo & calculorum in microcoſmo generationem ex fundamento deducere non poterimus. Saniores Phyſici cumprimis verò Hermetici ſaxa & lapides ex 🜄æ & 🜃æ concurſu, quam unionem ſymbolizantem vocant, per caloris vim generari, & quaſi opus 🜄eum ac fictile ita decoqui, donec omninò ſtupeſcat & rigida hæc mixtura evadat, h.e. in lapideam formam coaguletur. Idem planè de calculi productione in corpore noſtro innuere videtur Autor, dum ejus materiam dicit eſſe liquorem 🜄eum ſeu 🜄am volatilem ac liquidam vel 🜃am craſſam ac viſcidam, quæ ab aliis ſuccus lapideſcens dicitur, quem ſic loquendi rationem reſpuit quidem Hoffmannus dicendo, hanc phraſin adeò obſcuram eſſe, ut eam ab occultæ proprietatis refugio ne latum unguem abeſſe credat: Id quod tamen nobis haud videtur, ſiquidem hæc ſucci lapideſcentis aut liquoris 🜄eni notio ſi accuratiùs conſideretur, hujus negotii centrum, & ob quam cauſam lapis omnis tam in homine quàm in ipſo mundo immediatè exiſtat 🜃æ filius ſeu fructus, ſatis ſuperque revelare valeat. 🜃æ & 🜄æ conjugium igitur ad lapidum calculorumque geneſin poſcitur, quod vel propterea in promtu eſt, quoniam ambo elementa arcano

cano quodam conſenſu invicem conſpirant, dum 🜃a & 🜄a adeoque ambo tam volatilitatis quàm fixitatis naturam ſeu privilegia indubitatò obtinent, & ſeſe arctiùs invicem complectendi aptitudine pollent: Illa enim extrà eſt fixa & intùs volatilis, hæc verò extrinſecus eſt volatilis & internè fixa, unde poſteà 🜄æ externa ſuperficies cor & meditullium 🜃æ elicere & rurſus 🜃æ externa ſuperficies animam 🜄æ & interiora ſeu centrum ejus ſibi copulare, & proinde ambo ſic uniri poſſunt, ut una fiant ſubſtantia, h. e. 🜄a quædam 🜃rea ſeu 🜃a liquida, donec accedente Vulcanô, cujus filia eſt coagulatio, concreſcant ambo, & ſolidum lapideumque corpus exinde conſtituatur. Sendivogius præclarè de lapidicinâ macrocoſmi hoc quoque expreſſit: Quando, inquit, influxus cœleſtes & 4. elementorum roridæ vires ſuum vaporem in 🜃æ centrum ſtillant, & poſtmodum Archeus Naturæ eundem ejicit ſeu ſublimat, tunc aſcendens ſeu tranſiens hæc exhalatio per loca poroſque 🜃æ ſtatim ſecum trahit terreſtres impuritates uſque ad ſuperficiem, ut poſteà evaneſcente liquidô congelatur. Sed ut præmiſsâ hâc Philoſophia propius ad ſcopum noſtrum perveniamus, neminem dubitaturũ exiſtimamus, in microcoſmô & 🜄eas partes & 🜃eſtres impuritates ſubeſſe; quod ipſum cùm probatâ certitudine conſtet, nihil aliud nunc reſtat, quàm ut diſpoſitionem ac præparationem liquoris hujus terreni ſeu lapideſcentis breviter quoque exponamus. Ad doctrinam autem Chymicorum hîc confeſtim provocamus, ex quâ diſcere licebit requiſita, quæ ad hujuſcemodi liquorem terrenum pertinere ſolent: Nempè ſolvens & ſolutum hîc obſervanda veniunt. Solutum nihil aliud eſt, quàm terreſtris illa impuritas ac veluti 🜎, quod adſumta præſertim ſolidiora poſt abſolutam coctionem circa primas vias relinquunt: Solvens verò eſt humiditas non ſimplex illa, ſed cum adjectione, acida, quæ aciditas ſive acrimonia in reſolutô 🜔e ſeu ſpiritu 🜔is volatilis ex corruptione humorum ortô conſiſtit, atque evidentem ſolida ſeu terrena ſolvendi non ſecùs ac 🜊 vel menſtrum aliquod ſpirituoſum acidum aliud corallia, oculos ♋, aliosque lapides, vim habet. Hæc ſolutio ſeu liquor calculoſus poſteà, quùm natura ejus ſit 🜔ina, per vaſa lactea ad ſanguinem tranſiens promtè cum ſerô tanquam ſuô ſimili miſcetur, donec vel perveniat ad ſua emunctoria, vel quoque ad alias easque nobiliores partes, ut cyſtim felleam, hepar &c. deferatur, ibique per aliquod temporis ſpatium permanendo tandem à ſpiritu vitæ ſeu calidô nativô iſtius partis, quod ſpiritus iſte ſalinus in liquore terreô præſens quaſi contuplicat igneumque reddit (adeoque id, quod priùs ſolutionem præſtabat, poſtmodum coagulationem adjuvat, & in eâ impenſè cooperatur) liquidum ſeu ſolvens abſumatur, ſolutum verò concreſcat & in calculum convertatur. Atque hæc ſolventis conſumtio eò magis tunc acceleratur eoque citiùs abſolvitur, quò volatilius ac ſubtilius illud per tot cohobatio-

nes ex variorum viſcerum vaſorumque tranſitu ſeu anfractuoſô itinere factum fuerit, ita ut vel ſponte vel calore levi ſic evaneſcere poſſit. Hâc occaſione canonum illorum, qui Philoſophis ſpagyricis ſunt ſolemnes, declarationem vel patentibus oculis ac ſine ullâ difficultate conſpicere licebit: Omnis coagulatio non fit ſine ſolutione, & congelatio ▽æ rerum diſſolutionem præſupponit: In Natura duæ ſorores uterinæ ſunt, reſolutio & coagulatio; liquor enim non ſolideſcit, niſi ſolidum anteà liquefactum fuerit: Et quæ ſunt hujuſcemodi aureola alia. Quod cauſam efficientem ſpectat, illius mentionem ita jam fecimus, ut ſtatim exinde nobis innoteſcere poſſit, ſolum calorem eumque acrem ac veluti △eum, cujus proprietatem Autor & nos jam cum illô delineavimus, coagulatoris officiô fungi. In quamcunque igitur corporis noſtri partem ſe inſinuat, hujuſcemodi ſolutio partium terreſtrium ſeu ſuccus lapideſcens, ſed ita tamen, ut in eâ retineatur quoque & aliquandiu permaneat, ibi calculi generatio ac concretio in promtu erit, augmentum verò ejus multis poſteà modis facilius.

Ad §. 12.

Dum Autor hîc præcavendi, quò minùs coagulari terra ſeu terreſtreitas ſoluta in centrô liquoris fellei poſſit, medium inſpergit, & ſpiritum ⊖ is volatilis ſeu coagulatorem, qui calorem nativum partis mirè adauget, ut concretio illa ſeu ſolventis liquidique abſumtio eò celeriùs fiat, humectandum ſeu humectantibus probè diluendum ſuadet, nobilis præcipitantium doctrina deſubitò nobis in mentem venit, quorum beneficiô, ſic teſtante Arte ſpagyricâ, ex ſolutione lapidum quorumvis oppidò molliculus pulvis tenerrimumque alchool ſeu pollen atque magiſterium delicatiſſimum impetrari poteſt, quum ex adversô, ſi præcipitantia negligantur, & quis liquidum à ſoluto per deſtillationem fortem abſtrahere amet, tunc ſolutum illud planè horridam lapidis ſeu pumicis duritiem atque ſcabritiem accipiet, ut ægrè comminui poſteà & in pulverem reduci niſi per violentam contuſionem poſſit: Parili modô comparatum eſt in corpore noſtro, in quô ſi ſolutio hujuſcemodi ſeu liquor calculoſus in tempore præcipitetur (quem effectum etiam merè humectantia ſeu fortiter diluentia præſtare poſſunt, ſicuti in ☿ii vitæ præparatione videmus, qui ▽â butyro ♁ii rectificato copioſè affuſâ præcipitari & ſic parari ſolet) tunc impuritas illa terreſtris in formâ ſabuli & ſubtiliſſimi pulveris cum ⊡jâ tranſit, atque ſic viſcera à calculoſo hôc onere & hoſtili gravamine opportuno modo liberari queunt: ſin verò hæc præcipitatio & medicata humectatio negligatur, ſuccusque talis ad viſcera, quæcunque etiam illa ſint, perveniat, tunc propter inſitum calorem, quo Natura non tantùm eadem donavit, verùm is etiam à ſpiritu ⊖'s volatilis, qui cum ſucco hoc lapideſcente commixtus deprehenditur, mirè augetur, abſumto liquido ac tenuibus partibus calculoſa hæc materia viſcerum penitioribus anfractibus contu-

contumaciter infigitur, atque ibi in lapidem planè & curatu difficilimam duritiem concreſcit. Si ergò ſemel jam facta ſit calculi in aliquo viſcere baſis, tunc accedente ulteriùs hâc terreſtris fæculentiæ ſolutione, calculus vel in quantitate ac molis ſuæ magnitudine, vel in numero, veluti id in cyſti fellea fieri animadvertimus, augmenta capeſſere ſolet.

Ad §. 13.

Cauſam reddit Autor, cur quibusdam calculoſa hæc ærumna adeò ſit familiaris & magna, quam nos, ut clariùs hanc rem exponamus, in redundantiam hujus menſtrui acidi ſalſique, quô terreſtreitates potenter ſolvuntur, & in liquorem lapideſcentem convertuntur, rectiùs, ut anteà jam factum, reponimus: Hinc patet etiam, cur non omnes calculo laborent; rationem in defectu ſolventis ſeu humorum valdè acidorum manifeſtiſſimam habemus. Deinde hinc liquet etiam, cur renes & veſica potiſſimum laterarias illas in microcoſmo conſtituant: Nempè dum à ſanguine ſegregatum ſerum, & ſic per conſequens, ſolutiones fæculentarum terrarum, ab eduliis ac potulentis, præſertim ſi petroſis ac terrenis atomis ea valdè ſcateant, ortarum, ab organis iſtis ad hoc à Naturâ deſtinatis reſpectivè per emulſionem attrahi, contineri, & juſto tempore educi debeat, calculi concretio etiam eo modo, ut ſuprà diximus, in his potiſſimum locis contingere ſolet.

Ad §. 14.

Ut ubique, ita & in corpore noſtro ſunt bona mixta malis: Quo ipſo ſic ſe habẽte, capere ſtatim poterimus, quid Autor noſter hîc ſibi velit, dum in curatione calculi de auferendo penitùs hoc ſpiritu ⊖ino (hujus enim energ â valdè fortificato menſtruo magis ſolvuntur & in liquorem reducuntur 🜃eſtres illæ impuritates aut ſcoriæ) haud cogitare nos debere præcipit, quod nimirum de vitali & balſamico ⊖e, cum quo ratione circulationis commiſcetur, is non parum participet, & magnam cum eo neceſſitudinem habeat. Adeoque denuò in id Medico incumbendum inculcat, ut humectantium ratio, utpote in quibus calculum tam curandi ac comminuendi (non ſecùs ac gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpè cadendo) quàm generationem ejus impediendi ſubſidium certiſſimum latere confirmat, cumprimis habeatur.

Ad §. 15.

Quum à ſpagyricæ doctrinæ Proceribus ☿ium ſeu ☿ialem ſubſtantiam atq; humiditatem radicalem unum idemque dicere ac notare ſolemniter adſertum fuerit, patet protinùs, cur tantæ debeantur laudes illi, qui ex metallis vel mineralibus vel etiam ex ipſo ☿io currente ☿ialem ſubſtantiam (& hoc eſt juxta Hermeticos ☿ium in ☿io quærere) h. e. radicale liquidum ſeu Naturæ laticem in rerum centro abſconditiſſimum ingenioſâ prudentia eliçere callet: Qui enim hoc arcano per Philoſophorũ leges fuerit potitus, is non tantùm habebit quintam 4. Ele-

mentorum eſſentiam ſpiritu æthereo imprægnatam, verùm etiam pabulum poſſidebit & alimentum caloris nativi imò totius ſubſtantiæ generoſiſſimum, quod ob jam dictam cauſam (ex cœleſti etenim progenie natum eſt) conſimilem planè atque eandem nobiſcum obtineat eſſentiam. Et hæc demum ☿ialis ſubſtantia ſeu aſtralis ac primigenius hic liquor eſt illud princeps humectans, quod radicaliter partes corporis noſtri irrigare, atque ſic irrorando eas oppidò irradiare, adeoque per conſequens in calculi curatione, quem inſenſibiliter propterea, ſcil. eum centraliter mollificando atque ad primum ſuum Eſſe reducendo diſſolvere ſeu repagula coagulationis diffringere valet, tam exoptatam efficaciam exhibere indubitatò ſolet. Ergò nullum eſt dubium, quin in hoc ☿iali myſterio calculi feliciter curandi certiſſimum arcanum paratiſſima planè ob rationum pondera deliteſcat, veluti in ſuperioribus & aliquoties debita præconia magnæ & benedictæ huic Panaceæ nos conſecraſſe meminimus. Deinde ex calculis in homine vel aliô animante genitis (cumprimis ſi in primam ſuam materiam beneficiô ☿ialis ſpiritus redigantur) ſpecifica contra calculum remedia parari poſſe, nullum eſt dubium, veluti fundamentum cauſæ & hujus experimenti paſſim in Medicinâ eſt notorium.

Ad §. 16.

Licet ad conſequendum in curâ calculi finem nullô aliô is indigeat remediô, qui ☿iale hoc aſtrum ac cœleſte illud radicalis humiditatis nectar in promtu habet, attamen quum pauci in centrô ac culmine arcanorum ac myſteriorum ex magnô Naturæ librô depromtorum verſari ament (neſciô enim quo fatô ſublimia hujusmodi tam perperam ludibrio haberi ac pro fabulis nugamentisque æſtimari communiter ſoleant) alia medicamina, quæ partu faciliora ſunt, ac miram laudabilemque in hôc caſu virtutem aut proprietatem præſtare poſſint, in medium producere atque ſubordinare Autor voluit. Ideoque primô locô ſuccum betulæ, & nos ▽am ex eo, ita tamen ut anteceſſerit artificioſa fermentatio, deſtillatam commendamus, utpote cujus virtute ſingulari renum ac veſicæ adeoque omnium partium, & per conſequens etiam felleæ capſulæ calculi effectiſſimè comminuuntur dubiô ſine, quod ex caudice hujus arboris perforatô tempore vernô prolectus hic ſuccus nihil aliud ſit, quàm ☿ialis latex eô tempore, quô omnia reviviſcere ſolent, & totius mundi gratia redire conſuevit, ab influentiâ cœleſti regeneratꝰ ac renovatus, adeoq; non contemnendam cum ſpiritu cœleſti, utpotè cui unicè debet augmentum ac renovationem ſuam, convenientiam habens: Unde hoc non tantùm fundamentaliter humectandi, & propterea coagulationem illam cohibendi, verùm etiam quod p. n. coagulatum aut concretum jam eſt, potenter reſolvendi beneficium præſtantiſſimè commodat. Panis ſecalitii (cujus uſus ad extra in mitigandis quibusvis doloribus vel confor-

tando ventriculô ac uterô ſi toſtus ac ✠ò generoſô imbutus imponatur, alioquin percelebris eſt) ℞a eatenus virtutem ſuam in calculô pollendô exhibere poterit, quatenus illa frumenti ſpecies ſive ſecale vim habet fortiter diſcutiendi, reſolvendi atque emollendi: Modus præparandi, quem hîc adſcripſit Autor, omni obſcuritate caret, operoſus attamen ſatis eſt; per hanc putrefactionem verò miris modis vires hujus medicinæ exaltantur, ob eas ipſas rationes, quas præſtabili huic Chymicorum operationi, quam tanquam genuinam reſolutionis clavem non immeritò illi venerantur, alibi adſignavimus.

Ad §. 17.

Urinæ multas easque non ignobiles virtutes tribui, undique conſpicitur; imò tanti æſtimii apud Hermeticorum quosdam fuit, ut ▽am ſuam glorioſam ac cœleſtinam ſeu lac virginis, quô nutrire ſolent Philoſophicum illum filium, Adami urinam (humorem omnium rerum primigenium ſeu radicalem ſic innuentes) nuncupare amaverint: Quâ ipſâ ſic loquendi formulâ multi adeò decepti ſunt, ut lapidem Philoſophorum ſeu Magiſterium Hermeticum magnum in ſaccatô hôc corporis humore cum incomparabili patientiâ quærere, ſed fruſtrà allaboraverint: Philoſophorum enim ⊡a ſeu ▽a fœtida ac pontica eorum (propter quam cauſam hoc nomen etiam uſurparunt) longè alius liquor eſt, quàm ut eum in matulâ quæramus: Sicuti etiam Philoſophorum Adamus non in paradiſo, ſed in ſubterraneis antris, ubi veneranda Naturæ ſimplicitas in operibus ſuis ſcrutatores ſuos intimitùs delectat & miraculoſa myſteria pandit, inveniri poteſt; Quicquid ſit, inficias ire non poſſumus, ex ⊡â ſtudioſâ operâ ac l. a. præparatâ, ita ut ſpiritus l. ℞a juxta clarè præſcriptum modum exinde eliciatur, (ubi illas ⊡æ fæces rectius calcinari exiſtimaremus, ſiquidem hoc demum modo ex iis non ſecùs atque ex ⊖ e ♀ri probè calcinato ſaturatè rubicans & △eâ penetrabilitate hinc nobilitata ℞a impetrari queat) auxilium nobiliſſimum & inſigne in pellendis reſolvendisque lapillis fieri; quâ de re videantur in ſuâ Pharmacopœiâ noſtro præconio doctior Schröderus & alii non pauci de hoc thamate eruditè diſſerentes. Quod verò iſtius lotii facultatem ſpectat, quod in recens natis vel fœtu vel hœdulo aut vitulo reperiri dicit Autor, num videlicet id tantum in diſſolvendis calculis præſidium præſtet, illud experientiæ committendum, quam etiam expectationi noſtræ reſponſuram non diffidimus, modò inveniri poſſit, qui voluntatem ſuam aut obſequium in uſurpanda hac medicina ſine faſtidio commodet. Verùm jam ſatis eſto. Alia verò contra calculum probata remedia ex promtuario noſtro proponendi anſam infrà nobis calculi renum ac veſicæ conſideratio ſubminiſtrabit.

CAPUT XLIV.

De
Ictero & omnibus ejus ſpeciebus.

§. 1.

SUnt, qui Icterum & omnes ejus ſpecies in numerum fellis morborum repo-nunt, ſed illi totô cœlô aberrant ſiquidem nec icterus, nec ulla ejus ſpecies à cyſti fellis aut illius ſubſtantia originem habeat: Fellis enim ſubſtantia nunquam regurgitat in hepar vel ab hepate in venas, ut hinc per totum corpus ſparſum ſuâ tincturâ ſanguinem inficere, & ſanguine infecto totam corporis ſuperficiem tingere poſſit: ſanè ſi in ictero ℞a illa à felle dependeret, ſanguis in ipſis venis, nec non urinæ amaritiem habere deberent.

§. 2. Aliunde igitur in ictero eſt ℞a illa, & ex fonte protinus diverſo ſcaturit: In ventriculo namque & in ipſis inteſtinis fundamentum habet. In ventriculo autem ex prava ejus coctione ac digeſtione excrementum flavum, viride aut ſubnigrum producitur, quod ſæpiſſimè vomitu rejicitur: ſi vomitu id non rejiciatur, in inteſtina pellitur, & cum excrementis ex chylo in inteſtinis relictis foras amandatur; ſiquidem venæ meſaraicæ ex inteſtinis tenuioribus & chylo ſumant ſugantque, quod purum eſt, reliquum in ipſis inteſtinis inſtar excrementi liqu'di diverſi nempe coloris, rubei, flavi, viridis & nigri remanet.

§. 3. Hoc ipſum excrementum liquidum ſæpè ſæpius per vehementem attractionem & ſuctionem venarum meſaraicarum defertur ad hepar, ſuoque pravo colore ſanguinem tingit, unde poſteà defertur per venas, ac totum corpus ſuo colore inficit: Hinc etiam fit, ut excrementa albi & cinericii coloris ſint, dum excrementum illud liquidum ſuo alioquin colore flavo fæces alvi tingens alio defertur & ad hepar transportatur.

§. 4. Ideoque ſi forti & violentâ purgatione ☿ii ictero affectus purgetur, tunc excrementum illud liquidum per hanc purgationem ad inteſtina tanquam ad locum ſuum naturalem transfertur, & per conſequens depurato ſic ſanguine toto icterus ſtatim curatur, & color ille depravatus ex corporis ſuperficie, quod hepar & ſanguis liquido hoc excremento non amplius inficiatur, evaneſcit: Adeò excrementa corporis ſi præter modum in corpore detineantur, & in partes eas, in quas demandari non debent, transferantur, hujusmodi morbos pariunt.

§. 5. Non ergò ſubſtantiæ & humores neceſſarii ad vitam hos morbos efficiunt, ſicuti etiam ſubſtantia fellea ſeu humor, qui in iſta cyſti contineri ſolet, vitæ noſtræ omninò eſt neceſſarius, & proinde nequaquam gravat, neque vitæ

noſtræ

hoſtræ unquam moleſtus eſt, adeoque nullos etiam morbos parit : Unde icte-rus nullatenus etiam hinc originem habet , ſed ex liquido illo excremento pro-venit, quod primò in ventriculo ex prava ejus digeſtione producitur, atque unà cum chylo ad inteſtina demandatur, poſtmodumque cum eò per vaſa meſarai-ca ad hepar transfertur, ut hinc tam hepar quàm totus ſanguis inficiatur : De-fertur vero ad hepar vitio attractionis venarum meſaraicarum , quæ ob inflam-mationem ſuam ac calorem nimium attrahunt ac ſugunt , quicquid eſt in inte-ſtinis, nullo puri ab impuro delectu facto.

§.6. Icterus itaque eſt liquidi excrementi ex prava ventriculi digeſtione orti , & unà cum chylo ad inteſtina demandati fortis ac vehemens per venas meſaraicas ob calorem nimium & inflammationem venarum meſaraicarum fa-cta attractio: Quum verò illud excrementum ſit diverſi coloris, nunc flavi, nunc viridis, nunc nigri, idcircò ex diverſis illis coloribus ſpecies icteri flavidi vel vi-ridis aut nigri exſurgunt , quæ tamen iisdem ac ſimilibus medicamentis cura-ri ſolent.

§.7. Icterus omnis, cujusvis ſit ſpeciei, ⊖e ⊕li per calcinationem mul-toties iteratam ad albedinem & puritatem deducto perfectiſſimè curatur, cujus doſis eſt ʒß, quæ diſſolvitur in ▽ communi , & propinatur ſummo manè cum regimine & cuſtodia : Curatur etiam ☿io noſtro toties nominato , & in heb-domada datur ter ad quantitatem gr.viij. vel vj. in Vino tenui. Deinde præſcri-bantur Julapia cum ▽ communi laudati fontis ad ℥vj. & oleo ⊕li ad gutt.x. cum ſyrup. violac. ℥ij, ex quibus fieri debet potio per 6. aut 8. dies jejuno ventri-culo ſummo manè propinanda : Hæc enim potio ventriculum roborat, ob-ſtructiones meſenterii & inflammationes ejus, nec non calorem p.n. in hepa-te , unde liquidi hujus excrementi potens in hepar fit attractio , tollit ac temperat.

Animadverſiones

Ad §.1.

DE hoc morbo nunc agere ex fundamento inſtituit Autor,
Quem regium ſermo latinus nuncupat,
Quod regiè atque molliter curari avet :
Græci icterum; quod ſanet adſpectu hæc avis.

De avicula namque illa, quæ Græcis icterus, Latinis galbula (hinc etiam nomen maternum gelb quaſi galbum ſeu flavum forſan deducitur) adpellitari ſolet, non ignotum eſt vulgiloquium illud, quo traditur, ſanari id malum, ſi avicula hæc ſpectitetur ſaltim: Deinde arquatus vel auratus etiam dubio procul à colore illo hic morbus audit. Ergo affectus iſte (ſub icteri autem vocula omnes ejus ſpe-

cies

cies, quas recenſere Autores ſolent, comprehendimus) à mutato corporis colore denominationem ſuam habet, de quo per hæreditatem quaſi ſuſcepto ac propagato inpoſteritatem conſenſu ſtatuitur, hinc eum oriri, dum bilis ſeu bilioſus humor è cholodocho ſuperiore, quem veſicula illa habet, reſiliens ac quo quo verſum, nimirum longè, latè ac profundè, adeoque per minima maxima cum ſanguine exinde vehementer infecto in corpus ſparſus diffuſusque totum ejus habitum & univerſam cutaneam ſuperficiem defœdat, atque aurigine ſeu flavedine illa contaminat. Hæc, inquam, omnium ore trita ac pervulgata illa de icteri ſcaturigine eſt opinio, quam tamen à tramite rationis & veritatis aberrare, dilucido modo, ſed & intrepidè Autor ex Helmontii, qui rerum cauſas ſemper ex Naturæ præcordiis depromere ſolet, doctiſſimis meditationibus, ut ut autoritatem nobiliſſimi Præceptoris ſilentio hic transmiſerit, demonſtrat. Hoc quidem certum eſt, quod tunc temporis ſanguinea maſſa tota & ipſa etiam ⊡a (veluti ejus vel perfunctoriè factus primusque intuitus ſtatim icteri præſentiam Medico annunciat) flavo iſto colore tincta & inquinata deprehendatur, non tamen ſequitur protinus, Ram illam p.n. ex nativo illo liquore, quem in veſicula ſua tanquam balſamum & condimentum vitale reconditum ſuprà oſtendimus, ortum ſuum obtinere, quod vel ex ſolius amaroris, quo tam ſanguis quàm ⊡a ictericorum reverà caret, indubitato defectu evidentiſſimum evadit; ſed aliam longè & adplauſu digniorem, Naturæque (quæ balſamicos & ad virtutem vitalem neceſſarios liquores temerè profundere non ſolet) magis conformem hujus morbi cauſam in medium hic profert Autor, veluti ex theſibus ſubſequis id in propatulo partim erit, partim etiam ex præcedente Capite ſufficienter nobis luculenta fellis nobilitas jā enoduit, ita ut huj, fellis in veſicula ſua contenti tam copioſa & enormis effuſio, qualis hac ratione ad icteri geneſin requireretur, vel propterea admitti non poſſit, quod hæc profuſio parili modo mortifera eſſet, ac ipſa veſiculæ bilariæ vulnera confeſtim lethalia exiſtere ſupra demonſtravimus: Aſt experientia contrarium teſtatur, icterum nempè, niſi ſymptomaticus is & acutiſſimi morbi proles ſit, quatenus talem non protinus mortem inferre: Quin imò nec poſſibile eſt, tantam bilioſi excrementi copiam ex veſicula iſta ſuppeditari, ut tota corporis circumjectio & ⊡a tam ſufficienter & ſaturatè (ſicuti ictericorum adſpectus flaviſſima fœditate notabilis id abundè teſtatur) nec non tam conſtanter tingi, atque ſic infecta permanere queat.

Ad §. 2.

Vituperoſa igitur hæc cutis & ⊡æ Ra ſive flavedinis triſtiſſima labes ex alia omninò ſcaturigine deducenda venit, quam quod ſibi hactenus ſolemniter perſuaſum habuerunt Medicorum plerique. Autor nempè in ventriculo (quo nomine

mine inteſtina etiam comprehenduntur, quorum ſpiras ſuprà tanquam ventriculi oblongatam continuationem ſeu porticum quandam æſtimavimus, ubi Naturæ pariter amici atque inimici humores ſpatiuntur) fundamentum ac primordium icterici mali conſtituit, qui hanc ipſam ſententiam ab Helmontio utique mutuam accepit, cujus verba ita ſe expreſsè habent: *Icterus, inquit, nusquam alibi magis viget, quàm in atrio ſtomachi, ubi teſſeram ferociæ ejusdem verſari deſignat.* Atque hoc ipſum occaſione ſuperius data aliquoties jam monuimus, quod à deficiente ventriculo communis morborum adeoque & icteri origo rectiſſimè ab Autoribus determinetur. Ut enim juxta Helmontium ſtomachi robur ac florida virtus per totum corpus effectiſſimè radiat, quoniam hinc nata laudabilis digeſtis & feliciter adornata primæ coctionis ſparta poſtmodum reliquis digeſtionibus cunctis, quarum numerum partium omniũ, quæ nutritionem requirunt, numerus profiteri poterit, ex voto præeſt atque exoptata proſperitate beat: ita ex adverſo ventriculi imbecillitas ac depravata ſeu turbata hinc concoctio tot adverſas in corpore tempeſtates concitare ſolet, ut proinde unus ventriculus nullo non tempore negotioſum atque impenſe ſollicitum reddat Medicum. Debiliorem ergo & malè valentem ventriculum cibos corrumpere ac putrefacere multoties jam diximus atque cognovimus; quo ita præmiſſo & omnium quoque conſenſu (quis enim tam inſulſus erit, ut à vitioſa coctione chylum pariter vitiari vel humores corruptos hinc provenire, ambabus manibus non largiatur) firmiter comprobato, ex corruptionis ac putrefactionis indole aut diverſo ejus gradu ſtatim dilucidum evadit, hunc vel illum colorem, ſive flavus ille ſit, ſi nempè mitior adhuc exiſtat corruptio iſta, ſive viridis, ex majori nimirum putrefactione, ſive ſubnigricans, qui maximam eam ac vehementem notat, progerminare, veluti, teſte Helmontio, *colores illi nihil aliud ſunt, quam errorum in digeſtione atque corruptionum fructus, & quaſi quidam cometæ.* Præſtabit ex Helmontio hos ſpargere floſculos, quibus admotis veritatis fragrantia ubertim magis adſpirabitur: *Cibus & potus, ait, omnem larvam nutritioni horridam in prima ventriculi digeſtione exſuunt & plane deſpuunt, quod niſi fiat, in excrementa mutantur: Humores ſub digeſtione errante facili promtitudine alienantur, flaveſcunt, aut alium colorem ſaporemque infauſtum ſortiuntur: Colores non deſignant humores illos à ſcholis ſolenniter fictos & excogitatos, ſed diverſimodè corruptos: Flava ſaburra in ventriculo malè diſpoſito generatur, & colorem illum à corruptione mutuatur: Quantò longius recedunt humores à ſanitate & vitio putrefactionis turpantur, tantò magis flaveſcunt aut virideſcunt vel etiam nigreſcunt:* Et quæ ſunt alia hujuſcemodi adſcripta digna effata. Stat adeò ſententia, in ipſo ventriculo, ſi debilitatus is ſit, & propterea chyli degenerationes atque cruditatum hinc oriundarum

corruptiones contingant, ex prava digeſtione flava hujusmodi aut aliter colorata excrementa liquida progigni reverà poſſe, quæ ſi maturè per vomitum rejiciantur, Natura etiam noſtra hoc ipſo medio ſe à ſarcina illa non tantum brevi manu, verum in tempore etiam liberare poteſt, ne alias & graviores afferre calamitates, inter quas icterum quaſi primò reponimus, recenta illa humorum ſeu cruditatum in ventriculo corruptela valeat. Sed progreſſum icteri ex humorum in ventriculo facta putrefactione ſuccedens theſis nunc exhibebit.

Ad §. 3.

Tranſitus chyli cum ſuis recrementis (ſiquidem in quavis digeſtione & qualibet ejusdem officina, adeoque etiam in ventriculo, puri ab impuro fieri ſequeſtratio ſoleat) ex ventriculo per janitorem ad inteſtina ſatis jam notorius eſt, quem paulò antè, Autor etiam tetigit; Vaſa ſcilicet meſaraica naturaliter id, quod purum & laudabile eſt, ex inteſtinis tenuioribus aſſugunt arripiuntque, quod verò impurum eſt & excrementitium, quocunque jam colore id tinctum ſit, ibi propterea relinquunt, ut per meatum à Natura ad id deſtinatum ſeu inteſtina craſſa juſto tempore tanquam planè inutile imò & noxium penitus poſtmodum exterminatur. Si itaque ob inſignem ventriculi ἀτονίαν ſeu ἀῤῥωςίαν chyli depravata coctio ac putrefactio contingat, & convenienti medeia huic malo mature non obviam eatur, neque in tempore damnata hæc & infeſta flavedine aut alio ſuſpecto colore ſignata ex humorum iſta corruptione colluvies evacuetur, tunc proveniens illa ad inteſtinorum tenuium ditionem poſtmodum, præcipuè ſi meſenterii inflammatio adſit, à vaſis lacteis avidè aſſugitur & vehementius attrahitur, attracta ad hepar defertur, & ſanguinea maſſa tota eadem inſigniter inquinatur, quæ ſic inquinata dum pro nutritione partium & ſic per conſequens etiam cutis hinc inde transmittitur ad diſpenſatur, fit ut à ſanguine, prædicta ratione per humorum corruptorum malè ſcævam mixturam contaminato, ita corporis ſuperficies ſub viridi pariter atque tetricè flavo colore ſic turpificetur. Et hoc etiam eſt, quod Helmontius innuit: Humores, inquit, graviter (puta in ventriculo & circa primas vias) corrupti quicquid attingunt, fermento ſuo virulento confeſtim inquinant, & abſque mora in conſimile virus transmutant, conſimilique malè feriati coloris turpitudine inficiunt atque dedecorant, prout impuritates quævis monarchiæ vitali, cujus armamentarium in ſanguine conſiſtit, ſemper inſidiantur. Atque hoc ipſo à nobis juxta Helmontii & Autoris manuductionem tradito modo, ſalva utique veſicula fellea atque balſamica juxtà cum liquore ſuo, ut ſic loquar, pyxide ſeu narthecis fieri ſeriò cogitandum eſt. Ratio quoque illa non negligenda eſt, quam commodè Autor addidit, quod tunc temporis alvi dejectiones minus tinctæ, prout naturaliter debebant, ſed albidæ potius aut cinereæ exiſtant: ſi enim Railla excre-

crementitia aliorſum vergat, velut antè demonſtratum dedimus, neceſſariò alvi fæces poſteà eadem deſtituuntur, atque minus coloratæ hinc adparent.

Ad §. 4.

A poſteriori & curandi certitudine, quâ per nobilius Emeticum ictericum hoc ſeminium extirpari, & per conſequens priſtino flori atque Naturæ conformi nitori tam injuria hac notatus ſanguis, quam ſic larvatus corporis habitus reſtitui poteſt, Autor hîc confirmatum ſuggerit, veram icteri cauſam in colore hoc excrementitio, à præternaturali excrementorum atque depravati chyli tam retentione, quam inſigniori corrúptione circa primæ coctionis officium, nato unicè quærendam eſſe. Atque id nobis etiam bona fide compertum eſt, feliciori otiorique ſucceſſu ictericam hanc ignominiam, modò Natura non penitus proſtrata tunc exiſtat, aut malignæ febris hoſtilitas non obſtet, tolli haud poſſe, quam ſi purgatio illa ☿ialis à nobiliſſima virtute ſua atque ſpagyrica præparatione nobis jam ſatis cognita decenter & in tempore adminiſtretur, utpote cujus inſigni efficacia totus morbi fons & omnes ejus rivuli feliciter abſorberi queunt: Imò ſublata hujus icterici mali radice, ſurculi ejus, qui in viſceribus atque ipſo ſanguine, nec non per conſequens in tota cutanea circumferentia ſuperſunt, vel ſpontè, quod ſequeſtratis his inſidiis Natura libertatem ſuam ſic receperit, evaneſcunt.

Ad §. 5.

Denuo hic tuetur Autor fellei humoris in capſula ſua diverſantis partes, cujus præſidio tanquam vitæ noſtræ ſingulariter proficuo Naturam miris modis delectari perhibet, deinde, quæ dicta hactenus fuerunt de cauſa materiali, repetit, ut certitudinem ejus inculcet illi, qui à Veteribus ſic perſuaſi magna felleæ veſiculæ merita noxæ iſtius decreto hactenus in cautè nimis damnarunt. Cæterum ad nativitatem icteri quaſi obſtetricantes manus porrigit meſenterii (quod jecoris culinam Helmontius adpellat) inflammatio ab obſtructione) quæ, quomodo vitioſam fermentationem & hic provenientem △earum fuliginum ardorem in viſceribus pariat, ſæpè jam expoſitum fuit) orta, quæ tanquam ſummè ſiticuloſa niſi præſtò ſit, violenta illa ac vehemens excrementitii liquoris attractio fieri etiam non poteſt: Ubi enim caloris impetus, ibi etiam quorumvis humorum promtior affluxus vel potius attractio, veluti tritè id notum eſt.

Ad §. 6.

Præter ſtudium factæ repetitionis, quod Autori familiare admodum eſt, differentiam icteri quoque ingerit, circa cujus deductionem operoſos ſe quidem præſtant Pathologiæ interpretes; ſed cum Hoffmanno hic fecimus, qui fruſtrà Practicos occupari in dividendo ictero in flavum, viridem, ac nigrũ monet,

ſiquidem omnes has ſpecies τὸ χλωρὸς comprehendat: Baſin enim in hoc morbo conſtituit viriditas, ſive jam ſimplex ſit illa, ſive ad flavedinem, ſive ad luridum colorem inclinet, in curatione perinde erit, quum corrupti humoris prudenter inſtituta eductio hîc potiſſimum veniat attendenda, atque uno etiam modo tentanda, veluti hoc ipſum expreſſis quoque innuit Autor. Obiter hîc etiam addimus, quod non nulli icteritiæ albæ, quam Paracelſus cineritiam vocat, ex obſtructionibus nempe viſcerum magnis ortam, mentionem hîc pariter faciundam cenſeant. Verùm cùm morbus hic Virginibus & Viduis præſertim ſit proprius, ac conſuetiori nomine amatoria ſive alba ac virginea febris (licet reverâ febris non ſit, ſed febrientium in morem pulſûs celerrimam frequentiam atque debilitatem duntaxat exhibere ſoleat) nuncupetur, ideoque etiam ad affectus uterinos, & quidem in ſpecie ad contumacem menſium ſuppreſſionem, quæ albæ hujus febris præcipua cauſa eſt, conſiderationem ejus remittimus.

Ad §. 7.

Ad Emetica excellentiora, quorum nobile par hîc denominavit Autor, Medicus icterum auſpicatò & ex fundamentô curaturus non immeritò tanquam ad ſacram anchoram confugit ob eandem nimirum cauſam, cujus honorificam mentionem jam paulò antè celebravimus. Inter ⊖ ♁li vulgò & induſtria ingenioſi Spagyrici paratum magna omninò eſt differentia, quomodo autem id ritè recteque confici debeat, Autor fideliter hîc docuit: Nempè ut magis explicitè id tradamus, ⊖ ex ⊛ ♁li probè calcinato ▽a communi deſtillata extrahendum eſt; extractio illa filtranda, filtrata per evaporationem coagulanda: ⊖ illud coagulatum iterum calcinationi ſubjiciendum (haud refert, licet etiam in △e penitùs fundatur) calcinatum ▽a deſtillata ſolvendum, & hic calcinandi ſolvendi & coagulandi labor toties iterandus, donec ⊖ illud ad ſummum & cryſtallinum puritatis atque albedinis culmen perductum, atque l. a. inſuper beneficio ſpiritus Xi rectificatiſſimi, qui ab hoc ⊖e ſæpiùs cohobandus, debitè exaltatum dulcificatumque ſit, quod poſteà glorioſi medicaminis honorem ſibi non injuria vendicare poterit; Reverà enim corruptorum humorum tam copiam quàm contumaciam radicitùs averruncat; Unde etiam Sala hoc ipſum Pharmacum ad aſtra uſque evehit, & Philoſophi Hermetici illud tanquam theriacale Emeticum deprædicant, quòd nimirum cum virtute ac Naturæ tripudio rebelles humores fugare valeat. Præmiſſo hoc univerſali leviſſimo poſtmodum ſubſidio Natura eſſe contenta poterit, multò magis verò delectabitur Julebo illo, quem hîc adſcripſit Autor: Habet enim is vim oppidò præcipitandi illam excrementitiam in ſanguine Ram ac compeſcendi vitioſam iſtam fermentationem; quo ipſo ſcopo ſic impetrato, & obſtructio viſcerum & inflammatio meſenterii ſtatim ſedabitur, ut ita conſimiliter appetitus iſte meſenterii præpoſterus perni-

perniciosſusque extingui non difficulter poſſit. Circa alterantis hujus compoſitionem hoc addimus ſaltim, ut vel tantùm de 🝐 ⊖-li præſcribatur, quantum ad gratum acorem ſufficit, vel loco 🝐i hujus ſubſtituatur potiùs Ræ viol. vel etiam flor. bellid. cum hoc 🝐 debito modo paratæ quantum ad delectabilem aciditatem ſatis eſſe poſſit; item loco ſyrupi viol. rectius Julepus violarum ſubordinabitur. Cæterum tanquam ſingulare ſpecificum (ſed ſemper præmiſſis univerſalibus, ut ſuprà dictum, utpote ſine quibus ſpecifica quævis inceſſum & ſine fructu porriguntur) pulvis lapid. fulminaris, it. lapis in veſicula fellea bovis caſtrati repertus valdoperè commendatur: Reliqua verò, quæ tanquam ſpecifica laudantur, ad nobiliora aperitiva & præcipitantia, ſicuti etiam ad ea, quæ in cachexia & hydrope ſingulariter appropriata ſunt, pertinent.

CAPUT XLV.

De *Morbis Lienis illiusque tumore.*

§. 1.

SPlen, nobile illud viſcus, & Naturæ animalis admodum neceſſarium, eſt hepatis vicarius; quod enim in hepate præparari ſive omninò perfici & abſolvi non poteſt, ad Lienem demandatur, ut ibi ſanguis abſolutam perfectionem obtineat à vitali calore hujus viſceris, quod ita arteriis plenum eſt, ut totum quaſi Lienis corpus arteriis conſtitutum videatur: Hòc ſanè arteriali calore ac ſpiritu vitalis focus in ſplene augetur, ut poſteà ſanguis, qui ultimam & abſolutam perfectionem in hepate obtinere non potuit, tandem ibi tanquam in focô quodam vitali eamdem conſequatur.

§. 2. Qui igitur lienem faciunt excrementi ſanguinei cyſtim ac receptaculum, totô cœlô aberrant: Non enim excrementum eſt, ſed imperfectus ſanguis, qui ultimam elaborationem non obtinuit, nec vitali ſpiritu ſufficienter adhuc delibutus eſt: proinde nimirum demandatur in lienem, ut ibi ſpirituum copiâ impleatur, attenuetur, atque ſic ad vitam utilis reddatur. Adeoque hinc patet, lienem eſſe nobile viſcus atque hepatis vicarium.

§. 3. Multi autem morbi hîc non ſecus ac in hepate proveniunt, inter quos potiſſimum ſunt varii tumores, obſtructiones, ſcirrhi, & inflammationes, de quibus jam nobis dicendum eſt, & quidem primum de tumoribus, qui lienem infeſtare ſolent.

§. 4. Tumeſcit ſæpiùs lien ob cruditates & apepſias ſanguinis ab hepate propterea hûc demandati, ut is coquatur ulteriùs atque attenuetur, quoniam

perfectè & abſolutè in hepate coqui ac digeri non potuit. Deinde ex parte ſui ipſius ſplen etiam intumeſcit, quod calore nativô debitè non turgeat; unde ſanguine crudô & incocto hûc demandato magis magisque frigeſcit & per conſequens vehementiùs tumeſcit, quòd refrigeratô ſic liene cauſa materialis acreſcat.

§. 5. Cauſa autem materialis tumorum omnium in liene ſunt excrementa ſanguinis ſeu liquoris illius, qui ad lienem demandatur, ſi nempè ſpiritus tanquam cuſtos lienis ſeu calor nativus ejusdem ad expellenda hæc excrementa non ſufficiat, ſed deficiat: Unde quod expellendum relinquitur, putreſcit tandem, & fit tumor vel calidus vel frigidus, vide l. ſecundum naturam ſeu eſſentiam excrementi expellendi, quod in lieni relinquitur.

§. 6. Non rarò etiam contingit, ut, dum ob frigiditatem ac ſiccitatem ſuam hoc excrementum non putreſcit, in calculum craſſeſcat atque in lapidem dureſcat; unde quibusdam in liene etiam fiunt calculi & lapides, qui eadem methodô ſunt expellendi, ut illi, qui in cyſti felleâ enaſci ſolent.

§. 7. Tumores illi, qualescunque etiam ſint, curari poſſunt purgatione noſtra primum ☿iali, ita ut ☿ius dulcis ſpagyricè præparatus ad grana 20. vel 30. cum ſaccharo detur, ſuperbibendo aliquid vini, idque per 8. aut 10. dies, ut materia antecedens imò conſequens tumorum diſperdatur & evaneſcit: Mercurius enim ſubtilis admodum eſt, omnesque corporis partes penetrans, & unà cum ſpiritu 🜔 & ⊖, quibus conjungitur, diſſolvit & expellit excrementitias materias illas, quæ in partibus corporis reperiuntur, ubicunque etiam reperiantur: ſpiritus etiam ☿ii idem operatur, potentiusque hæc excrementa diſſolvit ac diſſipat, ita ut omnes obſtructiones reſeret, pariterque tumores lienis tollat, atque ſic lienem ab omnibus excrementis p. n. vindicet.

Animadverſiones

Ad §. 1. & 2.

Singularem ſplenis excellentiam ac nobile officium ejus jam ſuprà, ubi de Ventriculi morbis egimus, per ſuas partes diduximus, ibique ſelectioribus quaſi ſententiis demonſtravimus, hoc viſcus abſurdè haberi pro thecâ ſeu cloacâ peſſimi vel atrabilarii excrementi, ſed potiùs inſpirare id ſtomacho eſurinum condimentum ſeu fermentale aſtrum vel aſtralem hujuscemodi ſpiritum, qui digeſtionis Vulcanus atque appetentiæ præfectus verus & unicus ab Helmontiô proptereà non immeritò ſalutatur. Patet ergò inconſideratum valdè illud eſſe commentum, quô dicti parenchymatis evidentiſſima merita tanquam ſervilia & ſpurca vulgò proſtituuntur. Vel cunctis aliud perſuadere debuiſſet

vitalis

vitalis iſte arteriarum contextus, quô lien fœcundus admodum atque conſpicuè opulentus exiſtit; unde etiam ſplenem ab arteriis omnem habere virtutem aſſeritur, quod tamen tam abſolutè non admittendum Helmontius cenſet, quod viſcera omnia in corpore humano per modum aſtrorum, quorum cuivis peculiare robur ac virtutem Creator indidit, ſe habeant: Ubi nos reſpondemus, ſe omnia hæc quidem rectè habere, & lienem non ſecùs ac viſcera principalia reliqua ingeniti ſui caloris magneticum ac præ reliquis viſceribus peculiariter nobilitatum robur, quô vitales ſpiritus eò avidiùs haurire poſſit, per ſe ac ſimpliciter quidem obtinere; attamen negari penitùs non poterit, viſcera illa tanquam vivifica microcoſmi ſidera ut cum cœleſtibus aſtris magnam convenientiam habent, hæc verò à ☉e ſplendorem & luminoſam activi vigoris efficaciam mutuantur, ita etiam illa à ☉e microcoſmi ſeu cordis radicali luce per radios ſpiritus vitalis copioſè influentis, qui beneficiô tractus arterioſi à corde ad ſplenem manifeſtò in oculos incurrentis hûc deducuntur, effectiſſimam illam agendi facultatem omni dubio procul accipere. In ſpecie ♄us microcoſmi ab Helmontio Lien acutiſſimo planè ſenſu nuncupatur: Hic enim cum rectè pulcreque ſe habet, tunc dicendum omninò eſt, in corpore noſtro adeſſe vel rediiſſe ♄ia h. e. aurea regna atque exoptatiſſimam fortunatamque conſtitutionem: Eodem modo ſe habet quoque contrarium: Si enim lien malè valeat, & quoquo modo afflictus ſit, tunc non ſecùs noxium & calamitatum inſignium hoc viſcus eſt ferax, atque grave eſt ♄ni ſidus, ſi connubio adſpectuque infauſto malignum fortè evadat. Cæterùm quid nos ſentiamus de verò uſu & actione lienis, paucis edicere placet: Eſt quidem aliquid, quod Autor de hoc vicario hepatis, quo titulo jam olim ſplen inſignitus fuit, ratiocinatur, attamen eum rem accuratè & juxta Naturæ nutum tetigiſſe nobis omninò non videtur. Ita nos ergo putamus: ſcilicet per vaſa chylifera & lactea in meſenterio non tantùm venas, verùm arterias quoque (utpote quas pariter in tunicas inteſtinorum eo modo, ut venas meſaraicas concernimus implantatas) denotari debere non tantùm aſſerimus, ita ut chylus (illud ſanguinis elementum) æquè ad lienem, quàm hepar ſic ſtatim deferatur, atque ſanguificationis negotium celeriori ſucceſſu promoveatur expediaturque, verùm in eâ inſuper ſententiâ ſumus, ab arteriarum hoc complexu circa ſplenem copioſo chylum ſpirituali Râ imprægnari, atque purpuræ ſanguineæ decus ac privilegia ſic nanciſci, adeoq; ſanguinem hîc tam confici, quàm primum ſuæ perfectionis ac vitalitatis fundamentum acquirere, ita ut ſic promtiori paſſu ſpirituum copiâ jam refertus ad cordis atrium pervenire, atque ſupremum perfectionis ſuæ gradum abſolutumque ac ſummè ſpirituoſum vitalis immunitatis ac puritatis beneficium ibi obtinere queat. Tandem quem præſtet prætereà quoque primæ coctionis officinæ ſeu ventriculo uſum, ſatis jam

nobis

nobis innotuit: Ideoque iſti opinioni, quæ de ſplenis uſu vulgata ac vetuſtate rancida eſt, conſultò nuncium ſic mittimus.

Ad §. 3.

Ex malè valente, h.e. intemperato & obſtructo ſplene atroces morbos atque valida ſymptomata tanquam ex equo Trojano prædones quosdam provenire, proſilire, atque accreſcere, apud omnes in confeſſo atque conceſſo eſt; unde etiam propter ærumnoſa illa incommoda, quæ parit malè affectus lien, ab Helmontio ſpinoſus nominatur, ſicut nec minùs notorium eſt de Liene intumeſcente proverbium illud, quo dicitur, hujus augmentum ſeu incrementum corpori ac viribus afferre indubitatum decrementum, ſicuti etiam propterea cum fiſco ſive ærario publico appoſitè admodum atque eleganter comparatur: Id enim ſi impenſè diteſcat ac locupletetur, ſubditi notoriè pauperantur atque exhauriuntur; idem quoque de ſplenis augmento nimio vigorem corporis ac robur ejusdem mirum quantum depopulante ſentiendum. Rationem ſciſcitaturo quid aliud, quàm viſceris hujus nobilitatem & officii excellentiam, quâ id pollet, opponere poterimus? Auctus enim lien ſemper malè conſtitutus eſt, ita ut illud ſanguificationis munus eô, quô ſuprà indicavimus, modô præſtare non poſſit; unde univerſale corporis nutrimentum ſive ſanguis ex hôc ſecundæ coctionis, cujus præſes noſtro quidem judiciô eſt lien, vitiô depravatur & ineptus planè ad nutritionem & refectionem corporis redditur. Ergò quantum pondus & autoritatem in confectione ſanguinis & primâ illâ perfectionis ejusdem fabricatione, quam huic viſceri aſſignamus, lien ſuſtineat, hinc liquidiſſimum protinùs evadit. Quod numerum morborum ſpectat, qui in ſplene oriri poſſunt, Autor eum jam determinavit; ubi tantùm opinor hoc monendum, quod ad tumores inflatio quoque lienis ſive ejus in tumorem à flatu facta elatio expreſsô nomine ſit addenda, ſiquidem ea creberrimè etiam accidere conſueverit. Deinde Practici non tantùm morborum, verùm etiam ſymptomatum, quæ ſpleni contingere queunt, mentionem faciendam poſcunt, ad quorum claſſem referunt lienis dolorem, icterum nigrum, affectionem hypochondriacam atque ſcorbutum. Verùm hæc ipſa Autorem omiſiſſe propterea arbitramur, quod illa ſymptomata omninò arceri ac è mediô tolli poſſint, modò morbis ſpleneticis ipſis, quorum veluti umbræ ſunt hæc ſymptomata, in tempore conveniens & efficax adhibeatur medela.

Ad §. 4.

Parens morborum fœcundiſſima eſt cruditas, utpote in quâ impuritas Naturæ noſtræ valdoperè infeſta ſemper latitat. Cur autem cruditates atque impuritates Naturam noſtram ſive Archeum adeò turbare ac confundere ſoleant, ex doctrinâ fermentationis & corruptionis, cujus explanatio aliquoties atque hinc

hinc inde jam à nobis *tradita fuit, dilucidè ſatis colligere licebit*. Sed ut ambagibus miſſis applicatio fiat ad lienis affectus, inter quos tumores & inflationes ab obſtructione ortæ ejusdem frequentiùs affligere ſolent, cruditatum imaginem hîc quoque attendendam Autor offert, quâ accuratè conſpectâ, illas vel lieni accidere, ab infirmitate ventriculi, qui ut rector ac director eſt digeſtionum cæterarum omnium, ita etiam, ſi ægrè is ſe habeat, ipſarum quoque indubius eſt deſtructor, & multas in corpore tragœdias concitare ſolet, manifeſtiſſimè patet. Atque hâc ratione etiam ſtomachi deficientis in lienem imperium ſeu autoritas eſt manifeſta, qui propter oblatas ſibi cruditates & impuritates, quæ obſtructiones in hoc labyrintheo vaſorum contextu, qui in ſubſtantiâ ſeu parenchymate lienis deprehenditur, facilimè pariuntur, & ibidem quaſi incarceratæ vitioſum impetuoſumque fermentum concipiunt, ærumnoſis planè morbis obnoxius quoque evadit. Deinde etiam ex propriâ & eſſentiali lienis imbecillitate, unde digeſtionis ſecundæ officium valdè læditur (quod tamen rarò contingit, ſed plerumque vitium ventriculi præſupponitur) cruditates in ſanguine ibi ſtabulante ac ulteriùs præparando oriri queunt. Loquitur autem de frigida lienis intemperie Autor, per quam ſic loquendi rationem nihil aliud indigitat, quàm ſplenem ſpiritibus decenter non turgentem, h.e. impenſè debilitatum, veluti per debilitatem viſcerum plerumque frigida eorum intemperatura & calidi nativi defectus innui ſolet: Notandum tamen quod frigida illa intemperies haud diu in hoc ſtatu permaneat, ſed paulò pòſt degeneret: Frigida enim intemperies quidem in viſcere aliquo incipit, in progreſſu tamen fit calida, propter impetuoſæ nimirum fermentationis tempeſtatem, quam cruditates in viſceribus obſtructis putreſcentes efficiunt, atque poſtmodum effluvia fervidiſſima exhalantes diverſorium ſuum miſerè accendunt & inflammant: Unde intumeſcentiæ ac inflationis, quam Lien obſtructus & debilitatus incurrit, cauſa confeſtim eſt in aprico.

Ad §. 5.

In ſpecie vero Autor accuſat excrementa, quæ p.n. hîc retinentur, ac debito tempore non deponuntur: Cùm enim lien quoq; coquere debeat, coctio autem ſive digeſtio fieri non queat absq; puri ab impuro ſive utilis ab inutili ſegregatione, patet unde excrementorũ p.n. facta in liene congeries produci poſſit: Quamdiu namque impurum atque inutile eo, quo debet modo, ſeparetur, ſeparatumq; egeritur, tamdiu lien quoque rectè ſe habet, & à morbis, inter quos agmen ducit obſtructio, ſecurus eſt: ſin vero ob calidi nativi inopiam vel aggravationem etiam excrementa illa decenter non expellantur, tunc protinùs graves procellæ ingruunt irruuntque, veluti jam & multoties de excrementitiarum impuritatum quarumvis præternaturali retentione, corruptione, putredine ac fermentatione,

quæ doctrina tanquam catholica cunctis partibus & ibi oriundis affectibus accommodari poteſt, diximus.

Ad §. 6.

Citiori utique modo calculus generari in ſplene poteſt, quàm in veſiculâ felleâ, ob anguſtiores meatuum anfractus, quos lienem habere ſcimus, qui ad coagulationem & concretionem terreni liquoris ſuſcipiendam aptiores ſemper exiſtunt. Cauſæ tamen hiſtoria ex eodem Capite de calculo in veſiculâ felleâ genito depromtâ hîc etiam quadrabit, quam Curioſus propterea repetere & applicare non faſtidiet. Plus lucis tamen ſubſequens caput de ſcirrho lienis, qui quidam lapideus tumor eſſe videtur, ſuppeditare poterit.

Ad §. 7.

Curationem morboſi & tumidi inflatique lienis fortunato ſucceſſu tam ☿ium dulcem ritè præparatum, quàm ſpiritum quoque ☿ii & omnia alia remedia ex ☿iali hâc ſtirpe parata præſtare poſſe, planè non dubitamus, imò eadem documenta & encomia, quæ ſuprà non unâ vice ☿ialibus præſidiis jam ſacravimus, hîc quoque penitiſſimè convenire exiſtimamus. Hoc tantùm adnotationem quandam & expoſitionem ſibi poſcere adhuc videtur, quod Autor ☿ium illum dulcem laudando de ſpiritu ☉ ac ⊖li ingerit, cujus utriusque virtute duplicatam quaſi facultatem in diſſolvendis & expellendis excrementitiæ materiæ ſordibus in ſplene collectis progenitisque, hunc ☿ium accipere adſerit. Arcanum Corallinum, cujus deſcriptio paſſim proſtat, in mentem hîc nobis venit, quod ex ſolutione ☿ii vulgi cum ▽F præparare Spagyrici docent, ita ut ▽F (quæ nihil aliud eſt, quàm ſpiritus ex ⊖lo & ⊕ro factus) ab illo ☿io valido △e aliquoties (toties reaffuſâ nempè deſtillatâ hinc ▽Fti illâ) per ♉am vitream abſtrahatur, ubi in fundo ♉æ coagulatum, præcipitatum ac pulverabilem ☿ium, ſed colore ſuo rubicundiſſimo coralliorum purpuram referentem, unde & Arcanum Corallinum vocatur, reſidere deprehendimus: Hunc ipſum pulverem ☿ialem poſteà ad dulcedinem per ſæpius iteratam ſpiritus X rectificatiſſimi ab illo pulvere cohobationem perducere callent ingenioſi artifices, quo ſic facto corroſivam & ſuſpectam qualitatem demum amittit, & per ſedem tantùm omnem licet contumaciſſimam excrementitiæ impuritatis ſaburram ex penitioribus etiam locis ſuaviter purgando funditùs evellit. Hoc medicamentum alioquin ad indicem arcanorum Paracelſi refertur, & Corollatum Paracelſi vocitatur, quod tamen longè nobiliori & philoſophico planè menſtruo is præparare conſuevit, dum à ☿io vulgi liquorem alkaheſt (puta menſtruum illud univerſale ſeu ▽am benedictam Philoſophorum) ſemel duntaxat deſtillare, & poſtmodum à pulvere ☿iali, qui in fundo remanet, ut anteà dictum (pondus enim ☿ii ne quicquam tunc imminuitur) ▽am albuminum ovor, toties cohobandam eſſe jubet, donec

corallii

corallii ſanguineum colorem acquiſiverit. Aſt cùm verus ille liquor alkaheſt paucis ſit cognitus, ▽am fortem (ego duntaxat ſpiritum ⊖ accipio) ſubſtituere imitatores Paracelſi amarunt. De virtute hujus medicaminis plura non adjicimus, quùm toties medicaminum ☿ialium laudes jam decantaverimus. Cæterùm ſpleneticis præcipitantia & aperitiva quævis eaque nobiliora præſertim ex ♀rô, ♂ & ✱ deſumta virtute ſpecificâ conveniunt, de quibus ſuprà dictum actumque ſatis jam fuit. Spiritus gumm. ammoniac. it. ſpiritus ♄ (i.e. ſplenis) bovis contracti, imò etiam ♄i metallici ſingularem efficaciam pollicentur, atque reverâ etiam in hôc caſu exhibent: Reliqua antiſplenetica ſunt ubivis notoria. Nobis ℞a ſalutis & ☿ii noſtra, Eſſ. gumm. ammoniac. itidem noſtra, paſſio etiam noſtra panchreſta & alkalia omnia (præſertim ⊖ geniſt. fraxin. & tamariſc.) ad ſummam puritatem perducta ſunt in uſu & quidem probatiſſimo. Sed plura ex Capite ſubſequenti addiſcere poterimus.

CAPUT XLVI.

De *Schirro Lienis.*

§. 1.

Lien ſi turgeat ſanguine craſsô ac fæculentô, qui hûc amandatur, ut calore nativô lienis attenuetur, in ſcirrhum ſæpiſſimè incurrit, cùm excrementa illa frigida & ſicca, quibus ſanguis lienoſus turget, facilè in ſcirrhum coagulentur.

§. 2. Eſt itaque ſcirrhus lienis tumor p.n. frigidus & ſiccus, ab excrementis frigidis & ſiccis lienoſi ſanguinis productus: Eſt enim in his excrementis ſiccis frigidisque vis quædam coagulativa & lapidificativa, quæ ex naturâ terreſtri & ⊖e quodam terreſtri, qui ineſt excrementis iſtis, dependet: Eſt hâc energiâ coagulantur excrementa in ſcirrhum, qui indies magis magisque accreſcit, niſi medicamentis appropriatis ac ſpecificis ſuccurratur.

§. 3. Difficilis admodum curatu eſt hic tumor juxta Galenicam methodum, quum ea non habeat medicamenta, quæ ſcirrhum diſſolvere & attenuare poſſunt, ſed per chymicam methodum faciliori negotiô hic tumor diſpellitur, licet quàm maximè renitatur, nihilominus tamen evaneſcere tandem cogitur.

§. 4. Spiritus ☿ii eſt potiſſimum & præcipuum tumoris hujus curandi arcanum, ſi ad quantitatem guttularum 10. vel 12. cum ▽â adpropriatâ aut 🜄 aſſumatur; Spiritus ♀ri etiam cum ſpiritu ✱ conjunctis maximè prodeſt ad curationem ſcirrhoſi lienis tam aſſumtus, tum extra admotus, & regioni lienis applicatus.

§. 5. Purgatur corpus ſæpè in menſe 3. vel quater ☿iô dulci ſpagyricè præparatô, & ad ʒß cum conſerv. roſac. aut viol. datur. Eſſentia etiam ferri curan-

do lieni ſcirrhoſo ſummoperè prodeſt; ferrum autem △e convertitur in crocum, crocus diſſolvitur in ▽â ☿ii, & per rectificationem diſſolutionemque ſæpiùs iteratam in veram & rubicundiſſimam eſſentiam acetoſi ſaporis convertitur, quæ mira in ſcirrhoſis tumoribus lienis ac hepatis diſſolvendis præſtat, ſumiturq; ad ℈ß aut ad guttulas xij. in juſculis ſcolopendriô aut ceterach alteratis.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Lienem craſsô ac fæculentô ſanguine turgere ac redundare, non niſi p. naturaliter ſemper exiſtimandum eſt: Adeoque antequam hoc ipſum fiat, multa ſunt præſupponenda, cumprimis tamen luculenta ventriculi imbecillitas & hinc confertim oriundæ cruditates, item meſenterii inflammatio, unde vaſa ejusdem illas avidiùs ſorbent & arripiunt, poſteà ipſius vel hinc adventitia vel congenita imbecillitas lienis ejusdemque obſtructio & inflammatio, atque ſic porrò: Quibus circumſtantiis præſentibus abſurditatum iſtarum fæculentarum collectio demum atque earum contumax retentio in ſplene contingit, quæ dum ipſi inſinuantur ac velut imprimuntur ſplenis ſubſtantiæ, ſui etiam nutrimentum requirentis, & exſiccatio atque exuſtio ſive calcinatio, ut ſic loquar, pravi iſtius nutrimenti in ſubſtantiâ lienis fiat, tunc ſcirrhus & quaſi ſaxoſus aut cementi vel marmoris adinſtar induratus (unde ſcirrhus nomen etiam habere creditur) tumor inde ſuccreſcit.

Ad §. 2.

⊖ 🜃eſtris h. e. fæculentus & excrementitius adeoque impuriſſimus (☿ri nomine à Paracelſô is inſignitur) rectè tanquam indurationis vehementioris cauſa hîc accuſatur, ut ita ſubſtantia lienis quaſi lapideſcere videatur, quæ poſtmodum (decedente nimirum & exhalante vel etiam penitùs extinctô calore, qui deſtructâ ſic hujus viſceris ſubſtantiâ convenientem ampliùs ſedem habere & vitalem influxum accipere non poteſt) frigida exinde & quaſi cadaveroſa evadit, unde hujuſcemodi ſcirrhus ſeu duriſſimus tumor etiam omnis doloris expers eſſe obſervatur.

Ad §. 3.

Scirrhus lienis verus factusque non tantùm curatu admodum difficilis, verùm etiam penitùs impoſſibilis eſt, ſicuti omnes ſubſtantiæ corruptiones, ad quarum claſſem quoque ſcirrhos perfectos recenſemus, alioquin inſanabiles eſſe, h. e. fundamentum ſanitatis reſtituendæ ibi penitùs deficere ob calidi nativi indubitatam extinctionem, certum ſit: Scirrhos autem fientes adhuc curandi beneficium admittere non ambigimus, quod tamen tunc niſi probatiſſimis & efficaciſſimis remediorum armis vix impetrari poterit. Adeoque patet, cur Galenica medicamina non niſi ventrem ſaburrantia hic nauci habeantur, utpote

quæ

quæ ipſa facili negotiô ac brevi tempore fato cedunt, quorumve compoſitio rancida & facultas evanida evadit. Quomodo enim corruptioni reſiſtere ac frænoseidem injicere hoc medicamentum poteſt, quod ipſum corruptioni & ſqualori tantoperè obnoxium eſt? Ex adverſô autem ſpagyricâ induſtriâ ac labore parta præſidia auguſtæ in medendô ſunt poteſtatis, utpote quæ ad incorruptibilitatis & ſummæ ſubtilitatis thronum perducta, adeoque aſtrali dignitate condecorata corporis penitiſſima penetrant, ac proinde non tantùm potentiſſimè, quicquid alicubi ſordium eſt congeſtum, reſolvunt, omnemque morbi contumaciſſimam tyrannidem glorioſè ſupplantant, verùm etiam ſuopte bonitatis donô membra quævis efficaciſſimè corroborant, ac vitale robur præſtanter reſtaurant. Ex hâc ergo Hermeticorum pharetrâ generoſæ demum ac valentes contra hanc morbi pervicaciam ſagittæ deſumendæ, & quidem in tempore ac ſine cunctatione ullâ, erunt, ne deſperatus planè atque conclamatus ſcirrhus tractu temporis, utpote qui indies notabilia ac majora ſuſcipit augmenta, evadat.

Ad §. 4.

Spiritus ☿ii à virtute ſuâ heroicâ ſatis jam nobis ex toties inſtitutis ratiociniis notus eſt, adeoque non dubitamus etiam de peculiari ejus ſcirrhos quoque maſculè expugnandi valentia: Alter verò nempè ſpiritus ✱ 🜿riſatus, qui tam internè uſurpatus, quàm extrinſecus adhibitus tanquam ſingulare ſpecificum ab Autore contra ſcirrhum lienis hîc commendatur, quomodo parari debeat, ſubſequens Caput nos docebit, ubi hoc remedium ſolertius etiam conſiderandi anſam accipere non ſusque deque habebimus. Hic ſanè ſpiritus compoſitus ſi ſedulò uſurpetur, eſt inſigne deoppilativum & medicamentum in omnibus chronicis affectibus utiliſſimum, haberque vim penetrantiſſimam excrementitios, craſſos, 🜿reosque h. e. viſcidiſſimos humores in viſceribus ſtabulantes oppidò incidendi, attenuandi, efficaciſſimeque reſolvendi ac diſcutiendi, quo ipsô nomine etiam ſummam obſtructionum contumaciam magnô cum ſucceſſu reſerat, atque viſcerum lienisque ſcirrhos ex ſententia tollit.

Ad §. 5.

Purgatio iſta ☿ialis exoptatam efficaciam in hôc caſu eaſdem ob cauſas exhibebit, quas in præcedenti Capite & aliquoties jam alibi adduximus. Quod verò quintam Eſſentiam ♂ concernit, cujus præparationem Autor hîc appoſuit, illa planè philoſophica eſt; ſi per ▽am ☿ii menſtruum illud univerſale ex Philoſophiâ adeptâ petitum hîc intelligamus, de quô medicamine etiam nullum eſt dubium, tantam ejus virtutem eſſe, ut eam condignô modô exprimere levis hic calamus non ſufficiat: Sin verò per ▽am ☿ii eam Autor hîc innuat, quam in Myrotheciô ſuô Eſſentiam vocat, eamque præparandi modum inſuper ibi docet, omninò credimus, eâ quoque ratione cum hoc menſtruo ex delicato quo-

dam & quaſi magiſteriali ♂ croco non ignobilem ℞am ſeu Eſſentiam confici poſſe. Videatur cumprimis Schröderus noſter, qui varias præparandi hunc ſpiritum ſeu ▽am ☿ii rationes adnotavit, (nos acidum ☿ii toties laudatum ſed rectificatum hic ſubſtitueremus) quarum electio penes quemlibet eſto. Interim habemus etiam alias Eſſentias liquidas ſeu ℞as ♂, quarum præparationes Chymiæ Interpretes, nempe Crollius, Hartmannus, Begvinus, Schröderus, Agricola, Zvvölferus, & alii paſſim ſincerè adſcripſerunt. Hæ autem Eſſentiæ ſeu ℞æ ♂ (ex quibus nobilior, excepta philoſophica, nobis videtur, quam ipſe Autor in ſuo Myrothecio habet) iis dotatæ ſunt viribus, quæ ſanguificationis organa peculiari ſolatio ac magnifico robore recreant, atque illis ſic effectiſſimè patrocinantur. Cæterum huc etiam trahenda ſunt illa, quæ Capitum præcedentium ſcholia nobis ſubminiſtrarunt: Ad extrà Emplaſtr. d. citula c. ☍, gumm. ammoniac. malaxatū contra lienis & hepatis ſcirrhos decantatiſſimæ facultatis exiſtit. Paucis: Qui lapides & calculos in viſceribus ſuccreſcentes ſuaviter diſſolvere poteſt, & hunc ſcopum aſſequendi probatæ fidei ac valoris armaturam poſſidet, is paratiſſima felicitate ſcirrhoſos viſcerum tumores, qui à calculoſa iſta calamitate ob prædictas cauſas non adeò diſcrepant, ſolvere, diſcutere atque expugnare valebit. Ergo ex calculorum therapia adpropriatorum contra ſcirrhos remediorum catalogus etiam non immeritò ſollicitari poterit.

CAPUT XLVII.

De

Inflammatione Lienis.

§. 1.

INflammatur Lien ab obſtructionibus & tumoribus, qui p.n. illi ſuperveniunt: Excandeſcit enim ſpiritus innatus lienis ob excrementa illa p.n. retenta, quæ ipſa cùm edomare aut propellere nequeat, calorem ſuum nativum adauget, ut hæc ipſa excrementa expellere queat: Neſcit enim ſpiritus ſanitatis cuſtos alia via foras propellere, quod illi noxium eſt, quam per calorem ſuum, qui cum gradu ſuo non ſufficiat, eum adauget, & ad gradum præternaturalem deducit, donec hoſtem debellarit; tunc ſublata irritationis ſuæ cauſa quieſcit, & ad tonum ſuum naturalem ſeu temperiem nativam redit.

§. 2. Nec eſt, quod potu ▽æ frigidæ & Julapiis attenuantibus ac refrigerantibus hæc inflammatio temperetur: Tolli enim non poteſt, niſi tollatur omninò iſtius inflammationis cauſa materialis, cujus remotio utique neceſſaria eſt ad lienis inflammati curationem.

§. 2. Tollitur autem iſtius inflammationis materia purgatione noſtra ☿iali ſupe-

ſuperius atque ad nauſeam recitatâ, quâ ter aut quater repetitâ radicitus excrementa omnia, quæ in liene expullulare ſolent, tolluntur; quibus ſublatis roboratur ſpiritus lienis innatus, ſanitatis ſuæ cuſtos: Hoc autem roborato lien ſtatim ad ſuam naturalem temperiem reducitur.

§.4. Spiritus etiam ☿ii ſummoperè prodeſt ad hanc inflammationem radicitus expellendam & extinguendam, quia diſſipat & attenuat materias craſſas & obſtructionem facientes, præterea calorem p. n. ex irritatione ſpiritus productum extinguit: Atque ſic perfectè & abſolutè ſpiritu ☿ii & purgatione ☿iali lienis inflammatio curatur.

§.5. Spiritus quoque ✳ & ♀ ſimul juncti in curatione morborum omnium, quibus lien obnoxius eſt, miranda præſtat. ℞ ⊖ ♀ri diſſoluti & clarificati in ▽ communi, ✳ tantumdem, miſceantur, & in 🝭 ponantur, ſatisque violento △e deſtillentur: Quod ſtillat, eſt ſpiritus ✳ & ♀ri, qui ſimul conjunguntur, & ſummæ ſunt penetrationis ad diſſolvendas omnium partium quasvis obſtructiones.

Animadverſiones

Ad §. 1.

INflammationum & febrium, quarum illæ particularitatem, hæ vero univerſalitatem in Medicina innuunt, doctrinam ex corruptionis, putrefactionis & fermentationis (quæ omnes inter ſe invicem inſeparabiles exiſtunt, & adamantino quaſi vinculo junguntur ſive arctiſſimè concatenantur) fundamento eſſe petendam, non tantum aliquoties ſtatuimus ac probavimus, verum modum quoque fiendi dilucidè tunc inſimul oſtendimus. Tantò autem facilius in liene inflammatio oriri poteſt, quanto certius eſt, hoc viſcus natura ſua propter vitales tubulos ſpirituumque influentium copiam calidius, & ob iter quam plurimis ſurculorum, quos arteria ſplenica parit ac ſubſtantiæ iſtius parenchymatis implantavit, labyrinthis textum obſtructionibus facilè obnoxium exiſtere. Si igitur excrementa p. naturalia in ſplene haud rectè ſe habente colligantur & collecta retineantur, tractu temporis corruptionem & fermentationem illa indubitatò concipiunt, quam Natura benignitatis ergo, ut ſic purum ab impuro ſeparari poſſit, molitur, & proptereà per accenſus fit morborum genetrix. Ex genio autem fermentationis jam notum eſt, hujus beneficio ex ſuccis & humoribus, quicunque etiam illi ſint, ſpiritus & 🜍rea planè effluvia elici producique ſemper ſolere, quæ dum cum calore naturali ac ſpiritibus vitalibus miſcentur ac invicem incarcerantur, vim caloris evidenter ſic conduplicant, atque hac ratione calorem p.n. ſeu intemperiem calidam efficiunt. In hoc igitur conſiſtit illa caloris nati vi adauctio, & ad gradum p. naturalem reductio, vel ſpecies vitæ irri-

irritatio atque Archei excandeſcentia aut certamen Naturæ atque calidi nativi pugna contra materiam peccantem; quæ loquendi rationes cum fermentatione vitioſa idem plane dicunt atque innuunt, adeoque in uno etiam ſcopo accuratè hæc omnia conveniunt: Archeus enim ſive ſpiritus vitæ propterea irritatur, excandeſcit, & furorem ſeu inordinatum motum contra materiam excrementitiam tanquam ſibi ſeu Naturæ noſtræ infeſtam ſuſcipit, ut utile ab inutili, purum ab impuro ſeparet, quo illud, quod purum eſt, ſibi aſſimilare; impurum vero propellere valeat. Et in hoc eodem fine verſatur etiam fermentationis cardo, neque quies ſperanda, niſi Natura intentionem ſuam conſequuta fuerit, aut niſi impetuoſa fermenti iſtius vehementia ſedetur, Archeusque iratus ad ordinatam actionem debitis mediis revocetur.

Ad §. 2.

Doctrina refrigerantium ab Autore hîc revellitur, quod ea quotidie talia (veluti in curatione febrium vulgari modo inſtituta id ſatis liquet) incaſſum planè adhibeantur, niſi tollatur inflammationis cauſa materialis & excrementitia iſta hoſtilitas, quæ Archeum noſtrum adeò turbat atque laceſſit. Jam ſuprà hoc nos tetigiſſe thema recordamur, dum ex Poterio, hactenus in ſchola Galenica omninò ignoratum fuiſſe, quid propriè ſit refrigerare, adductis inſimul rationum ponderibus ſincerè demonſtratum dedimus. Ideoque cum refrigeratio iſta apud prudentiores Medicos, & qui rerum viſcera exactius ſcrutari ſolent, nil aliud ſit, quam beneficio nobiliorum præcipitantium violentiam morboſæ fermentationis circumſpectè compeſcendi & Archeum opportunè placandi ratio, eluceſcit quoque tunc potius fermentationis quàm inflammationis vitium eſſe attendendum. Ideoque ibi ſciendum juxta inſinuamus, neceſſum ante omnia eſſe, ut prius fermenti impetus quodammodo cohibeatur ac mitigetur (non vero totaliter tollatur, ne Naturæ ſalutaris ſic impediatur conatus) antequam juxta Autoris mentem ad remotionem materiæ peccantis nos accingamus: Nam alioquin exaſperabitur potius illa fermentationis ferocia, & graviora hinc ſymptomata concitabuntur, quùm de eſſentia purgantium ſit fermentando (hôc enim modô materia fluida mobiliſque facta ad excretionem diſponitur promoveturque) operationem ſuam exſerere.

Ad §. 3.

Antimonialis purgatio, niſi penitus jam fractæ ſint vires, atque Natura ad incitas redacta exiſtat, nobiliſſimum fructum effectumque in omnibus ſpleneticis etiam morbis non tam promittit, quàm in rei veritate ſeminium mali radicitus extirpando exhibet, de cujus probatiſſimâ operatione ejusque verâ ratione ex fundamentô Chymiatriæ toties jam diſſeruimus. Ante hujus remedii uſum, præſertim in inflammatione lienis, hoc quemadmodum id paulò ante etiam factum,

factum ; monemus, quod præcedenti die præcipitans aliquod ſeu digeſtivum (uterque enim terminus unum ſenſum habet unumque effectum præſtat, dum nempe humoris excrementitii ſeu morbifici cruditas, ut Galenici loquuntur, ſic coquitur, ejusque contumacia domatur, h.e. materiæ peccantis ferociens fermentatio frænatur) uſurpari debeat, ut refrænatum hac ratione excrementum aptumque ad eductionem promtiorem redditum felicius faciliusque poſtmodum exterminari queat. Tandem certiſſimum nos etiam eſſe dicimus, veram & firmiore baſi nitentem Naturæ noſtræ corroborationem in expulſione materiæ excrementitiæ conſiſtere, quæ anteà turbabat continuo atque gravabat Archeum: Hac enim bonâ fide remota & ex nido ſuo exturbata, Natura noſtra vel ſpontè priſtinum robur ac vigorem ſibi reſtituere callet.

Ad §. 4.

Univerſalis Medicinæ dignitatem competere quoque ſpiritui ☿li, ſæpiſſimè jam inſinuavimus, quapropter nec dubitamus etiam hoc excellens medicamen, quod glorioſo tam puritatis quàm ſubtilitatis ſuæ encomio impuritates quasvis ex penitioribus etiam corporis noſtri receſſibus potenter educere valet, ad tollendam ſplenis inflammationem ex ſententia, præmiſſo tamen prælaudato evacuante, non tantùm ſufficere, verum etiam reſtaurantis vitæ compendio peculiariter virium ſuarum eximium decus commendare.

Ad §. 5.

Spiritus ille ex ⊖ e ♀ri & ✳ compoſitus vel eo nomine magna præconia ſibi vendicat, quod ad medicamenta ſaponaria & ex parte ad Alkalia volatiliſata (ſicut reverà ⊖ ♀ri, quod alioquin fixiſſimum eſt, volatile factum & lege nobilioris Chymiæ in ſpirituoſum liquorem reductum nobiliſſimæ facultatis remedium præbet) referendum veniat, quorum virtutem eſſe jam novimus ad inſtar generoſi coſmetici ſeu ſaponis omnem in vaſis amurcam utut pertinaciter etiam adhærentem efficaciſſimè abſtergere, & fermentationis impetum fortiter juxtà retundere. Deinde coronatur etiam valdoperè hujus medicaminis fama à contubernio ✳, quod heroicis titulis, ob mirabilem, quam habet, naturam, Spagyrici inſignire amarunt, dum illud nempe ⊖ regale, (unde etiam ▽Riam ingreditur, ſic dictam, quod regium metallum, h.e. ☉um ſolvere valeat) aquilam cœleſtem (ob ſummam volatilitatem & aſtralem, qua gaudet, virtutem) & ⊖ ☿iale Philoſophorum (quod materiam vel ſaltim clavem lapidis Philoſophici in hoc ⊖e deliteſcere, non pauci exiſtimaverint) paſſim nuncuparunt. Energiam, quam in reſerandis obſtructionibus, incidendis attenuandisque excrementitiis impuritatibus exhibet, virtuoſa penetrabilitas hujus ſpiritus ex ✳ parati inſigniter adornat confirmatque, ut propterea ſpiritus hic ✳ ♀riſatus non niſi celebris famæ ac potentiæ in Medicina eſſe poſſit. Num vero modus

ille hunc ſpiritum compoſitum parandi, quem Autor hîc adſcripſit, expectationi noſtræ citra difficultatem aliquam aut dubitationem ſit ſponſurus, hoc experientiæ committendum, & ipſa manuali operatione explorandum erit: Hoc quidem certum eſt, quod ſumma ✱ volatilitas pinguedinem ⊖is 🜿ri fixi inſigniter attenuare, ipſique analyſin præſtare & ad volatilitatem obſervatis obſervandis reducere poſſit, verum an lenocinio (ut ſic dicam) ▽æ communis tanquam alicujus tertii intentionem hanc accelerare & facilitare queamus, eſt quod omninò ambigentes nos facit, niſi valdè diuturna hic ſubaudiatur putrefactio, cui ante deſtillationem multoties iterandam magna cum potentia ſubjici hæc mixtura debeat: Sic enim fieri tandem poterit, ut ▽ longinquiori temporis tractu indolem ſuam planè exſuat, atque ⊖ium horum, cum quibus tamdiu rem habuit, naturam adſciſcat. Quid ergo agendum, ut probatiori certitudine nobilis hic ſpiritus impetrari queat? Poſtulat ſanè hæc ⊖ium extremitas medium aliquod ſive tertium & id quidem liquidum (alioquin ✱ potius flores quàm ſpiritum impetrabimus) cujus beneficio ex hiſce ⊖ibus conſpirans & aſtralis unitas produci poſſit. Nos ſpiritum X rectificatiſſimum (qui docente Helmontio vel ipſe totus in ⊖ volatile vertitur, & ſolo fermenti attactu in ⊖inam aſcendit naturam) rectius omninò his ⊖ibus adjungi, & poſtmodum invicem diuturnæ putrefactioni lenique digeſtioni, prout moris eſt, committi exiſtimamus: Quô factô ſpiritus X toties ab hiſce ⊖ibus cohobandus eſt, donec ipſa quoque ⊖ia evadant ſpirituoſa & per alembicum tranſeant; qui ſanè ſpiritus ab illuſtri efficacia nunquam ſatis poſteà laudari poterit. Verum quivis periculum facere & ſagacitatis ſuæ vires hîc experiri poterit; forſan indefeſſus labor meliori faciliorique modo ipſum beabit, ſicuti DEUS profectò arcana etiam Hermetica tanquam præſtabiliſſima Naturæ & Artis dona, cum ingenio inſtitutis laboribus indubitatò vendere ſolet. Doſis hujus optimi ſpiritus poterit præſcribi ad gutt. x, xv. vel xx & dari in ▽ ſpecifica ſplenetica. Obiter ſpiritus ♄ mentionem hic quoque facere debemus, qui ſanè ut medicamenta ex regno ♄i facta ſpleneticos & cachecticos omnes mirificè recreat, radicale humidum reſtaurat, omnes phlogoſes radicaliter extinguit: Parare hunc ſolemus ex ſaccharo ♄ (quod cum ⚹ ex lithargyrio optimo elicimus) eodem modo, quo ſpiritum ⊖is communis vel ⌽i cum bolo fieri novimus, ſed obſervata hac duntaxat cautela, ut ad partem hujus ſacchari unam, quod leviſſimo etiam △e fluere ac conpactum fieri ſolet (unde deſubitò ineptum ad emittendos ſpiritus evadit) 5. vel 6. boli partes (qui bolum Armenam aut 🜨am ſigillatam aut ⊙rem quandam ſubſtituunt, illis de meliori luto finxit præcordia Titan) addantur. Doſis à gutt. x, ad xij. vel xv. extenditur.

CAPUT

CAPUT XLVIII.

De

Morbis Meſenterii & Pancreatis.

§.1.

IN meſenterio & pancreate ſunt venæ tenuiſſimæ, quæ chylum ex inteſtinis à ventriculo ad eadem demandatum ſugunt: ſi igitur venæ illæ à viſcoſitate & craſſitie chyli, prout ob tenuitatem earum facilè id fieri poteſt, obſtruantur, hepar & totum corpus alimento ſuo defraudantur, unde ſuccreſcunt & in maraſmum partes omnes incidunt.

§ 2. Atque ſic ab obſtructione meſenterii maraſmus ſolet oriri, præcipuè in infantibus ac pueris, qui cum voraces ſint, excrementa multa congerunt, unde meſenterii & pancreatis obſtructio, ac per conſequens maraſmus ſeu tabes ortum habet: Hinc quoque febres quàm multæ & cumprimis erraticæ aut ſine typo provenire ſolent, morborumque aliorum valentium focus & minera ibi latet; qua exhauſta omnes iſti morbi curari poſſunt.

§.3. Omnes igitur Medici omni arte tentare debent, quò hanc morborum mineram ac focum exhaurire queant: Pereunt enim & evaneſcunt morbi omnes ab hoc fonte ſcaturientes evacuato exhauſtoque eo: Exhauritur vero fons iſte per purgationẽ ♁ialem ac ſpiritum ☿ii ſuprà citatum, iteẽ per ☿ium dulcem ſpagyricè præparatum, ſed frequenter uſurpatum: ſpiritus ✱ etiam ac 🜿ri præcedenti Capite deſcripti, atque °°° quoque ⊖li in ▽is deſtillatis cichorii atque acetoſæ ad 10. gutt. datum valdè conducunt. Tartarus enim & excrementa craſſa omnia ac tenacia 🜿rum hunc conſtituentia °°° ⊖li tenuitate & diſſolvendi energia, quam habet, ſic diſſolvuntur, attenuantur atque evaneſcunt: Quo modo febres omneſque morbi alii ex meſenterii & pancreatis obſtructione originem habentes etiam curantur.

§.4. Sudorifica pariter poſt purgationem ♁ialem noſtram ac ☿ialem ſuprà præſcriptam ſummoperè hic proſunt, præcipuè vero ⊙ ſudorificum aut ☿ ſudorificus, qui frequenti ♎atione ſæpius iterata ex ſimplici purgante medicamento tranſit in ſudorificum nullo pacto amplius purgans: Atque ſic ſudoribus elicitis tolluntur radices diſſolvendi 🜿ri omnes atque radicitus evelluntur, quæ ex 🜿ro iſto h.e. viſcoſis tenacibuſque excrementis originem habent.

Animad-verſiones

Ad §. 1.

MAgni & famoſi nominis in Medicinâ eſt meſenterium, cumprimis verò illi mirificè implicita vaſa. In hâc ipſâ parte, quæ in mediô inteſtinorum collocata conſpicitur, unde ſuum etiam nomen accepit, reſidentes morbi utut quam plurimi & valdoperè abſtruſi ſint, plerique tamen ab obſtructione pendent, in quâ expugnandâ Medicos inſigniter ſudare ecquis noſtrûm ignorat? Hęc ipſa vaſa meſaraica ut tutiùs ire queant, interjectas glandulas habent admodum plures, inter quas una ſat inſignis ſed & valdè informis deprehenditur, quam Pancreatis voce indigitant Anatomici, quibus propterea hoc membrum Pancreas dictum fuit, quod videatur totum quaſi carnoſum, ita tamen, ut illa carnis ſpecies hic innuatur, quæ glanduloſa adpellitatur, quæ ductibus ſuis iisque ſatis evidentibus gaudet. In utraque parte tam facilè, cumprimis ob vaſorum iſtorum notoriam anguſtiam & exilitatem, obſtructiones contingunt, quàm creberrimum eſſe vitium coctionis primæ & hinc enati craſsâ viſcoſitate aut impuritate contaminati chyli colluvies ſuccreſcere ſolet: Quam ipſam generandarum hîc loci obſtructionum facilitatem inſuper ſummoperè accelerat cœnoſa iſta pinguedo vel potiùs humiditas craſſior, quæ circa has glandulas ſtabulari conſuevit: Exinde enim ſcirrhorum obſtructionumque pervicacium origo, quæ ex lutulentâ hâc viſcoſitate in gypſeam contumaciam indurata dependet, haud difficulter determinari poteſt. Quâ ratione autem ex hisce obſtructionibus ac debitæ nutritionis defectu ob ſanguinis boni penuriam tabes & maraſmus (hæc membrorum inſignis ariditas appoſitè dicitur ſenectus ex morbô, quæ etiam pueris juvenibusque accidere poteſt) hinc provenire queat, hactenus in præcedentium Capitum declaratione, præſertim verò ubi atrophiam perpendimus, abundè ac fuſiùs jam expoſitum fuit.

Ad §. 2.

Hæc ipſa corruptio viventis corporis, quæ fit ob ſiccitatem ex alimenti inopiâ, ſive maraſmus in omnibus oriri poteſt, in quibus graviores & impenſè contumaces meſenterii obſtructiones provenire poſſunt: Aſt in omnibus tales contingere poſſe, experientia & quotidiani caſus teſtantur. Ergò quævis etiam ætas maraſmo, & ſic puerilis quoque non obnoxia eſſe nequit. Pueris, inquit Autor, hoc malum ſive hanc corporis ariduram cumprimis eſſe familiarem, quod ſtomachi ſui menſuram non noverit incauta hæc ætas, ac proclivis admodum, quod appetitu impenſiùs iſta caleat, ad voracitatem exiſtat. Ut itaque exceſſus in omni re vitioſus eſt, ita in victu quàm maximè ſuam naturam an potiùs nequitiam

quitiam prodit; ita enim pueri, qui naturaliter humidiores eſſe ſolent, propter hanc incongruam vitæ methodum multos morbos & non rarò etiam ipſum maraſmum ſeu corporis ariditatem incurrunt: Multa enim fercula multas faciunt cruditates multasque coacervant impuritates, quibus præſentibus chyli depravatio, meſenterii pancreatisque obſtructio, & ſanguinis laudabilis hinc orta paupertas in promtu eſſe ſolet; hoc namque deficiente naturalis corporis humiditas evaneſcit vel potius conſumitur, atque macilentia miſeranda poſtmodum ſuccedit. Autor hîc quoque obiter mentionem fecit foci, nidi, ac mineræ febrilis, quæ circa primas vias, quas ventriculus cum inteſtinis tenuibus & vaſis meſaraicis, quorum veluti mater habetur Pancreas, conſtituit, reverà conſiſtit. Prout itaq; chyli depravatio & humorum excrementitiorum ibi ſcaturientium corruptio ſe habet, ejusque gradus minoris vel majoris quinti ponderis ac vehementiæ, ita etiam boni vel mali motis ſeu benignæ ac malignæ, intermittentes aut continuæ, erraticæ aut perioticæ febres exinde provenire ſolent, veluti infrà de febrium ortu ac curâ occaſio circa hoc thema meditandi plura obviam nobis dabitur. Atque hoc ipſum indubitatâ certitudine nobis confirmatum ac veluti ſanctum eſt, febres omnes rectiùs feliciusque curari non poſſe, quam ſi fons & minera febrilis illius materiæ, ſed providè tamen ac circumſpectè exhauriatur. Ideoque non immeritò Helmontius lethalem illam exclamat ignorantiam, qua febris Eſſentia & fomes malè definitur maleque determinatur: Unde poſtmodum impoſſibile eſt vera & appropriata excogitare ac præſcribere remedia, imò hoc potiùs opprobrium accreſcit febrem malè definientibus, vulgaremque medendi methodum exoſculantibus, minùs omninò ipſam nocere febrem ægrotis, quàm purgantia iſta communia, venæſectionem, & alia præſidia vulgò uſitata; quâ de re utilia ſuô locô.

Ad §. 3.

Eadem quoque medicamenta, quæ paulò ante ſpleneticis affectibus convenire aſſerebatur, hîc locum quoque ſuum citra ullam hæſitationem habere, ex his ipſis cognoſcemus, quæ jam ſuprà candidè adnotavimus. Quod enim obſtructiones ac vitia, quibus lien obnoxius eſſe ſolet, ex fundamentô curat ac tollit, id multò magis pancreas & meſenterium tuebitur, eademque ab hoſtili ſarcinâ liberabit, quod hæ partes tantoperè abſtruſæ non ſint, nec in penitiori corporis receſſu lateant, veluti de ſplene id certum eſt. Quod 🝆 ⊖li ſpectat, pariter quoq; ex ſuperioribus non ſemel nobis jam innotuit ejus peculiaris nobilisq; virtus (tantopere enim in medicinâ ⊖lum adſeritur fructuoſum, ut integram quaſi officinam ſeu pharmacopolium in eô latitare ſtatuerint ſpagyrici ſtudii Myſtæ) quam ex ⊖inâ naturâ (🝆 namque quodvis non ſecùs ac ſpiritus eſt ⊖ reſolutum, ita tamen ut 🝆 de fixô ⊖e, ſpiritus verò de volatili plus participet) obtinet

obtinet quoque in attenuandis ſtrenueque diſſolvendis 🜿reis h.e. lutulentis craſſisque excrementitiarum humiditatum viſciditatibus, has obſtructionum contumacias efficientibus.

Ad §. 4.

An ſudorifica in curatione vaſorum viſcerumque præſertim contumaciter obſtructorum ſub favore rationis conveniant aut rectè in hôc caſu præſcribantur, non immeritò probi cordatique Medici curioſitas in dubium vocare poterit, quod nempe ſic obſtructiones potiùs contumaciores & materia peccans obſtructionem patiens compactior & viſcida magis ſeu vitrea, dum per ſudores tenuis ſaltim pars ejusdem relictis craſſioribus educitur atque evaneſcit, reddi queant. Verùm ipſe Autor dubio huic ſtatim occurrit, dum præmiſſis univerſalibus & poſt purgationem ſuam ☿ialem, cujus virtuoſa poteſtas jam nobis perſpectiſſima eſt, demum ad Sudorifica acceſſum eſſe faciendum monuit: Hâc enim methodô ſi Natura à potiori onere, quô anteà gravabatur, bona fide liberata fuerit, per ſudorifica inprimis nobiliora & hîc denominata, quorum notitiam ſuprà jam aliundè impetravimus, poſtmodū reliquiæ haud difficulter educi quoque penitusque tolli poterunt. Tandem ☿ium dulcem per toties iteratas ♎ationes vim ſolutivam ac catharcticam penitùs amittere & diaphoreticam tantùm virtutem adſciſcere, ſuprà jam ſatis probavimus: Quâ in re ſi Schroderus noſter varios parandi ☿ium ſudorificum modos ſincerè recenſens conſulatur, commodô ſuô hæc opella non carebit.

CAPUT XLIX.

De
Obſtructione inteſtinorum.

§. 1.

INteſtina cùm in centrô corporis conſtituantur, ibique excrementa craſſiora & graviora tanquam in ſentina corporis congeruntur, graviſſimis etiam morbis & potiſſimum obſtructione, inflammatione, dolore & alvi fluxu, abſceſſuque, ulcere & calculo quandoque tentantur, de quibus omnibus & primo de obſtructione nobis dicendum eſt.

§. 2. Obſtructio illa nil aliud eſt, quàm craſſi & viſcidi excrementi congeſtio, in parietibus ipſorum inteſtinorum facta, quam 🜿ri cumulationem Chymicorum nonnulli vocant, quod excrementa craſſa, tenacia ac viſcoſa 🜿rum appellare ſoleant: Ab his igitur ſolis excrementis 🜿reis fit inteſtinorum obſtructio, quâ eorum functio interpellatur.

§. 3. Hæc

§. 3. Hæc ipſa materia diutius longiusque in cellulis coli ſeu inteſtinis coërcita dureſcit, ita, ut tandem lapideſcat, & in calculum concreſcat, qui ab eadem cauſa materiali & efficiente in ipſis inteſtinis dependet ac in veſicâ, ut in tractatu de morbis veſicæ fuſius declarabitur.

§. 4. Ideoque curationem obſtructionis inteſtinorum nunc aggredimur, quæ potiſſimum purgatione noſtra ♁iali & ☿iali fieri ſolet: Cætera enim purgantia flocci pendenda ſunt, quia nullius ſunt virtutis & efficaciæ, quod blandiantur ſolum & palpent morborum cauſis, nullô autem pactô radices eorum funditus evellant, velut experientiâ longâ id didici.

§. 5. Hæc autem medicamenta noſtra etſi corpus in nonnullis delicatæ texturæ hominibus exagitent & perturbent, nihilominùs tamen poſt nubila Phœbus, & poſt tempeſtates quies & tranquillitas, ſecuriusque portus acquiritur, puta, ſanitas tuta & tranquilla hinc exoritur & illuceſcit. Clamant quidem Galenici, hæc medicamenta etſi perquam optimè ſint præparata, violentiſſima tamen eſſe motusque hos violentos Naturam absque læſione manifeſta pati non poſſe: ſed Philoſopho ridiculum hoc videtur; nam Natura facili negotio & via violentos patitur motus, ut mortem ipſam evitet & ab ea ipſa ſe tueatur: Mors enim omnium motuum violentiſſima eſt, quam ut Natura effugere queat, cæteros quoscunque ſequi & pati mavult, etſi aliqua ratione hinc lædatur, facili tamen via à læſione illa poſtmodum ſublevatur: quocirca non timenda eſt illa læſio, cum plus utilitatis quàm nocumenti hinc exſurgat.

Animadverſiones

Ad §. 1.

NOn diſputabimus hic, nec diſputatione utpote prorſus *inutili* jam ventilabimus, num inteſtina occupare centrum corporis rectè ab Autore affirmetur, ſed curioſũ quemvis ad microcoſmographiam ſeu topographiam, quam ſolemniori titulô ANATOMIAM ſalutamus, potiùs remittimus, ubi Riolanum inter alios potiſſimum Lectoris deſiderium in majori volumine ſuô ſatiaturum promittimus. Sanè qui juxta ventres ſeu cavitatum ternionem excluſis artubus hoc metiendi negotium inſtituunt, illi deſubitò diſſentient, & cordis vitalem aulam in meditulliô corporis ac centrô conſtitutum potiùs monſtrabunt. Sed videtur Autor hanc ſuam in homine geometriam exercuiſſe totum corpus, quatenus tunc artus unà attenduntur, concernendo, ubi ut quemlibet, ita Autorem noſtrum quoque ſuô abundare ſenſu non indignabimur. Verum ad rem ipſam nos convertentes hoc ſtatim monemus, quod per inteſtina, quæ ſine adjectione hîc denominavit Autor, intelligat craſſa, veluti id confirmat

protinùs

protinùs excrementorum craſſiorum ab ipſo facta mentio. Deinde videmus quosdam ſaltim morbos ac ſymptomata, quæ in hac corporis ſentina contingere ſolent, promiſcuè Noſtrum enarraſſe, quorum diſtinctum ordinem & emeritus Sennertus & doctè compendioſus Jonſtonius ſat dilucidè expoſuerunt, qui proptereà etiam videri poterunt. Multos autem eosque graviſſimos morbos ex hisce excrementis craſſis, ſi p.n. cumulentur, retineantur, & hinc corruptionis malitiam concipiant, ſcaturire poſſe, tam certum eſt, quàm indubitatum eſt, omnia excrementum in agrum vitalem deducta miris multisque modis Archeo ſeu calido nativo eſſe tam inſidioſa quàm exitioſiſſima, velut alibi hoc ipſum jam fuſè demonſtravimus.

Ad §. 2.

Obſtructio inteſtinorum ad illos pertinet defectus, qui in excrementorum debitâ abductione conſiſtunt. Quæ ipſa excretionis actio licet reverà ſit accidentalis, tamen ad tuendam ſanitatem ac conſervandam vitam non minùs neceſſaria quàm principalis exiſtit; unde videmus etiam ac ſuprà jam probatum dedimus, Naturam proptereà peculiares partes earumque non incongruum apparatum molitam. Hanc autem inteſtinorum obſtructionem Practici aliô potiùs exprimere terminô conſueverunt, ubi gemina rurſus loquendi ratio occurrit, dum quidam hunc ipſum p. naturalem affectum tanquam morbum, quidam verò ut ſymptoma conſiderant. Illi inteſtinorum anguſtiam vocant, quam non tantùm inteſtinorum incurabilis coaleſcentia, item inflammatio aut hernia, verùm etiam fortiter adſtringentia & exſiccantia, nec non fæces induratæ aut excrementa craſſa ac viſcidiſſima inducere queunt: Hi verò adſtrictionem ſeu retentionem alvi à quacunq; etiam cauſa ortam nuncupant. Verùm quum utrâque viâ ſcopum medendi impetrare adeoque rem ipſam acu tangere queamus, ad cognitionem cauſæ, quam Autor adduxit, nos ſtatim convertimus. Unicam verò cauſam utpote frequentiorem obſtructæ ſeu adſtrictæ immorigeræque alvi Noſter hîc adduxit, nempe accumulationem ſummè viſcidorum & craſſorum excrementorum, quam excrementitiam ac lutulentam glutinoſæ mucilaginis tenacitatem hactenus ♀rum ſeu ♀ream ſaburram nominare medentes amarunt, dubiô ſine, quod partes illæ 🜃eſtres, quæ in prima alimenti aſſumti coctione remanent, & à ſanguinis natura longiſſimè abſunt, cum ▽oſa ſeu phlegmaticâ dicti alimenti portione (non enim omne ſerum per vaſa meſaraica ad ſanguinis rempubl. tanquam vehiculum ejus tranſit) commixtæ talem maſſam craſſam viſcidamque ♀roque liquidiuſculo non adeò abſimilem conſtituant, quæ tractu temporis & accedente diuturniori morâ per corruptionem, quæ promtè poſteà ſuccreſcit, majorem ac contumaciorem, imò velut gypſeam ſeu vitream planè viſciditatem acquirit; unde non tantùm ab hujus nequitiæ excrementis latera inteſti-

inteſtinorum interna quaſi incruſtantur, iisdemque coli cellulæ vehementer opplentur, verùm etiam aucta horum excrementorum inteſtinis firmiter ſic adhærentium congeſtione internam eorum ſuperficiem velut compingunt, adeoq; viam illam naturalem, per quam Natura ſe alioquin commodè exonerat, validè demum penitusque occludunt.

Ad §. 3.

Licet rariſſimè contingat fæces alvi ob diuturniorem moram lapideſcere ſive in calculum indurari, tamen ante hoc ſexennium hujuscemodi caſus mihi in praxi meâ occurrit, qui Ampliſſimo Chymiatro ac Decano noſtro D.D. Joanni Michaëlis, utpote cujus conſilium tunc pariter expetitum fuit, conſimiliter optimè notus erit: Nempè Sacerdos quidam apud Variſcos gracilis alioquin conſtitutionis per integrum annum nil niſi arenoſa excrementa quotidiè dejiciebat, adeò ut illa tam veram arenæ formam quàm ſcabritiem ac duritiem rem tam monſtroſam inſolitamque explorantibus oſtenderent: Tandem eò perventum fuit, ut integri etiam lapilli in magnâ ſatis copiâ magnitudinem piſi imò fabæ etiam æquantes cum inſigni dolorum atrociâ aſſiduò excernerentur: Abdomen ejus quando tangebatur, & tactu hôc pauliſper movebatur, ſtupendũ ſtrepitum edebat, non ſecùs nimirum ac ſaccus lapidibus oppletus factâ agitatione colliſivum ſonitum reddere ſolet. Cauſam hujus morbi & tantæ tamque perpetuæ calculorum arenarumque copiæ nemo ex Medicinæ cotice aut Naturæ campô petere audebat, ſed quivis ut & ipſe patiens magicas præſtigias conſtanti gemitu hîc potiùs incuſabat, morbumque ſupernaturalem lugebat, adeoque ſolius Omnipotentis gratioſam opem implorabat: ſicuti reverà & Ego omnia utut egregiè probata ac pretioſa remedia planè incaſſum tunc exhibita experiebar, donec denique beata analyſis tam horrido morbo exoptatam adduceret medelam ac finem. Dignum profectò curioſa inquiſitione hoc cadaver fuiſſet, niſi magni ponderis circumſtantiæ id prohibuiſſent.

Ad §. 4.

Circa purgantia illa atque cum generoſa virtute operationem ſuam præſtantia, quorum laudibus non paucæ hîc pagellæ jam perſonuerunt, cuncta ſe rectè ſub confirmatæ veritatis teſtimoniô habent, ſicuti etiam nos illa Cathartica nullius momenti eſſe pronunciamus, quæ ſaltim palpamenta oggerunt ac blandè movent, non verò promovent; modò Clyſteres probè abſtergentes & craſſiora obſtacula removentes (quales ſunt noſtrates cum liquore noſtro virgineô vel ☿iali ⋇ facti, qui viſcidiſſimas etiam fæces alvi attenuare, reſolvere ac potenter ſubducere valent) in anteceſſum adhibeantur atque præmittantur:

ſic namque via non tantùm ex votô patula redditur, verùm etiam Natura ex parte jam remotô onere liberior agiliorque facta cum pharmacô potentius poſteà cooperari, & proinde purgationis effectum deſideratâ felicitate ſic adornare poterit.

Ad §. 5.

Non tam indignatione quàm commiſeratione dignæ ſunt illæ inſtantiæ, quas chymicorum medicaminum oſores & ſyruporum magiſtralium bupomatumque (potiones longas etiam vocant) proci nobis oggerunt, imò ne nominari ac commemorari noſtrô quidem judiciô merentur. Adeoque Hermeticorum armorum apologia, quam dixit hîc loci Autor, appoſita omninò eſt, imò quilibet, qui acetum in pectore habet, jamdudum cognovit, purgantia generoſa & magnificè agentia non citra quandam virium jacturam ac moleſtiam operationem ſuam exſerere, quæ tamen vel ſpontè poſtmodum redeunt, imò robuſtiores longè evadunt. Medico inprimis adeò curandum, ut ſecurim Artis ſuæ ad radicem vitiatæ arboris ponat, illamque feriò, difficultates nullas, ſi vitæ periculum duntaxat non portendant, exſcindere conetur: ſic enim frutices ac ſtolones non ampliùs neque tam facilè repullulabunt. Hinc errant v.g. qui vulneris acerbitatem mitigant, aut morbi contumaciam exteriùs adhibitô unguine infringere tentant, vomica interius & mali intacta origine relicta. Perverſum hoc remedii genus eſt, quod tombæ ſepulchrali (qualia ſunt blandientia illa & fuco adulationis ſuſpecta, quæ non immeritò cum hoſtili h.e. inſidioſiſſimô oſculo comparantur) non vero ſanitati conducit: Hanc nempe potius, quàm delicias & noxia blandimenta ſpectet Medicus. Nulla adeò videtur dura curatio, cujus effectus eſt ſalutaris: Hinc bonus etiam ac peritus Chirurgus, qui tumentes vulnerum ſinus non parcente manu contrectat, ſed amputatis putredinibus medela fortiore opitulatur, eleganti dictione à quodam gratioſè crudelis vocitatur. Sub crucis vexillô gloriam triumphantis lucis non immeritò Chymiater pollicetur; Imò ſi Naturam Medicus tanquam ejus miniſter imitari velit, prout debet, videbit ſtatim non ſine moleſtia ac difficultate quadam morbos expugnari poſſe, id quod vel ex ſola criſi, quæ ſpirit, periculoſa videtur, & merus eſt Naturæ conatus, luculentiſſimè patet.

CAPUT

CAPUT L.

De *Dolore inteſtinorum.*

§. I.

OBſtructis inteſtinis ab excrementis viſcoſis ac tenacibus ſuprà citatis itemque acidis ingentes & valdè atroces fiunt dolores, qui colici dicuntur, quod ſolum iſtud inteſtinum occupent exagitentque: aliquando etiam iliaci vocantur, ſi ileum inteſtinum infeſtent.

§. 2. Fiunt hi dolores omnes à craſſis illis, viſcoſis acidisque excrementis, quæ parietibus inteſtinorum adhærentia temporis diuturnitate acrimoniam & pungendi facultatem acquirunt, tandemque ipſum inteſtinum ulcerant: unde ſpiritus innatus horum inteſtinorum patitur ſtatim & iſtam ulcerationem perſentiſcit.

§. 3. Si tollantur hæc excrementa, dolor ſtatim ceſſat, quod materia dolorem hunc excitans foras propulſa fuerit: ſi autem adſit ulcus factum in inteſtinis ipſis, dolor non ceſſat, niſi ulcere curatô. Sæpius etiam non factum adhuc ulcus eſt, ſed tantùm materia ulceris pungens vellicansque inteſtina dolorem ſpiritui nativo inteſtinorum inducit: Tunc temporis ergo evacuatâ materiâ hâc pungente ac ulcerante acer mordaxque dolor curabitur & ceſſabit.

§. 4. Aliquando hæc excrementa craſſa & viſcoſa acria non ſunt neque pungentia, ſed dum obſtruunt inteſtinorum vias, ſpiritus ſanitatis cuſtos atque œconomus hæc excrementa foras propellere conatur, cumque craſſa ac viſcoſa ſint, attenuare tentat, unde in horum excrementorum attenuatione major eorum pars in flatus convertitur, à quibus poſteà ſupra capacitatem ſuam inteſtina ita diſtenduntur, ut quaſi dilacerari ac diſrumpi hinc videantur. Spiritus itaque, qui eſt ſolus ſenſationis capax, ſtatim illam diſtenſionem & quaſi dilacerationem, quæ ſummum parit dolorem, perſentit: Atque ſic Colica flatuoſa generatur, quæ curatu facilior eſt, quàm ab ulcere, cùm jam materia flatulenta à ſpiritu ad faciliorem ejectionem præparata exiſtat: Sed materia ulceris & acris nullô pactô ad ejectionem parata eſt, ſed fixa manet, indiesque acrior atque mordacior redditur.

§. 5. Sed ex quacunque materia colicus dolor ſive in inteſtinô colô, ſive ileô fiat, ſequenti methodô curabitur: ℞ ♁ii noſtri ſpagyricè præparati gr. 8. conſerv. viol. ℥j. Moſch. gr. 3. M. f. bolus, & detur ter aut quater: Purgatô ſic corpore & evacuatâ materiâ colicum dolorem faciente, ad anodyna devenien-

dum eſt præſcribendo Anodynum ſummum ad quantitatem granorum 10. vel 12. & facta hinc pilula devoranda eſt ſomni tempore: ſic enim dolor provocatô ſomnô ſopietur.

Animad-verſiones

Ad §. 1.

INteſtinorum dolor geminum in Pathologiâ adjectivum adſciſcere ſolet, dum vel iliacus vel colicus nominatur. De illô jam ſuprà egimus; hic verò in præſenti declarationem ſibi depoſcit. Colicus ille dolor communiter unô verbô Colica dicitur ἀπὸ τῦ κόλων, quæ vox inteſtinum inter craſſa, nempè cæcum rectumq;, ſignificat medium: Imò nec rarum eſt in Medicinâ præcipuè hôc nomine univerſam inteſtinorum craſſorum claſſem indigitare vel potiſſimum coli, utpote quæ totam quaſi paginam hîc complere videtur, veluti per anatomicam fidem id certum eſt, rationem habere. Neque inteſtina etiam tenuia hîc penitùs excluduntur, ſiquidem propter continuitatem & fraternam ſimilitudinem, quam inteſtina tenuia & craſſa invicem manifeſto habent, non tantùm præſentiſſimæ compaſſionis cauſa hîc in promtu ſit, verùm etiam materiæ peccantis communio utriſque competere ac reciprocâ ratione inſinuari queat: Imò deterior periculoſiorq; Colica eſt, ſi in tenuibus juxtà tunc dolor ſeu fermentum potiùs doloriferum ferociat, & id quidem eam ob cauſam, quod contagio ejusque malignitas per vaſa meſaraica tranſeundo viſcera ſanguificationis tunc ſine omni difficultate unà afficere, atque totam ſanguineam maſſam inficere poſſit; unde cur ex Colicâ Paralyſis, contractura artuum & convulſiones fieri queant & quandoq; ſoleant, dictu expoſituque non adeò obſcurum erit. Ergò ileus ſive dolor iliacus ſi concurrat cum Colicâ, nil aliud profectò eſt, quàm colici morbi horribilis gravitas; quod ipſum axioma non niſi iniquus & valdè imperitus Medicus ſusque deque habebit. Cauſarum, de quibus tamen graviſſimæ ſunt inter Autores controverſiæ, effigiem tribus quaſi lineamentis hîc quoq; adumbravit Autor, dum inteſtinorum obſtructioné ſeu alvi ſegnitiem (quæ ipſa ſi diutiùs duret, fieri ſemper cum inſigni animalis diſcrimine conſuevit) deinde viſcida atque tenacia excrementa, & tertiò eorum acorem propoſuit, quarum tamen cauſarum catenationem ex doctrina fermentationis & corruptionis, cujus primum gradum exorbitans aut degener aciditas evidenter ſiſtit atque indicat, jam ſæpiùs haud tenebricoſo penicillo depinximus: Aſt quomodo colicus inde dolor provenire ſoleat, mox atque in ſubſequentibus jam percipiemus.

Ad

Ad §. 2.

Viſcidæ, tenaces ac glutinoſæ impuritates excrementitiæque humiditates quomodo in inteſtinis coacervari ac p.n. retineri queant, nobis jam probè perſpectum eſſe arbitramur, ſicuti pariliter in ſuperioribus abundè cognovimus, mucilaginem hanc fæculentam, ſi prætereà incarceretur & factô moramentô juſto diutiùs retineatur, certiſſimam inquinatæ putredinis ac fermenti vitiati labem contrahere, atque ſic aciditatem & acrimoniam valdoperè mordentem lancinantemque, cujus vehementiam magis exquiſitus corruptionis putredinisque gradus efficit, acquirere: Imò △eam, cauſticam & corroſivam poteſtatem, vehementer corruptis excrementis, quorum natura alioquin valdè 🜍rea ac ſalſuginoſa eſt, induci poſſe, Neotericorum non pauci oſtendunt. Eò autem gravior acerbiorque tunc contingere cruciatus ſolet, quò mucilago illa excrementitia, quæ vitiato hoc fermento admodum imbuta eſt, acoremque illum indubitatò incluſum habet, tenaciùs inteſtinorum tunicis adhæſerit. Hinc patet, cur ex doctrinâ Helmontii fermentum vitiatum ſeu corruptivum in inteſtinis ſit torminum mater, & cur in iisdem acor ſuccreſcens tantoperè hoſtilis exiſtat, atque Archeum ad Colicæ fabricam excitet: Imò fermentationis natura hîc accuratiùs adhuc ponderanda eſt, ut Colicæ nativitas hinc clariùs deduci queat. Ideoque fermentationem vitioſam generare fuligines, effluvia ac ſpiritus vitioſos excrementitioſque Archeo noſtro infeſtiſſimos, & vitali partium quarumvis, atque ſic per conſequens inteſtinorum quoque privilegio valdè exitioſos, hactenus quàm optimè nobis innotuit. Ex hôc ipſô fundamentô Helmontii verbis manifeſtum lumen deſubitò accedit, dum ſtatuit Gas ſeu ſpiritum ſylveſtrem fracidum ac furioſum (qui ex fermentationis vitioſæ familiâ, ut paulò antè diximus, oriundus eſt,) ſuæ putredinis ardore impenſiùs vellicando fodicandoque Colicam producere, & inteſtinorum Archeum in motum furoris efferare. Putreſcentem autem humorem vel rem etiam quamvis, licet anteà ſuaviſſimi ſaporis fuerit, ſummè rodentem mordentemque, ſed & penetrantiſſimam acrimoniam acquirere, vel dulciſſima etiam ſemina 🜃æ jam concredita & putredinem contrahere incipientia ſolido validoque teſtimonio confirmare poterunt, quæ ſic alterari tunc experimur, ut linguam vehementer mordere ac rodere imò veluti urere valeant. Obiter etiam mentionē Colicæ malignæ hîc facere allubeſcit, quam non rarò Medicos quosdam cum plurium interitu inſigniter decepiſſe, ex non contemnendis exemplis nobis compertum eſt: Quum enim tunc ea ſaltim adhiberentur, quæ ſedare aut mitigare Colicam paſſionem atq; materiam peccantem, unde hoc malum oriri vulgò creditur, educere alioquin valent, ex adverſo autem iſta, quæ malignitatis

rabiem ſtrenuè compeſcunt ac putredini virulentæ ſeriò reſiſtunt, penitus negligerentur, factum eſt, ut demum inſidioſa illa malignitas ſubitaneo motu ſaltuque vitalia occupans obruensque inſpiratò ægrotum cum ſtupore adſtantium ſua penitus vita ſpoliaret. Signum malignæ hujus Colicæ cauſa ſalutis publicæ non reticebimus, quod ſubita virium proſtratio & inæqualis pulſus, cumprimis vero nobiliorum anticolicorum ſedulò adhibitorum fruſtraneus uſus bona fide nobis præbere, & malignitatis inſidias ſubeſſe haud fallente indicio, ſed fideliter inſuſurrare ſolet. Unde autem maligna Colica ortum ſuum habere ſoleat, non immeritò hîc quæritur inquiriturque? Nempe ad doctrinam Kircheri, Philoſophi acutiſſimi (cujus aureolum de Peſte Scrutinium conſulatur) hic ſtatim provocare lubet, qui ut omnes malignantis naturæ morbos à virulentâ, ſpuriâ, ac peregrinâ, aut excellentioris malitiæ putredine, quæ cum tempore animata in verminoſam quandam atque inſtar effluviorum ſeu atomorum quaſi inſenſibilem ſobolem degenerat, pendere aſſerit; ſic idem quoque ſentiendum ſtatuendumque eſſe de Colicâ malignante intrepidè affirmamus: Quum enim vermium lumbricorumque progenies, quæ non raro etiam Colicam parere ſolet, ex immunditie putreſcente alioquin in inteſtinis familiariter oriri ac cumulari, ut tritiſſimè notum eſt, conſueverit, cur non aliæ etiam vermiculorum ſpecies pro corruptæ ſeu corruptioni obnoxiæ materiei genio aut ſingulari humorum dyſcraſia progenerari hic poterint: Igitur hujuſcemodi infauſtam fœturã, licet ſenſibus noſtris pervia non ſit, in inteſtinis quandoque ſuccreſcere poſſe, non dubitantes dicimus, quod illa verminoſa miaſmata ab eximia & peculiari putredine nata, quæ ſua natura admodum viſcida ſunt, tunicis inteſtinorum tenaciter adhærendo, vel etiam lentè hinc inde ſerpendo proſerpendoque exquiſitâ roſione, morſione ac punctione ſenſatiſſimas haſce partes impenſe vellicent lancinentque, ut horrendo & ineffabili dolore aliisque atrocibus ſymptomatis tunc concurrentibus aut ſupervenientibus Colica maligna afflictum non raro ad ultimum vitæ exterminium diſponere videantur, ſicuti etiam non paucos hoc morbo, quod in tempore malignum vivumque hoc ſeminarium non extingueretur, & malignitatis ferocia decenter non edomaretur, miſeris modis interiiſſe novimus. Cæterum an ulceratio inteſtinorum, unde horum quoque dolorem provenire refert Autor, ad colici affectus, quatenus nempe talis eſt, conſiderationem ſit trahenda, nobis non videtur, ſed potius ad dyſenteriam hanc doloris immanitatem, quæ hujus præcipuum eſt ſymptoma, referendam, adeoque dyſenteriam cum Colica haud confundendam eſſe exiſtimamus: Fortaſſis Autor ſequutus eſt Celſum, quem Dyſenteriam vocula torminum indigitaſſe legimus. Sed in nominibus eſſe faciles nos debere

debere recordamur, quod vel propterea hîc nos obſervabimus, dum Autor noſter de dolore inteſtinorum in genere hîc etiam agere videtur.

Ad §. 3.

Remota cauſa removeri effectum in ſcholis uſitatiſſima cantilena ſuggerit; quod axioma etiam Medicinam facientes ſibi commendatiſſimum quidem habere debent, ſed non ſine cautela tamen, ut nempe cauſæ h.e. materiæ acris & mordacis remotionem non prius moliantur, quam ſi indolem ejus probè ſibi cognitam habeant: Si enim cauſa morbi malignitatis ſtigmate notata ſit, tunc non ſtatim ad removentia, ſeu, ut medicè loquamur, purgantia recurrendum, ſed ea præmitti debent, quæ malignantis naturæ ſævitiem edomare aut cicurare ferinamque cruditatem coquere ac immutare, adeoque fermenti impetuoſi vitioſiq; tyrannidem præcipitare ac refrænare valent: Quæ regula eatenus etiam circa Colicam attendenda eſt, quatenus ea non raro à malignitatis vitio infamis eſſe ſolet. Atque ſic demum ſublatis excrementis corruptis Colicam cauſantibus, ſi ad commodiorem prius & obſequioſam evacuationem præparatæ fuerint, doloris quoque impetus ceſſabit: Deinde jam ſuprà innuimus, dolorem ab ulcere inteſtinorum provenientem ad dyſenteriæ potius theſes pertinere, quàm ut hujus loci eſſe poſſit: Tandem in Colica ulceris ratio ut haberi non ſolet (tunc enim dyſenteriæ potius nomen ſibi depoſtulat) ita rectè etiam diſtinguit Autor inter ulcus ipſum, & inter materiam, quæ ulcus inducere poteſt: Non enim ſequitur, ubi talis materia rodens, pungens & vellicans, ibi etiam ulcus: Atque hinc non abſonum eſt, dyſenteriæ ſeu inteſtinorum exulcerationi dolores colicos quandoque præcedere.

Ad §. 4.

A flatibus etiam ortum ducere nonnunquam colicum malum, pro indubitato habemus: Concluſus enim propter obſtructionem quoque inteſtinorum excrementitius humor in vapores flatusque reſolvitur, nõ ſecus ac in viſceribus, ut ſuprà id demonſtravimus. Adeoque ut mater flatuum eſt humiditas, & pater eſt calor isque non proportionatus, (unde tempore hyberno major & frequentior in macrocoſmo etiam ventorum proventus eſt, quàm æſtate) thalamum vero pars obſtructa conſtituit; ita in inteſtinis uterque cauſæ tam materialis quàm efficientis ſexus unà cum requiſito hoc toro evidenter eſt præſtò. Hoc tamen monendum adhuc, quod vix nobis perſuadere queamus, flatus quatenus tales Colicam iſtam, quæ flatulenta dicitur, generare ob unicam iſtam diſtenſionem poſſe, niſi præſupponatur, hos ipſos flatus quoque vel acribus vel verminoſis effluviis lancinandi vim habentibus eſſe imprægnatos. Flatulentam autem Colicam tantò faciliorem curatu nos etiam eſſe conſentimus, quanto velociori leviorique negotio flatus ſeu ventus tanquam corpus ſua

natura

naturâ volatile & magis rapidum fugitivumque, prout ſine omni probationis ſollicitudine id veriſimile eſt, exterminari poteſt. Silentio hîc etiam non prætereunda eſt Colica ſpuria ſeu notha, quæ ex nephritide & calculo renum ob mutuum conſenſum, quoniam renes inteſtinis quàm proximè adjacent, & præterea ob nervorum communionem vinculo connexionis juncti ſunt, tunc inflammari contactu ſuo immediato inteſtina valdopere in compaſſionem ducunt, non rarò oriri ſolet: Quæ ipſa Colicæ ſpecies non tam anticolicis quàm antinephriticis cedit ac curari debet.

Ad §. 5.

An rectè à virtuoſo hôc & fortiori purgante curandi colici mali auſpicium capiatur, non pauci dubitabunt. Ego ſanè utplurimum à Clyſteribus meis ſuprà recitatis primordium hujus curationis inſtituere, & in paroxyſmo colico eosdem primum adhibere ſoleo; Ubi nota, quod in defectu horum ⊖is ♀ri ℥ß vel ℥j, vel etiam ℞a ♀ri ad ℥ij decocto emollientium ac carminantium probè mellito commixta tunc ſummè ſpecificum præſtet Enema: Poſteà Clientibus meis ſpecifico aliquo nobiliori ſuccurro, vel ſi doloris vehementia urgeat, ad anodynum confugio. Quicquid tamen ſit, modò nactus Medicus ægrotum obtemperantem ſit, (niſi malignitas quædam id diſſuaſerit) tutò utique laudatum ab Autore purgans ☿iale ea ratione, qua præſcripſit ille, porrigi etiam in paroxyſmo & furore colico poterit: Ubi non immeritò adſtantes in admirationem trahentur, quod abſurpto purgante illo (vel alio etiam, modo virtuoſum id ſit) dolor iſte utut etiam anteà immanis ac inſigniter ſæviens fuerit, ſtatim ac in continenti remittat imò penitus ceſſet. Expertus loquor, & proinde Autoris hanc methodum non laudare non queo: Cujus negotii periculum quivis etiam ſecuro imitandi ſtudio facere poterit. Moſchum addit purgationi ſuæ ☿iali Autor, atque ſic eandem peculiariter nobilitat, quod ille habeat virtutem egregiè diſcutiendi & confortandi, nec minus quoque indubitatum alexipharmacum: Loco conſervæ violar. rectius conſerva menthæ criſpæ tanquam magis appropriata tunc ſubſtitueretur. Hoc igitur purgans qui uſurpare non verebitur, is poſteà pertimeſcere haud opus habet, ne dormientem canem, qui ſic penitus expulſus fugatusque eſt, fortè laceſſat: Nonnulli ad extrà potius unguentum aliquod purgans tunc adhibendum ſuadent, quod nobis etiam non diſplicet, ſi interim quoque intrinſecus adhibeantur ſpecifica. Formula talis eſſe poteſt: ℞. Butyr. majal. pingued. gallin. ℴℴ chamæmel. unguent. d. alth. ana ℥j. Croc. metall. ℥ß. f. mixtura, qua cortex juglandis impleri & ſic umbilico adplicari poterit: Quidam unguentum hoc pellicula tenui incluſum applicant. Ad anodynorum narcoticorumque ſeu hypnoticorũ poſteà uſum ſine ullo periculo ſic nos convertere cum Autore noſtro poſſumus, ſicuti Practicis prudentioribus

ribus conſuetum etiam eſt hujus familiæ medicamentis præmittere univerſalia: Nullus autem tam ſæviens eſt dolor, qui ſomno non ſopiatur, uti etiam ſomnum Leones domantem pinxerunt Veteres: Adeoque ſomnus eſt malorum Herculeus domitor, pars humanæ melior vitæ: ſic enim Archei confuſio effectiſſimè tollitur, & iratus is ſeu tumultuans proprioque luxu ac tædio furioſo laſciviens ex voto conſopitur ac ſedatur. Cæterum medicamenta anticolica vel ſunt dolorem mitigantia vel flatus diſcutientia: Illa verò rurſus vel ſpecifica vel anodyna exiſtunt: Horum eorumque nobiliorum præparationem jam ſuprà juxta oblatam nobis ab Autore manuductionem unà cum obſervandis cautelis (quod nempè, ſi ea jungantur cum confortantibus ac ſpecificis anticolicis, & præſtantiora & tutiora evadant) declaravimus: Quod ſpecifica attinet, nobis in Praxi noſtra probata ſunt ℞a contra tormina aut ſalutis vel Eſſentia maſtichis ac olibani, aut Eſſentia anonyma noſtra, aſtrum anticolicum noſtrum, potio noſtra panchreſta aut ▽a anticolica, item pulvis contra tormina, antihypochondriacus noſter (qui in Colica etiam exoptatum effectum exhibet) pulvis magneticus, magiſterium maſtichis itidem noſtrum, ſpiritus anticolicus D.D, Michaëlis (ex contubernio ſpiritus X & ⌽ri vel 🜍ris etiam factus) ℞a ♀ri præſertim rectè parata, (quod vulgò haud notum eſt) pulvis mandibularum lucii piſcis uſtarum, pulvis inteſtini lupi, magiſterium oculor. ♋ vel oculi ♋ præparati, qui pulvis nobilior reddetur, ſi aliquid de olibano vel maſtiche adjiciatur. Tanquam vehicula ſpecifica cumprimis commendantur ▽a Veronic. rut. it. lactis caprarum, ▽a omnium florum &c. ſyrupi utpote fermentationis moleſtiam mirè adaugentes hic nobis & ſuſpecti & odioſi ſunt. De Carminativis adnotamus, quod omnia excellentiora præcipitantia hic convenientiſſimum locum habeant; ſicuti etiam reverà ſpecifica anticolica jam apppſita flatus potenter juxta diſcutere ſolent: Clyſter ex X Malvatico, ita ut prius baccis lauri pulveriſatis infuſum, & poſteà decenter colatum id fuerit, vel ut ſtatim de Electuario de bacc. laur. ℥jß vel ℥ij cum vitell. ovor. j. addantur, valdoperè tunc commendatur. Eleoſaccharum chamæmelinum, ▽a ejusdem cum X, vel ▽a menth. aut Zedoar. vel corticum aurantiorum pariter cum X, ▽a carminativa Dorncreil. ☍ Zedoar. aut calami aromatic. quorum gutta una vel altera pulveri cuidam carminativo aut anticolicò inſtillari poterit, pariter appropriatè hic conducunt. In maligna Colica utiliſſimè exhibetur Theriaca (cujus recipi poteſt ʒj vel ʒß & inſtillari gutt. 3. vel 4. ☍ 🜍ris aut ſpiritus ⌽ri) vel etiam ▽a theriacalis, ℞a bezoard. D.D. Michaëlis, flores 🜍ris (quorum uſus in hoc caſu imò & in quavis Colica ſummis ac ſingularibus extollitur laudibus,) & bezoardica aut alexipharmaca alia partim jam ſuprà nominata, partim infrà etiam nominanda, quorum efficaciam mirè ornabunt augebuntque ſpecifica illa anti-

ticolica jam laudata, ſi vel autem invicem commiſceantur. Ego inſuper ſpiritum anticolicum nobiliorem ac bezoardicum ſic parandum ſuadeo, ut loco ▽ ſpiritus theriacalis cum ſpiritu ⦶ri decenter conjungatur, qui Medici ſcopo ac intentioni felicius omninò ſatisfacere poterit. Et tantum de Colica.

CAPUT LI.

De *Inflammatione inteſtinorum.*

§. 1.

INflammantur inteſtina tam ab ulcere & abſceſſu, quàm à cauſis hos affectus facientibus, quæ nihil aliud ſunt, quàm excrementa digeſtionis ventriculi acria & mordacia, ſua nimirum acredine ac mordacitate inteſtinorum ſpiritum inſitum vellicantia ipſumque irritantia, unde is inflammatur æſtumque in ſe ipſo concipit, quo inflammato ſubjectum etiam, cui ineſt, inflammatur.

§. 2. Ut igitur hæc inflammatio tollatur & tepeſcat, oportet, ut excrementa illa, quæ ſpiritum irritare ac inflammare ſolent, foras ejiciantur, id quod purgatione ☿iali, nempe ☿io dulci præſcripto ad ℈j cum ʒj conſerv. violar. ſummo manè propinato, ac ter vel quater iterata doſi expediri poteſt: Vel præſcribatur ▽a ☿ialis ad quantitatem gutt. 10. vel 12. in ▽ laudati fontis data, & fiat potio gratiſſima, quæ ſine dolore, nauſea ac torſione ulla omnia excrementa foras ejicere, & quaſcunque inflammationes temperare & corroborare partes ipſas cum ſpiritu earum inſito ſolet.

§. 3. Hæc ▽a ☿ialis eſt remedium à ſubtilitate & penetratione ſua inſigni ſummum, cum illa ſit ſolventis proprietatis ac naturæ, quæ Naturæ humanæ non contrariatur, neque carnes & partes, quas tangit, diſſolvit, ſed roborat, vivificat, & ſpiritum ignavum torpentemque ad functionem ſuam excitat: Unde ſanitati noſtræ nil eſt convenientius: ſpiritus etiam ⦶, ⊕, & ⊖is comm. 🜍risque loco ▽æ ☿ialis depuratæ ac ſepties deſtillatæ exhiberi ſolent: Vicarias enim ▽æ ☿ialis virtutes poſſident; ſed ita, ut ▽â communi aut juſculis temperentur.

Animad-

Animadverſiones

Ad §. 1.

DE Inflammationibus viſcerum & partium quarundam jam hinc inde egimus, quas ex baſi cruditatum & hinc ortæ fermentationis vitioſæ, unde fuligines △eæ ac ſpiritus excrementitii 🜍rei confertim effluentes calidum nativum inflammant, atque cum furore exorbitantem Archeum reddunt, qui poſteà partem illam, in qua reſidet aut cui inhæret, iſtius quoque incandeſcentiæ aut inflammationis participem facit, fuſius tunc atque diſtinctè perputavimus. Eadem igitur ratione, imò multò magis citiusque inteſtina quoque tanquam excrementitii oneris conceptacula inflammationem ob 🜍ream naturam, quam alioquin excrementa illa obtinent, concipere poſſe, vel ſpontè in ſenſus incurrit. Inflammationem etiam ab ulcere & abſceſſu inteſtinorum oriri aut foveri potiùs vel comitari eorum ſolutam continuitatem, ex CAP. LIII. clarius evadet.

Ad §. 2.

Qui inflammatum hepar ac lienẽ aliasque partes p. n. flagrantes decenti modo curare, atque ad naturalem temperiem priſtinique vigoris quietem reducere ex ſuperioribus didicit, is leviori faciliorique adhuc negotio incendium, quod inteſtinis forte contigit, iisdem medicamentis præſertim verò ▽a ſeu Eſſentia illa ☿iali, cujus virtutem ſatis hactenus admirati ſumus, temperare poterit. Tantum de purgante hoc ☿iali ex ☿io dulci parato monemus, quod rectius ejusdem uſui alterans aliquod præmittatur, poſteà verò illud, modò ritè recteque præparatus ſit ☿ius iſte dulcis, tuto exhiberi poterit, ſed ita tamen ut doſis hujus ☿ii ultra ℥ß non extendatur, ſicuti etiam conſervæ ʒj vel ʒij ſufficere poſſunt, quoniam paucitas hodierno ſæculo medicamentum præſertim purgans valdoperè commendat.

Ad §. 3.

Repetit Autor laudes ☿ialis ▽æ, imò aliis effatu dignis viribus, quibus eadem præſtantiſſimè pollet, ipſam hic inſuper adornat. Quid autem per ſolventem proprietatem hic propriè Noſter innuat, definitu non adeò difficile erit. Ex parte Artis medicæ pharmaceutica notum eſt, per ſolutiva intelligi leniora Cathartica virtutem digerentem juxtim obtinentia, alioquin lenitiva dicta, adeò ut laxantia & ſolventia ventrẽ eandem habeant ſignificantiam: Hæc enim impuritatum excrementitiarum contumacias ſollicitant, & vi ſua ſtimulante ad exitum facilius ſuſcipiendum diſponunt, atque ſic alvi dejectiones facilitant promoventque. Aſt talem ſolutionis rationem Autor noſter hic non indigitat, ſed eam tanquam nobilem gradum ad Sapientiæ Hermeticæ ſcalam pertinentem ibi conſiderat: Ut enim hujus Artis Antiſtites per ſolutionem

ſuam in Operationibus ſuis id, quod groſſum eſt, ex votô attenuant, quodve durum ſiccumque & intractabile eſt, in liquidam ſubſtantiam reducunt obſequioſumque reddunt, ita in microcoſmô etiam idem planè præſtat hæc ▽æ ☿ialis (hanc autem ſepties iteratâ deſtillatione ſeu cohobatione depurandam ſuadet, ut, quùm virulentæ ſtirpis ſit, depoſita hac natura & ſalutarior ſecuriorque & penetrabilior evadat, magisque exaltatam aſtralemque energiam acquirat) dum nempe induratas aduſtasque fæces ſine omni violentiâ mollificat & ita attenuat edomatque, ut vel ſpontè Naturam tanquam hactenus ligatam, per reſolutionem verò hanc priſtinæ libertati reſtitutam ad ſui expulſionem adhortentur: Quâ de re ſuperiùs jam plura fuerunt dicta. Omnes illi ſpiritus minerales ab Autore hîc commendati (hos enim tanquam vicarios locô ▽æ ☿ialis ſubſtituendos cupit, quòd illa raros habeat aut inveniat poſſeſſores) ex quibus unum eligere & adoptare penes Medicum ſit, à facultate ſuâ; qua vitioſam fermentationem potenter præcipitant, atque ſic ejusdem incendium △earum fuliginum flammas continuò eructans extinguunt, quàm optimè jam nobis cognita & amata exiſtunt. Poterunt autem exinde eô, quô ſæpiùs diximus modô, Julebi duntaxat cum ▽ fontanâ confieri, (quæ pro delicatis ſaccharo ſaltim vel julebo roſar. aut viol. non nihil edulcoranda eſt) aut cum juſculo carnis pro lubitu aliquot guttæ hujus vel illius ſpiritus ad gratum acorem uſurpari. Illi verò nullatenus nobis placent, qui hos ſpiritus invicem confundunt & ſimul commixtos porrigunt, quum quivis ex iſtis ſpiritubus excellenter activus ſit: Si itaque duo concurrant, fit, ut nobilis agendi poteſtas infringatur, atque ſic non parum de virtute ſuâ ſpiritus illi amittant.

CAPUT LII.

De

Inteſtinorum fluxu.

§. 1.

INteſtina fluxu tentantur & affliguntur ab excrementis pravæ in ventriculô digeſtionis, unde aſſumta in eô manent cruda & incocta; Lienteriâ igitur hinc affliguntur inteſtina, quæ eſt alvi & inteſtinorum fluxus à cruditate digeſtionis in ventriculo ortus, ob quam cruda & valdè fœtida excrementa ejiciuntur, fitque in inteſtinis tunc tenſio ac diſtenſio gravis & potens ob flatus ingentes dolorem hunc efficientes.

§. 2. Tentantur etiam alio fluxu inteſtina, quæ ſimpliciter diarrhœa dicitur, & eſt inteſtinorum fluxus à cruditate ventriculi & intemperie ipſorum productus:

ductus:

ductus: Differunt autem inter ſe Diarrhœa & Lienteria, quod in hâc cibi crudi & incocti cum fœtore ſummô ejiciantur; in diarrhœâ vero ſolum pravi humores & acria atque mordacia excrementa excernantur.

§. 3. Datur prætereà alius inteſtinorum fluxus, Dyſenteria dictus, qui à reliquis differt ſolis cauſis & materia fluxũ excitantibus: Nam acria, mordacia ac fermè cauſtica ibi ſunt excrementa, quæ hunc inteſtinorum fluxum pariunt.

§. 4 Eſſentialiter tamen non differunt inter ſe hi inteſtinorum affectus, niſi accidentaliter & excrementorum qualitate tantum, quæ hos inteſtinorum fluxus excitare ſolent: Curationis etiam ratione non differunt, quia unô eodemque ac ſimili medicamento curari poſſunt, nempè mera ventriculi ac inteſtinorum corroboratione, nec non horum excrementorum purgatione, quæ ibi collecta præſentiâ ſuâ ſpiritum inteſtinorum inſitum tanquam ipſi nocentia ad excretionem irritant.

§. 5. Ad horum affectuum omnium curationem ſomnum provocare ſufficit, quo provocato ventriculus & inteſtina cum omnibus corporis partibus, præcipuè verò Caput, corroborantur: Hæ enim partes ob debilitatem ſuam relinquunt incocta & indigeſta, quæ ipſis in alimentum proprium demandantur, unde poſteà fit, ut proprio motu ac pondere decidant in ventriculum ac inteſtina, atque ſic cruditate ibi peragendam coctionem digeſtionemque ulteriùs interturbent.

§. 6. Somno igitur provocato ceſſant omnes fluxiones & catarrhi, qui quidem tali nomine inſigniri non merentur, ſed potiùs rejectionis titulo indigitandi ſunt, quæ fit dum corporis partes & caput præcipuè ob imbecillitatem ſuam & caloris nativi infirmitatem alimentum ipſis demandatum relinquunt incoctum, unde in excrementum degenerat, quod potiùs rejicitur, quàm ut per ſe fluat in partes inferiores: Adeoque malè rejectio illa catharrus vocatur. Sed hæc diſputatio de nomine non confert ad cognoſcendam rei eſſentiam.

§. 7. Verùm ſive alvi ac inteſtinorum fluxus à catarrho, ſive ab alio fluxu dependeat, ſanandus is tamen, &, quacunque etiam id fiat ratione, compeſcendus eſt. Provocatur autem ſomnus anodyno ſummo noſtro in primis hujus Operis Capitulis præſcripto, cujus datur pilula una 10. granorum tempore ſomni, quæ doſis ter aut quater per 3. aut 4. dies iteranda eſt: hinc enim alvi & inteſtinorum fluxus omnes evaneſcunt: Provocato namque ſomno ventriculus, caput, inteſtina, & partes corporis omnes roborantur, ut ſuis functionibus naturalibus rectè fungi, ac perfectè digerere aut coquere poſſint. Si igitur ſic nulla excrementa extraordinariè generentur, nulla etiam fit horum excrementorum extraordinaria rejectio aut præter Naturæ ordinarium uſum.

§. 8. Equæ non luxuriantis ungula inciſa & butyro frixa eſt veriſſimum in dyſenteriæ curâ arcanum.

Animadverſiones

Ad §. 1.

GEnerali nomine Autorem hîc uti concernimus, dum alvi ſive inteſtinorum fluxus hoc ipſo Capite examinandos is propoſuit. Licet quidem non paucis ſed pleriſq; generica hæc loquendi ratio & lata nominum acceptio ſit damnata, tamen Autori hæc vel propterea in iſto affectu arridet, quod eadem medendi methodo hoc malum & quamvis ejusdem ſpeciem compeſci poſſe exiſtimet, ſicuti etiam cauſæ generaliter factam mentionem hîc inſtituit, dum cruditates & hinc cumulata excrementa à depravatâ ventriculi digeſtione orta accuſat, unde aſſidua illa alvi proluvies ac moleſtiſſimum ejus profluvium, quodcunque id etiam ſit, poſteà dependet: Nihilominùs tamen certas quoque ſpecies hujus inteſtinorum fluxus Noſtrum conſtituere, easque tres, nempe Lienteriam, Diarrhœam, & Dyſenteriam omiſſa Cœliacâ & fluxu hepatico adducere animadvertimus; verum vel ea propter non inculpandum eſſe eum ducimus, quod dubio ſine Cœliacam ſub Lienteriâ (veluti multi etiam Practici inter has affectiones nullam diſtinctionem faciunt) & fluxum hepaticum ſub Dyſenteriâ, quod pariliter valdè tam in cauſa quàm curâ convenire videantur, comprehenderit. De Lienteriâ igitur, ut Autoris veſtigia ſequamur, primò agendum: Conſiſtit autem illa in hôc, quod alimenta planè cruda aut eâ in formâ, quâ adſumta fuerunt, celeriter nimis excernantur, ſicuti in Cœliacâ eſculenda ac potulenta inſtar chyli aut cremoris profluere ſolent: Quæ ipſa feſtinata excretio non contemnendum vitium ſeu imbecillitatem ventriculi & inteſtinorum indicat, ita ut coctionis ac retentionis functiones ritè præſtare non valeant: plerumque enim tunc temporis valida calidi nativi proſtratio & magna toni ventriculi debilitatio ſubeſt; unde etiam curandi ſtudium in hôc caſu cum ſingulari ſollicitudine accelerandum, præſertim ſi in febribus malignis hæc calamitas accidat, in quibus ſymptoma iſtud ſemper eſt graviſſimum. A lævore ſeu lævitate inteſtinorum deductum Lienteriæ nomen quidem exiſtimarunt Veteres, velut & etymi ratio huic aſſerto favet, tamen hanc appellationis deductionem & impoſitionem ex ipſius rei ignorantiâ potiùs ortam eſſe, ipſe Galenus oſtendit, quum iſta lubricitas ſeu levitas inteſtinorum hîc non tam reſpicienda, quàm caloris inſiti defectus ſit, cujus cauſa, abſque ulla transmutatione & alteratione in ventriculô faciundâ, ea, quæ comeduntur, bibuntur, incocta atque omninò cruda, qualia devorata fuerunt, tam celerrimè dejiciuntur. Autor inſuper tam magni fœtoris, quàm gravis ob ingentes flatus à diſtenſione inteſtinorum doloris mentionem in deſcribendâ Lienteriâ facit, quod utrumque tamen ſine fundamento ipſum aſſeruiſſe

ruiſſe

ruiſſe deprehendimus: Unde enim tantus fœtor, quum tam velox tunc aſſumtorum ſit tranſitus, qui corruptioni fœtorem hunc parienti moram ac locum nequaquam concedit, niſi per fœtida illa quis velit ſubaudire ea, quæ nauſeabunda ſunt atque ingrata, h. e. quorum vel adſpectus nauſeam movere valeat: Deinde tenſivus iſte in inteſtinis dolor tunc à flatibus originem habere ob eandem cauſam non poterit, quod flatuum geneſis & ferocia potiùs coarctationem & obſtructionem meatuum cavitatumque neceſſariò depoſcat, quæ tamen in Lienteriâ quoad inteſtina notoriè deeſt. De Cœliaca ſeu fluxu alvi chyloſô hoc præterea addimus, quod ea ſit velut principium Lienteriæ: Incipit enim primò Cœliaca, quæ adaucta demum fit Lienteria; adeoque hæc illi eſt affinis valdè, easdemque cauſas ambæ habent, nec niſi magnitudine ſolâ differunt: Eâ igitur ratione diſcrepant inter ſe, quatenus in Cœliacâ facultas ſeu calidum nativum non adeò languet ac torpet, neque tam citò, nec omnimodè cruda, (quia aliqualis hîc agnoſcitur adſumtorum digeſtio & in chylum converſio) ut in Lienteriâ, egeruntur edulia, ſed liquida duntaxat & humentia ſeu in chyloſam ſubſtantiam jam transmutata.

Ad §. 2.

Ad alteram alvi fluxus ſpeciem digreditur Autor, nempè Diarrhœam, ubi notamus, quod, uti nomen alvi fluxus, ſic & Diarrhœæ campo latitudinis ſubjectum eſſe, deprehendatur, adeò ut quilibet inteſtinorum fluxus & continenter aſſiduoque liquida alvus ſic ſignificari queat. Verùm ipſe Autor explicitè ſtatim hîc ſeſe expedit, dum ſimpliciter ſic dictam diarrhœam (quatenus nempe denotat immoderatam, frequentem ac diuturnam alvi dejectionem) qua humores excrementitii ſinceriores tamen quantitate vel qualitate ſuâ ſtimulantes inteſtina, profluunt, ſed ſine lævitate & ulcere inteſtinorum atque ſine omni etiam ſymptomate (quæ diarrhœa quà diarrhœa habere non ſolet) hîc producit, quô ipſô omnes latitudines atque æquivocationes propemodum proſcribit. Circa Diarrhœam igitur primum attendendum eſt, eam hâc voce demum à Medicis indigitari, quin alvus liquida frequentiùs urget, quàm ex conſuetudine fertur; qua ipſâ animadverſione omninò opus eſt: Quod enim Hoffmannus de verè adſtrictâ alvô monet, id ex adverſô ad nimis fluidam laxamque pariter applicari commodè poterit; Magna, inquit, hîc latitudo eſt, quod quidam ſingulis diebus ſemel exonerent ventrem, quidam bis, quidam non niſi alterô aut tertiô die: Horum ergo ſi quid mutetur, tum demum morbus erit. Ut igitur ille non opus habet medicinâ, cui conſuetum eſt intra biduum triduumve ſemel ire tantùm ad locum communem, neq; id pro adſtrictione alvi habendum eſt, ita etiam eadem ratio erit obſervanda, ſi quis naturaliter conſueverit quotidie aliquoties, ut cum Barbaris dicam, aſſellare ſive ad neceſſaria ſecedere: Tunc enim illa conſuetudo

pro

pro diarrhœâ itidem habenda non eſt, quoniam conſuetudo privilegium & dignitatem alterius Naturæ tunc ſuſtinet: Secundum eſt, quod Medici ſollicitudinem requirit, num diarrhœa illa critica, an verò ſymptomatica exiſtat; Qui enim hanc dignotionem negligunt, illi vel benigniſſimos Naturæ conatus temeriò (ſæpiùs auſu impediunt vel furori morboſo ex imperitia illa ſummo cum patientis damno imò interitu ſæpiùs connivent. De criticâ ergo diarrhœâ ſciendum, quod Natura tunc nequaquam in Opere ſuô ſit turbanda, præſertim ſi fiat cum euphoriâ & tolerantiâ, aut ut vulgus loqui ſolet, cum bonis ægroti rebus; ſin vero ſymptomaticum ſit alvi profluvium illud, tunc tractare iſtud diligenter & vigilantem in eô curam adhibere oportet, præbendo nempe adſtringentia optima non ſine Bezoardicorum nobiliorum connubio. Materiæ peccantis hiſtoria ſtatim ſe prodit, ſi ex toties dictis ad memoriam retrahamus ea, quæ de cruditatibus & inibi ſepultis impuritatibus, item de earum vitioſa fermentatione, corruptione & putrefactione, unde humores excrementitii acrimoniam & irritantem aciditatem acquirunt, quæ ſic citatam ſtimulatamq; alvum frequentiùs exercet, fideliter monita fuerunt. Circa ſymptomaticam diarrhœam, quæ in febribus malignis, præſertim iis, quas exanthemata ſignant, accidere quandoque ſolet, id omninò adſcribendum advertendumque eſt, quod verminoſa tunc putredo tantoperè redundans atque ferociens inteſtina ſeu alvum ſic lancinet, vellicet ac urgeat, ut ſæva ejusdem proluvies hinc oriatur, ſicuti etiam nos diarrhœam febribus malignis ſupervenientem (notat enim turbatiſſimam Naturam, quæ dominium ſuum jam amiſit) pro funeſto & triſtem eventum annunciante ſigno ſolemniter habemus. Et hæc ipſa quoque diarrhœa febrem malignam comitans facilimè in dyſenteriã degenerare poteſt, niſi verminoſa hæc progenies citò enecetur. Tandem ut in diarrhœa ſimplici ſolummodò pravi, excrementitiique ac fæculenti humores excernuntur, ita quomodo à reliquis ſpeciebus ſororibus, nempe Lienteria, Cœliaca & cæteris diſtinguenda veniat, vel ſpontè liquet.

Ad §. 3.

Succedit tertia ſpecies, nempe Dyſenteria, cujus tyrannis ut eſt famoſa ſatis, ita etiam de nomine ejus conſtat, quod græcanicum id ſit, ab ἔντερον inteſtinum, & particula δὺς derivatum, quæ in compoſitione tantum eſt uſitata, & tunc addita verbo alicui ſemper pravitatem, difficultatem ac infelicitatem denotat: Atque ea propter dyſenteriam nil aliud ſignificare, quàm ſummam inteſtinorum difficultatem infelicitatemque vel læſionem potiùs (unde evidens officii difficultas promanat) quam exulceratio cum torminum cruciatu præſtat, certiſſimum eſt. Eſt itaque Dyſenteria frequens alvi, ſed cruenta, ſtrigmentoſa ac purulenta dejectio cum dolore morſuque ventris maximò & inteſtinorum exulceratione

ratione juncta, atque à materia acri erodente (Autor mordacem & fermè cauſticam vocat) & inteſtinis peculiariter infeſta (ſub qua phraſi ego animatam ac verminoſam putredinem comprehendo) orta: Atque hoc ipſo ab aliis alvi fluxibus cruentis, quæ à reſeratione vaſorum potiùs quàm ulceratione inteſtinorum proveniunt, diſtinguitur dyſenteria, quod in illis ſolus & ſincerus ſanguis vel lotura quædam ſanguinea profluat; in hâc verò major copia vitioſorum & corruptorum humorum, minor autem ſanguinis cum ramentis, ſtrigmentis & mucoribus inteſtinorum fæculentis purulentisque excernatur. Unde autem ſummâ acrimoniâ & acore ſuô propemodum cauſticô humores inteſtinorum tunicas erodentes ortum ſuum trahant, ex doctrinâ fermentationis vitioſæ & corruptionis toties jam deduximus: Quod præthereà cumprimis in malignâ & contagioſâ dyſenteriâ ulceratio inteſtinorum illam verminoſæ putredinis certitudinem arguat, tam indubitatum eſt, quàm in omnibus etiam ulceribus præcipuè inveteratis & chironiis dictis nos vermiculorum illorum præſentiam tanquam veriſſimam cauſam pronunciamus, veluti ſmicroſcopii accuratè adhibiti fides abundè idipſum confirmabit: Subjiciant quæſo Medici curioſi aliquid de ramentis & ſtrigmentis illis, quæ à dyſentericis excernuntur, dicto jam ſmicroſcopio, & cum admiratione vermiculorum turmas videbunt, ultroque fatebuntur adſertum illud de animatâ & verminoſa putredine ex tripode Apollinis, quod dicitur, eſſe depromtum. Unde concludimus vehementiorem malignamque dyſenteriam à Pliniô non ſecùs vocitari urentem, quàm urticam, de qua nobis jam certiſſimè conſtant, eam non tam uſtulando quàm pungendo ob acutiſſimas cuſpitulas, quas tota folii urticæ ſuperficies habet infinitas, cutis continuitatem ſeu integritatem ſolvere, lædere atque ſauciare; ſic pariter verminoſa illa putredo in inteſtinis ſtabulans hærensque ita radit, rodit, fodicat & ſolvit inteſtinorum interiora, ut ea aduri tunc potiùs videantur, veluti Horatium quoque eam ob cauſam diviſſe legimus, virgis aut loris uri, h. e. graviſſimè & cum laceratione cutis cædi; Imò apud Philologos urere non rarò eſt idem ac corrumpere, ita ut omne, quod acerbum eſt & cruciat aut ægrè facit, urere dicatur, qua de re in diſſertatione noſtra de Morbillis dilucidè etiam egimus.

Ad §. 4.

Neque hîc ab Autoris ſententia abire protinus viſum eſt, ſiquidem in curatione potiores ſcopos promiſcuè omnibus alvi fluxibus accommodari poſſe, h.e. remedia corroborantia illa & materiam excrementitiam tantoperè alvum ſtimulantem expugnantia, & quæ ſunt reliqua ſpecifica, locum convenientiſſimum obtinere, nos quoque deprehendamus pariter atque concedamus. Aſt ſi rigorem theoriæ hic adhibere, & eſſentiales cujusvis morbi & ejusdem ſpeciei conditiones examine ſtrictô ponderare quis vellet, omninò ſtare Autoris hoc

ratiocinium non poſſet: Nam uti in dyſenteria eſſentiæ locô eſt puruléta, cruenta & ſtrigmentoſa dejectio, ita in reliquis alvi fluxuum ſpeciebus ea, ut ex antecedentibus liquet, nec reperitur nec requiritur, adeoque quamlibet peculiarem habere indolem ac conſtitutionem, quæ loquendi ratio eſſentiæ effigiem in Pathologia notoriè exprimit, evidenter videbimus. Quicquid tamen ſit, cùm Autor has fluxionum ſpecies ratione curationis non adeò differre, & quemvis alvi fluxum per ſomni conciliationem tanquam univerſale ſubſidium cohiberi poſſe demonſtret, nos etiam ſubtilioribus argutiis controvertendi ſtudium hîc ſtatim faciemus miſſum.

Ad §. 5. & 7.

Autoris hoc documentum, quô ſomnum vacuationes ac fluxiones alvi quasvis cohibere aſſerit, fundamento tam ſolido nititur, & non tantùm ab ipſamet ratione atque experientia fideliter firmatur, verùm etiam magni Hippocratis autoritate ſanctum & adeò ſtatuminatum conſpicitur, dùm aphoriſm. 15. ſect. 4. inquit, ad ſiſtendas purgationes (nimirum nimias immodicasq;) ſomnum conciliandum corpusque non movendum eſſe, ut thema hac fuſa explanatione penitùs non indigeat, præſertim quod recordemur, ſæpiùs jam ſomni magnifica commoda nos condignis laudibus honoraſſe. Dum itaque ſomnus & quies, (eſt enim huic quàm ſimilimus) quæ ambo humorum ferocientium agitationes ſtrenuè compeſcunt, atque vires ex morbi violentia diſſolutas & extremè hinc fatigatas ſuaviſſimè reficiunt, ab Autore hîc commendantur, conſequenter hypnoticorum ſeu anodynorum uſus etiam (quorum eorumque nobiliorum notitia ex ſuperioribus jam inſtructi ſumus,) cum applauſu ſaniorum ſtabilitur, adeò ut in quacunque diarrhœa præſtantiſſimorum etiam adſtringentium efficaciam ritè parata & cum confortantibus bezoardicisque combinata ſomnifera manifeſtò ſuperare, negandum minimè ſit. Hîc quoque denuò inſpiciendum Helmontii canonem ſuppeditat Autor, quo affirmavit ſtomachum (puta rectè ſe habentem & laudabiliter adſumta digerentem) præeſſe reliquis digeſtionibus omnibus, quæ nempe privatæ dicuntur, & ad nutritionem partium requiruntur, ubi ulterius ita præparandus eſt tranſmiſſus iſte ſanguis, ut commodè poſtmodum aſſimilari, & ad nutriendam hanc vel illam partem aptus fieri queat. Si itaque vitietur coctio prima, ſicuti hoc etiam in quolibet morboſo alvi fluxu reverà contingit, neceſſariò poſtmodum vitiatur quoque ſecunda & tertia, adeoque propterea mala partium nutritio & multarum excrementitiarum humiditatum (ſuas enim cruditates pariter cujuslibet partis depravata digeſtio generare & cumulare poteſt) hinc inde fit collectio: In qua ipſa baſi colliquationis illa malitia omninò conſiſtit. Ergò unde in dyſenteria tam copioſæ dejectiones & humorum excrementitiorum corruptorumq; augmenta ſive acceſſus proveniant, dictu jam non difficile erit. Notum autem nobis eſt in dyſenteria gravif-

graviſſimi ſymptomatis partes ſuſtinere dolorem, quo tunc ægroti torquentur maximô: Ubi igitur dolor, ibi humorum affluxus; & quò gravior eſt dolor, eò gravior etiam & major eſſe illa affluentia ſolet. His ita poſitis, cur ſomnus ſedare nimias vacuationes & cumprimis dyſenteriam quoque cohibere valeat, deſubitò patet: Nimirum ſomnus placat & tollit dolorem, quô ceſſante nocivus iſte affluxus quoque ceſſat, & ſic porrò.

Ad §. 6.

Beneficiô provocati ſomni alvi fluxus p. naturales oppidò refrænari poſſe, nemo forſitan noſtrum eſt, qui dubitabit, ſicuti etiam vulgò ſic dictos Catarrhos, quos nos potiùs pro vitioſa fermentatione collectorum excrementitiorum humorum (ubi Natura impurum à purô ſegregare & rejicere conatur) in hac vel illa parte facta habemus, eô modô mitigari ac placari poſſe conſimiliter quidem concedimus, ſed tamen hac cum cautela, ut hypnotica illa in hujuscemodi catarrhis non adhibeantur, niſi priùs præmiſſa decenter fuerint univerſalia, atq; ſic ſuffocationis periculum avertatur: Imò in dyſenteria etiam ante Anodyna Clyſteres abſtergentes rectiſſimè injiciuntur, utpote quod illorum uſus tunc ſecurior multò ſic evadat. Nolumus etiam refricare hîc controverſiam illam de Catarrhi nomine, utpote circa quod jam ſuprà in peculiari Capite animi noſtri ſenſa expoſuimus.

Ad §. 8.

Helmontianum eſt illud contra dyſenteriam ſpecificum, quod ſub arcani generoſi titulô nobis commendavit Autor. Hæc autem ſunt Helmontii verba: Jumentum, ait, ungulæ fragmenta dat, quæ frixa & ſumta ſanant dyſenteriam: ſi verò laſciviat beſtia, tunc ungula ejus dyſentericis eſt lethalis. Atque hoc ipſum tandem probat exemplô à ſalivâ canis deſumtô, quem vulnera lambendo ea ſanare, ut notorium eſt, dicit; ſi verò rabie is ſit corruptus, lethale hoc ſuæ amentiæ virus eum tunc propagare monet. Rationem hujus virtutis noſtrô quidem judiciô aliam non deprehendimus, quàm quod 🜍reô ſuô halitu verminoſæ putredini inſigniter adverſari, & eam proinde tam expugnandi quàm enecandi vim potentiſſimam habere debeat. De noſtrô hòc tantum addimus, quod illa remedia præter ea, quæ animatam corruptionem peculiariter extinguunt, & fermentationis malignæ tyrannidem compeſcunt, ſuum quoq; hîc ſibi locum vendicent, quæ ſupra in curatione exulceratarum faucium ac tonſillarum laudata fuerunt: Ubi præſertim uſus 🝆 ſeu ſpiritus 🜖li tanquam ſummum ſpecificum contra hujuscemodi ulcerationes & inflammationes inſinuatus fuit. Ergo Julapia illa hôc 🝆 decenter imprægata non tantùm magnam utilitatem ac levamentum in hôc affectu præſtabunt, verùm etiam ſi cum decoctô furfurum chamomillæ, verbaſci, parietariæ vel ſaltim hordei de hôc ſpiritu aut 🝆 🜖li commiſcea-

miſceatur, ut leviſſima duntaxat quædam aciditas ſub cenſura guſtus deprehendi queat, atque ſic Enema hinc fiat & injiciatur, tunc in gutture hôc inferiore, ut cum Comicô loquar, & exulceratis inteſtinis idem beneficium exhibebit, quod ſuperiori gutturi indubitato ſubminiſtrare hoc præſidium poſſe, jam toties experti credimus. Cæterum mandibulæ lucii piſcis, ▽a ex pane toſtô cum affuſione ▽æ tormentillæ deſtillata, cryſtalli & corallia præparata, magiſterium Oſſium human. pulvis viſci quercini, raſura eboris, omnes gemmæ præparatæ, Nectar noſtrum adſtringens, Aſtrum noſtrum anodynum, pulvis noſter tam ſtipticus quàm magneticus, cumprimis vero uſnea cranii humani à gr. vj usque ad xij. in ▽ tormentillæ & theriacali data (bezoardica enim ſtudioſè ſemper conjungenda ſunt) dyſenterias mirabiliter ſiſtunt.

CAPUT LIII.

De *Abſceſſu & ulcere inteſtinorum.*

§. 1.

INteſtina ſæpiſſimè tumoribus & abſceſſibus p. n. ab excrementis tentantur, quæ ab alimentis procreantur: Nutriuntur enim inteſtina, & poſt coctionem atque aſſimilationem alimenti ſui relinquitur excrementum, quod ſi non ſeparetur à facultate expultrice ſive à ſpiritu ſanitatis cuſtode, tunc temporis creſcit indies illud excrementum, & tandem mole ſuâ magnum negotium faceſſit Naturæ noſtræ ſeu ſpiritui inteſtinorum, qui excrementô illo gravatus id ſeparare & expellere tentat, unde coquit ac digerit illud & in pus convertit, quod aperto tumore expellitur. Atque ſic ſpiritus noſter partium omnium cuſtos ſuorum excrementorum expulſionem rupto tumore abſceſſuque atque hinc prodeunte pure tentat: unde poſteà ſequuntur inflammationes inteſtinorum & dolores ingentes, quod acrimonia puris lancinet & vellicet ſpiritum inteſtinorum, ſolius ſenſationis organum.

§. 2. Difficili admodum viâ inteſtinorum ulcera & abſceſſus curantur, quod præter excrementa, à quibus hi morbi in inteſtinis generantur, inteſtina ſitu ſuô naturali in centrô corporis collocata ſunt, ubi omnia corporis & potiſſimum primæ digeſtionis excrementa demandantur, quæ cum ſint acria & mordacia, utpote ſalina, ex reſolutione alimentorum omnium in ultima principia orta, non poſſunt, niſi morbum multiplicare, & proinde abſceſſus atque ulcera curatu valdè difficilia evadunt, quæ tamen ſequenti methodô curari poſſunt.

§. 3. Pur-

§. 3. Purgantur illa excrementa omnia, unde hi morbi pendent, ☿ ô dulci ſpagyricè præparatô: leniſſimè enim purgat hoc medicamentum, imò ulcera lenit & abſtergit, nec inflammationem parit, ſed temperat potiùs ac refrigerat: Corpore hôc benignô medicamentô ſæpiùs purgatô, (quod ut gratius purget, commiſcendum erit Electuariis vel conſervis ac ſyrupo roſato ſolutivo ad ℥ß) deveniendum deinde erit ad conſolidationem ulceris, quod oleo dulci ♄i vel ☿ii, it. ⊖ e dulci ♄i in ▽ roſac. aut plantag. ſolûto, ac per 15. dies propinatô facilè impetrabimus. In juſculis etiam ⊖ illud dulce ♄i miſceri poteſt, & ſic bis in die propinari: Adeoque affectus iſte tandem curabitur benignis his medicamentis, ut & dyſenteria, quamvis recens ab inveterato inteſtinorum ulcere proveniens.

Animadverſiones

Ad §. 1.

ULcerum abſceſſuumque, quibus inteſtina etiam quandoque affliguntur, natura & cauſa, nec minus quoque cura, ex dyſenteriæ non ita pridem declaratæ notitiâ quidem perſpecta haberi poterit; attamen quædam diverſitatis ratio hîc ſubeſſe videtur, dum inteſtina hîc non tam reſpectu officii ſui & ſuperficiei internæ, ut in dyſenteriâ fieri planè diximus, quàm ratione ſubſtantiæ penitioris ab inteſtina cauſa affectæ læduntur aut abſceſſum contrahunt: Certiſſimum enim veriusque vero eſt in hoc capite inteſtina haud conſiderari, quatenus ſunt organum primæ adeoque publicæ coctionis ac digeſtionis, ſed quatenus inteſtinis tanquam parti, quæ pro ſui ſuſtentatione nutritionem, ut omnes aliæ corporis partes, depoſtulat, quoque tertia ac privata coctio competit. Si itaq; in membranosâ inteſtinorum ſubſtantiâ ſanguine nutriendâ ob infirmitatem ſui Archei aut obſtaculum aliud tertia illa coctio ritè non peragatur vitieturque, atque excrementitiæ quædam hinc humiditates inter externam & internam inteſtinorum tunicam colligantur ſeu remaneant, tunc excrementa illa intra membranoſam eorum ſubſtantiam quaſi incarcerata extemplo acorem & corruptionis primodium (& id quidem ex benignitate calidi ſeu ſpiritus inſiti, qui corruptivâ hâc digeſtione ac fermentatione tam puri ab impuro ſeparationem, quàm hujus expulſionem cum impetu ſic molitur) contrahunt, quo facto humor iſte inibi conſtrictus fermenteſcere protinus ac turgere, adeoq; locus iſte affectus, in quacunq; etiam inteſtinorũ regione & ora conſiſtat, in tumorem elevari incipit, atq; ſucceſſu temporis ita, ob fermentationem aut intumeſcentiam iſtam, attenuatur ac diſtenditur tunica ſive interna ſive externa (prout tumor vel verſus exteriora vel interiora inclinat aut attollitur) donec ruptio contingat, atq; ex tumore

more abſceſſus ſeu ulcus fiat: vel tandem etiam putreſcens humor ibi animatus evadit, qui poſteà continui ſolutationem & ulcerationem illam adhuc magis accelerat. Quæ omnia toties à nobis (præfiſcini tamen) ſic illuſtrata fuerunt, ut clarius id nequaquam tradi poſſe exiſtimemus. Atque ne fermentationis nobiliſſima documenta quibusdam ſcandalo eſſe queant, vel ſolam rogo piſturam (ut alia domeſtica exempla taceamus) adeant, quæ ſtatim oſtendet, quam addito pauxillo fermento, quo maſſa coactæ farinæ imbuitur, hæc ipſa paulo poſt turgeſcat, atque mirum quantum intumeſcet aut attolletur. Jam cognita ſic fermenti in panificio virtute, ſtudium ulterius ratiocinandi inſtituant & recordentur modò, ipſam Naturam tanquam artium dominam (nam artes æmulantur ſaltim Naturæ magnalia & ejusdem veſtigia premunt, legesque obſervant) multò his ingenioſiorem ac potentiorem eſſe, ac propterea etiam fermenta ſua ſpecifica condere ſine ulla difficultate poſſe, ut transmutationum (fermenta enim in rei veritate ſunt ſeminariæ ac primitivæ transmutationum cauſæ) neceſſitates continuare ac dirigere valeat. Rectè igitur Helmontius: Univerſam, inquit, in mundo ſcenam fermenta ludunt, quorum notitia ut in ſcholis nulla eſt jejunior, ſic & nulla utilior; ſine hac enim ad Chymiatriæ ſapientiam & Pyrotechniæ arcana nullo modo adſcendere licet.

Ad §. 2.

Abſceſſus & ulcera inteſtinorum difficulter curari poſſe & ratio firmat & experientia confirmat: Conſolidationem namque & ulceris mundificationem excrementitia colluvies, quæ nunquam non hic ſubeſſe ac redundare ſolet, manifeſtò impedit, & proinde hujuſcemodi ulcera ipſam inteſtinorum ſubſtantiam obſidentia Medicum non immeritò ſolicitiſſimum reddunt; cui accedit, quod nativa excrementorum ſalſedo & 🜍rea acrimonia, quam non tantum iſta aſſumtorum reſolutio naturaliter quaſi parere ſolet, verum etiam corruptionis labes (quod inteſtina ſentinæ vices ſuſtineant) facilimo hic negotio ſuccreſcere poteſt, exaſperet potius hunc morbum, & ulcus illud acerbius omninò atque magis ferociens contumaciusque reddat: Imò difficultatem curæ auget tunicarum & membranarum naturalis conſtitutio, quæ conſolidationem ægerrime ſuſcipit, & non niſi tardo admodum ſucceſſu, ſi vulneratæ aut ulceratæ exiſtant illæ, curari ac cicatrice obduci poſſunt.

Ad §. 3.

Benigniſſimæ virtutis purgans eſſe ☿ium dulcem rectè ſeduloque paratum, non amplius dubitamus, quod medicamen præterea facultas ulcera oppidò leniendi, abſtergendi & mundificandi inſigniter in hoc caſu condecorat; uſurpandi rationem & cautelas alibi jam judicavimus: ☍ tam ♄i quàm ☿ii ad dulcedinis ſuavitatem (beneficio ſpiritus X rectificatiſſimi) perductum nō injuria genero-

neroſorum medicaminum ſtemmati inſeritur. Quod itaque Eſſentiam ſeu 🝆 ♄i dulcificatum (quod alii propterea mannam ♄i vocant, ſicuti etiam in levi & perfunctoria duntaxat præparatione ♄us ſtatim ſingularis ſuæ dulcedinis certitudinem vel ſaccharo ♄i teſte exhibet) attinet, illud pro vero & unico omnium ulcerum balſamo à nobilioribus Chirurgis habentur, quod ſua dulcedine, quicquid mordax & acre eſt, reſolvat & immutet, partiumque læſarum humido radicali in cujus vigore ſanitatis reſtituendæ fundamentum præcipuè conſiſtit, ſuaviſſimum pabulum aut refocillandi ſubſidium præbeat, atque ſic ſolutæ partis agglutinationem potenter promoveat. De 🝆 ☿ii dulci eodem modo ſe res habet, quod vel propterea maximarum virium eſt in curandis ulceribus, quia radicaliter ea abſtergere atque mundificare valet, in quo ipſo ſanationis per Chirurgum doctiorem præſtandæ cardo unicè ac potiſſimum vertitur atque conſiſtit. ⊖ ♄i inſuper cum per ſe, ut notum eſt, ſatis dulce ſit, facilè etiam ad veram & ſuaviſſimam dulcedinem perduci poteſt, atque id pariter beneficio 🜈 exaltatiſſimi, quo alioquin omnia ⊖ia utut etiam acria ad exoptatum dulcedinis & ſuavitatis gradum per iteratos digeſtionis ac cohobationis labores redigere Spagyrici norunt: Vires hoc ipſum ⊖ easdem cum 🝆 ♄i ex fundamento ſimili habet, velut id paulò anteà dictum fuit. Tandem ſpecifica antidyſenterica fructuosè etiam hic adhiberi poterunt.

CAPUT LIV.

De

Lumbricis inteſtinorum.

§. 1.

VEntriculus & inteſtina generant lumbricos ex humiditate corruptibili, qua potiſſimum abundant. Hæc autem humiditas habet ſecum aliquid ſpiritus lucis, cujus beneficio incaleſcit: Eſt enim luci ſuus calor innatus ſeu naturalis, cujus beneficio agitatur & ad quaſcunque generationes movetur.

§. 2. Cur autem hæc humiditas à ſpiritu lucis ad vermes potius quàm alia animalia generanda moveatur, hoc ex proprietate quadam naturali inteſtinorum dependet, quæ cum oblonga ſint, & humiditas illa viſcida ac glutinoſa, ex qua vermes generantur, facili via extendatur in longum, fit inde, ut vermes oblongi etiam generentur: ſi verò tam facilè non extendatur, & in latitudinem protendatur, lati hinc fiunt vermes: quod ſi minutim dividatur iſta humiditas, minuti etiam & parvuli inde vermes producuntur: adeoque hoc dependet ex proprietate loci ac diſpoſitione materiæ: ſemen enim & uterus ſeu locus diſponunt generatum vel productum ad talem vel hanc particularem productionem.

§. 3. Ut

§.3. Ut ergo lumbricorum cauſa materialis foras ejiciatur ex inteſtinis, & corrigatur loci diſpoſitio, ne amplius vermes in eo producantur, ☿ius ſpagyricè præparatus ſummũ eſt arcanum: Lumbricos enim productos, qualeſcunque ſint, enecat, & ne amplius producantur aut generentur, impedit, quia loci diſpoſitionem corrigit deſiccando valdè ob calorem ſuum innatum: Calidus enim eſt ☿ius, quicquid etiam clament nonnulli, ita ut in rerum natura validius medicamentum in enecandis lumbricis ☿io ſpagyricè præparato non detur.

§.4. Sunt, qui crudo utuntur ☿io, id quod ego non probo, quia cruditas illa mineralis in ☿io ulceroſa eſt & nimis acris mordaxque, ac proinde ventriculo lethalis atque valde periculoſa: Tollitur autem illa cruditas mineralis igne minerali, qui in ⊖ibus mineralibus reperitur, & quibus conſtat ☿ius ſublimatus dulcis.

§.5. Pulvis etiam emeticus ſpagyricè præparatus ſummum eſt arcanum in enecandis lumbricis & in cauſa eorum materiali foras ejicienda: Cineres quoque lumbricorum terreſtrium proprietate quadam naturali productionem lumbricorum in inteſtinis impediunt propter ſiccitatem, quam introducunt, in inteſtinis humiditatem illam lumbricoſam abſorbendo. Curantur ergo lumbrici ſequenti methodo ℞. ☿ii dulcis ſpagyricè præparati gr. xx. Opiatæ Salomonis ʒß. M. f. bolus, detur manè cum regimine & cuſtodia, itereturque hæc doſis per tres auroras ſimili methodo obſervatas: Admiſceatur aliquid pulveris emetici ad. gr. 3. vel 4. ſi fortius quis purgare deſiderat, ita tamen ut ægri ſint adulti & fortiores.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Ex univerſa Artis medicæ hiſtoria, ſi eam evolvere Curioſo non diſplicuerit, conſtat, tam inter præcipuas quàm ancillantes etiam ac minus principes (ignobiles vocant) corporis humani partes aut officinas, à quibus intercutanei etiã receſſus non excluduntur, vermium fœturam pullulaſſe, præſertim vero in ventriculo & inteſtinorum voluminibus, ex putredine è depravato alimento contracta mox hujuscemodi animatam progeniem, quam lumbricorum nomine vulgus indigitat, fuiſſe prognatam. Atque ex hujuſcemodi corrupta aut putrilaginoſa immunditie præſertim in inteſtinis oriri animalcula vermicularia, tam tritum eſt, ut etiam quælibet anicula ac quivis Agyrta eadem ſe expellere poſſe & glorietur, & in plateis ſtentorea voce profiteatur. Sed unde ex putredine hæc vitalitas ſeu animatio proveniat, non adeò clarum eſſe videtur: Quicquid tamen ſit, nos ſtatim ad ſcopum collineare conabimur. Dogmatici iſtum humo-

humorem principium aliquòd vitale ſui generis in ſe habere, illudque à calore vivido (non intenſo ſeu magno eo, qui mortificat potius, ſed blando ac velut materno, qui demum ad generationem idoneus eſt) per iſtam putredinem ſuſcitari, & ſic vermes illos progigni aſſerunt. Quod ipſum ut rectè aſſertum pronunciamus, ita Autor dilucidè magis hoc thema explanaſſe hic videtur, dum humiditatem illam nunc accuſatam aliquid lucis aut calidi innati luminoſi in ſe continere ſtatuit, cujus beneficio hæc agitatio ſeu potius fermentatio ac fermentans corruptio ad generationem diſponitur atque movetur: Rectè inquam hæc omnia ſe habent, utpote quæ nos ad rerum generandarum penitiora adyta optimè nec difficulter manuducere poterunt: Nihil enim noſtro quidem animo, utut etiam excrementitiæ malitiæ infamia notatum id ſit, tam obſcurum, quin habeat in ſe aliquid claritatis, nihil tam tenebricoſum, quin aliquid lucis in ſe comprehendat, nihil tam impurum exiſtit, quod non aliquid puri in centro ſuo foveat, nihil tam venenatum audit, quod non ſalubritatis quosdam radios ſpargere poſſit, nihil tam morbidum, quod ſanitatis quippiam reconditum non exhibere poſſit, nihil tam mortuum deprehenditur, quin vitalitatis aliquod ſeminium oſtendere queat ſeu vitale principium poſſideat, nihil tam frigidum, quin quaſdam calidi ſcintillas emittere poſſit, nihil tam ſiccum, quod humidum ſuum non contineat, nihil tam putridum ac corruptum; quod generationis deſideratæ ſpem offerre non valeat, adeò ut ex ipſa etiam putredine vita & gloria omni theſauro pretioſior ſæpè ſcaturire queat. Ergo mirum nullum eſt, quod ex humoribus licet excrementitiis etiam ac immundis in corpore vivo ſtagnantibus vivum aliquid oriri poſſit, ſicuti etiam res quævis imo ipſum lignum aut quodcunque aliud mixtum verminoſam ſobolem, veluti doctiſſimus Kircherus in ſuo de Peſte ſcrutinio ſublimiorem hanc Philoſophiam affabrè & eleganter planè deduxit. Rem ipſam autem rectius cognoſci non poſſe, quàm ſi ad abſtruſiorem rerum naturalium ſapientiam & magnum Naturæ librum, qui cœleſtes omninò paginas à quovis ſedulò vertendas habet, recurratur, ſeriò aſſeveramus. Admirabiles igitur lucis hujus ac ſpiritus effectus exprimere non licet, niſi venerabile creationis opus accuratiſſimè conſideretur, ubi ſtatim percipiemus, à ſpiritu divino cujuslibet creaturæ virtutem ac cujuscunque mixti lucem derivatam eſſe, & à lucidiſſimo verbo FIAT primum ad cœleſtia deſcendiſſe vivificum hoc robur, unde poſteà vegetatio & efficax propagatio cum aſſiduo ſplendoris vivifici influxu inferioribus omnibus & mixtis quibuscunque indita fuit: atque hinc in vegetabilibus, mineralibus, ac omnibus rebus lucis ſeu ſplendoris illa ſcintilla à ſacro ſancto verbo producta deprehenditur, quæ easdem verſus metam perfectionis oppidò perpetimque promovere poſtmodum ſatagit. Ergo nullum eſt dubium, quin humoribus etiam no-

ſtris aliquid de hâc vivace & actuoſa luce inſit, quæ ſuum indubitato habet calorem, veluti etiam ex naturali Sophia diſcimus, calorem illum nil aliud eſſe quam eſſentialem & activam ipſius lucis, ab ejus motu & vivacitate excitatam ortamque qualitatem, quo ipſo lucis △e licet valdè occulto nil mobilius, & in motu ſuo ad rerum geneſes potentius eſt. His præſuppoſitis quomodo vermes ex humoribus ac ſuperfluitatibus corporis noſtri ratione lucis illius & ejus portiunculæ progenerari queant, faciliori negotio jam exponi atque comprehendi poſſe non dubitamus; veluti etiam hâc ratione luculentiſſimum evadit, quomodo omne non tantum vivens, verum quodcunque mixtum quoque habeat cœlum ſuum, h.e. lucidam portionem quandam ſeu quintam eſſentiam & aſtrale robur, ſicuti Paracelſus loqui amat. Sed magnum hoc Naturæ myſterium dimidiatis fractisque verbis nonnihil tetigiſſe, ac ſemitam ad altiora levi Minerva (ingenii enim noſtri infirmitatem lubentes confitemur) monſtraſſe ſic ſufficiat.

Ad §. 2.

Natura nempe ad generationes rerum adeò ſollicita eſt, ut, ubicunque repererit diſpoſitionem, i.e. calorem (actionis cauſam ſeu efficientem) cum proportionata humiditate ſeu mucore (paſſionis ſubjecto vel materia) ibi mox animal aliquod generet & excludat. Quum itaque in inteſtinis excrementitii humores ſui generis calidum innatum ſeu ſpiritum lucis continentes potiſſimum ſcateant, fit ut conſimile, h.e. vile & excrementitium aliquid, nempe monſtroſa hæc verminoſæ prolis ſpurcities ibi generetur, adeoque non immeritò naturalis inteſtinorum proprietas & humorum ibi contentorum indoles hîc attendenda veniat. Porrò dum cauſam conformationis ſeu figuræ, quam vermes in inteſtinis geniti habere ſolent, arbitratus eſt Autor (circa eam autem, cum appoſitè explanata hic fuerit, nihil habemus, quod addere queamus, quemadmodum etiam ambabus largimur, generatum plerumque imitari matricis ſuæ formam) numerum juxtà eorum quaſi obiter indicat, longorum videlicet qui lumbrici propriè dicuntur, deinde latorum ſeu planorum, qui cucurbitæ ſemini ſimiles obſervantur, ac tandem minutorum ſive aſcaridum mentionem faciendo. Aſt circa hoc ipſum diſcrimen ſeu ſpeciei diverſitatem vel propterea non occupabimur, quod quælibet illorum vermium ſpecies uno medicamine enecari horumque ſeminum extingui poſſit; prout nec medicamentum ad ſpeciem, ſed cauſam potius morbi, quæ una eſt (immediatam & proximam hic innuimus) dirigitur.

Ad §. 3.

Præſtantiſſimas ☿ii cumprimis Hermetica manu adornati dotes etiam ſupra

prà laudem noſtram poſitas omnique præconio majores eſſe, non diffitemur. adeoque in encomium ejus tanquam ſummi & probatiſſimi imò incomparabilis in hoc caſu arcani ulterius excurrere, quum hactenus id à nobis pro virili factum fuerit, hic ſcientes acquieſcimus. Ut igitur ☿ialia medicamenta ritè confecta ſanguinem ab omni corruptionis inquinamento effectiſſimè mundificant, ita nullum etiam eſt dubium, qui verminoſam pullulaginem tanquam eximiæ putredinis ſeu corruptionis fructum, vel in tempore arceant, vel ſi jam præſtò ſit, oppidò fugent atque penitus averruncent; adeoque ambabus Autori concedimus manibus, ad eliminandos necandosque vermes ☿ium ſpagyricè præparatum eſſe medicamen ſine pari, & potentius ad intentionem iſtam eodem in totâ Medicinâ non inveniri: Verum an deſiccando hanc efficaciam præſtet, alia ratione admittere non poſſumus, quam quod noxios putrentesque humores ſine ulla moleſtia nulloque cum ſanitatis incommodo, ſed magno potius cum emolumento expurgare, atque ſic meatus ac cavitates corporis omnes, adeoque multò magis inteſtina primasque vias verminoſâ hâc labe obſeſſas depurare valeat. Cæterum nullum eſt dubium, & alibi jam demonſtratum fuit, ☿ium vermibus omnibus tota natura infeſtum exiſtere, quod ipſum experientia nullo non tempore fideliter confirmatum dare poterit. ☿ium illum vulgarem obtinere, ut omnia alia mixta, calidum ſuum innatum, ex ſanioribus nemo quidem negabit, ſed tamen non ſequitur ſtatim, quodcunque habet calorem ſuum congenitum, illud etiam calidum eſſe, id quod innumeris circumſtantiis, niſi prolixitas nobis diſpliceret, oſtendi palam poſſet. Ideoque haud confundendum eſſe cenſemus ☿ium illum vulgarem, qui in monopoliis venũ proſtat, & de quo hic loquitur Noſter, cum ☿iô Philoſophorum, qui argentum vivum △eum ſeu △a urens, liquor △eus vel △is humidus tanquam ſperma & principium omnium metallorum vocatur; Imò felicem deprædicamus illum, qui ex fundamento Philoſophiæ Hermeticæ capit, quid ſit ☿ius maſculinus (hic autem reverâ calidus imò △eus ac merè 🜍reus eſt) quod fœmininus, & quid ☿ius menſtrualis, qui ultimus maſculo & fœmellæ Sophorum in amoris poculum aut in nuptiale balneũ paratus, juxta Hermeticorum Patrum doctrinam exiſtit. Sed tranſeant ea, quæ captum noſtrum tantopere excedunt.

Ad §. 4.

An crudus ☿ius tutò & ſine detrimento ſanitatis aut vitæ periculo adſumi ac deglutiri poſſit, Autor diſquiſitioni hic ſubjicit: Nos vero provocamus ad ea ſtatim, quæ ſuprà in curâ Paſſionis Iliacæ obiter monuimus, ſicuti etiam in ſummo hoc neceſſitatis & miſerabiliſſimæ calamitatis caſu, ubi alioquin omnia deſperata videntur, à crudi ☿ii uſu nos tantopere non abhorrere adhuc adſerimus: Tam venenatus enim ac pernicioſus eſſe ☿ius ille currens non poteſt (vulgari modo morti catum hic excipimus, qui omninò exitialis

 eſt)

eſt) ſi alas ſuas adhuc integras habens internè accipiatur,quia citò tranſit,atque ſic propterea de ſubſtantiâ ſuâ in corpore nihil relinquit , ut ob corroſivam & ulceroſam ejus cruditatem aliquod hinc pertimeſcendum ſit periculum. Ut autem in Iliaca miſeria ☿ium currentem crudum ſine omni hæſitatione ac intrepidè porrigimus,ita in occidendis vermibus cum in ſubſtantia præbendum nos quoque non ſuademus,ſed infuſionem ejus ac coctionem potius in Xô vel ▽a ſive communi ſive deſtillata ſpecifica (qualis eſt ▽a flor. perſicor. fumar. centaur. minor,portulac.gramin.&c.) factam tanquam mira hîc præſtantem cum Helmontio (qui radialem hanc ☿ii commiſtionem vocat) & Poterio impenſè commendamus, utpote quæ ſine omni malignitatis ſuſpicione eſt , uti ex jam ſequentibus clarebit. Maceretur,inquit Helmontius,argentum vivum vulgare in magna ▽æ communis ſeu fontanæ quantitate, tunc illa (etiamſi ne minimum quid de hoc ☿io vivo ſubſtantialiter in ſe ſorbeat,aut ad ſui naturam convertere queat) ab iſto argento vivo hanc proprietatem mutuabit , ut epotum aliquid de hac ▽a radialiter ſic impregnata ſtatim univerſos lumbricos & omnis generis vermes in illis etiam corporis noſtri locis exiſtentes , quò potus iſte nunquam pervenit,enecabit. Et porrò inquit : ▽a iſta ☿iali ſidere tacta contra lumbricos longè fit validior,ſi ſemel duntaxat cum argento vivo ebulliverit : ſic unica uncia, pergit Helmontius , millies & indefeſſis viribus tot menſuras ▽æ poterit hâc virtute imbuere , & tamen in pondere , robore ac proprietate ſuâ ☿ius iſte undique integer ac priſtinus permanere : Imprimis enim ſolummodò ☿ius iſte huic ▽æ characterem ſeu ſigillum ſuum , atque ſic vim medicam transfert ſuô velut radiô ſuô vel ſui adſpectu ac virium ſuarum ejaculatione : adeoque Helmontius infinitæ bonitatis propinquum ac infinitas vires ſenſim ſpargens hoc arcanum propterea ſalutavit. Suprà diximus,hanc ▽am ☿iali aſtrô nobilitatam in corpore noſtro ibi etiam vermes interficere poſſe , quò etiam minimè pervenit ; Id ipſum uti veriſſimum eſſe ſeriò affirmamus , ita ipſe Helmontius ſat dilucidè hoc declarat, ac bonâ fide ſtatuminat , quando ait : Mulieres intingunt laneum fruſtum commiſturæ argenti vivi , idque inter zonam veſtium conſarciunt,certò ſcientes,☿ium,licet non effumet quicquam,per totum tamen corpus pediculorum,pulicum , & vermium indubitatô effectu arcere & impedire præſentiam ac generationem. Hanc ipſam ▽am radialem Horatius Augenius & D. Albertus Menzelius cognoverunt etiam, & albô calculô approbarunt , qui eandem nuncuparunt ▽am hermeticam à Chymicorum Patre Hermete ſic dictam,utpote qui filiis ſuis ☿ii licet non vulgaris, ſed Philoſophici incomparabilem excellentiam tam paternè inculcavit. Annotari etiam & aureis literis ſignari hîc meretur,quod CL. Poterius nobis reliquit : Quidam,inquit,☿ium crudum in fundô dolii detinent ; ferunt enim Vinum , ne aceſcat aut vappam contrahat

pendu-

pendulumque fiat, ejuſdem ſingulari virtute præcaveri: Tale Vinum plurimum plurimumque valet ad ventris lumbricos, & de capite per os imò è totô corpore omnem viſcidam humiditatem ac putrilaginem educit. Beatum (quod de noſtro addimus) illum Medicum, qui hæc audiens legensque credit, & in ſuâ praxi hæc dicta ſibi cumprimis exiſtimat. O miranda, ô ſtupenda Naturæ arcana! Hac occaſione docuiſſe Autorem quoque concernimus, quomodo ☿ialis cruditas & omnia venenata alia, præſertim ſi ex regnô minerali ſint deſumta, emendari & ad deſideratæ ſalubritatis culmen, ut exinde probatiſſimæ fidei ac nobilis virtutis medicamentà fiant, deduci poſſint. Commendatur autem hîc non △ externus ille & artificialis, ſed internus & profundiſſimè abſtruſus, ut cum Philoſophis loquar, qui in ⊖ibus atque potiſſimum alkalibus poſt reſolutionem ac deſtructionem totius mixti impetratis (unde alkali etiam △ gehennæ à potentiſſimâ ſuâ, quam obtinet, facultate nominatur) deprehenditur: In ſalinô nempè centrô reverà conſiſtit ſiccum illud radicale ac baſis omnium rerum, ubi demum reperire calidum innatum incorruptibile & humidum primigenium incombuſtibile licet: Hinc ⊖ etiam omnium rerum ſalutatur clavis, quæ corpora claudere ac reſerare, adeoque fores ad Naturæ ſacrarium pandere potenter valet. Verùm quum ſic parandi ☿ium dulcem rationes ac modi à Schrödero noſtro & Chymiatris Excellentiſſimis aliis ſedulò ſatis deſcripti & cum cautelis circumſtantiisque ſuis ſollicitè expreſſi exſtent, Naturæ & Artis ſcrutatores ad laudatos iſtos remittimus Autores.

Ad §. 5.

Pulveris emetici tam ab ipſô Autore, quàm nobis etiam toties commendati fama ac virtus tanta eſt omninò, ut ſtatim in eandem cum Autore ſententiam deſcendere queamus; vomitorium iſtud videlicet in hoc malo ſummi potentisque arcani titulum jure meritò ſibi vendicare: Quod enim nidum & matricem vermium, h. e. excrementitios corruptosque mucores funditùs eradicare poteſt, id omni dubiô ſine progenie etiam, quæ exinde pullulat, conſimili potentiâ peſſundare valebit. Multo tamen robuſtius & efficacius magisque ſpecificum contra vermes hoc purgans evadet, ſi aliquid inſuper de ☿iô ritè dulcificato eo planè modo, quem Autor in calce hujus Capitis candidè inſinuavit, adjiciatur: Ubi ar.idet quoque quod ☿ium hunc dulcem ac pulverem emeticum cum pauxillo Opiatæ Salomonis commiſcendum moneat; hæc ipſa enim Opiata (quæ Confectio ſeu Electuarium impropriè ſic dictum eſt, non quod opium contineat, ſed quod Priſcorum medicamentis ab opio baſin habentibus conſiſtentiâ ſuâ atque colore reſpondeat) non tantùm virtutem roborandi putredinemque compeſcendi, verùm etiam vermes peculiariter perimendi obtinet: adeoque robur ab Autore hîc præſcripti purgantis boli undique ſic & ex aſſe contra vermium

mium turmas inſtructum ſpectitamus. Quis autem Salomon ille fuerit, cui hæc Opiata adſcribitur, altum in Diſpenſatoriis ſilentium eſt, conſuli tamen Doctor Jubertus poterit, qui Salomonem hunc nullius in Medicinâ notæ eſſe fatetur, Opiatam verò ſub nomine incerti hujus Salomonis deſcriptam ad multa cæteroquin commendavit: Qui compoſitionem & ingredientia ejus præterea cognoſcere geſtit, is Renodæi diſpenſatorium adeat. Ex lumbricis vel vermibus 🜃enis, qui Græcis inteſtina 🜃æ ſatis appoſitè vocantur, ſpecificum medicamen, quod vel ſola ſignatura confirmat, ad nihilandos expellendosque inteſtinorum lumbricos effici poſſe, facili conſenſu approbamus. Quidam igitur hos lumbricos in furno exſiccare & in pulverem reducere, quidam verò calcinare penitùs & in cineres ſtatim redigere conſueverunt: Rectiùs tamen illi faciunt, qui nil planè perire ſinentes, primò 🜄am hinc deſtillatam, utpotè hydropicis & iis etiam, qui podagrâ ac cumprimis arthritide vagâ affliguntur, inſigniter proficuam, imò contra has ipſas vermium moleſtias aut infantium vermiculationes valdoperè valentem excipiunt, poſteà verò calcinatio ſive exſiccatio vermium illorum vel etiam 🜔is ex cineribus eorum extractio nihilominùs inſtitui poterit. Cæterùm nos tanquam ſpecifica nobis ad educendos ac necandos vermes approbata laudamus (quamvis prænominata omnibus modis ſufficere queant) ſpiritum ⊕li cum ſaccharô candi coagulatum, qui ſaporem gratiſſimum hinc accipit, & optimum contra vermes ſtratagema præbet, item reſidua ex 🜍re & myrrhâ facta quævis, 🜄a fellis bovis caſtrati, perſicariæ, ſabinæ &c. cumprimis verò in praxi noſtra Clyſter ex ⚹ noſtrô ☿iali factus nunquam in hôc affectu nos deſeruit.

CAPUT LV.

De *Ani morbis.*

§. 1.

QUamplurimi affectus anum occupare ſolent, inter quos præcipuè phlegmone ſeu inflammatio, abſceſſus, fiſtulæ, ſciſſura, condylomata & hæmorrhoides recenſentur: Qui affectus omnes in hâc parte exoriuntur, quin ſuccus alimentitius totius corporis homogeneus ac ſimilaris ſua excrementa 🜍rea & arſenicalia in carnoſam hanc partem, quæ anum conſtituit, deponit, ubi congeſta & cumulata hæc excrementa tumorem p.n. qui phlegmone dicitur, ob inflammationem concomitantem hunc tumorem excitant: Dolor tunc adeſt

adeſt acerbus & magnus, qui per aſſiduas lancinationes ac compreſſionem alvi mirè exaſperatur; alvus enim per multos dies hinc induratur, & nonniſi ſummo cum cruciatu ſolvitur: habet etiam febrem concomitantem, unde pariter affectâ & inflammatâ veſicâ propter partis viciniam urina ſupprimitur.

§. 2. Abſceſſus ex phlegmone relinquitur, qui in interiores ani partes ſeu inteſtini recti cavum potiùs ſerpere ſolet, quàm ut in externâ ani parte erumpat: Partes enim illæ interiores ſunt molliores & proinde faciliùs quàm externæ, utpote quæ duriores & firmiores, ulcerationem concipiunt. Rupto deinde abſceſſu ulcus remanet ſordidum ac purulentum imò ſæpiùs fiſtuloſum; quod in parte hac humidâ & excrementis perviâ ægrè coaleſcit, & non tam facilè ad cicatricem perducitur; imò ſi coaleſcat, tunc induratur potiùs, ac proinde fiſtuloſum evadit.

§. 3. Rhagades ſeu fiſſuræ ani ſunt ulcuſcula oblonga, quibus rimæ ſeu rugæ ſphincteris proſcinduntur, & imitantur planè labiorum, manuum ac pedum ſciſſuras, ab iisdemque cauſis dependent. Pariunt autem eas excrementa acria, mordacia, ☿rea & ſalita, nec non arſenicalia, quæ in hanc partem demandantur, & ibi ferocitatem ſuam exerunt, unde acrimoniâ ſuâ & pungendi potentiâ partem hanc dilacerant ac proſcindunt, ſciſſurasque ſic efficiunt.

§. 4. Condylomata dura ſunt tubercula in ani margine exorta ac protuberantia, quæ verrucæ aut ficus etiam exigui nominantur, atque uvæ granis vel etiam maturis moris conſimiles exiſtunt. Proveniunt autem cum inflammatione & ab excrementis 🜔eis 🜍reis & viſcidis, quæ in hanc partem à ſpiritu ſanitatis œconomô purum ab impurô ſegregante ortum ducunt.

§. 5. Ad morbos ano familiares & communes referuntur etiam hæmorrhoides, quæ nihil aliud ſunt, quàm venæ tumefactæ & ſanguine excrementoſô, quæ vaſa ani dilatat, turgentes: Dicuntur hæmorrhoides, quod ſanguis per hanc partem fluere ſoleat; cum verò nihil ſanguinis effluat, hæmorrhoides cæcæ aut ficus vel mariſcæ dicuntur, quæ à condylomatis differunt, quod breviori tempore fiant & graviori dolore ægrotantem affligant. Fiunt hæmorrhoides omnes ab excrementitiô, acri & mordaci ſanguine, qui ex venâ cavâ huc amandatur, & in hanc ani extremitatem profunditur, ſuâ acrimoniâ ani vaſa poſtmodum inflammans, tumefaciens, mordicans & aliquando ulcerans, unde ſphincter, ani ille muſculus, reſolvitur, ac veluti inverſus revolutusque, multis inſuper ulcuſculis perforatus cum multâ ſanguinis acris & mordacis profuſione conſpicitur. Ab his ipſis morbis ani procidentia etiam dependet, quæ præcaveri poteſt, ſi illi in tempore curentur.

§. 6. In-

§. 6. Inflammatio ani & ulcus, quod inflammationem ſubſequitur, tolli ac curari ſolet diaphoreticis ſive ſudorificis medicamentis: ſanguis enim horum beneficio omnia ſua excrementa deponit, & laudatas conditiones acquirit: Sin verò ulcera anum infeſtent, balſamo 🜍ris ſuperiùs præparato curantur. Rhagades & condylomata 🝆ô terebinth. aut chamomill. vel etiam 🝆ô ovorum ſanantur, quibus ſi balſamus 🜍ris permiſceatur, multò efficacius efficietur & obtinebitur medicamentum.

§. 7. Hæmorrhoides autem ſimilibus atque iisdem medicamentis curantur, præſtabit tamen ☿ii oleum, quod omnibus aliis præponitur: It. 🝆 ♂ dulce ad leniendos hæmorrhoidum & cicatrizandos hos ulceroſos affectus miranda præſtat. Procidentia ani curatur ſequenti pulvere: ℞. Terræ ⊕li dulcis ritè præparatæ & aquâ roſaceâ lotæ, maſtiches, balauſtiorum, cupularum glandium & ſalviæ ana ʒj. M. f. pulvis tenuiſſimus, quem inſperge linteo, & ano impone: ſic enim roborabitur anus, & ligamenta ejus confortabuntur, ut in locum ſuum naturalem is reſtitui poſſit.

Animadverſiones

Ad §. 1.

QUos ani morbos vocitat Autor, eos alii ad inteſtini recti potiùs referunt affectus; Circa numerum nil occurrit, quod monita noſtra depoſcit. De phlegmone autem ſeu tumore ani cum inflammatione juncto, cujus rupturam ulcus excipit, primò Noſter agit, ubi eadem planè circa cauſam hujus mali tam materialem quàm efficientem cum omnibus atque ſingulis circumſtantiis locum ſuum habere poſſunt, quæ hactenus de inteſtinorum tam morbis quàm ſymptomatis adnotata fuerunt, addito hoc duntaxat, quod excrementitiarum ac putrentium humiditatum labes unà cum impetuoſo ac ſuſpecto fermento ſuo, cùm alias hûc tranſitum exitumque ſuum habere debeant, ſine ullâ difficultate inteſtino recto communicari & ad anum transferri queant. Autor hæc excrementa vocat 🜍rea & arſenicalia non immeritò: Habent enim reverà 🜍ream naturam excrementa alvi, atque ſi ipſis inſuper accedat gravis corruptio, tunc valdè exitioſam & omninò virulentam, h. e. arſenicalem ſeu arſenici ferociam æmulantem qualitatem induere ſolent. Gravis & valdoperè lancinans dolor eandem ob cauſam hunc affectum comitatur, veluti jam ſuprà de inteſtinorum doloribus acerrimis dictum fuit, niſi quod iſta doloris ferocia, quam ani phlegmone inducit, in unâ eademque ſede perſentiſcatur defixa: Prætereà auget anxietatem & moleſtiam iſtam aſſidua ſed inanis deſidendi cupido, quam dubio procul ſumma humorum putridorum acrimonia vel animatæ etiam putredinis,

ſine

ſine quâ nunquam eſſe ulcera diximus, morſiones ac roſiones pariunt. Nec vana tantùm dejiciendi voluntate urgentur patientes illi, verum etiam ne tantillum quidem excernere tunc valent, quam alvi adſtrictionem tam inflammatio, conſtringendi ſeu coarctandi vim habens, quàm tumoris magnitudo maniſeſtiſſimè efficiunt, quæ tantæ ſæpè numerô ſunt, ut ipſam quoque veſicæ urinariæ cervicem (hæc enim inteſtino recto viciniſſima eſt) tam comprimat, quàm fortiter conſtringat; unde tunc quæ pernitioſa atque contumax ſuppreſſio pariter ægrotos iſtos impenſè angit.

Ad §. 2.

Veriſſimum omninò eſt, quod Autor hîc ingerit, dum abſceſſus & ulcera promtiùs ſucereſcere in mollioribus quàm in ſolidioribus locorum poſteriorum partibus demonſtrat; unde ulcera ani etiam potiùs interiora verſus tendunt, & ipſum inteſtini recti ſpincterem occupant, quàm ut carnoſa ac globoſa natum pulpamenta obſidere ſoleant; ratio eſt illa, quia in mollioribus partibus delicatior & infirmior ſemper eſt Archeus, qui cauſæ peccanti hoſtilique tam generoſe reniti non poteſt, in durioribus verò ac magè ſolidis partibus robuſtior etiam & copioſô magis ſpirituum influentium ſatellitiô ſtipatus eſt ſpiritus ſeu calidum inſitum, quod propterea propellere & expugnare hoſtiles excrementitiorum ſuccorum hûc recurrentium inſultus validiùs utique valet. Fiſtulas etiam hîc tangendi nobis offertur occaſio, de quibus & earum origine paucis ſciendum apponimus, quod inflammationes partium, ſi ad ſuppurationem veniant, ulcera & apoſtemata vocentur, poſt quæ, ſi non rectè & infauſtô ſucceſſu ea curentur, ſinus longi anguſtique ſeu fiſtulæ (quæ ſemper malè curata ulcera & abſceſſus ſequi conſueverunt) generantur, quæ nihil aliud ſunt, quàm apoſtemata calloſa & duriore circumcirca carne ſeu anguſtô orificiô circumſcripta, atque pus in profundô tanquam cuniculis quibusdam comprehendentia. Vocari autem ulcera illa concava & cavernoſa fiſtulæ ſolent, quod fiſtulas arundineas easq; muſicas concavitate, rotunditate, ac figurâ ſuâ quaſi imitari videantur. Ut autem de illis ex profeſſô agere Chirurgis incumbit, ita ad eosdem quoque Lectorem remittimus, ſed ita tamen ut ex Helmontiô annectamus, fiſtulas (utut neſcio quam quietem mentientes) ſpir. curatu operoſiores ac difficiliores eſſe, atque propterea ad magna & extrema remedia neceſſariò tunc confugiendum, quod cancri ulcerati naturam in rei veritate referant.

Ad §. 3.

Rhagades Latinis fiſſuræ ſeu ſciſſuræ dicuntur, & nihil aliud ſunt, quàm ulcuſcula aut potius vulnera oblonga ac plerumque calloſa (quandoque etiam callô carent) quæ non tantùm ano, verùm labiis etiam atque manuum pedumq;

volis contingere ſolent. Harum inſuper fiſſurarum quædam ſuperficiem duntaxat occupant, quædam verò ſunt magis profundæ, item quædam humiditatem quandam ſive ſaniem fundunt, quædam planè ſiccas ſe exhibent. Luem ♀ream familiariter atque ſcorbuticum etiam malum, imò ipſam nonrarò ſcabiem comitantur hæ fiſſuræ, uti tritiſſimè notum eſt. Corrupto ſanguini atque acribus excrementitiisque impuritatibus inquinato adſcribitur moleſtiſſimus iſte affectus, unde non tantùm & quidem cumprimis in anô (ubi excrementorum tranſitus calamitatem hanc manifeſtò adauget & exaſperat) rugæ ferociter proſcinduntur, verùm etiam labiorum crenæ & manuum pedumque lineamenta corroduntur atque dilacerantur, prout rhagades nullibi contingere ſoleant, niſi ubi Natura crenas hujuscemodi ſeu rimas atque lineamenta impreſſit.

Ad §. 4.

Verrucæ ſeu condylomata tædiô ſuô potiùs quàm dolore aliquô moleſtiam inferre ſolent: Fiunt autem quando ani margo h. e. pelliculæ ac rugæ ſphincteris illius intumeſcunt, atque hinc tubercula duriuſcula occalleſcunt. Cauſa tam ex Autoris textu quàm antecedentibus abundè jam liquet: Huc referuntur etiam criſtæ ani, quæ carnis ibidem excreſcentiæ cauſam ſine inſigni ſcandalo ac deteſtatione haud nominandam accuſant. Has ipſas horridiori ſectionis & uſtionis præſidiô per Chirurgiæ Dd. in Xenodochiô Patavinô ad D. Franciſci curatas, adeoque nefandam hanc petulantiam condignâ hâc mercede remuneratam toties vidimus atque obſervavimus.

Ad §. 5.

Hæmorrhoidum nomen licet evidenter exiſtat generale, in ſcholâ tamen medicâ ano id adſtringitur, ut hæmorrhagia naribus. De hac vacuandi ratione, quæ merus eſt Naturæ miras ſæpiusculè vias ſibi excogitantis conatus, adnotandum omninò eſt, quod non in omnibus individuis, ſed quibusdam tantummodò imò paucis planè deprehendatur. Magna autem moderatè fluentium hæmorrhoidum commoda ad conſervationem ſanitatis aut arcendos morborum inſultus, præſertim verò ad compeſcendum malum hypochondriacum hinc promanare, ut dubitamus nulli, ſic hoc ipſum etiam uſitata loquendi formula, dum Noſtrates hunc fluxum aureo honore dignantur, & unô veluti verbô die gûldene Ader vocitant, vel ſponte roborat: E contrario ſi hæmorrhoides reſtitent ac per conſuetudinem ſupprimantur, vel etiam immodicè nimis atque cum doloris immanitate profluant, malorum ileas, ut cum Hoffmanno loquar, tunc ſuper ægrorum cervicibus eſt. Ut verò hanc hæmorrhoidam hiſtoriam magis ex fundamentô capere queamus, ex Inſtitutionibus diſcimus, quod hæmorrhoides ſint geminæ, internæ nempè, quatenus venæ hæmorrhoidales

illæ

illæ à venâ portæ vel potiùs ramô ſplenecicô ſunt, atque per meſenterium circa inteſtinum colon & rectum extenſæ in inteſtinô interiori (unde etiam hæmorrhoides internæ in rectô inteſtinô fiunt paulò ſuperiùs) terminantur, atque inſimul conjugem arteriam habent; deinde externæ, quæ à venæ cavæ epigaſtricô ramô oriuntur, & in externas inteſtini recti partes nempe ani muſculos diſſeminantur, atque in ſphincterem deſinunt, conſimiliter arteriam ſociam (ab hypogaſtrica) obtinentes: Utrisque autem præſertim ſi conſuetudo id requirat, ut ritè & modicè fluant, omninò incumbere Practici concorditer volunt ac docent. Quæ omnia ut rectô ſtare talô fatemur, ita cum Hoffmannô (ſalvâ tamen tanti Viri pace) convenire non poſſumus, dum internas hæmorrhoides cæcas, externas verò apertas nuncupandas dictitat: Nos enim longè aliô ſenſu in Pathologiâ & hæmorrhoidum doctrinâ hanc cæcitatis notionem ſumi exiſtimamus, ita ut tam internis quàm externis hæmorrhoidibus (cui diſtinctioni autoritatem ſuam utpote in arte anatomicâ fundatam quidem relinquimus, aſt tam obſervatu neceſſariam haud ducimus, quod omnia hæc vaſa tam interna quàm externa indubitatam inter ſe communionem habeant) eadem competat: Non negamus etiam, cæcum apud Philologos non rarò paſſivè uſurpari pro eô, quod cerni nequit, ſeu quod occultum atque minùs conſpicuum eſt, in quô ſignificatu hæmorrhoides internas, quod in oculos non incurrant atque intùs lateant, Hoffmannus omninò cæcas appellavit: Attamen cæci nomen polyſimon eſſe confeſtim recordamur; unde præter ſignificationes alias cœcum inſuper in Medicinâ denotare animadverto id, quod pervium non eſt, & ſuum exitum non habet; ſic inteſtinum cœcum proinde hoc epitheto indigitatur, quod foramine ſuo deſtituatur, non ſecùs ac paries audit cœcus, qui feneſtras nullas obtinet: Eadem planè ratione hæmorrhoides ſive internæ ſive externæ ſint, tunc demum cœcæ nominantur, quando obſtructæ ſunt atque ſuppreſſæ, neque ſanguinis quicquam emittere valent. Ergo nos hæmorrhoides illas externas & internas Anatomicis potiùs explanandas ac demonſtrandas tradimus, eas verò, quæ cœcæ ſunt aut nimis apertæ, (naturaliter enim & modicè apertas non immeritò ob auro chariorem effectum, quem præſtant, hygiεινὴ laudat) tam Pathologicis conſiderandas, quàm Therapeutis ſanandas offerimus, id quod etiam Autor hîc dictum ſibi putavit, veluti ex textu ejus conſpicere licet. Adeoque Noſter primò proponit hæmorrhoidum ſuppreſſionem, vel ut notiorem notionem retineamus, hæmorrhoides cœcas, ubi ſanguis excrementitius, fæculentus & craſſus, prout debet, elabi conans, intercipitur, & orificia iſtorum vaſorum proinde valdoperè intumeſcunt, vel potiùs cum exquiſito & ſæpè intolerabili dolore (quem acredo impuri ſanguinis atque oborta inibi vitioſa fermentatio, quandoque etiam verminoſa putredo tam

vehementer lancinans patit) elevantur & dilatantur. Vocantur cæcæ iſtæ hæmorrhoides, ſi protuberent, alioquin ficus ſive mariſcæ, nobis die Feig-warzen / à figurâ & colore, quem fermè referunt ac habent non diſſimilem, ductâ appellatione: His opponitur hæmorrhoidum fluxus nimius immodicus, qui ſi diutiùs urgeat, vires æquè exhaurit, ac omnis alia excedens ſanguinis prodigalitas aut rapina. Cauſa pariter hujuſcemodi tribuenda putredini, quæ quaquâ ratione exedere aut corrodere horum vaſorum oſcula valet, cujus effigies ſatis ſuperque hactenus fuit commonſtrata: Imò hæmorrhoidum hæc luxuriæ adeò ſæpè urget, ut non tantùm ſanguis copioſè hinc profundatur, verum etiam ulcuſcula ſuccreſcant valdè dolorifica, vel ipſa etiam ani procidentia ſeu prolapſus inteſtini recti (ubi tamen ab Autoribus ſolum exterior illa in hoc inteſtino pars innuitur) exinde conſequatur. Hæc tamen illius partis prominentia non tam ab immoderato hæmorrhoidum fluxu, quàm frequentiùs à magno conatu in egeſtione alvi fæcum aut dejectionibus nimiis, & quæ ſunt aliæ cauſæ apud Practicos videndæ, originem ſuam ducere ſolet.

Ad §. 6.

Quoniam nunc enumerati affectus à ſanguine multis impuritatibus contaminato atque valdè corrupto ſcaturiunt, ſudorifica & diaphoretica illa (ſed præmiſſis attamen univerſalibus, ubi ☿ialis quoque purgatio hactenus ſincerè laudata palmam obtinet, vel, ſi quodammodò ſaltim permittat locus affectus, Enemata noſtra multum utilitatis promittunt) convenientiſſimè exhibebuntur: Quæ enim mala ſuperficiem corporis & cutanea loca occupant, beneficio diaphoreticorum eorumque nobiliorum (quorum nomina nobis jam conſtant) obſervatis tamen ut dixi obſervandis, feliciter perſanari ſolent, & quidem ob hanc ipſam virtutem mundificativam, quam Autor ſudorificis adſcripſit. Quod balſamum 🜍ris attinet, quem contra ulcera & fiſſuras ani commendat Autor, illius præparationem & cautelas circa eandem attendendas in vertice hujus Pathologiæ Spagyricæ jam abundè conſideravimus atque percepimus, quod inter unguenta traumatica agmen is ducat. Curationem fiſtularum ſilentio transmiſit Autor dubio procul, quod raró curari ſoleant, nullam certè ob aliam cauſam, quàm propter defectum generoſorum remediorum, quæ Chirurgus ex ſpagyricâ thecâ & regno minerali potiſſimum deſumta tunc in promtu habere debet. Sed Chirurgus Hermetico ingenio inſtructus rariſſima in 🜃is eſt avis. Ergo hîc requiruntur medicamenta ☿ialia, ſed optimè dulcificata, quæ in ſinum fiſtulæ ſedulò immittenda atque injicienda ſunt; item ex 🜕io, 🜿to & melle (illius ℞ v. g. ℥iij, iſtius ℥j, mellis ℥vj M.) liquorem per 🝭am vitream deſtillatum, ac decenter adminiſtratum, fiſtulas & ulcera calloſa atque

atque maligna imò penitùs deſperata fauſto ſucceſſu curare novimus. Acetum is profectò Chirurgus in pectore habet, qui loco oleorum (quæ in abſceſſibus, ulceribus, tumoribus & inflammationibus, ad quam claſſem quoque hæmorrhoidum cæcarum mariſcas referimus, nobis ſemper ſunt ſuſpectiſſima & in rei veritate noxia, quod dolorem exacerbent potiùs & inſenſibilem tranſpirationem indubitatò impediant, imò materiam peccantem ac putredinem retrò & verſus vitalia pellant) mel curioſè purificatum ac defæcatum ſubſtituere, atque ſic balſamos ſuos traumaticos, unguenta aut linimenta alia præparare ſapit. Sed plerique ex vulgaribus Chirurgis, quibus in Magiſtrorum ſuorum verba jurare conſuetum eſt, monita tam candida & utiliſſima non tantùm non admittent, verùm etiam ô quantô cum innumerorum ægrotantium detrimentô ac interitu contemtui ludibrioque habebunt! Qui verò ulcerum proximam ac veriſſimam cauſam in putredine animatâ conſiſtere, & verminoſam progeniem impensè mellis dulcedine delectari recordabitur, is ſtatim concedet, ingènioſum ſtratagema contra hanc ulcerum contumaciam confieri poſſe, ſi cum melle talia, quæ vermibus ſunt lethifera & exitioſa, debito modo commiſceantur: adeoque Medici Chirurgique prudentiam & ſolertiam inſigniter commendat omninò, ſi ſub armis ſuis doctos etiam dolos atq; inſidias excogitare, & eaſdem hoſti ſuo callidè opponere, eumque ſic ſupprimere calleat. Contra fiſtulas etiam ▽a ex ſtercore humano, item pulvis ex combuſtâ pelle cervinâ tanquam ſingularia ac valdè ſpecifica non immeritò laudantur. In ſciſſuris & condylomatis ani Autor adhibendum jubet ſpiritum vel ☍ terebinth. quod ſi probè rectificatum & inſuper mellitum ſit, non tantùm ulcera putrida efficaciter ſanat, mundificat & conſolidat, verùm etiam quibusvis tuberculis ac tumoribus iiſque duriſſimis attenuandis tollendisque feliciter adhibetur. Chamomilla quum virtutem molliendi ac dolorem oppidò mitigandi habeat, uſus ejusdem quoque in paregoricis ad extra eſt uſitatiſſimus: aſt nos locô ☍i chamomill. potiùs decoctum horundem florum in lacte vaccino ſubſtituere ſolemus utpote quod oleo longè efficacius ſolamen in hoc caſu præbere, & præſentiſſimè emolliendo tunc juvare hactenus experti ſumus: Ex vitellis ovor. vim quandam anodynam omnium conſenſu obtinentibus ☍ parari ſolet, quod creberrimi uſus eſt in conſolidatione vulnerum & rimarum ſeu fiſtularum, item in maturatione omnium tumorum, quo de vid. Diſpenſatoria.

Ad §. 7.

De curandis hæmorrhoidibus iiſq; immodicè fluentibus ſciendum, quod omnia illa medicaméta conveniant, quæ in hæmorrhagiis, diarrhœis, dyſenteriis vel in ipſa etiam cholerâ ſpecificâ virtute convenire ſuperiùs jam à nobis deter-

minata fuerunt, quibus etiã præſtantiora Præcipitantia adnumeranda eſſe cenſemus. Cœcis vero hæmorrhoidibus omnia illa exactè competũt, quæ ſuprà in morbis ſpleneticis & reſerandis viſcerũ obſtructionibus à peculiari ſuâ energiâ laudavimus. Quum vero mariſcæ tanquam hæmorrhoidum cœcarum ſoliti fœtus ægros tunc mirum quantum angere ac cruciare conſueverint, ſacculos oblongos ex herba linariæ & flor. chamomill. paratos & in lacte vaccino coctos, qui in continenti cruciatuum illorum ferociam mitigant, clientibus noſtris commendare, ita ut calidè loco affecto imponantur, ſolemus; vel ▽am noſtram traumaticam oder Heilwaſſer (hæc autem ad omnes tumores & inflammationes nobis catholica & probatiſſima eſt) quæ pariter dolores iſtos effectiſſime compeſcit, itidem calidè cum linteis ſedulò admovendum porrigimus: Olea vero propter dictam paulò antè cauſam in hoc caſu ſeriò rejicimus. Prolapſio denique ani faſtidioſiſſima ærumna eſt, cui pulvis ab Autore præſcriptus oppidò medebitur, modò ☿ ſeu ▽a ⊖li probè edulcorata, h. e. ab omni ſalſedine ſuâ & ejusdem acrimoniâ fideliter liberata exiſtat. Nos pulverem gallarum hîc multum valere imò majorem adhuc facultatem poſſidere aſſerimus.

CAPUT LVI.

De

Renum morbis.

§. 1.

RENes afficiuntur quam plurimis morbis curatu difficilimis, & potiſſimum quidem inflammatione, dolore nephritico, obſtructione, calculo, abſceſſu atque ulcere.

§. 2. Inflammatio conjuncta eſt cum dolore nephritico & ex aliis calculis arenisque ſæpius provenit, quæ in renum ventriculis gignuntur ex humiditate viſcosâ ac glutinosâ nec non coagulante ſpiritu ⦶oſô ac ſalitô, qui has materias facili negotio in arenas ſeu lapides, ubicunque etiam reperiantur, vi ſuâ coagulat. Hi calculi ergo quando fiunt vel etiam poſtquam ibi facti ſunt, in renibus inflammationem pariunt ac dolorem, h. e. ſpiritum renum valdoperè irritant.

§. 3. Si porrò facti in ventriculis renum calculi evellantur ab ſubortis hîc ulceribus propellantur, dolor exinde fit acutiſſimus, cum ureteres exquiſitiſſimo ſenſu & ſpiritu ſuo innato ſint præditi. Atque dolor hic graviſſimus, qui tunc perſentiſcitur, nullo pacto ſedari poteſt, niſi attrito ſublatoque calculo.

§. 4. Atteritur autem ac diſſolvitur calculus ▽a ☿iali, quæ ſola potens eſt & efficax ad diſſolvendos omnis generis lapides absque partium carnoſarum incommo-

commodo; hinc miraculũ eſt in hoc curando morbo: Datur autẽ hæc ▽a ☿ialis ad quantitatẽ ʒß in juſculis aut ▽is appropriatis bis in die ſummo manè & ſerotinis horis tempore ſomni: ſic enim breviſſimo tempore curatur calculus & atteritur diſſolviturque omni ex parte: imò & materia antecedens calculi ac fomes ſeu diſpoſitio, quæ latet in intimis ipſius vitalis alimenti ac membrorum, ſolo ☿ialis ▽æ uſu perit & evaneſcit, ita ut Medicus aliis medicamentis ad curationem calculi, quàm hac ▽â ſolâ non egeat.

§.5. Nec ſolùm calculus curatur divino hoc medicamento, ſed & omnes renum morbi, ſcilicet obſtructio, abſceſſus, ulcus ac dolor nephriticus, quia horum affectuum omnium ſublata cauſa tollitur etiam effectus. ▽a autem ☿ialis tollit ac diſſolvit excrementa omnia, quæ in renibus ex malè digeſto ſeu cocto alimento huc demandato accumulari poſſunt: adeoque hoc medicamento uno ac ſolo renum morbi omnes curantur.

Animadverſiones

Ad §. 1.

EX codice ſacro Medici repetere debent, per renes ibi quandoque intelligi aut ſignificari maximum immanemque dolorem, utpote qui in renibus præſertim tamen eorum tubulis maximoperè ſentiri, atque nephritica paſſione laborantes vehementer diſcruciare ſolet: hinc renes ut ſerutari accuratius quoque diſcant Medici, neceſſum omninò eſt. Sciagraphiam ac computationem morborum valdè conciſam, qui renes afficiunt, Autorem hic dediſſe concernimus, quam nonnulli per nephritim exprimere, adeoque unica hac voce omnes renum affectus comprehendere geſtiunt, atque in genere quamvis renum ægritudinem ſic dictis nephriticis remediis, h.e. iis, quæ renibus affectis, ſive calculoſi ſive inflammati aut ulcerati ſint, peculiariter conveniunt, ſanare intendunt. Aſt ut accuratè rem hanc cognoſcere, & hujus nominis genuinã rationem reddere queamus, concedimus quidem nephritim latè (prout abſurdi etiam nihil infert, etiamſi latius hæc vocula extendatur, ſiquidem hic ab Autore enarrati renum morbi alioquin complicari eſſe invicem utplurimum ſoleant) omnem in renibus morbum & quamvis eorum infirmitatem, propriè vero renum ſignificare calculum ſeu lithiaſin ſtatuimus. Nobis tamen duplex hîc notabitur nephritis, ita ut quædam ſit ſine, quædam vero cum exulceratione renum, veluti etiam idem hic feciſſe Autorem noſtrum, ſubſequentes theſes evidenter oſtendunt.

Ad §. 2.

Neceſſum eſt, ut in anteceſſum ſciamus, quid per renum ventriculos hîc intelligat Autor, in quibus colligi arenæ, & calculi generari ſolent. Novimus autem

autem ex Anatomia , geminam quaſi cavitatem ſeu ventrem accepiſſe renes, quorum unus exterior eſt in parte ſimâ , per quam vaſa emulgentia feruntur, quæ primum bipartita ingrediuntur , paulò poſt verò quadripartita in totam renum ſubſtantiam diſſeminantur , & tandem in tenuiſſima capillamenta, ibi abſumuntur ; interior vero eſt pelvis ſeu ſinus ureteris amplus, qui in cavo renum expanditur, non vero intus in progreſſu, ut alia vaſa, attenuatur , ſed in fiſtulas quasdam ſeu tubulos eosque apertos deſinit , qui carunculas papillares amplectuntur. In utroque igitur antro tam exteriore quàm interiore , adeoque in ipſa etiam ſubſtantia renum lapides progignuntur , atque ſoluta. 🜿eſtreitas (quæ nobis tunc eadem cum glutinoſa ac viſcida humiditate eſt, cujus mentionem Autor hic fecit) ob easdem cauſas, quas ſuprà in CAP. XLIII. indicavimus , concreſcere vel coagulari ac indureſcere abſumta nempe humiditate ſolet; unde cur obſtructio, inflammatio & dolores renum cum calculo plerumque concurrant, in propatulo protinus eſt: Facta enim à collectis ibi arenis & lapillis anguſtiâ renum ſeu obſtructione fermentans ſanguinis in renes effuſi putredo horumque viſcerum intumeſcentia & inflammatio poſteà promtisſimè ob rationes nobis jam notiſſimas ſuccedit. Et hæc eſt nephritis illa, quæ ſine exulceratione præſtò eſt.

Ad §. 3.

Jam nephritis cum exulceratione ejuſque cauſa à Noſtro conſideratur, quam plerumque ac primario quidem à calculo intus coercito fieri adſerimus : Lapis etenim iſte ſi grandior ſit, pondere ſuo renis parenchyma contundit , atque ſic unitatem ſeu integritatem ejus ſolvit ; vel ſi ſcabrior aut ſalebroſus admodum is exiſtat , attritu dilaniat renumque ſubſtantiam exedit. De dolore nephritico, quem Autor acutiſſimum tunc eſſe docet, adnotamus, quod is non tam renum ſubſtantiæ, qui dolorem gravativum duntaxat pariunt, quàm ureteribus ſit adſcribendus , utpote qui propter nervoſam membranaceamque ſubſtantiam ſuam, quam habent , exquiſitiſſimo ſenſu pollent. Unde ſi calculus præſertim aſperior ex renibus veſicam deorſum per hos ureteres (anguſtiſſimos certè canales) tranſeundo volvatur, diriſſimum dolorem (quem diſtenſio aut vehemens dilatatio membranacei hujus corporis à calculo grandiore facta miris modis exacerbat & auget) ægri perſentiſcunt.

Ad §. 4. & 5.

Autor profectò Lectori ſuo ſalivam movet , dum mentione rari & planè divini medicamenti, nempe △ ☿ialis toties iterata, incomparabilium virtutum majeſtatem , qua illud gaudet, denuo hic deprædicat, atque panacæam iſtam ad miraculum uſque ac potenter lapides quosvis in microcoſmo ſine ulla par-

tium

tium læſione perhibet diſſolvere, & in liquidam ſubſtantiam reducere, ut ſine omni difficultate viſcera iſta ab hoc malo liberari & priſtino vigori (ſpiritus namque partium inſitus ex ſententia ſic quoque roboratur) ita reſtitui queant. Reverà autem miraculum in curanda nephritide præſtat hoc pharmacum, quod rem ſolidiſſimam & præduram nempe calculum diſſolvat ac deſtruat, carnoſæ autem parti, cui is inhæret, nullum planè incommodum atque nocumentum inferat: Leoninam ſanè indolem habet præſtabile hoc medicamen, quod inſtar leonis mollia & deſtructu facilia non tangit, ſolida verò & robuſtam duritiem habentia generosè diruit. Quum ergo ſaxeæ h.e. mineralis proſapiæ germen ſit ▽a hæc ☿ialis ac benedicta Philoſophorum, ſaxa etiam ac mineralia, ut ſic loquar, microcoſmi h.e. calculos aggreditur eosdemque effectiſſimè attenuat atque diſſolvit, imò omnes renum ærumnas indubitatò inſuper curat. Hæc ▽a ☿ialis, noſtro quidem judicio, eſt illa ipſa Eſſentia ſpiritualis Baſilii Valentini ex minerali quodam multicolore lege Chymiæ Philoſophicæ parata, cujus penetratiſſimam in deſperato & inveterato nephritidis malo, quo Confrater ipſius in Monaſterio tantoperè affligebatur, fortitudinem in Clavibus ſuis ſpagyricis tam candide decantat. Sed laudes tam generoſi medicamenti adhuc in noſtris tinniunt auribus, ita ut nulla earum repetitione opus hic eſſe ducamus. Cæterum nobis tunc in uſu eſt ℞a noſtra contra calculum vel etiam Coralliorum vera, quæ utraque obſtructiones tollere, & calculum tam ſuaviter comminuere, quam comminutum oppidò ac ſine difficultate ulla propellere poteſt, ita tamen ut Clyſterum appropriatorum uſus interim quoq; non negligatur: Aſtrum etiam noſtrum antinephriticum atrociſſimos renum ex calculo dolores præſentiſſimè ſopit; extrinſecus verò linimentum ex alumine crudo probè pulveriſato & cum albumine ovorum accuratè ſubacto paratum, quod ſuper linteum eſt inducendum, regioni renum utrinque ſed frigidum illud, adplicamus, cujus beneficio omnis etiam dolor ac inflammatio renum deſubitò ſedari poteſt. Pilulas ex terebinthina in hoc caſu laudamus quidem, ſed plus tribuimus illis (licet vulgò incognitæ ſint) quæ ex gummi ceraſorum conflantur, ſicuti etiam gummi illud in Vino ſolutum præſtantiſſimum & ſingularem effectum tunc exhibere ſolet: Exulceratos renes Eſſentia flor. hyperic, cumprimis ſanat. Reliqua quæ dignitatem appropriatorum hic ſibi vendicant, qualia ſunt oculi ♋, ſanguis hirci præparatus, ſuccinum album, teſtæ ovorum ſtruthionum &c. ex Practicis præſertim, Neotericis ſat nota ſunt.

CAPUT LVII.

De
Morbis veſicæ ejusque partium.

§. 1.

VEſica ut renes ſimilibus fermè tentatur morbis, potiſſimum verò dolore, inflammatione, calculo, ulcere & aliis ſimilibus, qui itidem ab una eademque cauſa dependent, nempe à recrementis alimenti ad veſicam demandati, quæ non excreta nec ſeparata ibi congeruntur & accumulantur, atque morbum ſecundùm naturam ac proprietatem ſuam pariunt.

§. 2. Excrementa igitur gypſea, mucoſa, viſcoſa & glutinoſa à ſpiritu ⊖is ⊡æ coagulantur in calculum ſeu lapidem, imò ipſemet ſpiritus ⊖ aqueam ſubſtantiam impr{æ}gnans in lapidem concreſcit, ut apparet in urinis quibuscunque, quæ dum refrigeſcunt in matulis, tunc materia calculoſa in lateribus matularum coagulatur: atque id omne ex ſpiritu ⊡æ propterea provenit.

§. 3. Sed objiciet nobis aliquis: Omnes ergò afficientur calculo ſeu lapide veſicæ aut renum, quod omnes habeant aquoſam illam ſubſtantiam ac ⊡æ ſpiritum; ſed reſpondendum, omnes quidem habere iſtam ſubſtantiam & urinæ ſpiritum, unde alioquin fit lapis ſeu calculus, ſed non in tali gradu & efficacia, ut in omnibus ſtatim in verum calculum coagulari poſſit, ſed tunc potius vertitur in ſabulum minutiſſimum, quod ut in omnibus fermè reperitur, ita facili etiam viâ foras unà cum urinâ ejicitur.

§. 4. A calculo illo oritur dolor & difficultas mejendi, quia tunc calculus ſeu lapis obſtruit meatum urinæ, & facultas expultrix etiam debilitatur: Calculi enim natura utplurimum melancholica eſt, & innata ſua frigiditate partes expulſioni dicatas debilitat, unde fit mejendi difficultas: Dolor quoque hinc oritur, quia calculus ſeu lapis, dum expellitur, ultra modum partes dilatat; unde ſpiritus partium illarum, ſentiens iſtam per naturalem dilationem, hinc patitur atque propterea fit in ſpiritu triſtis illa ſenſatio ac dolor.

§. 5. A dolore fit inflammatio & ulcus: Partes enim ſolutæ & p.n. diruptæ ſubitò ulcus ſubeunt, quod poſteà cicatricem difficili negotio admittit, quoniam veſica perpetim urinâ madet, quæ cum natura ſua acris & mordax ſit, cicatricem impedit, imò dolorem potius ac inflammationem adauget, atque propterea ulcus indies ſerpit, donec gangræna & mors hinc oriatur.

§. 6. Calculi ſigna ſunt vaga quædam & oberrans circa pubem ac peri-

næum

næum titillatio ; cum verò grandeſcit calculus, tunc incumbentis gravitatis pondus percipitur: unde difficilis inceſſus per ſalebroſa loca, multò magis ſaltatio; mictio etiam tunc increbeſcit, adeò ut quaſi perpetuò mejendum ſit, dum verò ⊡a emittitur, urinæ fluxus derepente calculo obviam facto interrumpitur, unde non continuatus ſed interciſus eſt; item dolor pudendi ductum ſeu glandem in mejendi conatu affligit, ac deſidendi cupiditas aſſiduò urget, quod calculi magnitudo rectum inteſtinum, peritonæum & cervicem veſicæ ſtimulet: Et denique ⊡a alba, turbida, & craſſa etiam redditur.

§.7. Quod inflammationem veſicæ & ejus cervicis ſpectat, in hac potiſſimum, quod carnoſa ſit, fit inflammatio, rarò autem in corpore veſicæ cum exanguis ſit, reperitur. Veſicæ inflammationem febris ardens & acuta nec non dolor perquam acerbus ac lancinans comitatur: Urina etiam, quæ tunc valdè rubra eſt, ſupprimitur, & tamen ſummum adeſt mejendi deſiderium: alvus quoque ſubitò adſtrictior eſt, quia inteſtinum rectum inflammationis magnitudine coarctatur, pubes ac penis intumeſcit, & quaſi ad umbilicum uſque urina diffundi videtur.

§.8. In ulcere autem ſi ſit in ſphinctere veſicæ, craſſa ſanies gignitur, modò pus copioſum ac graveolens profluit: ſin verò ulcus ſit in corpore veſicæ aut etiam in ipſis ureteribus, tunc dolor eſt inter renes & pubem, atque pus capillorum inſtar natat in ⊡â, quæ contineri tunc nequit, ſed aſſidua potius mingendi cupiditas urget: Neque laborans ſtare erectus poteſt, atque cruciatus ingens, indeſinens ac perpetuus inſimul ſubeſt.

§.9. Producuntur & alii morbi circa ipſius veſicæ partes, ut in ipſo pene ejuſque glande ſeu ductu, quales ſunt ulcera ſordida tam in ipſo penis ductu, quàm glande: huc pertinet etiam priapiſmus, impotentia Veneris, & gonorrhœa, ſicuti quoque diabetes, urinæ incontinentia, iſchuria, ſtranguria, dyſuria, & mictio cruenta, de quibus omnibus in hoc & ſequenti Capitulo adhuc dicendum.

§.10. Ulcera in pene vel ejus glande ac ductu ab iiſdem cauſis fiunt, à quibus ulcera veſicæ provenire diximus, nempe ab excrementis acribus & mordacibus alimenti univerſalis, ſi ea ab ipſo alimento non rectè ſeparentur & à facultate expultrice removeantur, unde à calore naturali partium magis magisque coquuntur, ac proinde talem acrimoniam acquirunt, ut partes, quibus inhærent, ulcerare valeant. Quod ſi ab impura & Ꝗreâ lue inficiantur hæc excrementa, ulcera inde fiunt acriora & mordaciora, quæ valdè proſerpunt, & naturam cancri corrodentis acquirunt.

§. 11. Priapiſmus eſt penis erectio & incrementum p. n. permanens citra libidinis ſtimulum: Interdum adeſt in priapiſmo inflammatio, interdum abeſt, quandoque etiam inflatus coles tetano diſtenditur: Cauſa eſt flatulentus vapor ſeu ſpiritus pudendi, qui arterias, fiſtuloſum corpus ac nervum penis affatim implet.

§. 12. Impotentia rei ♀reæ, quæ priapiſmo contraria, extincta eſt virilitas, quæ à defectu ſpirituum vitalium & animalium ortum habet, unde ſemen intùs non progignitur; vel frigidum & ita conſtitutum id habetur, ut nullis vitalibus ſpiritibus caleat ac turgeat. Extinctæ igitur virilitatis cauſa eſt defectus ſeminis ex ſenio & morbo aut cauſis ſingularibus, quæ inſitum ſpiritum roburque diſſolvunt, nempè ex incantamentorum maleficiis vel etiam medicamentis, quæ genitale ſemen aut occultâ proprietate, aut manifeſtâ qualitate extinguunt: quibus omnibus etiam annumeranda eſt obſcœnarum partium generationi dicatarum paralyſis.

§. 13. Gonorrhœa eſt invitus ſeminis fluxus citra ♀rem penisque tentiginem, ac nullô cum oblectationis ſenſu urgens: Cauſa hujus effluxus eſt ſpermaticarum partium imbecillitas, quæ ſemen retinere non poſſunt, ut coquatur, hinc crudum etiam elabitur: Datur & alia gonorrhœa, nempè virulenta, quæ ex lue ♀reâ ortum habet, in qua virus quoddam album vel ſubcitrinum tam vigilanti quàm dormienti elabi ſolet. Imbecillitas autem partium ſpermaticarum, ex lue ♀reâ contracta eſt ejus cauſa: hæc enim efficit, ut quicquid in vaſis ſpermaticis ſeminis colligitur, ſtatim corrumpatur ac ♀reâ labe inficiatur; unde poſteà expellitur à ſpiritu ſanitatis cuſtode, & tranſitu ſuô acri ac mordaci in penis ductu ulcera generat ſæpiſſimè incurabilia, quæ carne impurâ obducuntur, adeoque carnoſitates hinc protuberant: hæc igitur ſolis candelis ſpecificis ad hoc malum factis curari poſſunt, quæ candelæ fiunt ex 🜖 & ☿riô dulci ſimul mixtis unà cum cerâ liquefactâ, ex quâ mixturâ candelæ tenues & parvæ ſunt formandæ, ut in canalem illum induci poſſint: Corrodunt autem ſine dolore ullô carnoſitates iſtas ſuperfluas, ac deinde, poſtquam ſublatæ ſunt carnis illius ſuperfluitates, candelæ prædictæ balſamô 🜍ris ſunt illinendæ; quô ſic factô, ulcera hæc ad laudatam cicatricem perfectiſſimè conducentur.

§. 14. Reliqua verò mala ſuperiùs allata, quæ veſicam infeſtare ſolent, ▽â ☿iali ſolâ curantur, quæ cùm omnibus nota non ſit, nec ipſam declarare liceat, quod ſecreta Alchymiæ omnia ab eadem dependeant, locô illius uti poterimus ☿iô dulci ſæpiùs aſſumtô, vel etiam ⚹ ☿iali, quod ex gummi ♁ii & 🜖tô elicitur: Dum enim beneficiô ▽æ communis, quæ affunditur ſuper gummi illud, pulvis emeticus hinc præcipitatur, ▽a illa pulveri emetico ſupernatans poſtmodum ſeparatur ab eô ac deſtillatur; ut ſic ▽oſa, phlegmatica ac dul-

cis ▽æ pars removeri ab acidâ queat; ubi acida illa reſervatur, cujus uſus eſt admirandus in curandis renum morbis & veſicæ affectionibus omnibus: Doſis ejus eſt ad gutt. x. in ▽â quadam appropriatâ & morbo curando peculiari.

§. 15. Ulcera cancroſa ex lue ♀reâ, quæ glandem infeſtare ſolent, curantur ſolô tactu gummi illius, quod ex ♀tô & ☿iô educitur; deinde tacta & ſic illita balſamô 🜍ris illiniuntur, & ſic ad cicatricem perducuntur.

§. 16. Gonorrhœa tum ♀rea, tum alia ſequenti bolô curatur ℞ Medull. caſſiæ ex cannâ recenter extractæ ℥j. rhabarb. optim. in pulverem redacti ʒj. pulvis oſſis ſepiæ ʒß camphoræ 🝆 amygd. diſſolut. ʒß, M. f. bolus; ter repetatur per tres auroras ſubſequentes, & porrigantur julapia refrigerantia ex acetoſa & agreſta facta.

§. 17. Impotentia ♀ris curari ſolet corpore ☿iô noſtrô ſuperiùs citato demonſtratoque purgato, deinde membro virili refocillato cum ſpiritu X optimo & eorum alimentorum uſu, quæ ſpiritum & calorem nativum reſtaurare poſſunt, ut ſunt juſcula optima ex perdicibus & caponibus facta: reſtaurat etiam uſus continuus Eſſentiæ ambræ, quæ admirandæ eſt efficaciæ in curanda & tollenda ♀ris impotentia: Nihil enim eſt efficacius potentiusque ad ſpiritus inſtaurandos & calorem nativum refocillandum eſſentiâ illâ, quæ parari ſolet ex ambra gryſea optima in ſpiritu X rectificato & optimè à ſuo phlegmate vindicato deſolutâ, poſteà putrefactioni in fimo equino vel balneo tepido committitur, ac deinde per balneum deſtillatur & cohobatur; deſtillatus vero ſpiritus denuò ſuperfundatur, donec ambra omninò in 🝆 purum fuerit diſſoluta, quod cautè per inclinationem ſeparandum eſt à fæcibus, ac reſervandum in phiolis optimè clauſis ad uſus prædictos: Doſis eſt ad guttulas x. in reſtaurante caponis aut perdicis juſculo optimo.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Magnis & multis omninò morbis imò iisdem propemodum, ut renes & alia viſcera naturali facultati inſervientia obnoxiam eſſe veſicæ tam in collo quàm in corpore ſeu fundo ſuo ſubſtantiam, plusquam in aprico eſt, id quod dolor, inflammatio, calculus & exulceratio ejusdem ſatis ſuperque conteſtatum dare poſſunt: Quum enim hæc quoque pars eodem ſicut omnia alia noſtri corporis loca gaudeat beneficio, ut ſuſtentationem ac nutritionem ſuæ ſubſtantiæ vigorisque ab aſſiduo communis illius alimenti videlicet ſanguinis affluxu influxuque accipiat, in nutritione autem cujuslibet membri requiratur,

ut ſanguis iſte per ulteriorem digeſtionem; atque iſtius, quod inutile ac minùs conveniens iſti parti eſt, ſegregationem elaboretur, levi de cauſa & facilè in veſica, utpote quæ maximam partem membranacea & ad concipiendam infirmitatem quandam aptior exiſtit, contingere poteſt, ut digeſtio illa privata lædatur, excrementi à depravata hac nutritione redundantis expulſio impediatur, atque domeſtica, ut ſic dicam, putredo ac fermentatio inibi ſuboriatur; quam ipſam inteſtinæ cauſæ hiſtoriam ut ſæpiùs jam examinavimus, ita in quolibet cujuſcunque etiam partis morbo eadem ſemper Medico ante oculos verſari debet.

Ad §. 2. & 3.

Veſicæ calculus quid ſit, & cur eodem non quivis homo affligatur, item quænam ejus cauſa tam efficiens quàm materialis exiſtat, ex calculi illius, qui in capſula bilaria, quàm renibus oritur, deſcriptione ſuperiùs data confeſtim percipi poteſt. Hoc verò non tranſmittendum ſilentio eſt, quod Autor de ⊡â (cujus exceptrix hæc, de qua nunc agimus, eſt veſica) ſeu ▽oſa ſubſtantia ſpiritu ⊖is impregnata dicit, quoniam ſi phraſis illa ex fundamento experimentalis Phyſicæ exponatur, utrumque nempe quomodo 🜃eſtreitates in corpore noſtro ſcatentes ſolvantur, atque in liquidam ſubſtantiam mutentur, & quomodo ſolutio hujuſcemodi rurſum coagulari ac concreſcere poſſit, ſatis imò magis quàm hactenus factum, dilucidum evadere poterit. Certiſſimum autem eſt, quod, ſicuti alimentum corporis univerſale vel maſſa ſanguinea ſpirituoſa exiſtit, ſeu ſpiritibus ſuis à ſuavi continuaque fermentatione, quam Anatomici circulationem appellant, (nempe ſine fermentatione ex ſuccis vegetabilium & animalium ſpirituoſam ſubſtantiam elicere omnibus modis impoſſibile eſt) natis impregnata ac locupletata eſt, ita quodvis excrementum pariter ſpirituoſum, h.e. ſpiritibus ſui generis ex eadem cauſa progenitis impregnatum aſſeri debeat. Poſita hac baſi ſciendum deinde eſt, ſpiritus juxta Chymicorum ex rerum natura deductam doctrinam nihil aliud eſſe, quàm reſolutum & ad ſummam ſubtilitatem ac volatilitatem redactum ⊖; unde ſequitur quod juxta mentem Helmontii ſpiritus etiam vitales ſint ſalſi, h. e. de ⊖is natura: alioquin enim ſi ſpiritus vitalis medulla (phraſi Helmontiana uti liceat) in reſolutione ⊖is melioris non conſiſteret, balſami & condimenti dignitatem in corpore noſtro ſanguis etiam habere non poſſet; ſiquidem nullam aliam ob cauſam quàm nunc indicatam ſanguinem ⊖ balſamicum continere, imò ipſum eſſe balſamum, ſtatuatur. Ergò excrementitios quoque ſpiritus de natura ⊖is ſed corrupti ejus ac inutilis eſſe concludimus, & ſic ulterius ratiocinamur, quod hic ipſe ſpiritus ⊖is excrementitius, qui acidiſſimus ſæpè & valdè corroſivus eſſe ſolet, demum 🜃eſtreitates iſtas ex aſſumtis redundantes aut ab iiſdem provenientes ſolvendi

& in liquorem convertendi poteſtatem habeat. Diximus autem in præcedentibus Capitulis calculum in partibus concreſcere ac coagulari, ſi ſoluta hæc 🜃eſtreitas partes ſuas liquidas amittat, adeoque humiditas iſta, quæ 🜃eſtreitates dictas abſorpſerat, ob quamcunque etiam cauſam evaneſcat. Quæ omnia ut ſe rectè habent, ita in humiditate illa, quæ ſolutas 🜃eſtreitates in ſe reconditas obtinet; ſolvens potiſſimum & primariò ſolvendi vim habens non negligendum erit, ſicuti etiam id alibi jam factum eſt. Illud ſolvens igitur nil aliud eſt, quàm ſpiritus ille ⊖is vitioſi, quo humores excrementitii impregnantur & valdoperè acuuntur, atque ſic potentiam ſolvendi adſciſcunt. Si itaque evaneſcat hic ſpiritus, quod haud difficulter etiam fieri poteſt, ſiquidem is ſummè volatilis exiſtat, tunc liquor ille, qui reſolutam 🜃eſtreitatem in ſe continebat, debilitatur protinùs & ineptus planè evadit, ut 🜃eſtreitatem ampliùs ſuſtinere non poſſit; quapropter fundum petere ac coagulari tunc pedetentim hæc 🜃eſtreitas (ecce hîc primum calculi fundamentum) incipit, donec ulteriùs abſumta humiditate magis magisque priſtinam naturam accipiat, atque penitùs in calculum concreſcat. Adeoque cùm ⊡a quoque nihil aliud in rei veritate ſit, quàm ſpirituoſum excrementitium lixivium ſive ſpiritu ⊖is excrementitio imprægnatum, applauſu utique dignum eſt ratiocinium Autoris, quod per exemplum in matula collectæ ⊡æ, in qua paulò pòſt evaneſcentibus nempè ſpiritibus iſtis concreſcere calculoſa materia incipit, egregia deductione inſtituit. Hanc Philoſophiam qui admittit & accurato mentis oculo rimatur, calculorum in corpore humano geneſin undique perſpectam habere poterit. De ſabulo hîc etiam monemus, quod illud non ſemper ſit 🜃eſtreitatis aut calculi præco, ſed in malo hypochondriaco, in quo id ſolemniter quaſi adeſſe ſolet, ſalſæ potiùs impuritatis ſeu balſami corrupti inquinatique, quo Hypochondriaci ſcatent, portio exiſtat; id quod tamen attactu ſtatim certificari poterit: ſi enim ſabulum illud intra pugillos pauliſper retentum diſſolvatur, mali hypochondriaci certiſſima nota eſt; ſin ſecus & aſperitas permanens deprehendatur, de calculo ſive quadam ad eum inclinatione tunc cogitandum erit.

Ad §. 4.

Collum veſicæ, ſub cujus nomine orificium ſive canalem ⊡æ etiam comprehendimus, frequenter à calculo intra veſicam latitante obſtruitur; quod ut verum & planum eſt, ita quoque hæc anguſtia ſive obſtructio haud difficulter exinde cognoſcitur, ſi modò liberè reddatur urina, devolutô ſcil. ac remotô calculô, modò incidente rurſus eodem ex fundo veſicæ deſubitò ſupprimitur. Dolor ex dilatatione vehementiori veſicæ & ejus cervicis potiſſimum acerbus evadit, & eandem planè ob cauſam ingenti cruciatu torquet, veluti antè de

Urete-

Uretibus dictum fuit. Quod phraſin illam ſpectat, qua Autor calculi naturam nuncupat melancholicam, illa eatenùs defendi poteſt, quatenus vulgò per ſuccum melancholicum 🜃-eſtres ſanguinis vel humorum partes innuuntur: Materia enim calculi ſeu ſuccus lapidificus reverà eſt 🜃-eſtris quædam mucilago aut mucoſa ac viſcida 🜃-eſtreitas, de cujus geniô, natalibus & circumſtantiis aliis hactenus plusquàm ſatis ediſſeruimus. Si ergò mucilago hæc 🜃-eſtris penitùs ob anteà declaratas cauſas in lapidem fuerit mutata, eadem ratione præſertim forinſecùs duntaxat vel obiter æſtimata melancholica & frigida erit dicenda, ac omnes alii in macrocoſmo lapides: Licet Philoſophi Hermetici petroſum hoc genus △ea omninò præcordia, ſi Anatomiæ ſpagyricæ ſubjiciantur (rude exemplum calx præbere viva poterit) habere ex fundamentô Artis & Naturæ demonſtrent: Imò impropria nimis & barbara eſt iſta ſic loquendi ratio.

Ad §. 5.

Eadem penitùs ratione veſica ardorem concipit, ut reliqua viſcera, ita tamen ut non tam ipſius ſubſtantiæ, quæ exanguem quaſi tenuitatem oſtendit, adeoque inflammationis tam capax non eſt, quàm ſphincteri ſeu muſculo ipſius cervicis inflammatio illa inſideat. Ulcus verò, quod quandoque hîc oriri ſolet, (de cujus causâ utpote alibi in exulceratione aliarum partium ſufficientèr declaratâ, non eſt, quod hîc denuò dicamus) difficilimæ curationis eſt, tam quod veſica membranoſam habeat naturam, quàm præcipuè quod 🝕æ mordax & 🜍rea ſalſedo continuâ præſentiâ ac decurſu ſuô conſolidationem manifeſtò impediat, imò ferociam ulceris & exquiſitiſſima hinc provenientia cruciamenta potiùs exaſperet: adeoque curatio hujuscemodi ulceris ſemper ita exiguæ ſpei exiſtit, ut Medicus tunc apprimè recordari debeat, ne lætioribus promiſſis clientem ſuum tunc nimis ſecurum reddat, quod illud ulcus plerumque in lethalem gangrænam degenerare ſoleat.

Ad §. 6.

Circa calculi ſigna nihil occurrit, quod moneri aut addi à nobis poſſit, ſiquidem Autor mentem ſuam ſat probè hîc declaraverit. Tantum hoc obſtat, quod illa 🝕æ albedo renes ex calculô obſtructos potius, quàm veſicæ calculum ſignificet, in hôc verò turbida ſemper & craſſa, non verò alba comparere ſoleat: Deinde oleago quoque hîc non negligenda, quæ concurrentibus reliquis calculum ſignantibus indiciis diſſolutionem ſubſtantiæ atque periculoſum magis calculum indicat. Tandem ſedimentum quandoque etiam album, viſcidum & ſcabiei non diſſimile in hujusmodi 🝕is obſervari ſolet, quod nos pro animatâ putredinis & inſigni corruptionis notâ tunc habemus. Cum 🝕â autem vermes quoque excretos fuiſſe, non pauca teſtantur exempla.

Ad §. 7.

Ad §. 7.

An in veſicæ inflammatione ſemper febris & quidem ardens ſit præſtò, dubitamus omninò, imò concedere non poſſumus: Quæ enim hujus partis cum totâ maſsâ ſanguineâ conſpiratio, ut eadem quoque inflammari & incendium illud per omnes corporis partes hinc diſſeminari debeat? Hoc tamen admittere non negabimus, quod non nunquam ſi diutiùs perſiſtat illa veſicæ inflammatio, erratica potiùs febris ac phlogoſis ob inſignes dolores & aſſiduas vigilias, quæ eandem quoque concomitari ſolent, ſuccreſcere inſimul queat. Alia quoque inſolita loquendi formula hîc conſpicitur, dum dixit Autor, urinam quaſi ad umbilicum tunc diffundi; adeoque & hæc breviter explicanda: Nempe ut inflammatio habet vim conſtringendi & valdoperè coarctandi meatus; ita tantopere ob hanc cauſam ⊡a tunc ſupprimitur & conſequenter accumulatur, ut mirum quantum hinc veſica amplificetur & extendatur, ut etiam urachus, licet poſt partum (ante partum enim pervius eſſe ſolet) ligamenti tantùm vices ſuſtineat, conſimiliter ac p.n. diſtendatur, atque ſic urinâ impleatur, ut eadem ad umbilicum uſque, cujus foramini adnexus eſt urachus, diffundi videatur.

Ad §. 8.

Quum in exulceratione veſicæ, quæ pariter ut inflammatio potiſſimum in collô ejuſdem, quod magis carnoſum eſt, contingit, ſphincteris fibroſum robur ſolvatur, ⊡a etiam tunc rectè contineri non poteſt, & propterea eô calamitoſius ſic redditur ulcus: Perpetim autem mingendi deſiderium præſtat ⊡æ acrimonia, quæ ab ulcere laniatam & excoriatam partem impenſè lancinat ac ſtimulat: Erecti quoque incedere aut ſtare non poſſunt iſtiusmodi ægri ob doloris alioquin vehementiſſimi incrementum, quod pondus inteſtinorum & aliarum partium veſicæ affectæ ſic magis incumbens eam valdè aggravet atque impenſè agitet, prout jacentes ſemper meliusculè ac tolerabilius illi ſe tunc habere ſolent.

Ad §. 9.

Morbis veſicam infeſtantibus eos quoque accenſet Autor, qui partes viri genitales ex iisque primam & magis conſpicuam, nempe penem concernunt, dubiô ſine, quod membrum virile cum veſicâ urinariâ exactam habeat ſocietatem, dum per canalem urethræ tam urina quàm ſeminalis liquor deducitur: Veſicæ autem ſymptomata, quæ velut obiter & incidenter hîc unà enarravit, in ſubſequenti ſtatim Capite ſigillatim exponit.

Ad §. 10.

De ulceribus penis non externis ac viſu patentibus, ſed internis atque in meatu urinario hærentibus Autor hîc agit, quorum cauſam eſſe dicit corruptio-

nem excrementorum à malâ hujus partis nutritione inibi retentorum, quæ putredinem & ſummam acrimoniam tractu temporis hinc acquirunt: plerumque tamen à lue ♀rea ſeu impuro concubitu dependent. Unde puſtulæ ♀reæ ſeu ulcera iſta, quæ tunc ſordida valdè & virulenta exiſtunt, vel etiam exulcerato cancro nonnunquam conſimilia evadunt, non injuria pœnæ penitæ, ut quidam loquitur, ac meritoriæ vocitari poterunt.

Ad §. 11.

Arrectio membri virilis involuntaria morbus eſt, & priapiſmus ab infami illo Deo, nempe Priapo, qui æquo mentulatior à Gentilibus fingitur (unde hoc nomen etiam iſti parti, qua viri ſumus, impoſitum fuit) conſueta notione dicitur. Non tantùm autem turpicula hæc affectio tunc temporis dolorificam infert moleſtiam, verùm citra ullum etiam ♀ris deſiderium virilia perſeveranter & tantoperè rigent, ut citra crimen læſæ verecundiæ in conſpectum honeſtiorum prodire ſic affecti haud poſſint: Accuſatur tunc vapor craſſus ac ſpiritus flatulentus, qualis in convulſionibus etiam ſolet (unde Autor etiam tetano virgam diſtendi dixit, & Hoffmannus hoc malum inter convulſiones particulares repoſuit) quo membrum adeò impleri inflarique poteſt, ut ægris pudorem extorqueat. Oriri etiam ſolet propter oſcula arteriarum nimis patentia & valdè dilatata, unde ſpiritus confertim magis in membrum hoc effunduntur: Augetur verò hæc moleſtia, ſi lumbis ac renibus calefactis dicti influentes ſpiritus valdopere incaleſcant, atque hinc majori cum impetu hûc ruant: Quandoque etiam ligamenta penis diſpoſitionem inflammatoriam habent, quæ inflammatio tamen non tam priapiſmum, quàm ſatyriaſin & pudendi palpitationem cum tenſione membri junctam efficere poteſt.

Ad §. 12.

Exceſſum arrectionis excipit defectus, quando pars illa funerata penitùs ac virile robur ita extinctum eſt, ut membrum nullo conatu erigi vel extendi, adeoque ♀ri nullo modo placere queat. Cauſam hujus impotentiæ virilis ut pl. conſtituit inſignis virium proſtratio ac ſpirituum vitalium inopia à quacunque etiam ratione proveniens, ſive jam ſit ſenium, ſive morbus acutus, virtutem vitalem devorans, vel ſpirituum quoque aliorſum avocatio, &c. unde partim ſemen generari, partim pudendum inflari non poteſt. Quandoque læſa virgæ erectio etiam eſt à paralyſi ſeu reſolutione penis, h. e. ejus nervorum atque muſculorum; quæ quomodo fieri ſoleat, ex ſuprà de paralyſi in genere dictis addiſcere licebit. Ab incantatione & ligaturâ à ſagis præſtitâ non rarò proficiſcitur fracta hæc virilitas, veluti totâ die hoc experiuntur Practici, & proinde non levem ſollicitudinem prudentiamque tunc adhibere tenentur, ut novellis nuptis in tantâ calamitate conſtitutis ſalvâ conſcientiâ ſuccurrere valeant. Dantur

etiam

etiam quædam medicamenta, quæ ſemen minuunt vel planè conſumunt, adeoque ardorem libidinis reſtinguunt ac virilem potentiam refrænant imò veluti caſtrant, quale cumprimis eſt ſaccharum ♄, quod aſſiduò uſurpatum evirandi vim habere dicitur. Ego ex familiari ſpiritus ⊕li uſu, quo Vir quidam honorati nominis in juvenilibus annis ſtomachi infirmitatem ac cruditates ſic emendare nitebatur, ita (ſine ullâ tamen ſanitatis ac corporis habitus, quem floridum obtinebat, jactura) pudendum unà cum teſtibus exhauſtum atque extenuatum fuiſſe recordor, ut penitùs amittendæ virilitatis periculum hinc immineret: Poſtquam verò huic conſuetudini nuntium mitteret, ac generoſis ſubſidiis reficeretur, virilem integritatem ex votô recepit poſteà multæ ſobolis pater factus.

Ad §. 13.

Qui primoribus duntaxat labris græcæ Linguæ elementa deguſtavit, is nominis hujus rationem ac ſenſum reddere ſtatim poterit. Eſt ergo gonorrhœa nil aliud, quàm ſeminis incocti ac crudi fluxio, eaque nimia pariter atque invita, h. e. citra membri tentiginem ac ♀ris uſum, cui etiam ſomnia ♀rea adnumeramus, oriunda. Sed num in gonorrhœâ omni ſemper oblectaminis ſenſus penitùs deſit, ſine diſcrimine aſſerendum non cenſemus: Eſt enim alia gonorrhœa ſola, nimirum ſine tenſione colis & omni voluptate, cujus cauſam utplurimum paralyſin ſtatuunt; alia verò eſt cum priapiſmô vel potiùs ſatyriſmô, quæ & tenſionem dolorificam & nihilominus voluptatem quandam habet comitem. Cauſa omninò quærenda eſt in quodam vitiô vel infirmitate ac laxitate vaſorum ſeminalium, quam plerumque immoderatum ♀ris exercitium parere ſolet. In corporibus floridis & maribus ex intermiſſione ♀ris quandoque gonorrhœam accidiſſe, obſervatum eſt; ex retentione namque ſeminis corruptionem, ex hâc acrimoniam & per conſequens vaſorum ſpermaticorum læſionem provenire, in ſenſus deſubitò incurrit. Hæc gonorrhœa licet tam promtè curari non queat, tamen tam periculoſa non eſt, modò rectè cauteque tractetur & præcaveatur, ne crudum ac propterea inutile imò impurum ſemen uſu fortiter adſtringentium, à quibus in principiô potiùs abſtinendum, retineatur, & contractam vel ſupervenientem hinc corruptioné (cruda enim & impura facilè putreſcunt) exulceratio iſtarum partium poſteà conſequatur; ſi tamen diutius quoque hoc malum perſeveret, tabem habere pediſſequam ſolet. Cumprimis verò attendenda & accuratè tractanda eſt virulenta ſeu maligna gonorrhœa, quæ ex lue ♀reâ aut ejus primordiô ortum accipere conſuevit: Impuri enim & infecti ſcroti contubernium tali ſalariô ſervitium militis ſui compenſat, eumque vel organum potiùs, quo ſtrenuum ſe præſtitit, citiſſimâ celeritate inficit. Cæterum virus illud ſive virulentiâ ſuſpectiſſima quadam contaminatum ſemen non tantùm

flavum, verùm ſubviride quid etiam repræſentat, quod ſignum majorem mali malignitatem & graviorem corruptionem ſignificat: Ut enim viriditas naturalis exoptata augmenta rerum pollicetur, ſic præternaturalis vigorem ſummæ putredinis & incrementa calamitatis certiſſima portendit ac indicat. Cumprimis verò fungoſæ carnes intra urethram potiſſimum ex negligenter curatô hôc affectu emergunt atque concreſcunt, quas carnoſitates juxtà cum Autore noſtro ſaniores Medici omnes candelis cathæreticis ſive cereis medicatis & ad id deſtinatis aptatisque minuendas & exedendas præcipiunt. Modum parandi & applicandi has candelas Autor ſat dilucidè & ita expreſſit, ut eodem utique contenti eſſe queamus: Cavendum tamen ne locô præcipitati ☿ii ſubſtituatur ≏atus, utpote qui nimium corroſivus exiſtit. Sin verò hîc negligatur iſta ſic curandi ratio, gangræna indubitato ſuccedit, atque tunc membri amputatio ultimum eſt refugium atque anchora ſacra. Sed circa gonorrhœæ curationem in §.16, ea, quæ notatu digna, in medium proponentur.

Ad §. 14.

Omnes infirmitates, inflammationes & exulcerationes, adeoque mala cuncta quarumvis partium, & per conſequens veſicæ etiam urinariæ, beneficiô ſolius ▽æ ☿ialis, cujus virtutes planè cœleſtes ac benedictas ſuprà abundè decantavimus, ex fundamentô ſanari & ulcera ad exoptatam cicatricem conſolidari poſſe, tam certum eſt, quàm vitæ noſtræ pabulum ac ſuſtentaculum omnibus modis exoptatum ex aſtrorum ſpiritus noſtros efficaciter illuminante influxu nobis inſinuari certiſſimum eſt: Toties nempe hoc percepimus, totiesque ex Naturæ ſinu depromtum id propoſuimus, ut non immeritò queamus nunc parcere verbis. Sed cum non omnibus contingat adire Corinthum, atque proinde paucis perſpectus cognitusque ſit divinus hic liquor, rectè facit Autor, dum vicarium illudque probatiſſimum medicamen, ne ſine auxilio ægroti dimittantur aut relinquantur, hîc ſubſtituere non neglexit. Imò quod tam profundè abſcondita atque tecta aut mille nominum confuſione ſigillata ſit hæc ▽æ ☿ialis & Philoſophicæ notitia, ſingulari Dei providentia cautum fuit, ne videlicet indignis tantum Naturæ myſterium patefieret, quoniam ſecreta omnia in libro Sapientiæ Hermeticæ contenta in Philoſophici hujus balſami ſeu aſtralis nectaris ſcientiâ conſiſtunt. Nullo ergò pacto dandum eſt porcis ferculum ex margaritis. Quibus ita ſe habentibus hic pariter dixit Autor, hanc ſapientiæ ▽am declarare non licere; quod ut omnes Philoſophi dictum ſemper ſibi reputarunt, ita etiam tam obſcurè Artis abſtruſioris fundamenta tradere ſolent, ut non niſi ſapientibus & cuncta ad Naturæ poſſibilitatem atque opera-

operationem intelligentibus aperta eſſe queant. Verùm Autori noſtro hoc Naturæ lac declarare ac revelare aliàs prohibitum fuit, cùm quis dare non poſſit, quod non habet; reverà enim ad horizontem adeptæ Philoſophiæ non pervenit Faber, licet egregiam & laudatu dignam in declarandâ rerum naturalium & ſpagyricarum ſerie operam is præſtiterit. Sed ut ad ſcopum deſcendamus, ſatis ſuperque nota jam nobis eſt ☿ii dulcis fideliter parati præſtantia; notum etiam eſt ⚹ ſive acidum illud ☿iale, quod duplici ratione confici ſuprà oſtendimus; primò enim aciditas illa relinquitur poſt Sudorifici maximi ſive ♃ialis, deinde poſt ♁ii præparati vel emetici illius nobiliſſimi aut ☿ii vitæ præparationem; quorum hoc ab Autore innuitur, & vulgò nominari ſpiritus ⊕li Philoſophorum, qui reverà tamen ☿ialis eſt, ſolet. Doſis hujus ⚹ ☿ialis, quod tanquam catholicum auxilium contra periculoſos renum & veſicæ morbos quosvis, nos quoque laudamus, ad gutt. xx. vel xxv. etiam extendi & dari in ▽â ſanicul. plantag. purſ. paſtor. vel agrimon. aut fumar. &c. poteſt.

Ad §. 15.

In curâ ulcerum cancroſorum ex morbo Gallico provenientium, ubi excreſcentiæ etiam inſtar verrucarum glandi virili adnatæ conſpiciuntur, præſidia ad luem quoque iſtam omnimodè dirigenda ſed & maturanda veniunt, ne glans penis exulcerata, cujus ſubſtantia eſt delicatiſſima, penitùs conſumatur. Medendi ratio, quam tunc temporis cum butyro ♁ii ſed aliquoties rectificatô (gummi hîc vocitavit) inſtituendam jubet, non niſi optimum ſucceſſum habere poteſt, modò cautè adminiſtretur, quia tunc unica guttula ad illinendam & tangendam cancroſæ verrucæ malitiam ſufficiet: Vel etiam, quod tutius erit, hoc corroſivum gummi ſeu ♁ii butyrum v. g. ▽æ plantag. ad aliqualem aciditatem inſtillari & ita loco affecto applicari poterit; ſin verò ulcera illa nimis ſint contumacia, prout cancroſa ſolent, tunc præſcriptus ab Autore modus absque omni hæſitatione ad praxin ducendus erit. In Italia has verrucas & ulcera ♀rea genitalis glandem circumcingentia non ſecùs ac cryſtas ani ferrô & △e curare Chirurgi ſolent. Qui ▽am ex C. V. decenter parare & applicare norunt, illi omninò magnum in ulceribus malignis feliciter ſanandis arcanum poſſident. Quid balſamus 🜍ris in conſolidandis ulceribus probè mundificatis præſtare valeat, memoriter jam novimus.

Ad §. 16.

De GonorrhϾ curatione adhuc obſervandum repetimus, quod deſidera-

tâ celeritate eam præſtare omninò ſit impoſſibile, adeoq; Medicus hujuſcemodi clienti, cum tardos habeat progreſſus hæc ſanatio, patientiæ ſtudium & ut moraliter quoque ſe patientem præſtet, commendare debet: Hoc tamen ſolatio brevi tempore eum recreare poterit, quod ex hoc morbo nullum amplius immineat aut pertimeſcendum ſit periculum, quoniam alioquin ſi ex contaminato congreſſu originem habeat hoc malum, exulceratio pudendi vel ipſa etiam lues ♀rea haud difficulter ſuccreſcere poteſt: adeoque Medicus in hoc caſu nequaquam huic morbo connivere aut negligenter eum tractare tenebitur. Autor noſter Bolum laxantem in curando hoc affectu præſcripſit, qui inſimul roborandi ſiccandique virtutem obtinet: Caſſia enim ut ex genealogia cinamomi rectè deducitur, ita etiam viſcera & ſpiritus efficaciter recreat, adeoque coctionis negotium, quod vaſa ſpermatica æque ac aliæ partes depoſcunt, præſtabiliter adjuvat; Medulla autem caſſiæ (alioquin pulpa adpellatur) h.e. mollior & excellentior ejus pars, quæ in vegetabilibus inſtar cordis ſe habet, adeoque vitali ſucco energiaque pollet, ſic quoque impuritates ſuaviter ſubducendi adeoque & laxandi leniendique facultatem exhibet, ita tamen ut aperiat ſiccando, & leniter purget, adſtrictionis cujuſdam benignitatem relinquendo: Pari ratione res quoque ſe habet cum rhabarbaro, altero illo hujus boli ingrediente, quod ut benignè purgare ſcimus, ita vigorem quoque adſtrictorium poſteà oſtendit; unde in omnibus morbis diſſolutis, ad quos gonorrhœa quoque non ſecus, ac diarrhœæ ſpecies, pertinet, ſingulariter commendatur: Tertiò Os ſepiæ ſuccedit, quod Practici conſenſu unanimi ſtatuunt ſpecifica & ſingulari facultate (excellenter enim ſiccare valet) gonorrhœam ſiſtere: Quidam magiſterium crudo pulveri (quem nonnulli c. ▽â caſtitatis præparandum jubent) præferunt, nec malè ſiquidem ſubtilius hâc ratione factum iſtud os majorem penetrandi potentiam habet: Imò uſus hujus oſſis & magiſterii hinc parati vel ſolus gonorrhœam ſed ſimplicem ſiſtere poterit. Tandem Camphora utiliſſimè hic additur, præſertim ſi gonorrhœa virulenta & à morbo ♀reo ſit oriunda; reſiſtit enim putredini & venenatum malignumq; fermentum potenter compeſcit, adeoq; in hâc ipsâ lue ſpecifici medicaminis gloriam ſibi pariter vendicat. Quod vero eatenus in gonorrhœa Camphoram convenire nonnulli aſſerant, quatenus ♀ris ſtimulum arcere, adeoque ſperma minuere ſeu generationem ejus impedire ſua frigiditate, quam ipſam temperiem vulgò Autores lacrymæ huic reſinoſæ tribuunt, valeat, illud aliquid nihil vel potius ſuperſtitioſum eſt, & contrarium tam experientia quàm ipſa ratio luculenter monſtrat: Quod enim inflammabile eſt, quod penetrandi ſubtilitatem ſummam poſſidet, & quod ſudorem movere aut inſenſibilem tranſpirationem promovere valet, id nequaquam frigidum, ſed potius excellenter calidum erit: Idem confirmat quotidianus etiam

uſus

uſus inſignis iſtius Panacææ, nempe ℞ bezoar ticæ Ampliſſimi D.D. Michaëlis, cujus baſin conſtituit camphora: Tantum enim abeſt, ut virilitatis infirmitatem inducat, ut potius præter infinitas & effatu dignas, quas bona fide poſſidet, virtutes, totam Naturam mirè confortet & indubitato quamvis facultatem generosè reficiat. Nos eſſentiam beneficio peculiaris & virtuoſiſſimi menſtrui ex Campharo paramus, & in hoc affectu laudabiles eam effectus edere experti fuimus. Quod alterantia illa attinet, ea potiſſimum convenient, ſi gonorrhœa ab acrimonia ſeminis nimia proveniat, quam acetoſa reprimit & agreſta ſeu omphacium temperat, atque ſic adſtringendo quemvis fluxum ſedat. Cæterum medicamenta, ex ♂ vel etiam ſuccino, item ex herba ☽ariæ, verè parata quævis ſingulari ſucceſſu in hoc caſu pariter reſpondent: ſin vero Lues gallica ſit hujus gonorrhœæ mater, tunc ea omninò adhibenda, quæ in affectu illo peculiariter conveniunt, & appropriata h.e. ☿ialia præcipuè exiſtunt.

Ad §.17.

Felix impotentiæ virilis curatio tantò magis Medici famam commendat, eumque acceptiſſimum reddit, quanto inviſior muliebri ſexui hic eſſe affectus ſolet. Nos itaque paucis quoque examinabimus, quid bono Medico tunc faciundum, & qua ratione conveniant ea, quæ ab Autore hic laudata concernimus. Purgatio ☿ialis rectè & prudenter valdè tunc adhibetur, ſi facultas vitalis ac robur Naturæ ab impuritatibus excrementitiis obtundatur ac obruatur, adeoque vires non à reſolutione ſed aggravatione exiſtant debilitatæ, & hinc languor virilis dependeat: Hoc univerſali præmiſſo obſtaculiſque remotis non tàm cibus ac potus refectivus, verum etiam analeptica illa ſingularia & calorem nativum refocillantia tam interna quam externa exoptatiorem effectum præſtare poterunt. Cumprimis eſſentia Ambræ gryſeæ (quam etiam in ſubſtantia tunc uſurpare licebit) virilitatem languidam erigere valet, quod bitumen hoc fragrantiſſimum ſpiritus vitales, quorum vigore ac decenti influxu genitalia ex voto ſtabiliuntur, 🜍rea ſua ac ſuaviſſima exhalatione exhilaret, ſuſcitet, ac potenter reficiat, imò in ambra omnium viſcerum confortativum generale & maximum conſiſtat, adeoque Herculem in thalamo ſe præbendi robur inſigniter augeat promoveatque. Modus parandi licet valdè laborioſus ſit, tamen optimus eſt: Qui loco 🜈 rectificatiſſimi ſpiritum roſarum ſed pariter probè exaltatum ſubſtituere, & hunc ab Autore parandi proceſſum obſervare amant, illi adhuc majorem magnanimitatis ſeu generoſitatis ex ambra eſſentiam impetrabunt. Verum quum hic ipſe modus eſſentiam ambræ faciendi non tàm operoſus, ſed nimis etiam diuturnus ſit, quidam cum 🝆 amygd. dulc. ſolvunt ambram (veluti 🝆 a levi facilique negotio bitumina, reſinas, lacrumas, & ſic porrò,

ob

ob confinitatem ſuam, cujus ratione ſimili gaudet ſimile, ſolvere ac in liquidam ſubſtantiam redigere poſſunt) & poſtmodum ſolutioni 🜄 rectificatiſſimum affundunt, decenter digerunt ac deſtillant, ubi cum 🜄 eſſentiam umbræ relicto oleô amygd. in vitri fundo elevari videbimus; qui ſpiritus ambræ animâ imprægnatus ſi recenti ambræ affundatur ac denuò digeſtioni committatur, poſteaque ſpiritus ille ſive nobile hoc extractum per cautam decantationem ſive inclinationem effundatur, habebimus Eſſentiam ambræ duplicatam ac pretioſiſſimam. Ego locô 🝆i amygd. dulc. potiùs 🝆 jaſmin. verum, vel quod ſecretò habendum, 🝆um roſar. deſtillatum eligendum atque ſic eodem planè primô cum 🜄 benè alchooliſatô, uti jam dictum, eſſentiam ambræ conficiendam ſuadeo; quo ſic obſervato omnibus numeris excellentiſſimam ſuaviſſimamque medicinam impetrare poterimus. Cæterùm Eſſentia ſatyrion, magnarum virium tunc præſidium exiſtit, imò confortantia ſpirituoſa quævis in hôc data caſu valdoperè proſunt, quô nomine ſpiritus noſter cephalicus, item ſpiritus noſter philoſophicus impotentis deſiderio ex aſſe ſatisfacere etiam ſolent, ut in caſtris ♀reis ſtrenuè rurſus militare queat. Sin à ligaturâ Diabolicâ ſive maleficiô & incantamentô profectus fuerit infauſtus ille languor, nos ſuperſtitioſa & ſuſpecta auxilia omnimodè ac ſeriò averſantes aliquoties imò ſemper cum præſentiſſimo ſucceſſu & virilis poteſtatis indubitatâ reſtitutione Eſſentiam ſatyrion. & florum hyperic. ita ut utriusque ana ℥j, acciperetur pro unâ doſi in hauſtu Vini Malvatici ante ortum ☉is porreximus: Flores etenim & herbam hyperic. peculiariter veneficia ac ſpectra arcere, à Paracelſô ſtatuitur. Reliqua verò, quæ paſſim commendantur, ſcientes volentes prætcrimus, quòd experientiâ noſtrâ eadem non probaverimus, quæ tamen pro cujusvis curioſitate ex Autoribus requiri poterunt. In priapiſmô, cujus curationem Autor omiſit, hoc tantùm notamus, quòd flatus diſcutientia convenienter admodum exhibeantur, ac deinde ea quoque porrigantur, quæ medicamenta caſtitatis apud Practicos audiunt.

CAPUT LVIII.

De *Mejendi ſymptomatis, quæ veſicæ contingunt.*

§. 1.

SYmptomata mejendi, quæ veſicæ adveniunt, ſunt diabetes, urinæ incontinentia, iſchuria, ſtranguria, dyſuria & mictio cruenta.

§. 2. Dia-

§. 2. Diabetes eſt urinæ incontinentia, & paſſio circa renes continua, quâ infirmi ſitiunt multùm plurimumque bibunt, & abundanter per urinas reddunt, quod biberunt, mutatô aliquatenus in renibus potu. Fit hæc paſſio ex imbecillitate ſpiritus renum, qui retentricem facultatem efficere debet, attractricem verò eorum adauget 🜿rus in renibus productus, qui ſiccitate & caliditate ſuâ humidum vehementer attrahit, nec retinere poteſt, cùm calidum illud & ſiccum 🜿ri lædat & obruat calorem nativum, unde illud retinere non poteſt, ſed ad veſicam tanquam excrementum citò mittit. Hujus mali cura præcipuè conſiſtit in tollendo ac reſolvendô illô 🜿rô, quod potiſſimum obtinebis à ſpiritu 🜔is 🜿ri rectificatô & acidô 🜖li, cumprimis verò 🜄â ☿iali, quæ ſola omnes materias 🜿reas reſolvere potens eſt.

§. 3. Iſchuria diabeti contraria eſt, quatenùs in hôc malô prorſum urina ſupprimitur, quod à 🜿rô nimis abundanti obſtruente & ſtupefactivô ortum habet, qui ſiccitate & frigiditate ſuâ meatus impedit atque obtundit calorem renum nativum, ita ut ad expulſionem non ſentiat ſtimulantem ⊡æ acrimoniam, imò quaſi dulcem & inſipidam reddat urinam: Obtuſus tamen & obſcurus ex diſtentione nimis repletæ veſicæ dolor adeſt. Cura ejus potiſſimum conſiſtit in reſolvendo illo 🜿ro narcotico frigido & ſicco, quod ante præſcriptis remediis itidem obtinebis, nec non 🜔e cryſtalli vel vulgarium lapidum: Calcinantur nempe lapides aut cryſtallus, & calcinata hæc omnia cum pari quantitate ✳ ♎antur, quod ♎atum ad quantitatem ℥ß in 🜄 petroſelin. propinatum, vel ſpiritus 🜔is 🜿ri cum ✳ conjunctus ad tollendas iſchurias mirè efficax eſt.

§. 4. Stranguria eſt urinæ ſtillicidium, cum urina guttatim cum dolore quodam redditur; aliquando etiam id fit ſine dolore, ſed cum conatu ſummô atque inani, proveniens pariter à 🜿rô ſimul obſtruente. Cura dependet à reſolutione hujus 🜿ri, quam prædictis medicamentis facili negotiô obtinebimus.

§. 5. Dyſuria non multum variat à ſtranguriâ illâ, quæ fit cum dolore: Eſt enim dyſuria urinæ difficultas cum dolore à 🜿rô obſtruente dependens, quæ curatur ſimilibus etiam medicamentis, quibus ſtranguria tollitur, quoniam ſublatô 🜿rô ac diſſolutô eô, curantur etiam ac tolluntur omnes illi ſimiles morbi, potiſſimùm verò 🜔e ♄ii.

§. 6. Mictio cruenta vel eſt à renibus vel à ſphinctere cervicis veſicæ, cum ſcilicet in his partibus venæ à cauſis p. n. vel à calculô, vel ab humoribus mordacibus ac pungentibus, dum tranſeundo partes venasque ulcerant, aperiuntur ac corroduntur. A renibus igitur effluens ſanguis urinæ toti exquiſitè permiſcetur, atque ſic dilutus ille tenuis fit & 🜄oſus, qui citò tamen rubicundus

non concretus ſed liquidus ſubſidet: ſi verò à ſphinctere muſculi veſicæ procedat, cruentam quidem ⊡am reddit, ſed non æqualiter; ſubſidens autem in fundô ⊡æ in grumos concreſcit.

§. 7. Curatur mictis cruenta, ex quacunque causâ, oºoô dulci ☿ii ad gutt. x. in ▽ communi propinatô, it. balſamô ♀ri dulci & eſſentiâ margaritarum dulci, nec non eſſentiâ aut crocô ferri cum ▽â plantag. propinatô. Crocus ♂ facili viâ in eſſentiam reducitur, ſi habeamus ▽am acidam pulveris emetici, vel ▽am ☿ialem: Hâc ſolâ eſſentiâ rectificatâ deinde omnia ulcera renum & veſicæ, imò & reliqua interiora ulcera, quæ in intimis viſceribus noſtris latitare ſolent, curabis.

Animadverſiones

Ad §. 1, 2.

DImiſſis veſicæ morbis ſymptomata ejus producit Autor, quorum numerum ut rectè is computavit, ita deprehendimus, quod Diabeten explicando ⊡æ quoque incontinentiam ſubaudiviſſe ac tacitè ſub iſtô affectu comprehendiſſe videatur, cum tamen manifeſtò inter ſe invicem diſcrepent, veluti ex jam dicendis ſtatim liquere poterit. Diabetes igitur ſiphonem vulgò denotat, per quem ▽a citò *διαβαίνει* (ecce vim etymi) h. e. pertranſit; unde Medicis hoc nomen appoſitè omninò ad microcoſmi ſiphunculum traductum eſt, quibus propterea Diabetes ſignificat ſubitam potûs omnis cum magnâ ſiti profuſionem atque profluvium. Epiphanius Ferdinandus rariſſimum hunc eſſe affectum ſtatuit, utpote quem ſe ter tantummodò vidiſſe, DEUM teſtatur, ſicuti ipſe Galenus eundem toto vitæ ſuæ ſpatiô bis duntaxat obſervavit, Hippocrates verò hujus nullam penitùs mentionem fecit. Celerrimus hic urinæ tranſitus alia inſuper ſortitus eſt nomina: Dicitur enim ▽a aut hydrops ad matulam, hydrops urinæ & diarrhœa in ⊡a, quod in hôc ſymptomate magna & multa ſit lotii copia: Vocatur etiam *διψακὸς* ab inexplebili ſiti, quæ hoc urinæ profluvium inſeparabiliter comitatur; Cæterùm in hôc malô potus nil aut parum transmutatur. Helmontius autem ſtatuit in diabete totum cruorem quandoque in lotium mutari lacteum vel potiùs ſeroſam quandam ſaniem; quæ tamen diabetis ſpecies rectiùs pro diabete nothô, i. e. pro ⊡æ profluvio colliquativô, quàm pro exquiſitô habendus eſt. Partem affectam junctis ſuffragiis aſſerunt renes eſſe, (hinc Autores originem iſtius mali ſpectantes renum magis quàm veſicæ hunc affectum dicendum non pauci voluerunt) quos æquo calidiores tunc exiſtere neceſſum eſt; ſic enim plus attr. 'iunt atque validius emulgent, quàm ut exigua hæc officina ferre ac coquere poſſit; unde poſtmodum omni-

modè

modè crudum hoc ſerum transcurrit, & vaſa emulgentia pariter atque ureteres amplificantur nimium. Quum verò renes ob debilitatem ſuam copioſiùs tractum ſerum continere non valeant, ad veſicam id protinùs ablegare coguntur, unde quoque ipſa veſica ⊡æ quantitate preſſa renibus affectis conſentit. Urinæ incontinentia verò eſt ejus propter ſphincteris reſolutionem vel ſolam hujus relaxationem ac mollitiem (qualis in pueris ſtragula aſſiduò permingentibus deprehenditur) aut veſicæ compreſſionem ſine ſenſu acrimoniæ ac doloris præter imperii arbitrium emiſſio. Unde patet protinùs diſcernendi ratio, quæ inter diabetem & lotii incontinentiam intercidit. Hanc itaque ut ſiccantia & adſtringentia præſertim ſpecifica, ut ſunt cinis erinacei combuſti, tunicæ interiores ventriculi gallinæ, guttur galli crematū & pulveriſatum, pulvis veſicæ capræ exſiccatæ, Crocus ♂ adſtringens, grana maſtichis, medulla lapidis, pulvis noſter magneticus, item ſpecificum noſtrum adſtringens &c. oppidò emendat; ſic diabetes curatu utique difficilior eſt, & plerumque in conſumtionem totius corporis aut hecticam tranſire ſolet. Media curandi, quæ ab Autore hîc proponuntur, potiùs renum impuritates, unde illi intemperiem contrahunt, abſtergendi vim habent, & ſaponaria exiſtunt, quibus remotis renes ad priſtinum vigorem redire poſſunt, & retentrix robur ſuum vel ſponte recipit. Spiritum ⊖is 🜿 & ▽am ☿ialem à virtutibus ſuis abundè jam cognovimus, quæ tamen non immediatè ſed mediatè hoc beneficium præſtant, non ſecùs ac vomitoria frequentes vomitus ſiſtunt. Quid verò per acidum ⊕li intelligat, ariolandum nobis erit; putamus igitur vel ſpiritum ⊕li rectificatum vel 🜿rum ⊕latum vel ſpiritum ⊕li etiam coagulatum hoc termino Autorem innuere, quæ omnia contractas in renibus cruditates & vitia effectiſſimè corrigere, atque horum ſubſtantiam corroborare, adeoque per accens adſtringere valent. Adſtringentium uſus, utut Autor eum hîc neglexerit, tunc quam maximè ſubjiciendus, inter quæ præter jam nominata tanquam nobiliora laudamus inſuper 🜄am ⊕li dulcem, eſſentiam ♂, ℞am Corallor. veram & ℞am 🜍ris ⊕li; illa enim quæ ex 🜿ro & ⊕lo facta ſunt, potiùs aperiendi & abſtergendi vim habent, adeoque in iſchuriâ rectiùs commodiusque aſſumentur.

Ad §. 3.

Iſchuria oppoſitum eſt incontinentiæ ⊡æ vitium, qt. nempè urina valdoperè vel penitùs ſupprimitur. In determinandâ causâ nimis obſcurus eſt Autor, utpote quæ potiùs in phantaſiâ quadam conſiſtere videtur: plerumque verò ab obſtructione ureterum ac fiſtulæ urinariæ oriri ſolet, veluti in calculo id familiariter ac quotidiè contingit: Interdum hoc malum fructus eſt aboliti in veſicâ ſenſus, cum ſtimulum ⊡æ non percipit. Autor hanc cauſæ ſpeciem in 🜿rum ſeu impuritatem quandam ſtupefactivam, narcoticam ac frigidam repoſuit, qua

virtus calidi nativi valdoperè obrunditur: Vel alkaliſatum etiam excrementum, i.e. alkali naturam hominis acrimoniam lotii tollere & hoc quaſi dulce reddere valet, unde expultricis pigritia quoq; provenire poteſt. Eſt ubi ipſa quoque ⊡æ intempeſtiva retentio ac diuturnior mictioni obſtat, ut cum poſteà velis, tamen planè nequeas mingere, propterea, quod veſica propter ſuſceptæ urinæ cumulatam copiam nimis extenſa tam vehementer coarctet cervicem ejus, ut referari impoſterum non poſſit: Et hoc morbi genere ille Aſtronomorū phœnix Tycho Praë è vivis ſublatus eſt Pragæ, cùm mulierum præſentiam intempeſtivè revereri tus è conviviô ſurgere nollet. In curâ hujus affectus eò paucioribus nos expedire & quaſi tribus poterimus, quò certiùs eſt, ea omnia hîc exoptatiſſimam efficaciam afferre, quæ in obſtructionibus meſenterii, pancreatis, hepatis, lienis ac renum convenire ſuprà demonſtravimus. Cumprimis verò ab Autore hîc commendatur ⊖ cryſtalli vel vulgarium aliorum lapidum, cujus præparationem cum ✳ inſtituendam jubet, ita ut hoc ipſum ⊖ commiſceatur cum cryſtallis vel lapidibus aliis calcinatis (illa lapidum calcinatio ſive per ignitionem fiat & ſimplex exiſtat, ſive ſit reſtinctoria, neminem movere debet, ut Schröderus rectè monet) ad partes anaticas, atque ſic ♎atio inſtituatur. Verùm nos beneficiô illius ♎ationis & hâc ipsâ præparandi ratione nil aliud impetrari dicimus, quàm flores ✳, qui ſi forſan impræꝑnati ſint ⊖ e cryſtallorum vel cujuscunque calcinati lapidis, pauxillum tamen & vix effatu dignum erit. Hi autem flores quam energiam obtineant, & quod in reſerandis obſtructionibus vaſorum & meatuum, cumprimis verò in movenda ⊡a præſtantiſſimè valeant, ſuô jam monuimus locô. Nos catheteris immiſſionem ante omnia hîc commendamus, vel etiam clyſmatis alicujus cum convenienti & benè aptato ſiphunculo per fiſtulam urinariam injectionem: poſteà verò eò tutiùs diuretica & urinam provocantia, it. quæ pellendo calculo ſpecificè conveniunt, propinari poterunt. Clyſterum probè emollientium uſus ſæpè repetitus valdè hîc prodeſt, quoniam alvi dejectio ſine mictione vix expediri poteſt, ut ex Curioſis noſtris miſcellaneis notum, ubi ex profeſsô hoc thema per putavimus.

Ad §. 4.

Succedit ſtranguria, quæ nil aliud eſt, quàm mictio intercìſa ſive guttatim facta: & fit vel cum ardore, vel ſine eo, vel cum dolore, vel ſine eodem. Illa, quæ dolore caret, iisdem cauſis accepta fertur, quibus iſchuria, ſed levioribus; dolorifica verò de cauſis dyſuriæ nunquam non participare dicitur: Seneca ſtranguriam ad tormenta veſicæ hinc refert. Dicitur quibusdam ardor urinæ, quemadmodum id etiam Gallis uſitatum eſt, qui idiomate ſuo hodieq; ſtranguriam ſic appellant; dubio ſine, quod uſtulantem quaſi dolorem tunc inferre videatur. Cauſam Helmontius accuratè docuit, dum ſtranguriam ab acido provenire ſeriò

adfir-

adfirmavit: Ut enim acor in ventriculo gratus & ordinarius ſapor eſt, ita extra eam omnis aciditas p. n. eſt atque hoſtilis; unde ab acido, ſi id ad orificium ventriculi ſuperius adſcendat, ardor ſtomachi, item ſi deorſum tranſeat, inteſtinorum tormina, in lotiô ſtranguria, in ulceribus corroſio, in artubus podagra, in matrice ſuffocatio oritur, & ſic in rei veritate porrò. Atque propterea hâc ipsâ occaſionis opportunitate benè ſeduloque notandum, remedia præcipitantia omnia, quæ ardorem ſtomachi compeſcunt, itidem & eadem planè facultate Colicam ſeu tormina ventris, ſtrangulatum ſeu caducum uteri, ſtranguriam, arthriticosque dolores & cruciatus atque conſimiles vel penitùs tollendo vel peculiariter mali ferociam placando leniendoque ſanare. Poſt crapulam & collectas cruditates, quas facilimô negotiô aceſcere & ♀ri naturam induere, nemo eſt, qui negabit, utplurimum ſtranguria angere ac dominii ſui vela pandere ſolet: Hinc etiam nos maternâ linguâ hanc urinandi moleſtam difficultatem appellitare frigidam mictionem conſuevimus, quæ qualitas cruditatibus, quatenus tales ſunt, non injuriâ competere videtur. Nos ſcopum curandi beneficio nobiliorum præcipitantium felici ſucceſſu ſemper expedivimus, veluti etiam Helmontius idem planè cenſuit, dum oculis ♋ ſtranguriam edomandam fideliter ſuaſit, quòd totum potum & per conſequens corporis humores vi aceſcente oppidò ſpolient, id quod etiam fidiſſima rerum magiſtra Experientia ſatis ſuperque hactenus comprobavit. Idem effectus ex Ra ♀ri bonâ etiam fide expectandus: Ad extrà aliquid de ſevo, quod accenſa candela ſtatim commodare poterit, umbilico nos immittere ac illinere cum præſentiſſimo admirabilique fructu ſolemus, quem effectum à vi diſcutiendi & paregoricâ, quam validiſſimam habet, dubio ſine exhibet.

Ad §. 5.

Dyſuriam non adeò valdè à ſtranguriâ dolorificâ diſcrepare, ex præcedenti §ô cognovimus: Hi affectus enim vix differunt, niſi quod ſtranguria in ⊡æ ſtillicidio conſiſtat; in dyſuriâ verò ardens urina ſine interruptione reddatur; in reliquis verò ambo mala conveniunt propemodum. Dyſuriam proportione etiam dyſenteriæ Autores quidam reſpondere haud abſonè adnotarunt, ſiquidem & in hâc alvi excrementa non ſecus ac in dyſuriâ lotium cum cruciatu & ardore dejiciantur. Cauſa dyſuriæ non una recenſeri ſolet: Interdum enim eadem ⊡æ ferocem acrimoniam aut ♀ream aciditatem pro cauſa agnoſcit; interdum continuitatis in collô veſicæ ac meatu urinariô ſolutionem vel exulcerationem, it. inflammationem aut ſimile colli veſicæ vitium præſupponit. Eodem planè modo iisdemq; mediis affectus iſte tolli poteſt, quibus curari ſtranguriæ moleſtiſſimus impetus ſolet. Emulſiones illas ex ſem. 4. frigid. major. & papav. albo factas tunc nos, ut à pleriſque ſolet, præſcribere propterea veremur, quod

deſubitò acorem detrahere, adeoq; malum illud potiùs exaſperare queant, quàm ut levamentum aliquod hinc promittere liceat. Sal ♄ii, quod Autor hîc laudat, omninò magni ponderis & momenti tam in hôc quàm aliis affectibus medicamen exiſtit: Ut enim ⊖is ex ⊙e facti viribus id pollet, ita etiam effectiſſimè mundificat ſanguinem & viſcera quævis, adeoque & veſicam ab omnibus impuritatibus oppidò expurgat. Modum ſaliſicationis Schrōderus docet, qui videri poteſt: Hoc tamen ſciendum, quod ♄ium plus 🜍ris & ☿ii, parùm verò ⊖is habeat; adeoque magnam ⊖is quantitatem ex calcinatione ♄ii ne ſibi quis polliceatur, paucitatem tamen excellentiſſima ejus facultas, quam in exiguâ etiam doſi exſerere hinc impetratum ⊖ poteſt, ex votô compenſat.

Ad §. 6. & 7.

Ad mictum cruentum, in quo ſanguis unà cum urinâ excernitur, referunt quoque purulentum ſeu ſanioſum nec non pilarem, quando juxtà cum urinâ impuritas quædam mucoſa capillis non adeò diſſimilis emittitur, quamvis noſtro quidem judicio ⊡am hanc tunc potiùs criniformibus & valdè exilibus vermiculis ſed oblongis tamen ſcatere exiſtimemus, ſicuti in ipſo etiam ⊖e corrupto vermes generari nullum utique eſt dubium. Cauſa & cura mictionis cruentæ & purulentæ in propatulo ſtatim eſſe poteſt ex doctrinâ de exulceratione renum ac veſicæ, ubi apertio & corroſio vaſorum non ſubeſſe non poteſt; ubi & omnia illa conveniunt, quæ hæmorrhagias efficaciter ſedare jam ſuprà diximus. Balſamum ♀ri dulcem & eſſentiam margaritarum pariter dulcem (illuſtris omninò nominis & virtutis remedia) impetrare quis non poterit, niſi philoſophicum menſtruum ſit præſtò: alioquin & Chymicis dulce dici ſolet, quod inſipidum aut quod non adeò acidum eſt, ſed ſuavem ac jucundam aciditatem vel quandam ad dulcedinem inclinationem obtinet, id quod conſequi poterimus, ſi v. g. cryſtallos ♀ri ſæpiùs ſæpiusque cum 🜄 rectificatiſſimo abluamus. Modus ex Croco ♂ eſſentiam c. ſpiritu ⊕-li philoſophico ſeu acido ☿iali parandi non contemnendus eſt, ſicuti etiam vel ſolum illud menſtruum veſicæ morbis curandis appropriatum & ad mundificationem in ulceribus conſolidandis præſtandam aptiſſimum eſt remedium.

CAPUT LIX.

De *Morbis ſcroti ejusque partium.*

§. 1.

Scrotum eſt membrana illa externa ſatis craſſa, qua teſtes involvuntur ac teguntur. Hæc membrana ſolet tentari multis affectionibus, potiſſimum autem tumore ſcirrhoſo ac duro, dum excrementa viſcoſa & tartarea, quæ ab alimen-

alimento ſcroti ac teſtium ſeparari ſolent, à potenti ſpiritu partis ejus cuſtode non protruduntur, ſed potiùs ibi congeruntur & accumulantur: unde in hâc parte contractus tumor ſcirrhoſus indies magis indureſcit, & toto vitæ tempore ſic durus ibi remanet, ita ut ambos ſæpè teſtes etiam is involvat, aliquando unum tantùm includat.

§. 2. Diſſolvuntur hæc viſcida & ♀rea excrementa fotu ▽æ fabarum & cataplaſmate facto ex farinâ fabarum aceto ſtillatitio malaxatum, atque tepidè ſæpiùs parti affectæ applicato, ita tamen ut juxtà cum applicatione cataplaſmatum illorum purgatio ex ☿io noſtro ſæpiùs fiat, & ſudorifica quoq; aſſumantur.

§. 3. Fiunt inflammationes etiam in ſcroto, quæ ab iſtis excrementis à calore interno ebullientibus & incaleſcentibus dependent ac originem habent: Corpore anteà dictis medicamentis purgato & poſtmodum parte affecta oxycrato vel ▽ roſaceâ & plantag. refrigeratâ inflammationes iſtæ facili via tolluntur; vel ſucco depurato ſemperviv. major. aut minor. adhuc faciliùs tolluntur.

§. 4. Extinguuntur etiam ſcroti inflammationes miſſo ex ſaphenâ pedis ſanguine: In omnibus enim inflammationibus ſanguinis miſſio ſummoperè prodeſt: quia ſanguis alioquin totus fermè efferveſcit fervente alicujus partis ſanguine, ſiquidem ſpiritus partis inflammatæ inflammationem illam, quam ſuffert, per totum ſanguinem deferat: refrigerata verò parte & extincta illa partis inflammatione, generalis etiam inflammatio extinguitur.

§. 5. Herniâ etiam ac ramice tentatur ſcrotum, & fiunt ibi tumores varii ex variis rebus, quæ in ipſum ſcrotum illabi ac differentiam herniarum ramicumque conſtituere ſolent. Prolapſus autem iſte fit ex ruptione vel ſaltem dilatatione peritonæi ſeu tenuis iſtius membranæ, quæ inteſtina & totum abdomen ſuo clauſtro continet.

§. 6. Quando inteſtina ex ruptione peritonæ in ſcrotum illabuntur, tunc tumor ille nuncupatur enterocele, & ſi omentum ſeu epiploon illabatur, tumor, qui hinc exoritur, vocatur epiploocele: ſin verò ▽a & humor mollis in ſcrotum defluat, hydrocele nominatur; ſi tandem à carnea quadam excreſcentia intumeſcat, ſarcocele dicitur. In enterocele & epiploocele tumor non eſt permanens; nam inteſtina digitorum impulſu & compreſſione facilè intrò mittuntur, ut ſic tumor evaneſcat, qui rugitu & flatulento murmure cognoſci poteſt: Epiploocele autem ægriùs evaneſcit, & nullus ibi rugitus perſentiſcitur: Aſt hydroceles & ſarcoceles tumores ſunt permanentes ac fixi, ita tamen ut inter ſe differant, quod hydroceles tumor ſit mollis & pulſatus reſonet, quodve ſit pondere levior & lumine oppoſito conſpicuus. Sarcocele autem eſt tumor durus, gravis & obſcurus, qui longiori tempore magis increſcit.

§. 7. Cu-

§. 7. Curantur omnes herniæ ſpecies ſucco herniariæ nobilis herbæ depurato, qui admixtus farinæ fabarum & parti applicatus per 15. dies ægroto in lecto quieſcente hernias perfectiſſimè curat. Spiritus ⊖is communis & ⊖is gemmæ ad gutt. 3. aut 4. quotidiè manè jejuno ventriculo adſumtus in ▽ ſalv. vel conſolid. major. ſummum herniæ curandæ arcanum eſt. Emplaſtrum ex gummi opoponaco & pulvere conſolid. major. vel ex ejus ſucco & ſucco enulæ, campanæ, ac rutæ ſimul permixtis unà c opoponaco in formâ emplaſtri cum eſſentia ♂ ſummum eſt in hernia curanda medicamentum.

§. 8. Ligamenta tunc non ſunt negligenda, ut partes, quæ ex peritonæo rupto aut dilatato ſolent in ſcrotum deſcendere, intra ventrem & clauſtrum peritonæi contineantur. Sic ergo ſolent curari herniæ, præſertim in puerulis; nam in ſenibus vix curationem ſuſcipiunt, niſi intra lectum immoti ſe per annum fermè contineant, & continuè his remediis utantur.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Scroti morbos dum producit Autor, per illud nihil aliud intelligit, quàm teſtium peram aut tegmen, quod ex tunicis communibus præſertim cuticulâ, cute & panniculô carnoſô conſtare Anatomica demonſtratio confirmat; Quibus verò & primam illam ex propriis involucris, quæ teſticulis potiùs competunt, nempè vaginalem dictam ex proceſſibus peritonæi oriundam hûc accenſere allubeſcit inſuper, iis per nos quidem id vel propterea licet, quod hæc ipſa tunica teſtium globos non immediatè ambiat, deinde quod laborante ſcroto propriæ etiam tunicæ imò teſtes ipſi facilè in conſenſum hujus affectus trahi, atque ſic pariter eodem infeſtari inficique queant. Ergo etiam ſcrotum ſuos patitur morbos, quamvis illi non adeò multi ſint, ut textus habet (quæ Autori conſueta rem aliquam nimioperè exaggerandi formula nos offendere non debet) ſed duntaxat quidam, adeoque veluti ex Autoris textu ipſo claret, numero non adeò numeroſo, ſed ſatis exiguo computari poſſint; ſicuti etiam Oratoribus uſitatum ſæpè eſt, multa pro quibusdam ſiſtere ac denominare. Inter morbos illos primum profertur tumor ſcirrhoſus; ubi notandum adſpergimus, quod diſtinctio inter ſcirrhum & ſcirrhoſum tumorem haud penitùs ſit adſpernenda Practicis: ſcirrhus enim eſt tumor impensè durus, qui jam planè inſenſilis factus & incurabilis vel ad minimum curatu difficilimus exiſtit ob deficiens reſtituendæ ſanitatis fundamentum & calidi nativi conclamatam fermè extinctionem; ſcirrhoſus verò tumor ſenſum adhuc obtinet, nec ſpem curationis adimit. Hic in fieri eſt, ille autem in facto. Cauſæ, quæ hunc tumorem in ſcrotô parit, iteratu haud

haud neceſſariam eſſe deductionem perſentiſcimus, quoniam eidem aliquoties jam alibi, ubi de aliarum partium ſcirrhis ſcirrhoſisque tumoribus actum fuit, opera noſtra jam deſtinata fuit. Sufficit nos ſcire, degenerationem nutrimenti, quod ad ſuſtentationem ac refectionem ſcroti transmittitur, & retentionem excrementi à pravâ hujus partis nutritione provenientem, eô ut ſæpiùs audivimus modô, in culpâ eſſe.

Ad §. 2.

Veriſſimum omninò eſt, quod Helmontius ſtatuit, ſcirrhos nempè externa petere ſubſidia, ita tamen ut interna & univerſalia tunc quoque non negligantur, præſertim talia, quæ humorum contumaciam tam per ſedes & urinam, quàm per ſudores & inſenſibilem tranſpirationem cum virtute & generoſa efficaciâ expellere & expugnare valent. Ad extra autem epithema ex ▽a flor. fabarum & cataplaſma ex farinâ earum cum ⚹ factum in ſcirrhoſo ſcroti tumore Autor commendat, quod hæc ipſa remedia in extergendis cutis ſordibus utut etiam valdoperè impactis (hinc quoque ▽a ex floribus fabarum ad coſmetica & ea, quæ faciem fucant, refertur) nec non ſuggillatis adeoque & per conſequens tumoribus diſcutiendis (quod enim obſtructis poris libertatem ſuam reſtituit, illud inſenſibilem tranſpirationem procurare & tumores etiam curare valet) peculiarem facultatem habeant. Sed nobiliora adhuc præſidia ſcirrhis extrinſecùs adhibenda jam ſuprà nos adſcripſiſſe meminimus, quæ hîc quoque applicari poterunt: Curatio enim nimis craſſi & ſcirrhoſi ſcroti vel eô nomine accelerandа eſt, ne impotentia virilis exinde ſuccedat, & aggravatis valdoperè teſtibus ſeminis generatio impediatur, & ♀ris ſtimulus adeoque penis erectio ſic cohibeatur.

Ad §. 3.

Inflammationes ſcroti eundem impetuoſæ fermentationis ſeu ebullitionis agnoſcunt fontem & fiendi modum, quem aliarum partium tam internarum quàm externarum (omnes enim communi & unô nutrimentô nempe ſanguine gaudent) incendia habere ad ſatiem usque hinc inde ediximus. Curationem quod ſpectat, ea præmiſſis univerſalibus, quæ Autori ſunt ſolemnia, rectè adhibitis, poſteà refrigerantibus vel potiùs fermenti furorem fortiter refrænantibus & loco inflammato appoſitis expeditur, veluti ſunt ea, quæ hîc laudavit Autor, videlicet oxycraton ſeu acetum ▽â mixtum, item ▽a roſac. aut plantag. ſuccus utriusque ſemperviv. &c. quæ omnia ardorem eximiè compeſcunt. Nos ▽am ſpermat. ranar. vel etiam nivis ſeu glaciei deſtillatam jam dictis omninò præferimus atque pluris facimus.

Ad §. 4.

Quid de V. S. habendum, & quænam cautelæ circa illam non abſque ſollicitudine ſingulari ſint obſervandæ, candidô animô paſſim expoſuimus. In inflammatione particulari, ita tamen ut præmittatur univerſalium uſus & primarum viarum decens repurgatio, phlebotomiam, præſertim ſi in tempore adhibeatur, & niſi contrà indicantia à quovis Medicô ſtudioſiſſimè ſemper attendenda id præſidii genus diſſuadeant, convenire, adeoque in ſcroti quoque inflammatione ea, qua Autor præſcripſit, ratione proficuam nonnihil exiſtere concedimus quidem, nequaquam verò largiri poſſumus, totum quaſi cardinem curandarum inflammationum & febrium præcavendarum in ſanguinis miſſione conſiſtere, veluti etiam nobis in praxi noſtrâ uſitatum eſt, particulares hujuscemodi inflammationes ſtudiô neglectâ phlebotomiâ beneficiô nobilioris purgantis, præcipitantium & epithematum exoptatô ſucceſſu ſanare.

Ad §. 5.

Ad ejusmodi morbi, qui multum calamitatis ac difficultatis, imò non contemnendi periculi faceſſere mortalibus ſolet, hiſtoriam nunc Autor ſe convertit, cui nomen eſt hernia, quæ Sabinis ſeu Marſis ſaxum deſignat, ita ut hoc malum ſic vocaretur à duritie ſacci formis pellis ſeu ſcroti, quod deſcendentibus inteſtinis, cumprimis ſi ea multô flatu ſint refecta, plerumque mirum in modum indureſcere ſolet. Scaliger ab ἔρνος, quæ vox ramum ſignificat, deducere herniam geſtit, quod inteſtinum in ſcrotum incidens germen ſeu ramum facere videatur; unde etiam hernia eodem planè ſenſu ramex nominari conſuevit. De herniâ in genere notamus, quod quævis ejusdem ſpecies provenire ſoleat, quando peritonæum vel nimium laxatur ac dilatatur vel planè diſrumpitur, ſive id fiat pondere, ſive ictu, lapſu, vehementiori motu & hujuscemodi farinæ conſimilibus cauſis.

Ad §. 6.

Herniam varia ſortiri nomina & differentias tam pro loci, quàm cauſæ materialis ratione, apud neminem non in confeſſo eſt, veluti autor eas etiam diſtinctè & ita dilucidè propoſuit, ut inſuper aliquid monere & addere ſupervacaneum eſſe exiſtimemus. Hoc ſaltim appendere hic lubet, quod Pneumatocelen ſeu herniam ventoſam aut flatulentam & cirſocelen ſive ramicem varicoſum, in quo vaſa teſticulos nutrientia plus juſtô intumeſcunt & obtorta conſpiciuntur, ſilentiô transmiſerit: Omnium tamen herniarum frequentiſſima pariter ac maximè famoſa imò periculoſiſſima etiam eſt (quod immanes cruciatus inferat, atque non raro funeſtus ille morbus, qui Miſerere mei dicitur, hinc proveniat,) Enterocele ſeu inteſtinalis, quæ non tantùm in ſcrotô, verùm quandoque etiam propè inguina contingere ſolet, atque tunc Bubonocele audit.

Ad §. 7.

Ad §. 7.

Herniis omnibus præcipuè verò inteſtinali (ſarcocele enim ad ſcirrhoſum ſcroti tumorem, pneumatocele autem & hydrocele ad hydropis ſpecies & earum curas rectiùs remittũtur) feliciter & ex voto curandis remedia appropriata ac ſpecifica tam interna quam externa Autor hîc protulit, quorum ſeriem paucis confeſtim ſcrutabimur. Inter externa primum eſt cataplaſma, ex ſucco herniariæ, cui etiam perfoliata quàm utiliſſimè additur, cum fabarum farinâ paratum: Herniaria etenim nec non perfoliata ut uſus præcipui ſpecificique in hernia curanda ſunt, quarum illa nomen hinc accepit, hæc verò ſignatura ſua adſerto favet, ita etiam cumprimis peculiariter ſiccandi & adſtringendi conſolidandique vim utraque obtinet. Emplaſtrum contra herniam, quod Autor tanquam ſummum in hoc affectu ſanando remedium parare hîc docuit, an promiſſam efficaciam in conſtringendo & glutinando peritonæo præſtare queat, non immeritò dubium incutere poteſt, ſi ingredientia (excepta tamen conſolida majore & eſſentia ♂, quarum utraque ſtrenuam ſiccandi & adſtringendi energiam habet) examini ſubjiciatur: adeò enim gummeus opoponacis ſuccus, item ſuccus enulæ campanæ ſeu elenii & rutæ vim illam non poſſident, quæ in herniæ cura deſideratur, ſed potiùs diſcutiendi flatus valorem exhibent; unde hoc emplaſtrum in eo rectiùs caſu applicandum ſuademus, ubi herniam ferocia flatuum comitatur & exacerbat; ſiquidem prolapſa inteſtina priſtino & naturali loco reddi nequeant, niſi facta prius flatuum ex hisce inteſtinis decenti diſcuſſione. Ubi ergò ſcopus abdominis membranam diruptam ſiccandi, adſtringendi, excellenter condenſandi ac glutinandi ſubeſt, ibi loco opoponacis ego ſubſtituerem potiùs ſanguinem Draconis vel ſarcocollam aut ſuccum hypocyſtidis, atque pro ruta & enula campana pulverem gallarum adjicerem, atque ſic vel a. cum ſucco Conſolid. Major. & herniar. aut perfoliatæ nec non cum eſſentia ♂ aut hæmatitæ emplaſtrum conficerem: Certiſſimum enim eſt, nos ſic impetraturos validiſſimæ adſtrictionis ac potentis glutinationis ex voto & ſecundum excellentiam particeps emplaſtrum. A quodam magni nominis Chymiatro tanquam ſingulare experimentum & conſolidativum optimum in curandis herniis habebatur emplaſtrum ex gummi ceraſorum in 🝆 hyperic. diſſoluto & pulvere maſtich. ac thuris decenter invicem mixtis præparatum. Alioquin etiam ac communiter emplaſtrum contra hernias uſitatum, item de pelle arietina præſcribi ſolet. Verùm nec interna medicamenta tunc negligenda, quapropter id etiam obſervans Autor, uſum ſpiritus ⊖ is communis vel ſalis gemmæ eumque quotidianum laudavit, quorum hic potiſſimum tanquam arcanum ſummum in rupturis deprædicatur. Nos verò eatenùs laudatos ſpiritus in hernia convenire arbitramur, quatenus cruditates & hinc propullulantes fermentationum ac

flatuum impetus, qui alioquin herniæ calamitatem periculosè exaſperare ſolent, ſic impediuntur, compeſcuntur ac diſcutiuntur, ſicuti etiam in hernia inteſtinali ſedulo curanda cordatus Medicus ſemper flatuum rationem ac proinde nobiliorum carminantium ac præcipitantium uſum, quo Archeo inteſtinali præſentiſſimum ſolamen affertur, quàm commendatiſſimum ſibi habere debet. Hinc notatu dignum eſt encomium, quod ob eandem cauſam ſeminibus 4. calidis minoribus in herniâ inteſtinali à flatibus exacerbatâ feliciter curandâ & edomandâ conſecravit Helmontius: *Semina minora calida ex commiſeratione divinâ mortalibus enotuiſſe, & in ſcholas eorundem uſum fuiſſe introductum inquit, licet illæ neſciverint cauſam & flatuum circumſtantiam: ſolamen verò iſtud* (ſic pergit Helmontius) *ex hoc exemplo diſcatis. Hernioſus quidam, cui ex incuriâ inteſtinum in ſcrotum exciderat, & mox ad capitis magnitudinem ſurgente hernioſô tumore vehementer cum livoris ſucceſſu induruerat, fruſtrà variô aſſiduoque lactis & ſtercoris vaccini tepidi fomentô curabatur, imò videbatur ſpes reponendi inteſtini fermè depoſita, quod non tantùm foramen ſextuplô minus, quàm ſcroti tuber, verum etiam hic prætereà duriſſimus eſſet: ſed potu Vini, in quô ſemina aniſi, carvi, fœniculi & coriandri paulisper bulliverant, mox tumoris durities evanuit, & inteſtinum facilimô poſteà negotiô repelli potuit.* Cæterùm ℞a ſeu Eſſentia ♂ aut hæmatitæ, item Eſſentia ſanguin. Draconis noſtra præ reliquis ſpecificorum remediorum autoritatem habent, & M. S. mea cinerem leporis integri quotidie ad ʒß bis uſurpatum tanquam ſingulare ſecretum in curandâ herniâ mihi commendant, cujus rei periculum tutò fieri poteſt. Sed quid de magnetis uſu, quem Helmontius herniam curare aſſeruit, habendum eſt? Novimus equidem nonnullos, qui pulveriſatum magnetem internè accipiendum præbent, ad extrà verò probè chalybeatum emplaſtrum adponunt, ſperantes ſic fore, ut magnes congenitam ſibi ferrum trahendi potentiam exſerat, atque per conſequens inteſtina prolapſa validè retrahat. Verùm enim verò, qui magnetem in pollinem redactum deſubitò hanc trahendi vim, quæ unitam virtutem & integrum lapidem depoſcit, amittere recordabitur, is vanitatem polliciti ſtatim agnoſcet, & præter efficaciam probè adſtringendi in magnete & ex eô paratis medicaminibus nil aliud quærere ac deſiderare audebit; ſicuti etiam fruſtraneus eventus ſigillo ſuo aſſerti noſtri veritatem nunquam non communire poterit.

Ad §. 8.

Damnoſus planè & probo Medico utique damnatus in herniâ inteſtinali ligamentorum ritè factorum neglectus & incuria eſt, quorum geſtamen licet non ſine quodam incommodo ſufferatur, prudenter tamen minori cum incommodo

modo majus & magis periculoſum avertitur, in quod non rarò & inopinatò ſæpè ſubitaneus, enormis, & horribilis inteſtinorum prolapſus præcipitare hernioſos ligamenta ſeu vincula tantoperè abhorrentes ſolet. Ut autem hernioſis omnibus motus animi concitatiores & corporis vehementiores morte pejus fugiendi ſunt; ſic ſpreto ligamento tam ex irâ (hæc enim fermentationem impetuoſam & flatuum generationem citò inducit) quàm ex incautiore corporis motu hernioſos utriusque ſexus derepentè in iliacam paſſionem ac mortem incidiſſe non unis exemplis nobis cognitum eſt. In ſenibus herniam curandi difficultas ex infirmitate calidi nativi, quod in conſolidandis partibus adjutrices manus aliàs porrigere tenetur, vel ſpontè manifeſta eſt: Niſi enim Naturæ efficaciter cooperantis robur, quod in ſenibus deeſt, in pueris verò floret, in curatione morborum Medico velificetur, oleum & operam is perdet. Rectè autem ſe habet, quod in fine hîc adjecit Autor, diuturnam quietem, ita ut intra lectum patiens immotus fermè per integrum anni ſpatium jaceat, exoptatæ curationis fructum in herniâ licet ſenili polliceri: Quod ipſum Helmontius quoque confirmat, dum herniam benè ligatam citra expectationem ſanatam ſe meminiſſe teſtatur, quòd ex oſſifragiô quidam diu lumbis decumbere coactus fuiſſet. Adeoque hinc colligimus etiam, quid difficultatem hernias ex fundamentô curandi augeat, quod nempè vix quispiam tam accuratè quieti ad hanc curationem quàm maximè neceſſariæ indulgere annuerit. Ridendi ergò nec audiendi ſunt illi, qui brevi temporis ſpatiô hernias perfectè ſe curaturos vana jactantia gloriantur.

CAPUT LX.

De *Affectibus uteri.*

§. 1.

UTerus multis variisque morbis ac ſymptomatibus fermè infinitis tentatur, de quibus ampliſſimum volumen conſcribi poſſet, niſi omnes morbos compendioſè pertractare propoſitum eſſet, ut novam hanc morborum doctrinam Medicinæ Candidatis eò promtiùs inculcare ac inſinuare liceret. Surget tandem aliquis, qui fuſiori ſermone rationes rationibus jam allatis addendo majus lumen huic lumini dabit, ut ſic tenebræ omnes pedetentim ex Medicorum animis diſcutiantur, atque lux clara meridionalisque in horum intellectu lucere queat.

§. 2. Uterus ergò cum ſit centrum muliebrium affectuum, qui omnes virtutes ejus debilitant, quæ in eo alioquin maximæ ſunt, unde plurimum etiam cum ſpiritibus influentibus, quorum beneficio natura id, quod vitioſum eſt ac utero contrarium, extinguere geſtit, materiæ ac humiditatis excrementitiæ accurrit: Ideoque cum in uterô plurimum virtutis adſit, in eô etiam plurimum eſt vitii, quocirca infiniti fermè morbi eum afficiunt, ut phlegmone, abſceſſus, ulcus, cancer, ſcirrhus, mola, inflammatio, hydrops, calculus: in cervice autem ejus adnaſcuntur rhagades, condylomata & hæmorrhoides, de quibus ſingulis compendioſè nobis dicendum erit.

§. 3. Phlegmone tumor eſt in uterô adnaſcens ab excrementis alimenti, quæ prava & maligna ſua qualitate uterum inflammant, inflammatô ſcil. hinc uteri ſpiritu ſanitatis ipſius cuſtode, qui dum ab excrementis uterinis irritatur & excandeſcit, febrem, ardorem, tumorem, diſtenſionem atque gravitatem imi ventris lumborumque parit, donec tandem adauctô abſceſſu & maturato corroſoque eo perrumpatur: unde ex abſceſſu ruptô fit ulcus idque ſordidum, quod uterus malignis & ſordidis ſcateat excrementis, quæ malignam & pravam admodum qualitatem redolent, ac proprietates veneni ſequuntur.

§. 4. Curatur hic affectus malignus purgatis menſtruis & miſſô ſanguine ex ſaphenâ pedis dextri, ſecundùm vires & ætates ægrotantis nec non conditionem climatis ac temperiem. Provocantur menſtrua ⊖e ⊕li ♀ris, quod uterum ſummoperè expurgat: Vitrioli autem ♀ris ſpiritu acidô ſæpiùs propinatô cum ▽ roſac. febris & ardor ille uterinus extinguitur, qui phlegmonem iſtam comitari ſolet. Ulcera verò ſi poſt phlegmonem uteri relinquantur, curantur ſolâ ▽â ☿iali dulci & rectificatâ, alioquin incurabilia ſunt, & reliqua medicamenta penitùs flocci pendunt: ſudorificis etiam utendum eſt in illorum curatione, quibus ſolis venenum excrementi menſtrualis tollitur, præſertim tamen ☿ô dulci ſudorificô, qui ſolâ ſublimatione multoties vel duodecies ſaltem iteratâ in ſudorificum omninò medicamen tranſit, cujus doſis eſt ʒj cum ℥j ▽ card. benedict. aut ulmar.

§. 5. Uteri ulcera maligna & depaſcentia ſunt nomæ & carcinomata: Nomæ ſunt inæquales & exedentes ſeu indies magis magisque depaſcentes, cæteris ulceribus fœtidiores, ſordidiores & acerbiores. Carcinoma autem vel ulceratum vel non ulceratum eſt: In eô, quod nondum eſt exulceratum, moles gravis in uterô percipitur ac tumor durus colore ſublivido adeſt: ſi verò exulceratum ſit, ipsâ nomâ adhuc malignius exiſtit, & ſanies eaque tenuis & coloris nigri aliquando etiam flavi, quæ hinc egreditur, gràviter ac ſummoperè fœtet. Generatur autem hoc malum tum in matrice, tum in mammis & aliis etiam partibus, tam maris quàm mulieris ab excrementis viſcoſis, ♀reis, venenatam qualita-

qualitatem habentibus, & naturam realgaris atque arſenici naturalis redolentibus; unde tota cura iſtius morbi conſiſtit in præparatione realgaris & arſenici, ex cujus ſolius eſſentiâ dependet cancri cura ac remedium: ſublata ſcara & radicibus omnibus cancri demum curatur ulcus & ad cicatricem ſolô balſamô 🜍ris perducitur.

§. 6. Scirrhus in utero, quo is totus ſæpè obducitur, à ♀reo excremento generatur; aliquando etiam pars quædam uteri tantum dura fit ac indolens, aut ſi doleat, obſcurus obtuſusque tamen eſt ille dolor, ita ut grave tunc pondus quaſi mox foràs in pudenda prolapſurum ſaltem perſentiatur: Sequitur etiam ex ♀reo illo excremento, quod uterum occupat, inceſſus crurum totiusque corporis difficilis, ſicuti etiam curatio ejus eſt difficilima, atque in eâ oleum ac operam perdes, niſi tecum ſit ☿iale arcanum, quo ♀rea excrementa per totum corpus aut in quacunque ejus parte etiam reſtagnantia diſſipantur. Succeſſu temporis, niſi rectè curetur, in cancrum mutatur, quem certa mors ſubſequitur: Purgatio noſtra ♄ialis & ☿ialis lenit quidem hunc morbum nonnihil, ſed non tollit.

§. 7. Mola eſt affectio uteri, qua is tanquam fœtu aliquo intumeſcit. Eſt autem caro p.n. in utero progenita, membranis obducta & venis conſperſa pluribus, ſine tamen oſſibus ac viſceribus ullis: nutritur alimento communi, & creſcit aliquando per totam vitam, interdum quarto decidit menſe nondum ad integram magnitudinem perducta; ideoque tunc à facultate expultrice ſive à ſpiritu ſanitatis cuſtode ejicitur ac foras propellitur.

§. 8. Producitur hic tumor carnoſus in uterô à ſemine imperfectô & invalidô muliebri, quod in uteri capacitatem ex muliebribus teſticulis à forti imaginatione coitus & titillante appetitu ♀ris defluit ac confluit, ibique digeritur & coquitur à calore naturali ac vitali ipſius uteri in molem carneam, convocatô ſanguine menſtruali ad ſui nutritionem & incrementum. Hanc molam ipſa Natura per ſe expellit, & ut fortiùs id peragat, roboranda eſt ▽â cinam. ſæpiùs aſſumtâ & ⊖ e ⊕li, quod uterum excitat ad ejiciendam hanc molem & ſanguinem menſtruum fortiùs expellendum, quô tempore Natura facilius ac potentius ad extirpationem & ejectionem illam inſtigatur.

§. 9. Fœtum quidem mentitur verum ac legitimum Mola, ſed oculati & experti Medici hunc fœtum ſtatim à molâ diſtinguere norunt, quod fœtus verus ac legitimus blandè ac leviter ſine dolore per uterum moveatur, mola autem graviter & ponderosè figatur, & impetu quodam pervolvatur, in quodcunque latus etiam mulier decumbat; unde gravior quoque & pondere oppreſſa incedit, artus gracileſcunt, & dolor ventrem compungit, quorum nihil adeſt in verô legitimoque fœtu, præſertim ſi mulier prægnans laudatâ valetudine fruatur.

§. 10. Tu-

§. 10. Tumet etiam uterus p. n. & citra molam aquarum copiâ, unde fit hydrops uterinus: Inflationis ſigna adſunt evidentia, ſed gravitas major & ſonus quaſi fluctuantis ▽æ. Hujus hydropis cauſa eſt jecoris aut lienis mala ac depravata affectio ex ♀ro, qui calorem nativum utriusque viſceris propemodum extinguit; unde debilitatô calore nativô depravatur in his partibus ſanguis, atque per conſequens partium omnium totius corporis alimentum ita depravatur ac vitiatur, ut hinc ſeroſitates & ▽oſi humores præſertim in utero congerantur; Ad eum namque ſanguis ſeroſus & ▽oſus ſolet demandari, ut ſingulis menſibus evacuetur: quod ſi hæc menſtrualis evacuatio ex cauſis prædictis debilitatô potiſſimum calore nativô & ſpiritu ceſſet, tunc tumet venter & uterus aquoſis & ♀reis humoribus in utero copioſè collectis, unde uteri peculiaris fit hydrops, qui potiſſimum roborato hepate & liene, nec non evacuatis hisce ♀reis humoribus curari ſolet. Roboratur autem hepar eſſentiâ ☿iali & reſinâ ☉is h. e. ⊖e dulci ipſius auri: aſt absque eſſentiâ illâ ☿ii tantum auri arcanum haberi & obtineri non poteſt, hâc enim ſolâ aurum & argentum ac reliqua metalla in ⊖em dulcem reduci, atque ſic vitia omnia uteri facili negotio curari poſſunt.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Acturus Autor de morbis mulierum obiter vaticinia Paracelſi & Helmontii hic quaſi ſua facit, dum talem nobis in Medicinâ ſpagyricâ & Philoſophiâ Hermeticâ Prophetam & Præceptorem ſine pari, quem Eliam Artiſtam, omnia Naturæ arcana ſincerè revelaturum, & obſcura cuncta clariſſimè dilucidaturum nuncupant, adhuc ante mundi interitum nobis pollicentur. Verùm nos thematis hujus diductionem jam minimè ſuſcipiemus, ſed potiùs curioſis remittimus ad Michaëlis Meyeri Chymiatri Excellentiſſimi Opuſculum de hoc Eliâ Artiſtâ conſcriptum, interim reputantes, cuilibet noſtrûm, qui almæ Medicinæ nomen noſtrum conſecravimus, incumbere, ut nervis omnibus fundamenta aut præcepta Artis in ſalutem proximi indies magis magisque eruamus, & juxta magnum Naturæ librum ac lumen ſingula & cuncta, quæ minùs plana videntur, ita examinemus atque proponamus, ut diſcentes poſteà faciliori paſſu in Sapientiæ ſacrarium ſe penetrare atque pervenire valeant. Cæterum nemini Autor ſum, ut vanâ credulitate ſibi blandiatur atque perſuaſum habeat, arcanæ Phyſicorum Ræ vel benedicti Philoſophorum lapidis eumque præparandi modi notitiam pariter ita brevi tempore communem ac pervulgatam futuram, quò plerique tanti ſecreti & tam ineffabilis myſterii haud difficulter compotes fieri

fieri queant : Certiſſimum enim eſt, venerabilem hanc naturalis Sapientiæ gazam in ſinu Naturæ quàm profundiſſimè poſitam per Dei ſingularem providentiam & ſub ejus indubitata protectione ita abſcondi, & ab omnibus ſcientiæ hujus Magiſtris de induſtria ſic celari, ut non niſi pauciſſimis & tantô donô dignis vel per divinam illuminationem, vel per doctrinæ Patrem ac Præceptorem aliquem innoteſcere ſoleat ac poſſit: Unde etiam tanta cum maledictione à Philoſophis cautum ac prohibitum hinc inde deprehendimus, ne ulli temerè ars ſecreta communicetur, adeoque ſanctum canibus detur: Quâ de re omnes Philoſophorum Hermeticorum libros ac monumenta eſſe concernimus plena. Alia tamen & magis commoda occaſio nobis ſuô tempore ſuccreſcet, ubi hoc Paracelſi, Helmontii & Fabri noſtri augurium pleniori ratiociniô & magis ex profeſſô perputare licebit. Convertimus itaque nos miſſo hoc extrà vagandi ſtudio ad ipſum inſtitutum, quo ægritudines & calamitates mulierum tam innumeræ propemodum quàm enormes exponendæ nobis traduntur, veluti theſes ſubſequentes uberrimam id perpendendi materiam ſuggerunt, quam brevi etiam manu nunc pertractabimus. Dum igitur Noſter infinitis fermè morbis ſymptomatibusque tentari propter matricem ſexum muliebrem aſſerit, appoſitè hûc etiam reducitur, quod Helmontius innuit : Mulier, inquit, bis omnem patitur morbum : Illa etenim non tantùm, quatenus eſt homo, corruptam naturam & corpus fragile habens cunctas fermè cum virô pœnas ſuſtinet & communes habet, verùm etiam ob uterum, qui animal in animali, & à Platone animal furioſum in varios furores ſe ipſum concitans vocatur, & inſtar peculiaris ſeu tertii hominis eſſe à Paracelſo creditur, proprias & tantas tamque ſtupendas ſæviſſimasque ærumnas perferre cogitur, ut Zacutus etiam Luſitanus omnium difficilimam eſſe in Arte Jatrica hanc mulierum Pathologiam, imò curationem morborum muliebrium præſcribere tam arduum eſſe, quàm verum eſſe Medicum, ſeriò affirmaverit.

Ad §. 2.

Rationem generalem non immeritò Autor hîc proponit, cur uterus ſit centrum, ſtimulus & fons tam atrocium in mulieribus affectuum, & cur imperium vel potiùs tyrannidē ſuam tam crudeliter in miſerandi ſexûs conſternationem exerceat, adeoque ejus tam prodigioſa ſit malitia : Maximæ, inquit, ſunt uteri virtutes; & hinc tacitè ſubinnuit, maxima quoque ejus eſſe vitia. Ubi enim plurimum eſt virtutis, ibi plurimum pariter vitii ſubeſt, ſicuti verba ejus habent. Atque de uterô hoc conſequens ſufficienter claret certiſſimumque exiſtit, quod in totô corpore humano nullibi, quàm in generationis aulâ virtutum & vitiorum certamina ſint atrociora. Imò hoc ipſum eſt, quod non tantùm Phyſici,

verùm moralis quoque doctrinæ Magiſtri in genere ſuggerunt. Illi dicunt v. g. ex generoſô & optimô Vinô fieri generoſum quoque & optimum acetum, quod nihil aliud eſt, quàm manifeſtum Vini vitium: Hi docent illud, quod virtutem maximam habet, ſi eâ carere incipiat & virtutis ſtimuli obſtupeſcant aut exorbitent, confeſtim peſſimarum rerum paſſionibus abundare, adeò ut maximæ virtutes degenerent ſpir. in maxima vitia. Quum ergo uterus maximas multasque poſſideat virtutes, neceſſum eſt, ut habeat nobiliſſimum & planè virtuoſum ac validiſſimâ autoritate aut dominiô pollentem Archeum ſeu ſpiritum inſitum, adeoque vis ejus magnetica & attractiva exiſtat maximè generoſa atque inſignis, ut nempè convocando copiam ſpirituum influentium functionem prçſtabiliſſimam decenter feliciterque in hâc generationis officinâ expedire poſſit; unde Paracelſus etiam, totius mundi naturam in ſe continere matricem, haud abſonè adfirmavit. Sed magis appoſita & in hunc fermè ſenſum egregiè conſpirans adhuc matricis cum arbore eſt comparatio, quam itidem Paracelſus eleganter valdè inſtituit: Ut arbos, ait ille, potenter è tellure, cui implantata eſt, de omnibus elementis aliquid, & quicquid ipſi neceſſarium eſt, attrahit & abſorbet, ita etiam comparatum eſt cum utero & corpore muliebri, quorum hoc terræ, ille autem arboris vices ſuſtinet, ac proinde ex terra hac muliebri, ut ſic loquar, ſanguinem & ſuccum fortiter aſſugit & allicit, ut fœcunditatis ac benignitatis ſuæ beneficia in pignus ſibi concreditum debito modo transferre, atque ſic benedicto generationis negotio ex ſententiâ præeſſe valeat. Si igitur contingat (quemadmodum totâ die accidere ſolet) ut corpus muliebre cacochymiâ ſit inquinatum & excrementitiarum humiditatum impuritatumque abundantiâ ſcateat, evidenter ſtatim patet cauſa, unde uterus omnes propemodum totius corporis morbos concipere & fabrificare ſoleat ac queat: Nempè vitia ſub virtutum nomine obrepunt, & humorum excrementitiæ impuritates ac ſuperfluitates ſub titulo ſpirituum influentium atque cum univerſali illo corporis nutrimento ſeu ſanguine (ſic namque corporis vitia virtutum ſpecie & umbrâ Naturam quoque inſigniter fallere ſolent) accurrunt, veluti hoc ipſum Autor noſter etiam verbis expreſſis indicatum dedit. Hinc illa quoque comparandi ratio egregiè quadrat, cujus Autorem pariter Paracelſum conſpicimus, quando ſic circiter diſſerit: Ut mare eſt aquarum omnium, quæ huc confluere debent, quædam matrix, ita uterus quoque eſt mare & oceanus earundem humiditatum ac ſuperfluitatum, de quibus paulò antè jam diximus, & quarum cauſa tantæ exæſtuationes, turbæ ac tumultus in utero fieri poſſunt. Si menſtrui fluoris neceſſitatem, quæ ſequiori ſexui à Natura impoſita eſt, conſideremus & juxtà ponderemus, quàm facili negotio circa hoc expurgandi negotium errores contingere queant, res multò confeſtim luculentior evadet, ſicuti ex doctrina de menſi-

menſium ſuppreſſione id ſatis ſuperque videre ac comprehendere paulò inferiùs licebit. Si perpendamus etiam, œconomiam generationis, conceptionis, & formandi fœtus in utero ſubeſſe, illamque ſine valida & ſedula impuri à puro, & inutilis ab utili ſegregatione fieri non poſſe, ſubſumere non difficulter poterimus, qua ratione in hoc quaſi ſacco humiditates excrementitiæ congerantur, illæque in putredinoſam & virulentiſſimam non raro naturam (cujus rei vel ſola purpura, illa puerperarum truculenta furia, teſtis eſſe poteſt) abire conſueverint. Præmiſſis igitur hisce, concluſio vel ſponte ſuccedit, ex utero tanquam perenni fonte morbos emanare monſtroſos, lernæos, & ſæpè numero Herculea etiam clava inſuperabiles, imò tam horrendos aliquando ut uterina hæc mala vix ab incantamentis diſcerni poſſint, aut iſtis non adeò abſimilia exiſtant. Atque ſic capere inſimul poterimus, quomodo juxta Helmontium uteri cum corpore commercium ac ſingularis conſenſus ſit hoſtis unitatis, & diſcordiæ infinitæ fomes evidentiſſimus, potentiſſimus; & quomodo uterus tantas atque tam magnas concitare tragœdias valeat. Verùm nos eos, quos Autor hîc uteri adduxit morbos, ſigillatim nunc arbitrari accedimus.

Ad §. 3.

Uterum inflammatione, quæ Græcis phlegmone dicitur, non raro infeſtari, quotidiano multoque experimento compertum eſt. Poteſt autem hujuscemodi inflammatio & tumor eam concomitans oriri in qualibet uteri parte tam antica quàm poſtica, tam ſuperna ac fundo ejus, quàm orificio & cervice, veluti ex peculiaribus ſignis, quorum congetiem apud Practicos videre licet, id diſtincta ratione conſtat. Circa cauſam, quam Autor excrementis alimenti matricis ſubſtantiæ ſuſtentandæ deſtinati adſcripſit, nil peculiare aut dignum occurrit, quod eſt ſuperiùs, ubi de aliarum partium viſcerumque inflammationibus, tumoribus & abſceſſibus jam egimus, attactum fuerit, niſi fortè hîc adjicere allubeſcat, quod ob exuberantis ſanguinis & humiditatum in corpore fœminino ſuperfluarum aſſiduas ad uterum accurſiones, item ob retenta p. n. menſtrua, cumprimis verò ob corruptionis & putrefactionis vehementiam, quæ in genitali hoc hoſpitio tota die contingit, & à nobili generatione præſupponitur, nec non propter ſpongioſam uteri ſubſtantiam, qua vel promtè ſuperfluas humiditates abſorbet, graviores & periculoſiſſimæ inflammationes præ reliquis partibus hic ſuboriantur. Quæ omnia ſi accurata judicii lance ponderemus, facili conjectura adſequi poterimus, unde in utero tam pravæ & malignæ impuritates ac venenatam proprietatem redolentes ſcaturiant, aut unde tam impetuoſæ fermentationis, quæ præſentiſſimum explicandæ nequitiæ inſtrumentum eſt, & animatæ putredinis pernicioſiſſima ferocia, præſertim in ſpermaticâ hâc tabernâ

 ſeu

ſeu uterô proveniat. Ergo inflammationem, tumorem, abſceſſum & exulcerationem quoque hîc pronaſci poſſe, omni penitùs miraculô caret, modò ad hanc noſtram de fermentô morbificô & animata corruptione doctrinam provocemus, cujus ſufficientem declarationem hinc inde in ſuperioribus fideliter & abundè jam dedimus.

Ad §. 4.

Uterina hæc inflammatio utique periculoſa, graviſſima, ac plerumque mortifera eſt, præſertim ſi ea uterum totum occupet, deinde ſi mulier gravida inſimul ſit, & tertiò ſi ea cum exulcerationis pernicie ac corruptione ſubſtantiæ nec non malignitate jungatur: Illa verò quæ tantùm cervicem matricis obſidet, curatu quodammodo facilior exiſtit; quæ verò fundum ſeu ſinum, ſanatu quoque difficilior habetur: Febres enim validæ admodum atque utplurimum maligniſſimæ cum lethalibus ſymptomatis hinc ſuccedere protinùs ſolent, quæ experientia teſte ad interitum plerumque afflictiſſimum ſexum deducunt. Ubi itaque ſpes curationis non nihil micare adhuc videtur, Practicorum plerique in eâ ſunt ſententiâ, omnium primò diligenter eò allaborandum eſſe, ne augmentum capiat, ſed quantocyùs imminuatur iſta inflammatio; Id quod haud promtiori ratione impetrari poſſe, quàm per V. S. & quidem derivationis gratiâ in poplite & ſaphænâ inſtitutam exiſtimant. Quid autem nos circa hanc ſentiamus opinionem, de aliarum partium inflammationibus jam ſuprà ediximus: Nimirum poſſumus & nos iſtud præſidium in hôc caſu admittere, niſi ægra ſit gravida, ac deinde niſi malignitatis furor jam adſit ac prædominetur, & quæ ſunt conditiones reliquæ ab ipſo Autore hîc conſignatæ. Commendare tamen Autor phlebotomiam tunc videtur eam ob cauſam, ut menſtrua provocentur, ex quorum retentione, quæ hanc uteri inflammationem ſolemniter comitatur, partim inflammatio oriri, partim exaſperari ſolet: Id quod ex conſequentibus magis dilucidè patet, quando Autor ⊖ ⊕li ♀ris (in cujus defectu ⊖ ⊕li communis, modò benè purificatum ſit, tutò ſubſtitui poteſt,) ad ciendamenſtrua & uteri à corruptis humoribus ſufficientem expurgationem tantoperè nec immeritò laudat. Doctioribus nempè Chymiatris notum eſt, in virtuoſis vomitoriis, ad quorum claſſem ⊖ ⊕li ad cryſtallinam puritatem redactum rectè reponitur, egregium tam in difficultate partus deliteſcere ſubſidium, quàm ad menſium contumacem ſuppreſſionem ocyus tollendam potens ac generoſum reverà deprehendi arcanum: Et hâc ipsâ ratione in curandâ uteri inflammatione hoc ⊖ quâm optimè convenit, quod cauſam materialem hujus mali radicaliter exterminare, uterumque bonâ fide ab hoſtili ſaburrâ vindicare valeat. Sed ſciſcitabitur aliquis, cur ⊕lum ♀ris ab Autore hîc cumprimis extollatur:

Is ipſe in Panchymicô ſuô reſpondet ac docet, quod 🜖-lum ♂ ad Viros, 🜖-lum autem ♀ris ad fœminas (hoc enim turget ſpiritibus à muliebri planetâ inſpiratis) ſpectet: Unde etiam ex hôc 🜖-lo ♀ris multa medicamenta ad omnes mulierum morbos devincendos parari, potiſſimum verò ⊖ tam album quàm rubeum inde factum ſtupendas in curandis propemodum morbis omnibus obtinere virtutes ſtatuit. Cum etiam febris ſatellitiô utplurimum uteri phlegmone ſtipari ſoleat, hoc ipſum quoque pharmacum in curandâ hâc febre & mitiganda penitusque extinguenda corruptarum putridarumque in uterô ſtagnantium vel in ſubſtantiâ ejusdem impactarum humiditatum impuritatumque efferveſcentia præſentiſſimum & eximium præſtat auxilium. Quod ſpiritus autem ☍oi 🜖-li ejusque uſus internus & quotidianus valeat in ementandis inflammationibus, reſerandis obſtructionibus, & ſanandis ulceribus malignis, jam ſæpiùs ſignificare non tæduit; Cumprimis tamen acidum ſeu ſpiritus 🜖-li ♀ris hîc appropriatus erit. ▽am ☿ialem, illam ſecreti philoſophiciq; fluminis undã, cujus denuò hîc mentionem fecit Autor, laudum & virtutum ſuarum honeſtamentis toties jam decoravimus, quæ pro lubitu repeti & hûc quoque omnibus modis accommodari poterunt. Tandem nobiliora Sudorifica, cumprimis verò ☿ium dulcem diaphoreticum, cujus præparationem non tantùm ſat clarè hîc apppoſuit Autor, verùm nos ſuprà etiam monenda & notanda circa eandem jam adnotavimus & monuimus, tam in inflammatione & febre hinc ortâ quavis, quàm in uterinâ convenientiſſimum obtinere locum, adeoque utiliter adhiberi, ſuô lumine claret.

Ad §. 5.

Uterum quoque depaſcentis putredinis calamitatem concipere poſſe, & dubitamus nulli, & ipſe etiam Autor nos docet. Ulcera, quorum nomen ſemper putredinis nequitiam præſupponit, intelligimus, quibus non rarò quoque infeſtatur uterus, quorum duas hîc deſignari ſpecies easque fœtidas præſertim, malignas & horridas valdè, Nomas nimirum & Carcinomata videmus. De nomis ſciendum eſt, quod earum voce ab antiquis Græcis ulcera inæqualia & ea quidem fuerint indigitata, quæ vicinam carnem hoſtiliter depaſcuntur, & indies magis magisque proſerpendo exedunt, erodunt, depopulantur atque inſigniter putrefaciunt, cæteris ulceribus cunctis ſordidiora omninò atque acerbiora. Quod Carcinomata ſpectat, illa à cancro ſic denominari jam nobis eſt notum. Ferox ſanè & atrox eorum eſt malitia, quorum quædam ſunt non ulcerata, h. e. dura, livida, virulenta, & perenni dolore cruciantia; quædam verò ulcerata, quæ in ſuperlativô gradu vim ſuæ tyrannidis, fœtoris, doloris ac malignitatis exſerũt, atque prætereà adſpectu ſunt horridiſſima. Curatio eſt difficilima, imò ob loci

affecti incommoditatem nulla. Atque hæc ipſa de curatione ulcerum cancroſorum ſententia unà cum verâ eorum cauſâ, quæ in putredine abſurdiſſimâ & vehementer venenatâ conſiſtit, imò in uterô eò faciliùs contingit, quo alioquin menſtrualis ſanguis p. n. retentus de pejori notâ differtur, & plus quàm arſenicali malignitate temporis tractu ſuſpectus evadit, alibi à nobis expoſita jam fuit. Sic profectò comparatum cum hisce venenatis cancroſisque ulceribus eſt, ut mitiora planè contemnant remedia, vehementioribus autem ſummoperè irritentur & excandeſcant, ita ut, quocunque nos vertamus, omnia ſint miſeriarum ac deſperationis plena. Nomæ & carcinomata hæc uteri nullâ ratione ſanari queunt, niſi reputemus, juxta Spagyricorum dogma, ſimilia ſimilibus (ſed decenter & hermeticè paratis) curari. Quum itaque ulcera illa maligna & cancroſa uteri realgaricam ſeu arſenicalem planè proprietatem redolere probaverit Autor (realgar namque, cujus vocabulô alioquin denotatur fumus ac fulgor metallorum arſenicale, metaphoricè interdum ſignificat etiam vitioſam corporis naturam, ex qua naſcuntur ulcera potiſſimum cancroſa) non immeritò quoque ex arſenicali ſeu realgaricô ſtemmate medelam petendam is exiſtimat. Mirum profectò eſt, quod è ſummô & vehementiſſimo venenô fieri ſumma & exoptatiſſima queat theriaca. Arſenici igitur eſſentiam tanquam herculeam & unicam adverſus hoc virulentum malum ſeu cancroſa ulcera clavam commendat Noſter, quam præparandi rationem licet ſummè laborioſam difficilemque, dilucidè tamen, deſcriptam in Myrotheciô ejusdem deprehendere licet. Quum autem juxta Baſilium Valentinum vera arſenici præparatio & correctio ſit difficilima, adeoque medicina exinde præſertim ab imperitâ manu aut minùs exercitatô artifice parata uſurpatu periculoſiſſima rectius fit, ſi uſus ejusdem tam facilè non admittatur aut penitùs evitetur, ſed alia remedia arſenico confinia tunc potiùs ſubſtituantur; unde Helmontius etiam intus planè non aſſumendum cenſet arſenicum, propter inſignem veneni potentiam ac vehementiam, & propter adurentes & mirum quantum cauſticas △is contra naturam vim habentes qualitates, quibus minerale hoc pollet, quas penitùs penitusque auferre vix licet, utut etiam arſenicum accuratâ induſtriâ ſubigatur. Baſilius Valentinus c. ⊖e ♀ri in oleaginoſam ſubſtantiam redigere atque ſic figere arſenicum docet, quô factô, inquit, deſperata & inſanabilia alioquin ulcera ac vulnera ſanari oppidô poſſe: Helmontius c. ⊕ rô per colliquationem fixandum arſenicum & ita in 🜍 adſtringens dulcorandum ſuadet (ita ut hæc edulcoratio poſtmodum cum V perficiatur) qua ratione non ſecus illud emendari poteſt, ac venenum aëre tonitruante diſperdi ſcimus; ſic nempe præparatum ac mitigatum arſenicum ſexaginta

fortè

forte ulcerum diverſitates extinguere & ipſum cancroſi ulceris fabrum ſanguinisque corruptorem, h. e. animatum putredinem enecare jam laudat Helmontius appoſitè monet. Sed Faber noſter in ſuô Panchymicô magis philoſophicum adfert arſenicum præparandi modum ; dum innuit, virtutes realgarium adeò venenatas & malignas eſſe, ut corrigi tutò ac bonâ fide nequeant, niſi per ſe & propriô Vulcano in principia ſua redigantur & putreſcât, putrefacta verò ab impuritatibus vindicentur, ac purificata in ſalem puriſſimum album vel rubeum, qui poſteà infinitarum eſt virtutum proprietatumque, coquantur. Qualecunque enim ſit venenum, habet attamen in ſe ſui ipſius medelam & tale quid continet, quod ejus præſtabiliſſimum eſt antidotum. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm pura & nitida elementorum omnium ſubſtantia ſeu cryſtallinus ⊖s ſplendor, in quo alexipharmacalis & theriacalis illa virtus conſiſtit. Niſi igitur ſpagyricus & Philoſophiæ Hermeticæ filius ſubjectum quodvis ex ſe, in ſe & per ſe præparare, mundificare & perficere valeat, philoſophicum arcanum & medicinam aliquam radicalem impetrare nequaquam poterit. Ergo eſſentia demum arſenicalis ſive ⊖ hujus mineræ ſi ad dulcedinem & puritatem decentem ſit perductum, ulcerum cancroſorum ſcaram ſive eſcharam vel cruſtam à ſummè cauſticâ venenati iſtius in uterô & extremè corrupti excrementi violentia inductam ex fundamentô tollere, adeoque radices hujus mali ſeriò & absque omni moleſtiâ citraque omnem fermè dolorem evellere atque exterminare poteſt.

Ad §. 6.

Circa ſcirrhi uterini cauſam & curam propterea tribus nos expedire placet, quod partim de generali & communi ſcirrhorum natura, generatione & medela, quæ omnia hîc pariter applicare licebit, jam ſuperiùs plus ſatis ſcripſerimus, partim etiam quod in hoc præſertim ſcirrhô ſanando plerumque ℴ℗ & operam perdere, juxta effatum Autoris, Practici ſoleant. Reliqua ab Autore hîc appoſita cuncta alioquin ſe rectè habent. Per Mercuriale arcanum illam ipſam ▽am & eſſentiam philoſophicam hîc ſubinnuit, de qua jam toties.

Ad §. 7.

Mola cum ſcirrhô magnam habet conſimilitudinem, ideoque hic ab illâ ſedulô diſtinguendus erit, quod ipſum vel ex ſola mammarum obſervatione conſequi poterimus: In mola enim mammæ abundant lacte vel ad minimum

tument,

tument, in ſcirrhô autem attenuantur illæ, atque valdoperè gracileſcunt. Mola igitur eadem ratione eſt morbus, ut in veſicâ calculus. Per molam autem venter non ſecùs ac in prægnantibus intumeſcit, quæ tamen in rei veritate prægnantes non ſunt; unde etiam vitioſus falſusque conceptus vocari ſolet. Dicitur mola fœtus vel potiùs caro informis inutilisque, aut abortivum quid in matricis capacitate generatum ein Mißgewächſe: Hæc ipſa rudis & abſurda carnis moles obvelatur ſuâ membranâ, & plurimis vaſis ſanguinisque reſperſa eſt ramificationibus: Aliquando quoque in ſe continet ductus albos aut virides vel nigricantes (ſecundùm corruptionis, ex qua gignuntur, gradum aut rationem) prætereàque eſt ſine ſenſu motuque, ſine oſſibus, viſceribus atque inteſtinis; Intrinſecùs ſæpè per diſſectionem explorata mola miros varioſque anfractus oſtendit; ſuum verò alimentum per vaſa, quibus abundat, prolicit, atque ſic nutritur vegetabilium more, nullâ videlicet lege aut figurâ nulloque obſervato ordine. Indubium quoque eſt, quod diverſô incertoque tempore excernantur aut retineantur molæ: Quædam enim primis ſtatim ejiciuntur menſibus, aliæ durant diutiùs, & tertiô vel quartô menſe excernuntur, nonnunquam per tres aut plures annos utero adhæreſcunt, imò compertum eſt, molæ hoc calamitoſum & moleſtiſſimum onus, quod juxta ☽æ augmentum aut defectum tunc creſcere ac decreſcere rurſus non nihil nos arbitramur, per totum vitæ ſpatium uterô fuiſſe geſtatum: Quædam præterea adeò inſignem magnitudinem adſciſcunt, ut proinde non ſine ſummô periculô gravent.

Ad §. 8.

Eandem Autor opinionem circa molæ cauſam fovet, quam Paracelſus & non pauci alii defendunt, qui carnoſam hanc maſſam ſine conſuetudine fieri, à ſolô fœmininô ſemine progigni, & ſic mulieres præſertim luxuriantes & laſcivas ex libidinoſa nimirum imaginatione ac titillante ♀ris appetitu proprio ſpermate hinc prolecto, factaque ex eò informi iſtâ molæ fœtura ſeipſas impregnare poſſe adſtruunt, probandi argumentum petendo ab ovô ſubventaneô ſine gallis ſeu maris acceſſu genitô, cujus generationi ſimilem eſſe molam edicunt. Verùm cum oculatiores Medici abſque mare mulierem nunquam concepiſſe molam obſervarint, neque etiam in ovô ſubventaneô, licet decenter ei incubuerit gallina, vel minutiſſimum venulæ alicujus aut membranæ carnisq; (harum enim quævis generari non poteſt, niſi primum agens ſeu ſpiritus genitivus & facultas formatrix vel vis πλαστικὴ, quæ primariò in ſemine virili ſubeſt, acceſſerit) ex albumine ac vitello iſtius ovi progeneratæ veſtigium conſpici poſſit, à ſententiâ Autoris noſtri cum modeſtiâ hic decedere omninò allubeſcit. In eò autem adſtipulamur Noſtro, dum ad molæ geneſin poſcit imperfectum & invalidum

dum

dum ſemen, vel ut alii id clariùs adhuc exprimunt, vitiatum & morboſum, ſed utrumque tam maſculinum quàm muliebre, ita ut in utriusque mixturâ debilis conſiſtat facultas formatrix; quâ de controverſiâ Practicorum volumina conſulantur, qui de eâ fuſiùs. Deinde ipſi in hôc etiam ſuffragamur, ubi molam non ſecùs ac fœtum à ſanguine menſtruali, ſive eô, qui alioquin ad nutriendam uteri ſubſtantiam deducitur, nutrimentum incrementumque ſuum capeſſere docet, cui addimus eò deformiorem fieri molam, quò fæculentior impuriorque eſt iſte ſanguis. In abigendâ molâ omnia ea conveniunt, quæ menſes fortiter provocant (de his autem agetur in capite mox ſubſequente) aut difficultati partus potenter medentur, eamque ex ſententia facilitant, multò magis verò iſta; quæ fœtum mortuum, qui ob cooperandi ſeu coagendi defectum molæ oppidò reſpondet, ſtrenuè protrudunt: In quô ipsô axiomate viceverſa colligendi ac concludendi ratio omnibus modis quoque valebit. Ad molam feliciter exterminandam ante omnia non immeritò Autor requirit Naturæ (hæc enim tunc ſola agere & ab hôc onere ſe expedire debet.) robur, quod mirè ſuſtentat, aut, ſi labefactatum ſit, inſigniter refocillat cinamomum, & quidem exinde cum Vinô Hiſpanicô deſtillata ▽a, cujus beneficiô ſpiritus maximè recreari apud omnes jamdudum in confeſſo fuit, ut ſilentio prætercam hoc ipſum remedium potentem quoque aperiendi, menſesque & partum accelerandi virtutem poſſidere. Locô ▽æ cinam. 🝆um ejus ſtillatitium commodè ſubſtituitur, datum nempe ad unam vel alterum guttam in vehiculo quodam generoſo. Quibus virtutibus ⊖ 🜿li & cum illo nobiliora Emetica quævis in affectibus muliebribus polleat, abundè jam ex ſcholiis ad præcedentem §. quartum percepimus; adeoque hoc medicamen eandem ob cauſam expellere molam, qua menſes provocat, aut partum difficilem facilitat, collectu promtiſſimum eſt. Præcipuè verò non negligenda eſt notatu digniſſima cautela, quam Autor licet implicitè hîc inſinuat: Nempè in educendis molis omninò debitum tempus, quod mulierum ſacris deſtinavit Natura, expectandum, atque tunc occaſio menſtrua fortiùs promovendi, & per conſequens molam quoque exturbandi, ambabus manibus arripienda venit. Cæterùm eſſentiam ſabinæ in hoc caſu tanquam validum nos commendamus intentionem iſtam ex votô conſequendi adminiculum, quam eò præſtantiorem impetrabimus, ſi menſtruum v. g. 🜊 optimus probè acuatur cum borrace Venetâ, quæ ⊖is ſpecies inter potentiora Emmenagoga principatum ſibi vendicat; Vehiculum autem cumprimis appropriatum ▽a artemiſ. compoſita cum ſyrupô artemiſ. compoſitô indubitatò præſtat.

Ad §. 9.

Quum mola concepti ejusq; veri fœtus ſpeciem per initia ſua prorſus exhibeat ac mentiatur, diſcernendi ſtudium ab Autore hîc præſtitum omnino attendendum. Ut autem principio cognitu admodum difficilis eſt hæc differentia, ita ex adverſo temporis progreſſu illa evadit facilior. Cumprimis verò motus, qui menſe tertio aut quarto in fœtu perſentiſcitur, in mola nullus perfectus ac voluntarius adeſt, ſed tantùm ad fœminæ decubitum mola in hoc vel illud latus volvitur, & tanquam pondus iners prope os pubis ſæpè quaſi ad partum irritans percipitur. Deinde mulier reverà prægnans primos transgreſſa menſes meliùs ſe habere incipit, in molâ v. ſemper deterius ac graviſſima accidentia ſentit, quoniam malè valendi cauſa urgentior tunc ſubeſt. Reliqua ex textu liquent.

Ad §. 10.

Hydrops uterinus nuncupatur, quando uterus aquarum copiâ tumet ac fluctuat, quæ vel colliguntur in ipsâ uteri capacitate, vel inter ejusdem tunicas, & ortum ducunt à nutrimenti matricis ſubſtantiæ deſtinati corruptione ac depravatione. Uteri autem inflatio flatus accuſat, & hac ratione uterque affectus habet ſe ut Aſcites & Tympanites: Quapropter cauſarum ibi jam examinatarum deductio, quibus tamen in ſpecie addenda eſt denegata aut impedita menſium evacuatio, unà cum medendi ratione & ſpecificis Hydragogis conveniĕntiſſimum habebit locum. Eſſentiæ ☿ialis nomen & virtus ob jam ſæpius nobis perſpectas rationes, Medici ut quamvis hydropis, ita & hanc ſpeciem curaturi famam indubitatò adornabit, multò magis autem illud arcanum auri, quod reſinam ☉is philoſophico titulo vocat, de cujus præparatione certiſſimum eſt, quod nullo alio quam univerſali & Sapientum menſtruo parari, & ita aurum in dulce & reſinoſum 🜔 reduci queat, non ſecùs ac verum Aurum potabile nullum alium artificem, quàm Philoſophiæ adeptæ poſſeſſorem & hæredem admittit. Hæc ipſa reſina ☉is veri auri potabilis compotes nos ſtatim facit, quoniam in 🜄 rectificatiſſimo actutum reſolvitur, ut ſic non tantùm ℞am regali rubedine reſplendentem, verùm etiam incomparabile Corroborans & Panacæam viribus ſuis nobiliſſimis efficaciſſimam præbet. Hoc ſecretum qui habet, fermè incredibilis virtutis medicinam ad innumerabiles & deſperatos morbos obtinet. Cæterùm hoc denique circa uteri hydropem monendum eſt, quod hydragogis quoque uterina ſpecifica, & quæ cum virtute menſes cient, ſint commiſcenda.

CAPUT

CAPUT LXI.

De *Uteri ſymptomatibus.*

§. 1.

UTerus affligitur variis ſymptomatibus, quæ morbos anteà declaratos ſequuntur: Inter hæc ſymptomata numerantur potiſſimum menſium ſuppreſſio, eorum profluvium, fluor albus, gonorrhœa duplex, uteri ſtrangulatus, adſcenſus, deſcenſus, prolapſus & convulſio ejus, de quibus ſingulis deinceps nobis dicendum eſt.

§. 2. Solent mulieres ac virgines omnes ætate maturâ ſingulis menſibus ſtatutâ ☽æ quadrâ purgari, ita ut juxta Poëtam

Luna vetus veteres, juvenes nova Luna repurget:

Atque hoc purgationis tempus ab ipsâ Naturâ conſtitutum eſt, ita ut, niſi mulieres ac virgines omnes maturæ ætatis citra imprægnationem repurgentur, morboſa menſtruorum ſuppreſſio fiat: In imprægnatione enim ſupprimuntur, quia multum hujus ſanguinis tunc in alimentum fœtus tranſit.

§. 3. Citra igitur imprægnationem morboſa eſt hæc menſium ſuppreſſio, & ab obſtructione viſcerum præcipuorum dependet. Hæc autem obſtructio à copiâ excrementorum p.n. producitur, quæ ab alimentô producta ſpiritum innatum cujuscunque etiam partis debilitant, ita ut hæc excrementa poſtmodum is propellere non valeat: Unde major adhuc ſuccedit obſtructio, quæ in hepate, liene & meſenteriô facta in ipſô uterô quoque obſtructionem & ſuppreſſionem menſium parit, adeoque ſpiritum uteri ita debilitat, ut naturalem illam ſanguinis ſeroſi effluxionem ſingulis menſibus peragere non poſſit. Hinc ſequuntur nauſea ſeu cibi faſtidium, lumborum, ſcapularum, capitis, totiusque corporis gravitas ac dolor & quaſi laſſitudines, urinæ craſſæ, turbidæ, rubicundæ & plerumque nigricantes, ex quibus tandem graves ac diuturni fiunt morbi. Et hæc ſunt ſigna ſuppreſſionis ſanguinis menſtrualis, quam præter cauſas jam allatas etiam efficit uteri perverſio, aut quicquid os ejus internum obturare poteſt, ut concretus ſanguis, caro p. n. excreſcens & orificio uteri innata, item adipis copia & pellicula ex conformationis naturali vitiô orta, quæ omnia manu chirurgicâ curari aut corrigi ſaltim, reliqua verò naturalibus remediis tolli queunt.

§. 4. Curatur ſuppreſſio menſium potiſſimum ex magiſterio ex ſplene bovis caſtrati, quod præcipuum eſt in omni ætate: ⊖e etiam ⊕li & ▽ cinam. ſummo manè propinata ad quantitatem ℥j c. ℈j ferri limati ſine ulla alia præparatione potentiſſimè menſtrua moventur, & obſtructiones omnes tolluntur

ac referantur. Eſſentia ambræ etiam efficaciſſimè menſtrua provocat, uterumq; roborat ad gutt. 12. in juſculo optimo ex perdicibus & paſſeribus parato, & cinamomo caryophyllisque aromatiſato propinata, quod juſculum ſic paratum & ambræ eſſentiâ imprægnatum per 8. dies propinari debet.

§. 5. Poſt ſuppreſſionem menſium conſideranda ſequitur nimia eorundem effuſio, quæ æquè ac illa p. n. eſt, & mulieres omnes ac virgines infeſtat. Tunc autem vel copioſior, quàm par eſt, ſanguis profluit, aut diutiùs durat hic fluxus, aut crebrior eſt, vel etiam ſtatutô circuitu non ſuccedit. Hujus exuberantis vacuationis ſignum eſt virium imbecillitas, quæ ſanguinem retinere non poteſt, hinc poſteà ſequitur nauſea, cruditas, fœdus faciei color, pedum ac deinde reliqui corporis tumor ventoſus. Hujus autem evacuationis exuperantia dependet à venenô quodam ♂tiali, quod ſanguinem infeſtat, quodque fluxuum omnium eſt fons & origo. Hoc niſi tollatur, aut vis ejus in ſanguine muliebri extinguatur, totus evacuatur ſanguis & vita extinguitur. Tollitur autem illud venenum ♂tiale eſſentiâ ♂ purâ & nitidâ ad guttul. 10. propinatâ cum ℥j ▽æ plantag. Eſſentia etiam ⊖li ſeu °° ejus acidum ad gratam aciditatem cum ▽ plantag. aſſumta idem præſtat: Magiſterium etiam magnetis propinatum cum ▽ burſ. paſtor. & perſicar. idem efficit, it. Laudanum Paracelſi perlatum & corrollatum, ſicuti quoque amaranthus in Vinô albô potus menſium exſuperantiam ſiſtunt & cohibent.

§. 6. Sequitur fluor uterinus à menſium profluvio omnino diſtinctus, quod in iſtô ſanguis ſincerus & purus non erumpat, ſed fœtidum, impurum ac liquidum quid lactis ſero & juſculo craſſo perſimile fluat; modò citrinum aut viride & adeò acre & mordicans evadit, ut, quaſcunque partes attigerit, hinc adurat atque exulceret: ſæpè etiam tetrum ac multum graveolens eſt. Cauſa efficiens hujus mali in principibus partibus ſita eſt: Quibus enim fœminis viſcera obſtructa, dura, & ſcirrho affecta ſunt, aut quæ cruditatibus ſcatent, & in malum habitum pallidumque colorem ac leucophlegmaticum invectæ ſunt, in iis corruptus humor in varias partes diffuſus tandem in uterum procumbit, qui ſæpiùs etiam per renes aut alvum fertur, atque ſic erumpitur. Curatur hoc malum præcedentibus ac præſcriptis remediis, quia ab eadem cauſa efficiente nempè à venenô ♂tiali dependet, quod in ſanguine muliebri hæc ſymptomata parit, donec extinguatur & pereat ab illa eſſentia ♂tiali pura ac nitida à venenô iſtô ſanguinem vindicando: Hæc enim venenum ſuum faciliùs potentiusque extinguit, quàm reliqua mineralia medicamenta alia.

§. 7. Succedit gonorrhœa ſimplex, quæ mulieres perinde imò frequentiùs ac Viros infeſtat: Fluit autem citra ullam ♀ris titillationem, nec aſſiduò ut in uteri fluore, ſed quibusdam intervallis, nec ab internâ uteri capacitate, ſed ex

vaſis

vaſis ſpermaticis in uteri cervicem labentibus defluit, idque quod fluit, album & ſeroſum eſt, omnis graveolentiæ & acrimoniæ expers. Cauſa hujus mali non eſt ♀rea labes, de quâ ſtatim dicemus, ſed venenata aliqua qualitas ♂tialis, ut ſuprà in albô fluore indicavi, quæ curatur etiam ſimilibus ac anteà præſcriptis remediis.

§. 8. Gonorrhœa virulenta permiſcetur huic ſimplici gonorrhœæ, augetque malum & ſymptomata crudeliora parit: Quod excidit, continenter & aſſiduò fluit, eſtque craſſius, multo odore gravi moleſtum, acre ac morſicans, ita ut partes pudendi idcircò adurat & ulceret. Curari ſolet remediis propriis, Lui ♀reæ convenientibus, quæ infrà Capite ſuo peculiari recitabuntur. Ulcera verò quæ in gonorrhœâ ſimplici & virulenta contingere ſolent, eſſentiâ ☿ii & arſenici perfectiſſimè curantur, quibus ſolum tangenda ſunt illa, & deinde ▽ communi lavanda; poſteà illinantur balſamo 🜍ris, prius tamen corpore purgato ♁iali vel ☿iali noſtrâ purgatione, ut impuritas & ſaburra excrementorum peccantium educatur ac emungatur.

§. 9. Tentatur etiam atque affligitur uterus ſtrangulatu aut ſuffocatione, in qua ſpiritus vitalis membranarum in utero tanquam in centro deliteſcens veneno quodam excrementitio menſtrualis ſanguinis affligitur & quaſi ſuffocatur; hinc ad cor tanquam ad regium ſuum domicilium cum labe illâ venenatâ defertur, unde cor affligitur & levi ſyncope ſeu animi deliquio afficitur cum murmure vel rugitu ventris ac reſpiratione brevi ex compreſſo hinc pectore ac diaphragmate: Metu ac deſperatione tanta tunc concutitur ægra, ut ſe mox interituram putet, quod ſpiritus veneni fauces ipſi quaſi vinculo quodam præſtringat & occludat. Quandoque hinc porrò ad cerebrum tendit, membranas inquinat, & furorem excitat cum inquietudine ſummâ, garrulitate, riſu, fletu & reliquis deſipientiæ generibus: Interdum ſoporem tantùm & veternum inducit, ſi ſpiritus venenatus ille narcoticus ſit ac frigidæ naturæ, quo mulier corruens velut attonita jacet ſine motu ſenſuque ullo, ac reſpiratione adeò parvâ, ut nulla potiùs eſſe credatur, & mulier tanquam verè mortua & extincta videatur.

§. 10. His ſymptomatibus omnibus medetur 🜊, quo nil potentius venenatam illam menſtrualis ſanguinis qualitatem corrigit & extinguit, ipſumque cor corroborat, 🜔 etiam 🜖li, quod vomitum excitet & menſtrua provocet, ſummum eſt in ſuffocatione remedium: 🜔 ♃is pariter ſpecificum eſt in ſtrangulatu medicamentum in ▽â ſalv. propinatum ad ℈ß vel ℈j. Atque his ſolis remediis ſtrangulatas mulieres cunctas ad priſtinam ego ſanitatem reduxi.

§. 11. Caduco quoque & epileptico inſultu affligitur uterus, qui itidem dependet à veneno illo, quod ſurſum tendens cerebrum occupat, & velut epilepſiâ ipſum afficit: Spiritus ſiquidem cerebri tali veneno quaſi extinguitur, ſuis-

que functionibus privatur , nec non convulſivo & quaſi tremulo hoc motu nervi, venenatam illam auram excutere conantes, tentantur. Variatur autem caducus matricis & hyſtericæ paſſionis inſultus ſecundùm varias hujus veneni qualitates, atque curatur, cujuscunque etiam ſit generis, purgatione ☿iali noſtra aut ☿iali, nec non corroboratione uteri ac ſpirituum vitalium, qui nullis aliis fortiùs confortari remediis poſſunt, quàm ſpiritu Vini ambariſatô & moſchatô, ▽â cinam. vel ▽ theriacali & cœleſti, nec non Imperiali. Hæ enim ▽æ omnes ſpiritu Vini ac plantarum conſtant, quæ naturali virtute uterum roborant, ita ut ſic roboratô ſpiritu uterino venenum illud hos inſultus faciens ac concitans faciliùs extinguatur atque expellatur.

§. 12. Adſcendit etiam uterus & verſus ventriculum movetur diaphragma premendo, unde dolor & pondus circa iſtas partes tunc perſentiſcitur. Deſcendit quoque & in partes infimas devolvitur, circa quas itidem dolores & ponderis ſenſum p. n. excitat. Hæc ſymptomata omnia ſpiritu Vini uſurpatô evaneſcunt, & tam fotu mitigantur, quam potu pereunt. Eſt enim venenum iſtud hæc ſymptomata pariens frigidum, quocirca per ſpiritum Vini, & calidis remediis aliis, nec non vapore ex ficu cutis equinæ factô evincitur.

§. 13. Prolapſus tamen uteri deſcenſu ejus gravior eſt, quando nempe everſus uterus foras procidit, ejusque fundus prominet: Fit autem ex vehementi pariendi conatu, quo uterus fœtum ſecundinamque excludens & ipſe ſequitur ac ſe invertens præcipitat. Ad locum naturalem is reducitur manu, & fotu adſtringente ex abſinth. nepetâ & artemiſ. in acetô coctis paratô. Ne verò iterum procidere queat, os uteri pila filô perforata & cera liquefacta undique involuta occludendum eſt: Sic enim ore hoc per pilam illam occluſo, atque fomento adſtringente tanquam cataplaſmate refocillata parte affecta impeditur, ne deinceps uterus prolabi poſſit. Et hæc ſunt, quæ de uteri affectibus dicenda nobis fuerunt, quæ etſi pauca ſint, tamen magna ſunt & utiliſſima, quæ per experientiam unusquisque facilè comprobabit.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Symptomata morbos ſequi tanquam umbram corpus, ex Inſtitutionibus pathologicis notiſſimum eſt, unde etiam ſymptomata non immeritò morborum umbræ vel potiùs fructus audiunt. Ideoque & ſymptomata utero contingentia ſuos omninò præſupponunt morbos tanquam fundamenta, quibus illa innituntur. Uteri autem iſta ſymptomata, quæ hic enumerat Autor, mulieribus in omni ſtatu ſunt communia, ſive extra conjugium vivant, ſive conjugatæ exiſtant: His enim utrisque magis familiaria ac propria inſuper accidere ſolent ſympto-

ſymptomata,ut ex Gynecæis medicâ induſtriâ extructis id abundè licet. Speciatim igitur nunc perpendemus & nosmet dicta matricis ſymptomata , atque videbimus,in illis pariter elucere prodigioſam quandam malitiam aut facultatem, nec non inſani aut exorbitantis uteri ferociſſima omninò eſſe imperia.

Ad §. 2.

De lunari tributô cumprimis autem de fluendi ratione ac menſtrui hujus nomine multum plurimumque in ſcholis diſceptatur : Dicimus attamen menſtrui voculam non à propriâ ſubſtantiâ , ſed ab accidenti inditam eſſe,quod ſingulis plerumque menſibus Natura,omnia certis legibus adminiſtrans , hujus excretionem providè moliri ſoleat. Ubi tamen notandum, quod, licet mulier primô intuitu ſideris ☽aris operationes experiri , & purgatio uterina cum ☽æ curſu coincidere videatur,nihilominus tamen indubitatum ſit, ☽am ipſam nec accumulare nec expellere hunc cruorem ; alioquin ſi eſſet à ☽â ipsâ menſtrualis hæc purgatio , ſequeretur, omnes fœminas eodem die menſtruatas eſſe debere, vel ſaltim omnes juvenculas cum noviluniô hæc ſacra celebrare , & ſic porrò, quod tamen manifeſtò experientiæ refragatur , & proinde lubricum penitùs minimeque conſtans eſt illud axioma,quo ſtatuitur, ☽â ſeneſcente Vetulas , & ☽â primâ juvenes purgari. Tota etenim die accidere experimur,puellas quoq; ☽â veteri aut ſilente vel etiam in ipſo plenilunio malam hanc ſeptimanam ſuſtinere,& ex adverſo creſcente ☽â in ſenioribus ſæpiſſimè hanc conſuetudinem ſe oſtendere, adeoque tempus hujus profluvii reverà in ſingulis fermè individuis variare. Hujus igitur periodi cauſam rectiùs ad vim Naturæ , ſive, loquente ſic Helmontiô,ad monarchalem uteri Archeum,qui hanc menſtruorum collectionem,renovationem atq; ſequeſtrationem primariò conſtituit, referri cenſemus, quàm ut fallenti regulæ perperam inſiſtere pergamus. Matura autem ætas ad menſtrualem hanc purgationem requiritur , ubi ſanguis ſuperfluus & hoc ipſo titulo Naturæ oneroſus eſſe incipit ; unde menſtruum rectè etiam definitur, quod ſit muliebris cruoris ſuperfluitas. Ideoque non tantùm impuberes, quæ ſanguine ad incrementum corporis opus habent,verùm etiam prægnantes atque nutrices menſtruis plerumq; carere ſolent,utpote in quibus ſanguis, dum eodem fœtus nutriendus aut lac exinde generandum eſt, in fines ſuos abſorbetur,adeoque ſuperfluus & per conſequens nocivus non exiſtit. Ubi monemus obiter, gravidis & nutricibus talia nequaquam porrigenda eſſe,quę menſes provocandi ſuſpicionem incurrunt,ne abortus hinc ſequatur,aut lac incauto conſilio minuatur. Attamen ſciendum quoque eſt,quod haud perpetuum ſit , gravidas ac nutrices penitùs carere menſtruis: Quædam enim ex mulieribus ſunt,quæ ſua,ut ſic loquar , tempora celebrant præſertim primis menſibus , & tamen in uterô habent. Adeoq; hoc ipſum hortatur Medicum, ne nimis præcipitem & incautum

in ju-

in judicio ac præſagio inſtituendo ſe præbeat, adeoq; certior factus fluere in hâc vel illâ muliere menſes, non ſtatim ingravidationem perneget, & proinde Venæſectionem aut purgationem vel hujuſcemodi alia (hæc enim præſidia primis menſibus imprægnationis provocare abortum valent) tutò admitti poſſe ſuadeat, ſed reliquas potiùs circumſtantias ſtudiosè examinet atque perpendat, adeoque certiſſimus undique antequam certi aliquid definiat, in hôc negotiô exiſtat: Gravidis enim quandoque promanare menſes, mirum haud eſt, ſiquidem vaſa illa in cervice uteri præſentia aperiri in mulieribus plethoricis ſanguineisq; tutò ac ſine omni embryonis periculô poſſint: Deinde primis etiam menſibus tenellus adhuc conceptus tanto ſanguinis adparatu non indiget; Unde Natura providè etiam, ubi opus eſt, præcavere ſolet, ne ſanguinis copia opprimat fœturam, aut illi noceat.

Ad §. 3.

An omnis menſium ſuppreſſio citra imprægnationem ſit vitioſa ſeu morboſa, non immeritò quæritur. Pleríque quidem adſtruunt, ſed Hoffmannus ſui Præceptoris Scherbii acumine fretus hîc rectè diſtinguit ac monet, Medicos parum cautos fermè operam ludere in ciendis menſibus. Oportet enim (ait ille) in eâ copiâ ſit ſanguis, ut ſuperſit & effluere queat. Igitur in iis, quæ v. g. ſunt naturâ graciles, conſpicimus fruſtrà aperientibus pugnari, quod in iis ſanguinis ſuperfluitas deſit. Quapropter ſi in hujuſcemodi fœminarum conſtitutionibus menſium fluxus non compareat, pro vitiô habendum protinùs non erit. Adeoque ut fallaciam evitare valeamus, & conſuetudo & complexio eſt attendenda, quæ ſi adſint, & poſtmodum deſtinatô tempore non reſpondeat ☽aris hæc evacuatio, tunc menſium iſta ſuppreſſio pro morboſâ demum eſt habenda, quod morbum in cavitate h. e. obſtructionem tam reliquorum viſcerum quàm vaſorum utero implantatorum plerumque præſupponat. Fundamentum autem ſuppreſſionis hujus utplurimum in obſtructione viſcerum & vaſorum naturalium conſiſtit, quod ſanguis mirum quantum ſic turpificetur, & multâ craſsâ glutinosâ ac viſcidâ, vel unô verbô, excrementitia humiditate contaminetur, unde quum talis poſteà ſanguis ad clima matricis etiam perveniat ac derivetur, liquet protinùs, cur obſtructio & hîc loci non difficulter contingere poſſit. Ideoque excrementa, quibus partim tota ſcatet ſanguis maſſa, partim ea etiam in ipsâ uteri ſubſtantiâ ex malâ ejus nutritione eô, ut ſæpiùs diximus, modo (quo excrementa in qualibet parte generari ac colligi poſſe paſſim demonſtravimus) ibidem oriuntur, ab Autore hîc quàm rectiſſimè accuſantur. Atque eo faciliùs quidem in uterô copiam viſcidorum ac corruptorum cumulari humorum poſſe ratiocinamur, quò certius eſt, ſic ordinante Naturâ ſanguinem confertim ad loca muliebria confluere. Si ergo ſanguis ſit vitioſus, Archeus uteri gravatur

deſubitò

deſubitò ac ita debilitatur, ut utile ab inutili, & purum ab impurô decenter ſequeſtrare, adeoq; uteri ſubſtantiam laudabiliter nutrire non poſſit: Hinc & ſanguinis degeneratio ac depravatio, atque excrementorum p.n. collectio ac redundantia ulteriùs ſuccreſcit, cujus utriusque ratione & vaſa graviter obſtruuntur, & ipſa uteri Natura, facultas ſeu Archeus adeò infringitur, ut in expulſione ſuperflui, excrementitii & noxii hujus ſanguinis ſuo ſatis officio facere non valeat: Quæ omnia à Practicis prolixiori filô deducta evolvi atque conſuli poſſunt. Reliquæ cauſæ uteri ſuppreſſionem facientes, ut & ſigna diagnoſtica ex Autore ſatis perſpicua ſunt; Rei certitudinem tamen ipſarum mulierum fidelis relatio luculentiùs præ reliquis ſignis ſuppeditare poteſt. Paucis quoque disquirendi anſam ſubminiſtrat Autor, unde tam gravia, tam atrocia & contumaciſſima morborum & ſymptomatum monſtra ex menſium hâc ſuppreſſione cumprimis autem diuturniore ſcaturire ſoleant, licet is rationem rationis explicitè non attigerit. Ex viridario Helmontii quosdam ſententiarum commodiſſimè huc facientium floſculos in gratiam hujus quæſiti decerpemus & ſpargemus, ut veritatis jucundus odor ad quorumvis nares hinc adſcendere queat. Eo ipſo nomine, inquit Helmontius, ſanguis hic fit moleſtus, oneroſus & nocivus, quòd ſuperfluus: atque id eò magis quidem, quod tunc exuat ſpiritus vitalis auram, & cadaveris horridas proprietates adſumat: Hinc enim cruor ille fit excrementum, deinde cadaveroſum virus, & vires tandem in pejus quotidiè acquirit. Et rurſus is de tributô ☽ari eleganter admodum dicit: Hic cruor (puta jam extravaſatus & p.n. in uteri capacitate remanens ſeu ſuppreſſus) depoſuit vitalis balſami favorem, & ſic per gradus ad liquaminis cadaveroſi ſummam malignitatem adſcendens pernicioſiſſimi & funeſti veneni indolem adſciſcit. Sigillô vitalis Archei (iterum ſic monente Helmontiô) non ampl ùs potitur hic ſanguis, ſed privatus eô eſt, unde ferociam fermentalem potenti contagiô plenam & hoſtiles acerbitates ſuſcipit. Menſtruo, inquit inſuper, non ſecùs ac ſalivæ canis rabidi ineſt fermentum furoris ſæviſſimi, & facultas ſigillifera impetuoſiſſimæ malignitatis: Et quæ ſunt aureola alia; quæ ipſa ut reverà ſic ſe habent, ita manifeſtum confeſtim eſſe poteſt, cur concubitus cum menſtruatis ſit tam exitioſus, cur ea, quæ tanguntur vel etiam tractantur ab hujuscemodi fœminis deſubitò corrumpantur, & cur tandem, ut alia portenta hinc provenientia nunc prætercam, ex retentis menſtruis per diverſos malitiæ gradus varia & ſtupenda ſymptomata, ita ut proinde illis affectibus, qui ab incantamentis proveniunt, conſimilia planè habeantur, originem ſuam ducant. Præſupponimus igitur, uterum jam ſcatere peſſimi characteris cruore, eumque ſucceſſu temporis ob contumacem retentionem indies magis magisque corrumpi & in animatam putredinem indubitatò degenerare (prout ſemper unius rei corruptio eſt alterius generatio, veluti in of-

ficinâ generationis vivam illam gravioris & virulentæ putredinis ſobolem promtiùs quàm alibi pronaſci poſſe, nulli inſuper dubitamus,) facili poſtmodum negotio & ex leviſſimâ Naturæ turbatione contingere poteſt, ut malignum hoc & vivis funeſtæ malignitatis plenum miaſmatis menſtruum ad vaſorum uterinorum hoſpitia revertatur, atque retrogradò hôc revulſionis motu intra venæ cavæ & arteriæ magnæ cautices reſorbeatur, tunc ſanè fieri aliter non poteſt, quàm ut propter circulationis inevitabilem neceſſitatem ad centrum vitæ perveniat (ſicuti ſemper ſanguis à partibus recedens ad cordis atrium per hanc circulationis ſemitam denuò proficiſci ſolet, ut ſui inſtaurationem ibidem accipere & ſic utiliter ad partes nutriendas redire queat) unde poſteà ſummos cordis angores, lipothymias ferales, horribilesque palpitationes, convulſiones & ſtrangulationes certum exterminium comminantes hoſtiliſſimum hoc putrilaginoſi corruptiq; menſtrui virus efficit: ſplendidiſſimè hinc ſtatim cauſa elucere poteſt, quod obiter omninò adjicere hæc occaſio jubet, cur puerperis Purpurâ, quæ plerumque imò ſolemniter ex retentis & graviter corruptis lochiis primariò oritur, laborantibus Venæſectio præſentiſſimum afferat interitum, ac propterea nobis in hôc caſu phlebotomia tantoperè ſit maledicta: Nempe Natura evidenter imminutis ac ſubtractis armis ſic turbatur, ut malignitas illa jam animata aut viva mortis imago tam à circumferentiâ corporis, quàm diſſitis locis ad vitalia trahatur, atque miſeræ mulieres ita officioſiſſimè & canonicè occidantur: Idem quoque tunc de Clyſteribus, utut merè abſtergentes etiam præſcribantur, ſentiendum eſſe seriò aſſerimus, quod ſummè arduum thema aliô tempore juxta libram conſcientiæ, Naturæ & Artis à nobis ex profeſsò ponderabitur. Hæc omnia ſi rectè perpendamus, ſine omni difficultate & menſtrua ſuppreſſa eorumque cauſam & ſymptomata cognoſcere, & decenter poſteà curare malum hoc multis tantisque nominibus ſuſpectum poterimus.

Ad §. 4.

Inter ſpecifica menſes aperientia adeoque menſium ſuppreſſioni medentia Autor præcipuè laudibus extollit magiſterium (dubiò ſine liquidum, quod idem planè eſt cum eſſentiâ) ſplenis bovis caſtrati & quidem junioris, qui roboris vigore & præſtabiliore pollet efficaciâ. Magiſterium ſiccum an ex viſceribus animalium parari quoque poſſit, non negabimus quidem, ſed efficacius tamen ac penetrabilius eſſe liquidum ſive eſſentiam pronunciamus. Cur verò ſplen bovis menſium ſuppreſſionem tam potenter expediat, Autorum nemo tetigit quidem, attamen experientiæ (nobis verò ad ⊖ is balſamici, quô ut ipſe ſanguis, ita & viſcera ſanguinea abundant, efficaciam expulſivam recurrere placet) interim tutò fides adhiberi poteſt, ſicuti etiam fructuosè magis uſurpabitur, ſi eſſentia iſta cum ſpiritu meliſſ. præparetur. ⊖ ⊕li cum ▽a cinam.. nobis jam cogni-

cognitum ſatis eſt. In admirationem verò quem trahere poſſet, ferrum limatum crudum potentiſſimam menſtrua provocandi vim obtinere, ſic docente Autore noſtrô, quum contrarium hic potiùs ſibi vendicare locum videatur: Convenire enim idipſum cum crocô ♂ adſtringente, h. e. per nudam calcinationem reverberatoriam ſine ullâ ⊖is alicujus aut 🜍ris additione parato, qui obſtructivus omninò ac ſiccativus exiſtit, quispiam fortè ingeret. Verum limaturam ♂ crudam à crocô adſtringente per △em ſine ullâ additione præparatô, evidenter diſcrepare, quilibet nobis concedet, qui vim aperitivam ♂ (tam adſtringendi enim quàm aperiendi viribus dotatum eſt ferrum) in volatiliori potiſſimum parte, quæ per △em evaneſcit, reſidere reputabit, ſicuti ex adverſo adſtrictoria virtus in 🜃eſtri & magis fixâ latitat. Hanc igitur adſtrictivam facultatem Crocus ♂ per reverberationem factus habet, crudum verò ferrum volatile ⊖ adhuc obtinet, unde aperiendi quoque efficaciam exſerere valet. Verùm nos illam potiùs rationem, qua Autoris ſententia defendi poteſt, hîc ſuggerimus, & ſcopo ſic propius nosmet acceſſuros exiſtimamus: Nempe limatura ♂ non tam primariò nec immediatè & per ſe menſes ciet, ſed mediatè, ſecundariò & per accidens, dum fermentationem menſium retentorum (unde uteri fundus diſtenditur nimis, & orificium ejus è contrario conſtringitur) cohibet, nec non aciditatem (quam corruptionis ſemper primordium parit) excedentem ac uteri orificium vehementer adſtringentem efficaciter reprimit atque compeſcit, adeoque Archeum exorbitantem hactenus ſui juris & priſtini ordinis compotem ſic facit; unde is poſteà vel ſpontè noxia expellit, atque rempubl. ſuam ritè iterum tuetur ac gubernat: Imò eatenùs quoque immediatè aperiendi hoc negotium præſtare poterit hoc medicamen, quatenus ▽ cinam. tanquam vehiculum partes volatiles ex hâc chalybis limaturâ extrahit, terrenas & craſſas in ventriculo aut primis viis relinquendo. Ad ℈j autem porrigendam duntaxat jubet hanc limaturam, ne ſtomachum aggravet, aut compreſſionis dolorem concitet, ſi in majori quantitate porrigatur. Eſſentia ambræ nonniſi robur Archei ſeu Naturæ inſigniter confortando, ut expulſionem eò fortius moliri queat, hanc virtutem præbere poterit. Odorata tamen tam penetrabilia & generoſa haud cunctis mulieribus accepta eſſe, & propterea cum ſummâ circumſpectione danda, alibi jam monuimus. Juſcula ex carne perdicum & paſſerum eatenùs locô vehiculi commodiſſimè adhibentur, quatenus ♀rem peculiariter excitare dicuntur, adeoque dubiô procul uteri naturam exſtimulabunt, ut expulſioni noxiorum attentius ſtudeat: Unde etiam ⊖ illud emmenagogon, Borrax videlicet ad ſalacitatem concitandam in mulieribus ſummoperè facit. Reliquorum verò medicaminum menſes provocantium eorumque nobiliorum catalogum jam ſuprà exhibuimus, ubi eorum omnium quoque mentionem fecimus, quæ

partum approbè facilitant, molamque & fœtum mortuum potenter educunt. Quidam ad menſes provocandos tanquam arcanum & ſingulare venerantur cranium caponis pulveriſatum in ▽ puleg. ſeu meliſs. datum: Quod ipſum num in praxi reſpondeat, ſine ullô periculô probari poteſt.

Ad §. 5.

Nimius menſium fluxus, qui mulieribus in omni etiam ſtatu eſt communis, eandem meditationem & ſolicitudinem, ac proinde eadem omninò medicamenta admittit, quæ circa dyſenteriam ac immoderatam hæmorrhoidum effluxionem ſuprà jam & adnotavimus & inſtituimus: Ideoque breviori manu nunc etiam nos expedire poterimus, quoniam reverà eodem hîc modô comparatum eſt cum cauſa intemperantibus menſium hoc profluvium inducente, ac ſuprà id ediximus: Nam illa ipſa ſanguinis acrimonia aut cauſtica & exulcerans qualitas vaſorum apertionem & corroſionem præſtans hîc etiam locum omnimodè habet, quam iſthic vel dyſentericum vel hæmorrhoidalem fluxum nimium parere demonſtravimus. Neque nos confundere debet loquendi ratio, qua hîc loci Autor noſter uſus fuit, dum à ♂tiali venenô immodicum hunc fluxum provenire docuit: Per hoc enim nil aliud intelligit, quàm virulentam & quaſi realgaticam quandam acrimoniam & adurentem veluti proprietatem, quæ in mineris ♂tialibus nimium adhuc immaturis & 🜍reæ realgaticæque naturæ propinquioribus deprehendi ſolet. Talem autem virulentiam ex corruptô menſtruô non difficulter ſcaturire, paulò antè ex fundamento perſpeximus. Ideoque in curatione obſervandum eſt, ut non tantùm ea porrigantur, quæ ſanguinem impetuosè prorumpentem refrænant & compeſcunt, veluti ea medicamenta ſuperiùs jam indicavimus, quæ omnia hîc etiam appoſitè conveniunt, verùm etiam, ut venenata qualitas iſta ſanguinis hanc cum periculô vitæ ſæpiùs excedentem profuſionem efficiens ante omnia edometur, tollatur ac peſſumdetur. Quod itaque concernit eſſentiam ♂ puram ac nitidam, h. e. rubini adinſtar effulgentem, eam parandi modi conſpiciuntur paſſim varii, quos induſtria noſtri Schröderi accuratè congeſſit. Illa tamen præparandi ratio præ reliquis placet & magis philoſophica eſt, quæ cum ⊖e ♂ fixo adeoque propriô inſtituitur, cujus beneficiô & robore repagula ♂ crudi oppidò reſerari poſſunt, atque anima ejus ſeu ℞a ex voto ſic eruitur. Certiſſimum tamen eſt, quod ipſe Faber in ſuo Panchym. præclarè innuit: Ferri præparandi, inquit, via & methodus valdè laborioſa ac plurimum tædioſa eſt, ut ex eô habeatur ℞a vera ſeu eſſentia perfecta. Eſſentia 🜖li pariter hîc laudari meretur, quum obtineat præſentiſſimam adſtringendi & enormes fluxus quosvis cohibendi efficaciam: Paratur illa ex ▽a 🜖li dulci, cui quò nobilius menſtruum adhibeatur, eò etiam præſtantior impetrabitur eſſentia. Ampliſſimus Dominus D. Joannes Michaëlis ſuam

ſuam vocat ℞am 🜍ris ⊖li, nos verò noſtram appellamus ℞am ⊖li balſamicam, quarum utraque in hos profluviorum exceſſus eſt validiſſima. ☍ ⊖li dum fervorem & acrimoniam ſanguinis emendare admodum valet, jure meritò hîc quoque adſcribitur. Remedia ex magnete (qui ob mirandas proprietates & virtutes ſuas ſic dicitur) parata eodem titulô hîc competunt, quô ea, quæ ex ♂te: Sunt enim ambo unius ejuſdemque naturæ; unde non tantùm magna illa magnetis & ferri ſympatheia, verùm etiam magnes facili negotiô in ferrum, & hoc in magnetem convertitur: Imò non differunt, niſi puritatis ratione, ſiquidem ferrum ſubſtantiam habeat puriorem, quàm magnes, qui multò luculentior eſt ferrô. Et hæc fortè etiam eſt cauſa, cur magnes ferrô armatus longè ſit potentior, & cur vegetior ſit ille, qui ferri colorem habet: In medicinâ viribus hæmatitis pollet, adeoque fortiter adſtringit, ſanguinemque ſtringit & potenter ſiſtit: Magiſterium exinde parari poteſt, ut ex reliquis lapidibus tam pretioſis quàm vulgaribus Chymici conſueverunt. Laudanum Paracelſi corrollatum & perlatum, quod omninò magni in hôc caſu valoris eſt, licet paucis notum ſit, & præparatio ejus vera valdoperè abſcondita exiſtat, tamen cordati Medici interim ſubſtituere callent laudanum opiatum, quod ⊖e perlarum & coralliorum adornare ingenioſo conſilio ſolent. Florum amaranthi uſus ut in fluxionibus cunctis, ita & hîc valdoperè probatur: Habent enim vim refrigerandi, ſiccandi & adſtringendi, ut ex herbariis notorium.

Ad §. 6.

Fluor muliebris ſeu uterinus alioquin alborum menſium nomine exprimitur. Contingit autem quando debilior jam facta eſt matrix, ita ut excrementa hinc ſpontè ſuſcipiat atq; colligat, imò demum corpus totum per illam viam excrementa tunc deponere, niſi feſtinetur curatio, tractu temporis aſſueſcit, unde poſteà hîc fluxus fermè continuus eſt. Autor hunc affectum cum menſibus decoloribus ac diſcoloribus (ſive is color jam viridis, ſive citrinus, ſive lividus, & ſic porrò ſit) junctim proponere amavit, quum tamen hi periodum ſuam ſervēt, albus autem fluor omninò ſit inordinatus & propemodum aſſiduus. Malum hoc plerumque cacochymiam, cachexiam & cumprimis leucophlegmaticum corporis vitium præſupponit; quapropter curandi ratio eò etiam ex parte dirigenda eſt, ſed & maturanda, ne humores damnati acrimoniâ ſuâ muliebrem naturam & delicata hæc genitalis officinæ loca corroſione aut exulceratione periculosâ evertant. Circa methodum & arma medendi haud opus eſt, ut quicquam addamus aut prolixiores nos præſtemus, ſiquidem ea omnia, quæ præcedente paragraphô commendavimus, hîc quoque quam appoſitiſſimè conveniant.

Ad §. 7. & 8.

Circa gonorrhœam tam ſimplicem quàm virulentam ſi unum vel alterum ſcire quiſpiam accuratiùs adhuc deſiderat, illud ex iis omninò, quæ ſuprà de virili gonorrhœâ annotavimus, aut inferius etiam in curatione Luis Venereæ monebuntur, repeti aut deſumi, atque hîc accommodari poterit. Differentiam inter fluorem muliebrem & gonorrhœam paucis duntaxat attingere placet, atque de gonorrhœâ obſervandum, quod materia ſeminalis albidior & craſſior in eâ exiſtat, prætereaque longioribus intervallis ac in minore quantitate effluat, quàm in uterino alboque fluxu fieri ſolet.

Ad §. 9.

Paſſio hyſterica ſive uteri ſuffocatio aut ſtrangulatus præcipuam veluti præ reliquis mulierum affectibus cunctis operam ac ſolicitudinem ſibi expoſcit. Vocatur autem ſtrangulatio ſeu ſuffocatio, quod reſpirationis negotium tunc ita ſæpè numero abolitum videatur, ut à cauſæ peccantis malitiâ ex uterô communicatâ ſuffocationi proximam eſſe fœminam aut quandoque penitùs ſuffocatam extinctamque exiſtiment adſtantes. Unde non immeritò ſyncope quædam ac deliquium animi, ubi plerumque ſenſus, intellectus ac motus tolluntur, ab Autoribus vocari ſolet, ita tamen ut variis iisq; graviſſimis ſtipata ſit ſymptomatis, ſive accedant à compreſſione cordis, quod quaſi duabus manibus conſtringi, adeoque præcordia impenſè tunc comprimi videntur, in quo caſu functionum vitalium fermè abolitio & totius corporis refrigeratio adeſſe ſolet; ſive à conſenſu cerebri, ubi vel immobiles utplurimum deprehenduntur hyſtericæ, vel non nunquam more epilepticorum cum detentione ſenſuum tam externorum quàm internorum atroci motione convelluntur. Compertum etiam eſt, quaſdam ex hyſtericis interdum delirare, quaſdam verò planè ſoporoſas eſſe, veluti ex Autore etiam hæ ipſæ circumſtantiæ & graduum diverſitates ſatis dilucidè liquent: Verum adeò hâc ratione eſt, quod Helmontius approbè innuit, matricem diverſas & miras excitare ſcenas, & furioſâ exorbitatione ſuâ aut adſcenſione (ita enim videtur hôc modô afflictis mulieribus) vel dum in latera ſe impetuoſè torquet, tam organa vitæ quàm arbitrio inſervientia ſic alienare ac ſtringere, ut nullum fermè ſuum tunc faciat officium. Cauſa hujus mali remota eſt p.n. contentus & in matrice corruptꝰ ac putrefactus ſanguis, proxima verò in maligno & ſummè hoſtili vapore ſurſum ad vitalia & ſacram Palladis arcem ſe elevante conſiſtit: Qui verò nolunt concedere, ab infami & infeſtô hôc vapore aut ſpiritu excrementitiô fracidoque, imò etiam ab animatis viviſque jam effluviis hyſtericam affectionem & ſæva hinc ſymptomata eſſe, hos rerum pariter atque corruptionis ignorare naturam, rectiſſimè Hoffmannus aſſeverat. Sed

Sed plurimum lucis Caput de Syncope & Lipothymiâ huic malo & uberiori ejus explanationi fœnerare ac commodare inſuper poterit.

Ad §. 10.

Hyſtericis æquè ac apoplecticis & ſyncopticis inſigniter prodeſſe, & easdem confeſtim calidum nativum in ἐκλαμψιν evocando refocillare ſpiritum Vini, qui incorruptibilis & penetrantiſſimus eſt, ut nulli dubitamus, ita id ſupra alibi fuſiùs jam docuimus. Eatenus autem corrigit ∇ isque rectificatiſſimus venenatam menſtrui nequitiam, quatenus de eô notum eſt, in genere illum omni putredini potenter reſiſtere atque facultatem vitalem intimitùs reficere; unde etiam ∇ audit 🜍 bezoardicum vegetabile & catholici liquoris balſamus ſubtiliſſimus. Quid ⊖ ⊕-li etiam in hôc affectu valere ac præſtare poſſit, ex iis deſubitò colligere licebit, quæ in ſuperioribus de hâc eadem medicinâ ex fundamentô artis & Naturæ ſcripturâ adduximus. Sanè ut emeticum quodcunque nobiliſſimum ſive ſit ⊖ ⊕-li ad cryſtallinam albedinem ac puritatem reductum, ſive ☿ius vitæ juxta ſpagyricam philoſophiam paratus in curandâ apoplexiâ & quovis attonito malo eſt ſingulare ſecretum, ita eodem quoque modô ſe res habet in hyſtericâ paſſione, quam ſubitaneô auxiliô tollit: Unde bono cordatoque Medico utique competere imò commendatu dignum in eô exiſtimamus, ſi is ipſe unâ vel alterâ doſi excellentis hujus remedii ubicunque etiam armatus inſtructusque exiſtat, quo nempè tragico huic caſui, qui inter convivia ſæpè contingit, in continenti & cum applauſu præſentium occurrere queat. Porrò ut ♃ialia ſive ex ſtannô ritè confecta medicamina cuncta, ſic etiam ⊖ ♃is, uterinis peculiariter dicata ſunt morbis; cumprimis verò in hâc ipsâ ſuffocatione jam laudatum ⊖ præſtantiſſimum præſentiſſimumque eſt remedium, quam ad miraculum usque compeſcit. Artis autem ſpagyricæ Magiſtri id præparare per optimam reverberationem & calcinationem, atque tandem cum ∇ exaltare ſciunt, cujus doſis eſt ea, quæ ab Autore præſcripta fuit. Cæterum in hoc caſu nobis Eſſentia anonyma noſtra, item Ra ♃is & Potio panchreſta noſtra eſt probatiſſima, quibus præſidiis tam in ipſô ſuffocationis hujus paroxyſmo, quàm extra illum ad præſervationem cum feliciſſimô ſucceſſu utimur. Probè hîc etiam notandum eſt, quod omnia ſpecifica & nobiliora anticolica, aut ea, quæ ardorem ſtomachi nec non ſtranguriam compeſcunt, in hyſtericâ paſſione quàm maximè ſint appropriata & præſentiſſimæ virtutis remedia.

Ad §. 11.

Caducus vel epilepſia uterina conſimiliter à jam expoſitâ cauſa dependet, adeoque nil aliud eſt, quàm illa ſtrangulationis uterinæ ſpecies, quæ cum convulſione contingit, ut in præcedenti theſi monitum fuit. In curatione medicamenta antiepileptica cum antihyſtericis hîc rectè præſcribuntur; ſed án ∇

amba-

ambariſatus & moſchatus tunc, præſertim verò ſi caducus iſte cum uteri adſcenſu concurrat, ſine noxâ exhiberi poſſit, ego valdè dubito, velut id ipſum jam alibi demonſtravimus. Reliquæ autem ▽æ generoſæ cum V, cujus præſtantia jam nobis innotuit, paratæ (harum autem deſcriptiones in Diſpenſatoriis invenire licet) eo ipſo nomine tunc utiles eſſe poſſunt, quô in ſuffocatione matricis ſpiritus Vini laudatus fuit.]

Ad §. 12.

Qui ſuffocationem cognovit & curare callet, is adſcenſum quoque & curam ejus vel ſponte perſpectam habebit. Videtur tamen uterus tunc potiùs adſcendere, quàm ut reverâ adſcendat, licet is, ſi gravem & ferocientem fermentationem conceperit, valdè intumeſcere & inquietudinis moleſtiam aut anxietatem inſignem hinc afferre ſoleat, adeò ut mulieres quaſi globum circa umbilicalem regionem ſe ſentire oberrantem non ſine querimonia fateantur. Quando igitur adſcendit uterus, vel potiùs rectiusque maligna effluvia aut exhalationes hinc elevantur, quod præcipuè fit ob exquiſitè fragrantia & odorata, eorumq; incautum uſum, tunc ſequi iſta ſuffocatio uteri aut hyſterica paſſio & calamitas protinùs conſuevit: Si tamen ille ſic nominatus adſcenſus acceleratis remediis, quæ nobis jam nota ſunt, ſine mora præcipitetur, hyſterica quoque affectio in tempore arceri & præcaveri poterit. Uterum itaque è ſuo loco verſus ſuperna & ad ventriculum uſque adſcendere poſſe, abſurda & anatomicis fundamentis contradicens atque nequaquam conformis eſt opinio. Autor affectum hunc unà cum Paracelſô & Helmontiô ſtatim expelli poſſe aſſerit, ſi ficus vel callus cutis equinæ ita adhibeatur, ut fumus ejusdem per genitalia muliebria intrare queat. Quod deſcenſum uteri ſpectat, ille per odorata infernis partibus diutiùs adhibita vel etiam ob exquiſitum fœtorem naribus nimis objectum contingere poteſt. Ne autem moleſtiam aut dolorem pariat ad inferiores partes devolutus uterus, ei quoque tunc ſtatim ſuccurrendum erit, quod illis non difficile evenier, qui uteri prolapſum dextro auxilio curare valebunt, utpote qui gravior multò eſt ipſo matricis deſcenſu.

Ad §. 13.

Procidentia ſeu prolapſus uteri originem ducit ab omni eô, quod ligamentorum unitatem ſolvere, h. e. eadem vel laxare nimis vel etiam penitùs diſrumpere valet, veluti ſunt plerumq; difficultas partus ſumma & valdè laborioſa, it. onероſa fœtus aut molæ geſtatio, vel etiam imperita & impetuoſa obſtetricis manus ac importunè præſtita ejus cooperatio. Curationis artificium ac dexteritas hîc rectiùs à Chirurgiæ Interpretibus petitur, quapropter cumprimis Fabricius Hildanus, Chirurg⁹ ille celeberrimus, hôc in negotiô conſulendus eſt, qui ex aſſe cujusvis expectationi ac deſiderio ſatisfaciet: Imò ea hîc quoq; adhibentur rectiſſimè, quę in curâ herniarum dari & obſervari ſolent; Decoctum tn. ex galliis poſt

decenter

decenter celebratam loci in ſuam naturalem ſedem reductionem; præ reliquis cunctis potioris efficaciæ præſidium exiſtere, nobis experientiâ indubitatâ conſtat.

CAPUT LXII.

De *Arthritide, Chiragra, Gonagra & Podagra.*

§. 1.

ARthritis, Chiragra, Gonagra & Podagra nullô pactô eſſentialiter differunt: Dependent enim & fiunt hi morbi omnes ab unâ & eadem cauſa, atque differunt tantùm ſecundùm partes affectas harumque varietatem. Suſcipiunt ergò hi morbi tantùm aliquam differentiam ſeu diſtinctionem localem: Si enim cauſa materialis & eſſentialis afficiat brachia & artus, dicitur arthritis; ſi manus, vocatur chiragra; ſi genua, gonagra; ſi pedes, podagra audit. Aſt hæc omnia parvi ſunt momenti; ſed ſcire potiùs oportet, undenam hic affectus oriatur, & quâ ratione aut viâ in corporibus humanis hanc diſpoſitionem habentibus fiat, atque deinde quâ methodô curari radicitùs queat, ne ampliùs redeat.

§. 2. Morbus hic ergò dependet ab excrementô ⊖is balſamici, qui in omnibus naturis ſubeſt. Nam dum varia ac diſtincta alimenta comeduntur, atque in ventriculô percoquuntur, inque chylum convertuntur, atque ſic prima ciborum in primam quaſi materiam corpori noſtro commodam fit reductio, in hac quoque materiâ tria & nota illa cunctisque patentia rerum principia, ſcilicet ⊖, ☿ & 🜍 (quamvis alia duo etiam præter hæc deprehendam, nempe 🜃am & 🜄am) reperiuntur. Licet verò quinque hæc principia unicam & homogeneam eamque alimentoſam & homini nutriendo conſervandoque propriam ſubſtantiam ſeu chylum (ibi enim ⊖ balſamicum & fundamentale generis humani reperitur) conſtituant, tamen varia habent excrementa, ex quibus etiam varia ⊖ium genera excreſcunt. Hæc autem cum ſint ⊖is balſamici excrementa, nos etiam evitandæ confuſionis cauſa ad unum ⊖is balſamici excrementitium genus referemus, ut unam tantùm quoque mali arthritici cauſam ſic cognoſcere neceſſum habeamus, floccipendendo nimirum differentias ⊖is ⊖lati, aluminoſi, gemmei, urticalis & conſimiles alias, quæ nihil proſunt, niſi ad confundendum intellectum; quare tantùm ⊖em balſamicum fundamentalem & radicalem hîc nominare ſufficiet, qui varia producit excrementa, & proinde varia etiam arthritidis genera oriuntur. Hæc igitur cum acria, mordacia atque cauſtica ſint, ſpiritum ſenſationis organum harum partium etiam lancinant ac mordent; unde à ⊖e illô acri & mordaci in his partibus dolor,

§.3. Hinc arthritis, Chiragra, Gonagra & Podagra definiri poteſt morbus ⊖is excrementitii à ⊖e balſamicô ſeparati, & in articulos vel potiùs harum partium ſynoviam demandati, ubi lancinat ac mordet ſpiritum ſenſationis organum, unde dolor acerbus & crudelis exoriri ſolet, præſertim ſi ⊖ illud viget ac floret, donec reſolvatur.

§. 4. Nempe ubivis loci in corpore humano & ejusdem partibus fit alimenti demandati coctio ac digeſtio, in quâ fit ſeparatio puri ab impurô: Purum nutrit & conſervat partes ac membra corporis humani, eſtque purum id ſolum, quod reſultat ex reſolutione alimentorum in principia eſſentialia & formalia: Impurum autem eſt, quod de naturâ horum principiorum non exiſtit; quapropter ſeparatur & amandatur foràs; quod ſi foràs exeat, tunc ſanum eſt corpus, ſin maneat, morbos varios parit ſecundum varietatem aut diverſitatem impuri illius excrementi.

§. 5. In morbô igitur arthriticô excrementum ⊖is balſamici copioſum reperitur, quia excrementa reliquorum principiorum, puta 🜍ris, ☿ii, ▽æ aut 🜃æ morbum arthriticum nullo modo faciunt, ſed alios pariunt morbos, ut præcedentibus Capitibus cernere licet. Permiſcentur hæc etiam excrementa ex principiis & elementis primis ſeparata, & dum permiſcentur, novos etiam ac varios pariunt morbos ſecundùm variam novamque horum excrementorum permixtionem: Si enim ⊖ excrementitium ⊖is balſamici permiſcetur excrementis ▽oſis ▽æ primordialis, tunc temporis in articulis dolores non valdè acres, ſed tantùm tumores indolentes generantur: Excrementa enim illa aquoſa acrimoniam ⊖is mitigant, & tumorem œdematoſum frigidumque duntaxat efficiunt: ſin verò hoc ⊖is excrementum cum 🜍reo permiſceatur, tunc dolor arthriticus major eſt & acerbior cum inflammatione ſummâ junctus, quia excrementa 🜍ris primordialis inflammationes omnes & calores p. naturales producunt: Quæ de causâ doloris arthritici dicta ſufficiant.

§. 6. Cura omnis hujusce doloris conſiſtit in reſolutione, conſumtione, deſtructione & ablatione omnimodâ iſtius ⊖is excrementitii à ⊖e balſamico ſeparati & in articulos demandati, quod ſolo & unico medicamento fieri poteſt. Medicamentum autem, quod tutiſſimè reſolvit, conſumit ac deſtruit ſimul ſemelque hoc ⊖, vocatur Arcanum Corallinum, & eſt ☿ius ille rubei coloris fixus & ſudorificus, qui ▽â forti communi præparatur, & ad rubedinem perducitur aquâ forti evaporatâ, & poſteà 🝆 ♀ri, ultimoque ſpiritu Vini, ut ▽æ fortis ſpiritus pereant ac evaneſcant, edulcoratur.

§. 7. Fortius omninò fit hoc medicamentum, ſi aurum purum in ſolutione primâ ipſi addatur, & deinde ambo per 🝆 ♀ri, ac ultimò ſpiritu Vini edulcorentur. Hoc medicamentum & catharticum & ſudorificum eſt, atque omnes morbi

morbi arthritici radices funditùs evellit: Potentiùs imò adhuc operatur, ſi cum ▽a verâ ☿iali ſeu philoſophicâ ☿ius unà cum auro ſolvatur, & ambo cum ▽a hac philoſophica in materiam ſuam aut originem primam reducantur, & deinde ad rubedinem ultimamque perfectionem coquantur: Hoc enim eſt verum illud aurum philoſophicum, cum quo non ſolum arthritis ac lepra, ſed omnes etiam morbi tutiſſimè ac certiſſimè curantur. Verùm cum haud liceat tantum medicamentum docere, cùm ſoli DEO hoc debeatur, nos alia faciliora docebimus.

§. 8. Ideoque ſpiritus ⊖li ſingulis diebus ſumi debet ad ℥ß in juſculo ſummo manè, item diaphoreticum ♀ri ſummoperè tunc prodeſt ad ℥ß aſſumtum in liquore convenienti atque idoneo: ✱ quoque ſepties ♎atum ſummum eſt remedium tam intùs aſſumtum, quàm extra partibus affectis admotum: Intrà autem aſſumitur à ℥ß ad ℥j, c. ▽ card. bened. & ulmar. ita ut hoc ſic obſervato æger per 15. dies iteratâ ſemper doſi ſudet. ♁ium pariter ſummoperè prodeſt tam ſudorificè quàm catharticè præparatum. o°o juniperi conſimiliter doloribus arthriticis mitigandis ſummum eſt arcanum, ſi eo partes affectæ perungantur, ſed oportet, ut id multoties rectificatum ſit, quò penetrare doloris fundum poſſit.

Animadverſiones

In Genere.

ET cui ignotum eſt Peligni Vatis effatum, vel potiùs vulgiloquium illud in dedecus & ignominiam Medicorum natum:

Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram.

Nulla etenim tam ſingularis ac præſentanea medicina, ut plerique ſibi habent perſuaſiſſimum, excogitari poteſt, podagricos cruciatus quæ exſtirpet, atque bona fide excludere valeat: Adeò certè, quicquid medicamentorum edatur, aut quicquid eorũ bibatur, vel artubus illinatur, nihil tamen agetur nihilq; perficietur: Unde Paracelſus naturalis Sapientiæ Conſiliarius oculatiſſimus non immeritò morbum hunc nuncupavit nequiſſimum pariter atque verſutiſſimum ſummèque doloſum, item & alibi palmariam ægritudinem, quod palmam ac dominium utplurimum accipere integrasque occupare familias, & Medicis toties totiesque imponere, eorumque ſolicitiſſimam operam non ſine opprobrio circumvenire conſueverit. Non contemnendum proinde jam laudati Paracelſi ratiocinium eſt, quando his verbis malitioſam hujus morbi autoritatem ac poteſtatem adumbravit. Idem propemodum, ait ille, hîc contingit, quod Domino cum morione ſuo colludenti: Ubi Medicus morio eſt & ludibrio habetur,

 morbus

morbus verò dominus exiſtit, ac Medicum ſannis plusquam mimicis eludit. Nec tantùm inſanabile & pertinaciſſimum communi omnium fermè ſuffragio pronunciatur hoc malum, verùm ineffabiles etiam dolores ac ſæviſſimos prætereà inducere ſolet; ut eleganter hinc Prudentius cecinerit:

Sic ejulantes oſſa clamant dividi,
Nodoſa torquet quos podagra & artheſis.

Certum enim eſt, quod illi, qui arthritide verâ & perfectâ affliguntur, tam gravem perſentiſcant torturam, ut ipſis oſſa quaſi locô moveri aut dislocari videantur. O podagra, clamat hac calamitate captus, apud Inferos te genitam tibique matrem Megæram, nutricem Alecto fuiſſe exiſtimo. Quorſum Tantalus ſiti, Ixion rotâ, Siſyphus volvendo ſaxo, alii aliis modis illic excruciantur? Tu profectò cunctis excarnificandis ſola ſufficere poteris. Tam ferox autem eſt inveterata præſertim arthritis, ut tandem ac noviſſimè magna partium affectarum induratio conſequatur, quâ artus à ſe invicem cum intolerabili doloris atrocitate diducuntur ac diſtrahuntur, ipſaque membrorum geometrica proportio pervertitur miſerisque modis diſtorquetur, articuli occalleſcunt, nodis ac tuberibus quaſi ſaxeis (unde tam nodoſa quàm lapidoſa audit hæc podagra) aſperantur ac immobiles redduntur, ubi omnium poſtremò grana ⊖is vel 🜿ii (calcem ſæpè ac cretam referre videntur) tam magna & valida in articulis naſcuntur, ut propter nimia hujus crudelitatis incrementa ægris miſerrimè pereundum penitùs atque occumbendum ſit. Quæ omnia cum ita ſe habeant, omninò calamum noſtrum abſterrere poſſent, quò minùs nos etiam temeritatis incuſari hîc queamus, cùm ſublimioris Medicinæ Antiſtites juxta alphabetum & codicem Naturæ omnia ponderantes expreſſis aſſeruerint, neminem penè Medicorum ex veritatis fundamentô eſſentiam & indolem arthritidis genuinam deſcripſiſſe, multò minùs curaſſe. Quicquid autem ſit, tentabimus tamen ſed hâc conditione, ut pariter juxta eandem Naturæ poſſibilitatem & neotericorum Philoſophorum manuductionem quædam de famoſo hôc malô ſi non ex aſſe ediſſerere, tamen balbutire duntaxat conemur, hac fiduciâ freti, quâ illi, qui interim unâ vel alterâ ſcintillâ contenti ſunt, ſi ipſo luminis ſplendore confeſtim potiri nequeant.

Ad §. 1.

Arthritidis nomen generis vices ſuſtinet, & proinde ſuas poſtmodum habet ſpecies, ut ſuas filias mater; adeoque ſub ſe comprehendit Chiragram, Gonagram & Podagram, quibus nonnulli dolorem quoque iſchiaticum non injuriâ accenſent. Unam harum paſſionum accuratè qui norit, ſanè & matrem & ſobolem is penitùs cognoſcere ſine omni difficultate poterit. De voce arthritidis ſtatim eſt planum, illum ab ἄρθρον provenire, & ſic loci affecti certitudinem luculenter

culenter deſignari: Ubicunque enim coalitus ac diviſio oſſium vel potiùs ubi dearticulatio eſt & articuli intercurrunt, imò ubicunque duo ſaltim oſſa contingunt aut ſe mutuò ingrediuntur, atque per tendines & ligamenta connectuntur iisque obvolvuntur; ibi arthritidis ſedes & matrix conſiſtere poteſt: Ubi verò oſſiculorum articulorumque multus certusque congeſtus eſt numerus, ibi etiam ob tendinum, ligamentorum & nervoſarum partium multitudinem arthritis vehementer ingraveſcere ſolet, unde in manibus ſemper ac pedibus dolor iſte crudeliùs utique affligit. Quod arthritides ſpeciales & earum nomina attinet, horum rationem brevi actutum manu arbitrari licebit, ſi unam duntaxat evolvere nunc aggrediamur. Podagra igitur eſt τῶν ποδῶν ἄγρα, pedum captura ſeu pedica atque tendicula eorum, qua eaque conſummata & nodoſa qui laborat, ob dolorum immanitatem pedes ocreis Hiſpanicis (quas furiata lictorum manus verum excuſſura adhibet, adeoque notio hæc ad equuleum pertinet) obſtrictos ſe obtinere videtur. Atque ab hoc eodem vocabulo Gonagra & Chiragra quoque fluxit: Ut enim in podagrâ capiuntur & cruciantur pedes, ſic in Gonagrâ genua, & in Chiragrâ manus. Diſcrimen igitur eſſentiale hoc genus & ejus ſpecies non conſtituunt, quoniam unam eandemq; tam efficientem & principalem, quàm materialem cauſam agnoſcunt & ſuſcipiunt, adeoque nonniſi juxta partium affectarum varietatem non nihil diſcrepant. Miſſis propterea nominalibus & differentiis, nos potiùs genuinæ cauſæ efficientis ac materiæ peccantis, h. e. principii tam maſculini quàm fœminini, quô utroque peſſima hæc proles progignitur, examen pro virili inſtituemus, ſingula ſuccinctè declaraturi, utut etiam pleroſque Autores hâc in parte limpidiſſimos Naturæ & ſinceræ Artis fontes perturbaſſe, adeoque non levidenſem confuſionem induxiſſe concernamus.

Ad §. 2.

Ut ergò ad notitiam veræ & immediatę arthritidis cujuscunque cauſæ pervenire queamus, jure meritoque præſupponimus quædam requiſita: Adeoque nullum dubium eſſe ſtatuimus 1. artubus & articulis quibuscunque ſuum Archeum præſidere, ſeu quemlibet horum artuum ſuum calidum ſeu ſpiritum innatum habere; deinde artus quoque ſeu articulos (ſubaudio hîc quoque ligamenta, tendines, nervos ac nervoſas partes omnes cum venis & arteriis, quibus muniti exiſtunt dicti articuli) æquè ac reliquas partes omnes nutritionem, adeoque ſuum nutrimentum, nempe ſanguinem ſpiritibus influentibus ſeu vitalibus decenter imprægnatum expoſcere, imò etiam ſerie non interrupta accipere, atque per conſequens ibi quoque particularem digeſtionem & ulteriorem coctionem fieri, quò nutrimentum transmiſſum nutriendis artubus articulisq; aptum commodumque ſic evadere, atque purum ab impuro & pro nutritione iſtius partis

 inepto-

inepto minusque utili ſeparari poſſit. 3. Vitalem & vivificantem ſanguinis circulationem ejusque ſummam neceſſitatem hîc quoque vigere, adeoque & vias ſeu meatus huic negotio deſtinatos ibi præſtò eſſe; præſupponimus inſuper, ſanguineam maſſam ⊖e ſuo balſamico decenter conditam imò ipſos vitales ſpiritus de ⊖is excellenti proſapia (ut ſuprà exactè id perputavimus ac demonſtratum dedimus; Eſt enim in rei veritate ⊖ vitæ balſamum & à putredine tutos nos effectiſſimè præſtat, eſtque ⊖ vita ſanguinis, ut bellè loquitur Paracelſus, atque vitale ejus condimentum; imò ſine ⊖e nil viget nihilque jucundum eſt) omninò eſſe; Et tandem ex fermentatione vitioſorum humorum ſpiritus excrementitios fracidosque, qui pariter (ut ſpiritus vitales ex naturali fermentatione facti) ⊖is naturam obtinent, progenerari & ſic ſpiritus vitales turbari atque inquinari, adeoque Archeum ſeu calidum inſitum reluctandi furore concitari & excandeſcere ſolere: Unde Helmontius etiam appoſitè dicit, podagræ cauſam ſpiritui vitali intimè ſigillatam ac inſinuatam vel characterem podagricum ipſi vitæ Archeo concreditum tunc eſſe. Quibus omnibus ſic præmiſſis indubitata ſtatim in promtu habemus fundamenta & argumenta, quorum beneficiô doctrina hæc de arthritide ac podagrâ alioquin cognitu difficilima & valdè obſcura leviori omninò ratione expediri ac dilucidari ex votô à nobis jam poterit, Rem ipſam itaque clariùs commodiusque oſtendere & quaſi ob oculos ponere non valebimus, niſi textum & verba ejus ſingula examinando, eademque cum Dogmaticorum ſententiâ paucis conferendo, utrorumque tamen mentem quantum quidem poſſibile conciliando; id quod nunc deſubitò à nobis etiam obſervabitur. Cauſam nempe materialem hujus mali eſſe ⊖is balſamici excrementum, quod pariter ſalſum, atque ob hanc ſalſedinem mordente acrimoniâ præditum eſt, Autor noſter aſſerit: In quô ipſo non tantùm planè cum Paracelſô & Helmontiô, verùm cum Dogmaticis etiam, niſi quod hi ipſi rem generaliùs obſcuriusque tradiderint, convenire videtur: ſic Paracelſo nil conſuetius eſt, quàm podagram per corpus ⊖ium aut ⊖ ♀reum vel etiam per ♀rum ſpiritualem & lancinantem hinc inde in ſuis monumentis cauſaliter definire. Helmontius in hujus morbi hiſtoriâ producit laticem peregrino (an corruptô vel excrementitiô) ⊖e contaminatum, quem morborum ſpiritum inficere, eumq; ad arthritidis ærumnalem fabricam ſollicitare ſtatuit, & felici ratiociniô deduxit, præſertim ubi dicit, humorem illum peccantem in podagrâ tam immani dolore moleſtum in ſe ⊖ cauſticum de ſorte alkalium ac valdè rodentium continere, quod effectum maximè igneum præbet, adeoque ignis naturam imitatur, Nec ſibi contradicit Helmontius, quando alibi hoſtilem & quaſi igneam aciditatem vitali balſamo ſummè infauſtam arthriticum hoc malum parere innuit, ſi videlicet hic ipſe acor exoticus in habitum corporis deferatur, atque ibi inſtar acutiſ-

acutiſſimæ ſpinæ pungat & mordicet, adeoque ſpiritum ingenitum harum vel illarum partium importunè afficiat, eumque ſic ad impetuoſam iracundiam, quæ propter loci affecti inſignem ſenſibilitatem cum exquiſitiſſimo dolore non fieri non poteſt, perducat: Per hanc ipſam enim excedentem aciditatem nil aliud ipſe intelligit, quàm ⊖is reſoluti vellicantem acrimoniam, ſiquidem acidum quodvis in ⊖e ſuam baſin & energiam habeat, atque à ⊖e omnis acredo & omnis aciditas dependeat. Poterius pariter dolorem hunc à ⊖e & ejus exaltatione, quam reſolutio per fermentationem & putrefactionem facta inducit, unde ⊖ illud ſummè activum ſeu ſpirituoſum evadit, ſuſcitari, egregiô loquendi modô affirmat, utpote à quâ principiorum & cauſarum cum impetu repugnans contrarietas poſteà provenit. Nec Dogmaticis jam commendati Hermetici in hac ipſa ſententia contraveniunt, ſiquidem omnes quoque jam olim hanc unitatis ſolutionem, ut loquuntur, & inde ſuccedentes inſignes cruciatus ab humore ſeroſo, ſalſo & acri, uno verbo, à ſero vel ſeroſa colluvie (peculiariter tamen diſpoſita) effici docuerint. Quum verò ſeri ſalſedo, quæ in omnibus omninò naturis ſubeſt, & ſerum proinde etiam excrementum commune dicitur, ipſis Dogmaticis quoque ſit cognitiſſima, negotium hoc operoſiore deductione non indigebit: Adeoque luce meridianâ clarior eſt tam Veterum quàm Neotericorum, tam Galenicorum quàm Chymiatrorum in hoc punctô & materia podagræ determinanda conſenſus, ut nihil aliud jam reſtare videatur, quàm ut modum, quô ſalſedo & aciditas hæc artubus communicatur, & quô pactô tantoperè penetrare artusque tam occupare quàm crudeliter lancinare queat, paulisper exponamus, & quomodo acor ille ſalſus vel ſalſa hæc aciditas comparata tunc eſſe debeat, ut arthritis exinde fiat, inſimul demonſtremus. Ut itaque impoſſibile penitùs eſt ſine fermentationis ſplendore, qui ex ipſo Naturæ magno lumine radiat, doctrinam de ſpiritibus humani corporis cognoſcere, atque de eorum generatione ſolidi ſapidique aliquid pronunciare, ita etiam hâc ipſa fermentationis (quæ Vetulis etiam ac mulierculis per hanc ipſam ex frumentô vel baccis v.g. ſambuci, & ſic porrò, ſpiritum ardentem elicientibus, adeoque lippis, quod dicitur tonſoribusque notiſſima eſt) luce & iis, quæ eandem conſequi ſolent, natura & eſſentia arthritidis oppidò & ex ſententiâ imò unicè illuſtrari poteſt. Nimirum publicè jam in Diſſertatione de Morbillis non ita pridem firmiſſimis argumentis demonſtravimus, Circulationem illam ſanguinis nil aliud eſſe, quàm ſuavem & vivificantem ſanguinis fermentationem, cujus beneficiô dum illa per modum lucis & ignis operatur, unicè ex ſanguine ſpiritus parantur vel ſanguis ſpirituoſus evadit, qui per ultimam cohobationem in corde, ubi provida Natura aſtrum & fermentum maximè vitale ac luminoſum ſapienter repoſuit, exoptatam perfectionem & exaltationem, vel ſi quis mavult, abſolutam depura-

depurationem ſeu rectificationem ſuam nanciſcitur : Unde fermentum ipſe Hippocrates non ſine cauſâ vocat divinum, & Hermetici virtutes fermentorum ipſô △e longè potentiores & omnis transmutationis genuinos parentes luculentiſſimâ demonſtratione probant, veluti miras fermenti virtutes fermentationisque laudes nuper in Diatribe publicâ de Elixire Proprietatis abundè decantavimus: Tanta enim hujus fermentationis (quam virtuoſam quandam putrefactionem, quæ vivificum eſt initium ad omnium rerum generationem, & cujus beneficiô omnia naſcuntur, non immeritò Spagyrici inſuper appellat) vis, quæ in ventriculô cumprimis manifeſtiſſima eſt, exiſtit, ut aſſumta ſic omnia in ſua principia effectiſſimè reſolvi, ſolida oppidò liqueſcere, & colores indubitatò mutari queant. Quod niſi eſſet, & niſi fermentalis iſta poteſtas admitteretur, fieri etiam planiſſimè non poſſet, ut ex aſſumtis adeò diverſis ac diverſimodè conſtitutis unica ac homogenea ſubſtantia, nempe chylus atque egregiè albicans iſte cremor, ex hôc rurſum ſanguinis purpura, & ex iſtâ demum ſpiritus vitali aurâ ſuaviſſimè flagrantes, (unde Paracelſus notanter admodum vitam ſalutat △em hominis) quorum mediô partium omnium nutritio, vegetatio, ſuſtentatio, refocillatio & inſtauratio potiſſimum celebratur, confici poſſent, quod ipſum nobis fermentationes chymicæ totâ die ob oculos ac ſenſus tam clarè ponunt, ut clariùs evidentiusque id oſtendi omninò non poſſit. Deinde hoc etiam monendum eapſe occaſione eſt, ſal rerum centrale ut omnibus rebus inſitum eſt, ita etiam cibos & aſſumta illô nequaquam carere: Hoc ipſum verò ingenitum ⊖ eſt fermentationis arcanus faber & præſes, quod quò magis per dictam fermentationem (hanc enim △eo ſuo robore, quod ⊖ tanquam ſicco radicali à Naturâ peculiariter impreſſum eſt, ſtrenuè parit ac promovet) fit ſpirituoſum ac reſolvitur, eò magis ac validiùs vigorem ſuum ac eminentiſſimam poteſtatem, quâ pollet, exſerit, ſicuti ⊖ vix effatu dignum quippiam præſtat, niſi ad ſpirituoſam ſubtilitatem & agilitatem ſit redactum; unde etiam tunc demum à Paracelſo ⊖ practicum nominatur. Ideoque cognovimus hâc ratione, quomodo ſpiritus noſtri in corpore humano naturaliter progignantur augeanturq;, & quod hi ipſi nil aliud ſint (ſiquidem vita ſalium in ſpiritu conſiſtat) quùm ⊖ balſamicum reſolutum ac plenè planeque ſpirituoſum, adeoque in rei veritate de ⊖is proſapiâ nati exiſtant. Jam probè perſpectô hoc naturali ſtatu, non difficile profectô erit de ſtatu præternaturali conſequentiam argumentandi inſtituere, ſiquidem rectum ſolemniter ſit judex ſui atque obliqui dexterrimus. Ergò excrementa, ſive domeſtica ſint, ſive ex errore aliarum partium producta & communicata, ſi p. n. retineantur, nec decenter expellantur, ſtatim intra Lares ſuos graviter degenerant, putreſcunt, fermenteſcunt, atque tunc nil niſi mali & moleſti pernicioſa hæc recrementorum collegia jus hoſpitii ſui evidenter

actutum

actutum violando fabricant , ob quorum retentionem & hanc conſequentem hoſtilis fermentationis impetum Archeus ſive Natura noſtra (quæ hâc ratione eſt primaria confuſionis ac morbi mater aut genetrix) vehementer ſtatim tumultuat exorbitatque, ac non niſi ſævas procellas ſuſcitat. Hinc deſubitò etiam colligere quivis circiter poterit, quomodo arthritis, ob hoſtilia excrementa ad artus delata vel etiam ibidem progenerata , oriri queat. Verùm ut ipſiſſima podagrici mali ſcaturigo ejusque centrum adhuc accuratiùs determinari ac veluti acu tangi poſſit, neceſſum omninò eſt, ut de excrementis ac humoribus vitioſis (qui quomodo & quotupliciter generari ac cumulari in corpore noſtro ejusdemque partibus poſſint, ſæpiùs jam declaravimus) idem planè ſtatuamus , quod de alimento noſtrô , ſicuti etiam quâ ratione hinc ſpiritus progigni poſſint, ex jam dictis facilè quivis colligere valebit. Adeoque dubium nullum eſt , conſimili omninò ratione cum excrementis ac cum alimentis noſtris comparatum eſſe , atque certitudinem nec non facultatem fermenti eandem in excrementum quoque meditulliô ſubeſſe : Quô ſic ſtante ſpiritus etiam excrementitios (qui pariter & ex eodem fundamento ſunt ſalinæ familiæ) in corpore noſtro ſuccreſcere poſſe, tam verum eſt , quàm quod certisſimum. Spiritus autem iſti excrementitii Naturæque noſtræ infeſtisſimi atque totam vitæ œconomiam vehementer turbantes varios malitiæ , tyrannidis ac violentiæ gradus ſuſtinent , juxta nempè humorum putreſcentium nequitiam fermentationes malignitatem , quæ quò gravior eſt , eò etiam majores turbines dare poteſt , quia hinc ſpiritus excrementitii planè virulenti , valdoperè acres, imò non rarò mineralium ſpirituum aut 🜅is alicujus adinſtar cauſtici atrociterque mordentes, vellicantes, lancinantes & urentes proveniunt, unde caloris præter naturæ & doloris genius & cauſa vel ſponte cuivis innoteſcere poteſt. Per hanc ipſam quoque Philoſophiam mentem Helmontii penitiùs intelligere licebit , quando innuit, humorum aciditatem ad venarum & arteriora domicilia ac receſſus provenientem vitæ & Naturæ noſtræ hoſtilisſimam eſſe. Nempe excrementitius & ex vitioſâ corruptione circa primæ potisſimum coctionis officinam ortus acor hoc progreſſu ſuo majorem ſemper acquirit ſubtilitatem, exaltationem ac ſpirituoſam magisq; cauſticam poteſtatem , (ſicuti notum eſt ex deſtillatione ſeu rectificatione ſpirituum mineralium, detracto illos phlegmate magis corroſivos , acriores & ſummè cauſticos fieri.) & non tantùm penetrabilior hinc evadit & promtiùs cum ſpiritibus vitalibus commiſcetur, verùm quoque magis activus magisque corroſivus & impetuoſior fit, atque propterea ineffabiles tragœdias horribilesque dolores inducit. Huic ipſi fundamento ſi conſtanter & prudenter inſiſtamus, tam Veterum obſcura , & valdè tenebricoſa præcepta ac documenta, quàm Neotericorum mentem ex ſententia percipere , ambosque facili-

mo negotio conciliare, abſurda verò ſequeſtrare, & in ſpecie nunc etiam arthritidis aut podagræ eſſentialem conſtitutionem pernoſcere poterimus. Perſpicua igitur ex hoc ipſo ſpeculo Paracelſi ſunt verba, quando dicit; Podagram oriri, ſi ☿rus ſpiritualis, id eſt ſpiritus ⊖is excrementitius ad articulorum ligamenta & juncturas perveniat, & ibi cum oſſium glutinoſo nutrimento ſe commiſceat, atque ſic illud in tophaciam materiam ſeu calcem ac cretam, quæ articulis hinc protinùs accreſcit, degenerare faciat. Atque hoc creditu non difficile eſt, ſiquidem ⊖ & ejusdem ſpiritum maſculam coagulandi vim habere, & omnia corpora dura reddere, ex libro naturalis Sapientiæ nec non ſpagyricis etiam operationibus noverimus: Deinde ſpiritus ille corporis noſtri ☿reus ſeu ſalinus excrementitius in itinere ſuo, dum partes extremas & remotas tranſcurrit, non parum de humiditate ſua, quæ per poros tunc exhalare poteſt, amittit, unde craſſeſcit poſtmodum, ac concreſcendi coagulandique promtitudo præſertim circa articulos eorumque anguſtos meatus vel ſponte in propatulo eſt. Adſcriptu etiam non indignus eſt alius Paracelſi textus, quo innuit, ☿rum illum ſpiritualem non ſemper in artubus coagulari, ſed in reſolutione ſuâ permanere, tunc verò à locô unô ad alium ſurſumque deorſumque beneficio circulationis adinſtar procellarum venti violentia jactatarum moveri ac diſcurrere; Unde quàm optimè ratio & cauſa arthritidis vagæ eluceſcere poteſt. Quæ ut omnia ſe rectè habent, ita etiam in contumaci & dira podagrá principium animatæ putredinis ac verminoſorum effluviorum (quæ conſummatam humorum excrementitiorum corruptionem præſupponunt) nequaquam ſusque deque eſt habendum, quæ ipſa animatæ corruptionis malitia quomodo atrocem in partibus, multò magis in articulis dolorem concitare queat, affatim ac ſæpius à nobis jam dictum diductumque fuit: Imò hos ipſos nodos circa articulos, ex quibus excreſcere aliquid cretæ aut calci non diſſimile ſæpiùs videtur, conſtare non nunquam ex hujusmodi minutiſſimis ſed duriuſculis tamen, aſperis ac veluti cruſtaceis (inſectorum enim infinitæ ſunt ſpecies) vermiculis experiemur, modò ſmicroſcopii fidem ſedulò hic conſulere & rem illam accuratiùs trutinari non pigeat. Aſt dicet aliquis, quomodo ſpiritus ille ſalis excrementitius acidus tantamque acrimoniam habens & ſæpè cauſticus (hunc ipſum Autor ex Paracelſo ſal urticale vocitat.) unâ cum verminoſa putredine invicem ſtare poteſt, quùm ille hanc enecare & extinguere potiùs valeat; Reſpondemus nos & ſummè acida atque acria ſuos etiam habere ex putredine natos vermes, veluti totâ die in acetô licet acerrimô certum quoddam vermiculorum genus natare, & ſali ipſi, ſi corruptelæ labem adſciſcere incipiat, ſuos pariter vermes ineſſe concernimus. Sed neque id ſilentiô hîc tranſeundem eſt, quod ad generationem arthritidis aut nativa aut adſcititia artuum imbecillitas, adeoque ad hoc malum diſpoſitio quædam requiratur,

tur, ita ut error in digeſtione tranſmisſi alimenti aut in expulſione excrementi ob calidi innati infirmitatem ibi contingat. Cæterùm Autor noſter differentias illas arthritidis hîc attendere negat, quas tamen Paracelſum ex diverſitate ☿ri ſeu ⊖is, quæ undique notoria eſt ſingulari induſtriâ petere alioquin, ex ipſius monumentis ſpectamus; verùm cum acrimonia & aciditas aut corroſiva etiam vis hujus excrementitii ⊖is unico nobiliorum præcipitantium remedio mitigari & edomari queat, Autori noſtro quoque hîc morem gerere poſſumus.

Ad §. 3.

Arthritidis & totius proſapiæ ejusdem definitio pro more Medicis ſolemniter ſuſcepto cauſalis eſt, ubi tam cauſa efficiens principalis, (quàm ſpiritus turbatus & per conſequens artus, quibus inſidet ille aut præſidet potiùs, graviter lancinati exprimunt.) quàm cauſa materialis, in ⊖e nimirum excrementitio; eodem quô paulò antè diximus modô, conſiſtens, cui nos quoque animatam putredinem ac verminoſa effluvia non immeritò junximus unà cum locô affectô, expreſſis verbis determinantur. Cœterum id tantùm præter illa, quæ appoſitè hîc alioquin monuit Autor, adſcribendum erit, quod ⊖ illud excrementitium ſeu ſpiritus ejusdem potiùs (florere enim & vigere juxta phraſin Autoris hoc ⊖ aliter non poteſt, niſi per fermentationem ad ſpirituoſam activamque ſubtilitatem ac volatilitatem fuerit redactum) in arthriticis doloribus non ſemper ſeparatus à ſpirituoſâ ſanguinis maſſâ deprehendatur, ſed plerumque inſimul ambo confundantur ac commixti exiſtant: Sin verò Autor hîc loquatur de malâ arduum nutritione, adeoque de eò ⊖e excrementitiô, quod articulorum locis jam appoſitum & ibi relictum aut factâ hujus ⊖is concretione aut coagulatione infixum eſt, veluti in podagrâ nodoſâ concernere licet, acquieſcere omninò poſſumus. Deinde quoad partem aut ſedem arthritidis affectam eamque præcipuam videmus, Autorem non tam articulos quàm liquamen ſeu humorem his partibus domeſticum & appropriatum, quem Paracelſus potiſſimum & ex illo Helmontius ſynoviam (cujus nominis nativitatem incertam omninò atque hactenus incognitam aſſeruimus) adpellant, hîc innuere atque ſic quidem, ut arthritis tunc demum conciteur, ſi ⊖ illud excrementitium ac vitioſum cum hôc humore combinetur, atque propterea partes nervoſæ per eum tanquam genuinum alimentum fovendæ ac ſuſtentandæ, iisque præſidens ſpiritus vellicentur atque offendantur. De hac autem ſynovia (quæ noſtrô idiomate **das Gliedwaſſer** dicitur.) ita hinc inde differunt Paracelſus & Helmontius: Eſt illa ipſa, inquiunt, nil aliud, quàm glutem articulorum album ac ſeminale, vel ſemen articulorum tranſparens ac nutritivum (ita videlicet Paracelſus loqui amat, quod liquor is formam ſeminis referre videatur, adeoque ſpermati ſit finitimus.)

timus.) aut mucilago quædam pellucida (qualis nempè in vitulo mactato amputatis pedibus è tibiis ſtillat) quæ ubertim inter ligamentorum capſulas oſſiumque contactus effunditur: Proinde autem hic humor intra juncturas deponitur, quod proximè aſſimilandis oſſibus à Natura ſit adjudicatus: Quando itaque, infert cum Paracelſo Helmontius, per errorem ad hanc articulorum alimentitiam mucilaginem acor defertur, atque ſic eadem inficitur, tunc exquiſitiſſimus ſtatim hîc exoritur cruciatus, imò ſynovia ſalſedine vel aciditate hac concepta mox grumeſcit, atque hac ratione præter doloris immanitatem inſuper articulorum quædam laxatio diductioque contingit: Quo ipſo ſenſu Paracelſus demum podagræ nidum ac locum genuinum in articulis conſtituit. Tandem, per reſolutionem ⊖is excrementitii vigentis ac florentis ſeu maximè ſpirituoſi & vehementem impetum facientis, dubio ſine id intelligit, quando nempe ⊖ illud ſpirituoſum vigorem & acrimoniam vellicantem amittit, hoc eſt planè aquoſam ac torpidum redditur, id quod per precipitantia nobiliora ex votô à prudentioribus Chymiatris præſtari poteſt; unde hi ipſi etiam ⊖is excrementitii reſolutionem per præcipitationem, Dogmatici verò per coctionem ac digeſtionem cruditatum reddere aut exprimere ſolent.

Ad §. 4.

Quomodò cum partium quarumvis nutritione (quam quodlibet membrum habet peculiarem, ac propterea etiam ſanguinem ſive nutrimentum ſpecifica ratione digeſtum ac præparatum ſibi requirit) atque cum ulteriori ſeparatione utilis ab inutili aut puri ab impuro ſegregatione comparatum ſit, item qua ratione in quavis membro excrementa hinc generentur, ac generata præter naturam cumulentur, & quid abſurdi quantumque nocumentum ex præpoſtera eorum retentione conſequatur, non tantùm hactenus dilucidè explicuimus, verùm ipſe etiam Autor præclarè ſatis hoc ipſum negotium in præſenti propoſuit, adeoque generalem omnium morborum ſcaturiginem oppidò ſic exhibuit, ut planè his eſſe contenti jam queamus.

Ad § 5.

Materiæ peccantis, quam quilibet morbus expoſcit, geneſin in præcedenti theſi dogmaticè tradidit Autor, hîc verò ſpagyricam morbos conſiderandi & humores excrementitios ex fundamento ſcilicet principiorum chymicorum, quorum fructus etiam morbos eſſe, Paracelſus dictitat, perputandi rationem adhibet. Ut autem quodvis, quod terrarum orbe comprehenditur; ita quoque tam alimentum quàm excrementum in ſua principia reſolvi poteſt, veluti hoc ipſum thema ſuperiùs ſua jam dignati elucidatione fuimus. Cœterum varietatem morborum Chymiatros haud abſonè metiri juxta diverſas excremento-

rum

rum mixturas, Autor exemplo podagræ luculenter oſtendit, ſiquidem certiſſimum ſit, tunc podagram, mitiorem, imò non rarò minùs vel planè non dolorificam (excipitur tamen hîc gravativa ac ſummam laſſitudinem aut movendi ineptitudinem inducens moleſtia, quæ tunc à pedibus vel artubus abeſſe non poteſt.) evadere, ſi ⊖ excrementitius ejusque lancinans acrimonia ſummoperè diluatur vel obtundatur plegmatico ſeu aquoſo excrementorum principio, atque ſic minùs reddatur ad agendum & affligendum idoneus; quemadmodum etiam hæc ipſa contemperatio ſeu mitigatio nimis ſalitorum & acrium per affuſam ▽am ſimplicem cuivis coquo eſt notiſſima: Quod ſi verò 🜍rea excrementa congrediantur cum ſpiritu ⊖is excrementitii, tunc ignea planè & inſigniter cauſtica ſeu corroſiva fit hæc acrimonia, atque tunc unà cum immani dolore concurrit quoque vehementiſſima inflammatio, ut reverà cum Luciano dicere queamus:

> Viſceribusque in ipſis ignitum diſcurrit malum;
> Vorticibus flammarum carnem ignis more depaſcens;
> Veluti crater plenus Aetnæi ignis.

Verùm ut rectiùs accuratiusque arthritidis ejusque ſpecierum natura & eſſentialis conſtitutio, nec non utriusque cauſæ tam efficientis quàm materialis hiſtoria cognoſci poſſit, ex datis jam ſcholiis omnibus medulla & nucleus, ut ſic loquar, extrahendus, atque ſingulorum exacta ratio ac conſideratio eſt habenda.

Ad §. 6.

Utut difficilima & proverbiali contumeliâ quaſi infamis podagræ præſertim nodoſæ curatio habeatur, attamen omninò tollere tartaream bona ſcit Medicina podagram: Ac proinde nec nobis arridet communis ille inſanabilitatis abſolutæ, quam Podagræ tribuunt penè omnes, clamor. Ideoque ſequeſtratâ hac deſperatione non immeritò Autorem noſtrum hîc ſequi nunc aggredimur, qui in reſolutione, deſtructione, conſumtione atque ablatione excrementitii hujus ⊖is ſeu 🜿ri articulis infixi methodum & felicitatem arthritico malo ritè medendi conſiſtere docet, id quod unicô medicamento impetrari poſſe, ſeriò ſtatim affirmat. Quid itaque Autor per reſolutionem iſtius ⊖is intelligat, ex præcedenti paragrapho jam cognoſcimus: Chymiatris enim τὸ reſolvere nil aliud denotat, quàm ⊖ aliquod in aquoſitatem ac inſipidum liquamen reducere, adeoque ⊖i mordacitatem & acrimoniam ſuam penitùs demere, atque materiam peccantem ſeu cauſam materialem omnimodè deſtruere ac veluti mortificare. Unicum hoc autem medicamentum, quod podagram in ſuô ſemine, ut loquitur Helmontius, vel in ſuâ ſpermaticâ radice interimere valet, Arcani Corallini titulô inſignire Autori placuit, quâ ipſâ occaſione ex Paracelſô & Hel-

 mon-

montiô aureola quædam hîc adducere lubet, vel propterea, ut primum & in genere innoteſcat nobis, quod propriè in Philoſophiâ Hermeticâ dicatur Arcanum, & quanta ſit hujus notionis apud Philoſophos per ignem autoritas atque magnificentia. Arcanum, ait Paracelſus, eſt quaſi potens cœlum in manu arbitrioque Medici poſitum, imò Arcanum quodvis (putà medicamentum) eſt ex cœlô; ubi felices & veros Philoſophos pronunciamus illos, qui cœleſtes virtutes & ab æthere ſive æthereis influentiis huic vel illi mixto præſertim ex regnô minerali deſumto inſpiratas, adeoque Naturæ vim dotalem rebus supernè inſtillatam elicere poſſunt: Arcanum enim ſeu myſterium Naturæ & Artis reverà à ſpiritu univerſi ſeu mundi (quem nos animam ſeu balſamum Naturæ ſalutamus) dependet, cujus beneficio demum ſuperius eſt ſicuti inferius, atque inferius ſicuti ſuperius: Hunc ſpiritum univerſi qui lege ſapientiæ Hermeticæ debito modo concentrare & capere poterit, is demum habebit medicinam æternam & immortalem ſeu incorruptibilem; is, inquam, obtinebit omnibus numeris perfectum, incomparabile, generoſiſſimum, & rem ipſam, ex quâ per exaltationem ſpagyricam illud extractum eſt, millies excellens, imò cætera medicamenta cuncta inſigniter præeminens pharmacum. Arcana vera, inquit Paracelſus noſter ulteriùs, quorum, verum fundamentum eſt Alchymia, quæ ſola eadem pandit, (unde arcana etiam omnia eſſe dicuntur ex igne ſapientum) ad nos comparata, ſunt planè divina & cœleſtia, quæ corpora noſtra magis, quàm nobis perſcrutabile eſt, conſervant, imò vitam in ipſo vitæ fonte defendunt, & poteſtatem ſummam vitale robur efficaciter inſtaurandi habent: Certum namque eſt, quod ad intima ſpiritus vitalis ſcrinia non quivis tabellarius (ſeu vulgare medicamentum) niſi legatus amicus (h. e. arcanum aut quinta rei eſſentia) intrare poſſit, quæ ipſa etiam eſt cauſa, cur arcanum nuncupetur ſanitatis benigniſſimus pater ac vitæ tuendæ præſentiſſimus patronus. Adeoque cùm arcanum, quodcunque etiam id ſit (pauca tamen ſunt illa & quidem ex ipſo fonte Philoſophiæ Hermeticæ oriunda, teſte eodem Paracelſo) habeat virtutem potentiſſimam & ab omni impuritate reverà liberam, arcano Corallino illum honorem & efficaciam non abſonè etiam tribus nunc experiemur. Ergo Arcanum Corallinum, juxta Autoris verba, hoc ⊖ excrementitium arthritidem progignens tutiſſimâ poteſtate & fundamentaliter reſolvit, conſumit ac deſtruit, vel ut Helmontius loqui amat, ſigillum ſeu characterem Podagræ ſeminalem vel radicalem è ſpiritu vitæ non abſque inſigni virtute, quam hoc remedium adducit, abolere valet, adeoque hâc ipſâ demum medicaminis nobilitate ipſum morbi centrum penetrante, tam plena ac perfecta purgatio (quæ aliquoties, hoc eſt ſexies vel ſepties iteranda, prout malum ante inveteratum aut grave ac contumax eſt) præſtatur, ut nẹ locus podagræ quidem relinquatur. In hôc Coral-

Corallinô, ait Paracelſus, facultas adeo inſignis latet, ut citra illam purgationem inquirere & curare podagram ſeu arthritidem omnino impoſſibile ſit. Notandum tamen, quod per hanc purgationis notionem haud communis per dejectiones alvi aut vomitus purgandi ratio hôc loco intelligatur, ſed talis potius mundificatio, quam ſupra medicamentis ſaponariis Helmontio ſic dictis ſive alkalibus volatiliſatis adſignavimus, quorum virtus in eô conſiſtit, ut non tantum fermentum morboſum in partibus ferociens maſculè præcipitent humorum vitioſorum acrimoniam & hoſtilem aciditatem potenter mitigent vel emendent, corruptionis eximiam malitiam compeſcant, animatam putredinem perimant, & omnem denique ab Archeô ἀταξίαν hinc ortam præſtanter tollant, aut mulceant; verùm penitiores etiam vaſorum partiumque receſſus ab omni immunditie, quæcunque illa ſit, per virtutem effectiſſimè abſterſivam aut aliá ratione appropriatam egregiè repurgent atque purificent. Nunc videndum quoque, quid ſit Corallinum Arcanum, & quomodo id præparetur, aut ex quo fundamento dependeat. Ipſe Autor confeſtim hîc ſuam declarat mentem, dum hoc Corallinum nil aliud eſſe docet, quàm ☿ium rubeum fixum ac ſudorificum, quem Paracelſus alibi etiam Corallatum dulce ☿ij diaphoretici vocitavit. Triplicem verò arcanum iſtud Corallinum parandi modum ab Autore adnotatum hîc concernimus, quorum primus ſimplicior eſt; qui hâc ratione celebrandus venit: Recipitur nempe ☿ius currens benè purificatus, & diſſolvitur in Aquá forti, vel quod melius, in ſpiritu 🜕 optimô, quantum pro omnimodâ ſolutione fugitivi hujus metalli ſufficit: poſteà menſtruum per 🝭am vitream primùm lente, deinde fortiter abſtrahitur, quam abſtractionem frugalior artifex, qui abſtractum hoc menſtruum denuò animare, ac commodis ſuis rurſum deſtinare callet, locô evaporationis ab Autore adductæ ſanô utique conſilio eligere ac ſubſtituere ſolet: Abſtractô menſtruô ☿ius præcipitatus vel coagulatus in fundô 🝭æ deprehenditur, qui calorem rubeum ſic acquirere conſvevit; ſin verò non ſatis rubeat, denuò abſtractum menſtruum relicto ☿io affundi, atque ſic iterum iterumque abſtrahi illud poteſt, donec corallina illa rubedo (ob colorem enim hoc epitheto indigitatur illud Arcanum, non verò quòd tincturam coralliorum eſſentialiter in ſe contineat; eſt enim illud materiâ metallicum & reverà ☿iale) appareat: Quidam tunc potiùs ſecundâ tertiâque vice & ſic porrò ſemper recentem Aquam fortem vel ſpiritum 🜕ri non adeò malè affundunt, quâ ratione ad magis exaltatam rubedinem ☿ius iſte redigi poteſt. Huic præcipitato ad decentem ac deſideratam rubedinem perducto oleum 🜿ri per deliquium factum affunditur, atque invicem benè commixta digeruntur, cujus beneficio ☿ius præcipitatus à corroſiva & acerrima illa ſpiritus mineralis proprietate oppidò liberatur. Lixivioſus autem ille ⊖is 🜿ri ſapor ſeu acrimonia tandem per ▽. legę artis ſpagyricæ pe-

cæ penitùs penitusque tollitur, atque ſic demum hoc arcanum juxta chymicam loquendi rationem ac parandi modum edulcoratur, hoc eſt ab omni ſalſedine & ſpiritus mineralis corroſivâ acredine vindicatur, imò Helmontius expreſſè præcipit, ut hoc Arcanum non tantummodo calore rubeum & materia metallicum, ſed ſapore etiam melleum exiſtat, quod vel propterea nos admittere poſſumus, quoniam ex ſtemmate Saturni, in quo ingens dulcedo latitat, ☿ius vivus originem ſuam trahere ſolet.

Ad §. 7.

Succedit jam altera Arcanum Corallinum idque longè nobilius præſtabiliusque conficiendi ratio, quod ☉are juſto titulo inſigniri poteſt, quia ſubſtantialiter aurum hanc medicinam ingreditur. Modus præparandi planè cum primo convenit, niſi quod hîc ſolutio ☉is in ▽ quadam regia vel etiam oleo ⊖is optimô facta cum prædicta ☿ij ſolutione commiſcenda ſit, & poſtmodum eadem penitùs ratione, donec ad rubedinem deductum fuerit, procedendum, veluti de Arcanô Corallinô ſimplici paulò ſuprà jam diximus. Ne verò cuipiam abſonum videatur, quod uni eidemque medicamento tam vis cathartica quàm ſudorifica ab Autore hîc adſcripta fuerit, nos obſervandum eſſe propterea admonemus, longè aliter comparatum eſſe cum Panacæis & Arcanis præſidiis, quàm cum vulgaribus: Illa enim ut Naturæ ac ſpiritui noſtro inſito, qui ſpiritus univerſi intimus conſanguineus eſt, ſunt amica valdè & acceptiſſima, ita etiam invicem ſic conſpirant, ut remedia illa aſtralia ſeu arcana vera unà cum Natura noſtra exactè cooperentur, adeoque ſi Natura per alvum aut per urinarios ductus, vel etiam per poros, & ſic porrò, ſe expedire & ab impuritatum ſarcina liberare geſtiat, eandem vim ſibi quoque commendatam ac deſtinatam habeant, atque ſic ex voto Naturæ conatus promoveant. Ut ergò Medicina Naturæ officioſa imitatrix ac fidelis miniſtra eſt, ita etiam arma Artis undique cum Naturâ convenire, eidemque omni ex parte inſervire debent. Hoc igitur ratiocinium ſi ad Arcani Corallini virtutes nunc accommodetur, cuncta protinus vel ſponte clarebunt. Tertius modus eſt planè philoſophicus & omnium excellentiſſimus, ſed pauciſſimis notus, qui cum ſuccô & nectare metallorum ac mineralium omnium ſpermaticô, radicali ſeu univerſali, quem toties jam ▽am ſapientiæ ſeu ☿ialem veram ſalutavimus, inſtituitur ita ut ejus beneficio ☿ius unà cum auro, quæ ſicuti etiam reliqua metalla omnia in hoc mirabili Sophorum menſtruo facilimè & tanquam cera ad ignem aut glacies in ▽â liqueſcunt, ſolvatur, & ita ambo ad ſua principia ac primam materiam reducantur, & volatilia hoc eſt aſtralia reddantur, poſtmodum verò per debitum fixationis modum ad purpuream regalemque rubedinis ac perfectionis dignitatem coquantur, exaltentur.

tentur. Atque hæc medicina demum verè philoſophica eſt, hoc, inquam, eſt aurum illud Philoſophorum, vel ut cum Helmontiô dicam, fulgens ille auri horizon, ſub cujus dominiô omnes etiam contumaciſſimi ac planè deſperati morbi, ad quorum claſſem inveterata Podagra etiam pertinet, omnibus modis evaneſcere aut ſuccumbere coguntur, adeoque ut arcanum hoc Corallinum juxta Paracelſi mentem ex eſſentiâ auri tam vulgaris quàm philoſophici præparatum, & propterea in rei veritate eſſentiâ ſuâ aureum eſt, ſic quoque aureas planè & incomparabiles virtutes præ reliquis cunctis obtinet. Aſt cum non cuivis contingat adire Corinthum, aut ſacra Hermeticæ adeptæque Philoſophiæ adita ingredi, cum Autore ad ea nos interim convertimus, quæ infirmitati noſtræ cognitæ, nec tantoperè abſcondita exiſtunt, donec cum DEO & die unus vel alter noſtrûm fortè ad exoptatiſſimum illud perveniat TANDEM.

Ad §. 5.

Inter ſpecifica & in arthritide convenientia medicamenta, quæ hactenus Chymiatris in uſu fuerunt, Autorem noſtrum primitiùs referre ſpiritum ⊖li quotidiè uſurpatum animadvertimus, qui ut in tartareis morbis omnibus appropriatè competit, & in hôc caſu egregium attenuandi ac reſolvendi beneficium exhibet, ita etiam contra arthritidem rectiſſimè uſus ejusdem aſſiduus laudatur. Sed quid per 🜿rum ſudorificum ſibi cupiat Autor, non adeò planum eſt: Ex Diſpenſatoriis enim tale quid nobis non conſtat, ſiquidem tartareis ſive ex 🜿rô paratis medicamentis digeſtivæ, abſtergentis & deoppilantis virtutis ſingularis imò univerſalis excellentia tantùm tribui à cunctis ſoleat, niſi ad ſpiritum 🜿ri hîc recurrere quaſi velit; utpote quem per ſudores ſtrenuè purgare novimus. Fortaſſis intelligit Autor hîc ſpiritum 🜿ri coagulatum hactenùs non adeò cognitum, qui cum ſuo proprio ⊖e fixo non ſecus ac v. g. ſpiritus ⊖li coagulatus præparari, atque hinc peculiare & cumprimis in arthritico malo approbè conveniens ſudorificum conſtitui poteſt: Id quod prudentioribus Chymicis ulteriùs perpendendum tradimus atque relinquimus. Certum tamen eſt, quod 🜿rus 🜿rum, hoc eſt ex 🜿rô ſpagyricè parata medicamenta 🜿reos & à fæculentô ⊖e ortos morbos efficaciter curent; unde etiam 🜿rea medicamenta omnia (præſertim ſi ⊖ 🜿ri fixum philoſophicô acumine ſpirituoſum ac volatile reddatur, quod Paracelſus ⊖ ſuum circulatum vocat) in arthritide ſanandâ pro maximè ſpecificis habentur, ob eam ipſam cauſam, quam ſuprà ſæpiùs jam adduximus. Flores ✱ per ſepties iteratam ♎ationem exaltati, & tam externè quàm internè eô, quô Autor præſcripſit modô, uſurpati Podagricorum expectationi ac deſiderio ſummopere ſatisfaciunt. Quid ℨium quoquô modô paratum hîc præſtare poſſit, ex iis protinùs perſpicere licebit, quæ toties circa remedia ex ℨiali

ſtirpe deſumta jam monuimus. Tandem ad extrà °°̥ juniperi (potiſſimùm ex ligno ejus factum) idque ſedulò rectificatum & ad penetrabilem ſubtilitatem perductum tanquam ſummum in arthriticis doloribus paregoricum laudat Autor: Ut enim hoc ipſum genus nervoſum inſigniter roborat, ita etiam dolores iſtos valdoperè mitigat: Nos tamen præferimus hîc potius oleum ♀ri fœtidum, ſi diligenti cohobatione ſit mundificatum, & huic ipſi inter Unguenta patientiæ ſic dicta primas attribuimus, præcipuè ſi qui Saturnum & ♀rum; utrumque tamen ritè inſtructum arctô fraternitatis vinculo ligare ſapiat: Reliqua ex Practicorum ſcriptis ſed & dictatis noſtris tam fermentationis præcipitationem, quàm animatæ putredinis extinctionem concernentibus petantur.

CAPUT LXIII.

De

Peſte, & hujus cauſis, præſertim verò, quâ ratione fracidus ille ac peſtiferus ſpiritus ex corruptione rerum infernarum producatur;

Item:

De Peſtis præſervatione & curatione.

§. I.

DE Peſte tractatum ſatis longum amplumque anno ſalutis 1638. in lucem dedimus, in quô peculiaria diximus. Hîc autem breviter ſolùm de Peſte agemus, & quod ibi fuſè propoſitum fuit, hîc compendioſè narrabimus.

§. 2. Peſtis ergò cum ſit flagellum Dei ſingulare, & preſſura contagioq; hominum propter peccatum immiſſa, ea etiam inviſibilis ac ſpiritualis eſt eſſentiæ ac tenuiſſimæ ſubſtantiæ, quæ ex nullô excrementô corporis humani ortum ducit, ſed immediatè à DEO iratô ex ſpiritu elementaris corruptionis fracido, malignô & virulentô provenit.

§. 3. Hic ſpiritus fracidus, malignus & peſtilens venenô ſuô tenui, inviſibili & ſpirituali nutrimentum inficit tum ſpirituale tum corporale; ſi corporale, multi tunc ſalvi evadunt, & à peſte liberantur: ſi verò ſpiritus humanus inficiatur, ab hôc genere peſtis difficilimum eſt ſervari, niſi potentiſſimis Naturæ arcanis & ſolô vitali balſamo, quod reperitur in ⊖e univerſali, tanquam totius Naturæ

turæ balſamo ac fundamento puro perfectèque cocto, atque cum ſpiritu ſuo & anima in eo ſolo latitantibus unitô, ita ut hæc tria unum fiant, purum & rerum mundanarum omnium perfectiſſimum: Hoc ſolum medicamentum ſuperius etiam in Cap. de Arthritide declaratum Peſtem naturalem à ſpiritibus malignæ corruptionis provenientem perfectiſſimè curat; ſi autem à DEO iratô oriatur, ſolis precibus ad DEUM fuſis curari ſolet.

§. 4. Omnis autem peſtis contagioſa eſt, cùm ejus cauſa ſit ſpiritualis, quæ facilè communicatur & per aërem facili viâ diſpergitur, unde ad nos & ad animalia quæque promtè pervenit, ſpiritus noſtros & humorem alimentitium, quô nutrimur & conſervamur, facilè inficiendo. Aër enim eſt vehiculum ipſius ſpiritus fracidi, maligni & peſtilentis; ſed ſine aëre vivere non poſſumus, unde ſi aër venenô peſtilenti ſit infectus, per eum nobis hoc malum vel ſpontè communicatur, & vita noſtra ſeu ſubſtantia, quâ vivamus, contaminatur.

§. 5. Sic ergò ſerpit ubique peſtis, nec exiſtimandum eſt, aërem ſeu venenum peſtilens in aëre latens corrigi poſſe, niſi difficili admodum viâ, quia oportet, ut venenum illud ſpirituale & inviſibile vincatur ab alio ſpiritu potentiori, qui difficilis admodum repertu eſt; nihilominus tamen reperiuntur ſpiritus & fumoſæ ſubſtantiæ, quæ aërem optimè corrigunt & venenatâ qualitate ſpoliant, ut in curatione & præſervatione peſtis inferiùs videbitur; faciliori autem viâ præſervamur à peſte, quàm infecti ab eâ curamur, cùm venenum peſtilens exterius faciliùs vincatur, quàm interius.

§. 6. Hinc variæ ac multùm difficiles poſſunt exoriri quæſtiones, an ſpiritus hic fracidus & mucore quodam peculiari venenatô infectus ac peſtiferus ex ſolis cauſis naturalibus & inferioribus elementaribus non cooperante cœlô naſci poſſit: Antiquitùs namque ratum eſt, peſtem oriri ex cœlô, quod ex conjunctione quarundam ſtellarum & planetarum peſtis portendi & præſagiri ſoleat. Ergò ſi tales influentiæ & radii cœleſtes peſtem præſagiant, ad productionem ejus etiam aliquid, imò fermè totum conferre hos ipſos, neceſſum erit, cùm inferiora non cooperante cœlo nihil agant nec agere poſſint.

§. 7. Ad hoc reſpondemus, cùm cœlum ſit incorruptibile, & nihil ex eo defluat in hæc inferiora, niſi vitale & prorſus ſalutiferum ſit, nihil mortis etiam & morbi ex cœlo eſſe poteſt, ſed ſolum ex corruptione inferiorum Elementorum dependet. Superiorum igitur radii cœleſtes omnes vitales exiſtunt, & ☉is æquè ac Saturni, ♂tis & ſcorpionis ſunt ſalutiferi; adeoque Saturnus, ♂, ſcopio, hyades. plejades & reliqui omnes ſiderum radii hinc in inferiora influentes non ſunt ad mortem & ad morbos, ſed ad vitam & ſalutem

 miſſi;

miſſi; ſi tamen mors ac morbus graſſetur,non inde,ſed ex corruptione peculiari elementorum inferiorum oritur.

§. 8. Recordor quidem in tractatu meo peculiari de Peſte contrarium me aſſeruiſſe; ſed hoc falſum eſt, & propterea contrarium jam aſſero. Si tamen cœli præſagiant peſtem, hoc minimè agunt tanquam cauſæ materiales & efficientes, ſed tanquam ſigna: Mutant enim tempora, & mutationes temporum deinde pariunt morbos; inferiora tamen elementa ex mutatione cœlorum mutant ſe invicem, non quod hæc mutatio dependeat à mutatione influxus cœleſtis tanquam ex cauſâ efficiente,ſiquidem v. g. hyems noſtra non dependeat ex influxibus & radiis cœleſtibus, qui ſunt tempore hyemis, dum ☉ ex capricorno ad ♋ graviter,quia multi dies tempore hyemis æquè calidi & ferventes ac in æſtate reperiuntur; ſed hyems tunc temporis fit, quod elementa inferiora ☉e à nobis longiùs diſtante fortiùs agant in aërem, atque in ipſum meteora frigidiora mittant; Unde frigus & pluviæ, nec non reliqua hyemis meteora.

§. 9. Noſtra verò æſtas fit, non quod ☉ ad nos propiùs accedat, dum à ♋ ad capricornum venit, ſed quod tunc temporis elementa inferiora fortiùs agant emittendo exhalationes & vapores calidos atque ferventes in aërem, qui tunc temporis incaleſcere ſolet,non ſecùs ut tempore hyemis frigeſcit ob vapores frigidos ſibi transmiſſos: ſi verò tempore hyemis vapores calidi in aërem mittantur,ut ſæpiùs fieri ſolet,tunc calidiores illi dies evadunt; ſi frigidi & humidi tempore æſtatis exhalentur,frigidiores etiam fiunt dies: Quod per ipſam experientiam clariſſimum eſt.

§. 10. Cœli itaque non agunt in Peſte producendâ,ſed eſſentialis & materialis ejus cauſa eſt ſpiritus fracidus peculiari mucore infectus, qui in elementis inferioribus ex corruptione ſingulari oritur; dum enim illa peculiari fracedine & mucore corrumpuntur, ſpiritum quoq; fracidum, immundum & venenatum exhalant,adeoq; cauſam materialem & efficientem ipſius peſtis abſolutam conſtituunt,modò ſpiritus noſter,quô vivimus, hôc ipſô mucore & fracedine inficiatur,veluti id clariùs nunc examinabitur.

§. 11. Nempe corruptio in rebus inferioribus omnibus à calore & humiditate fieri ſolet: Ubicunque igitur calor agit in humiditatem elementarem, cujus elementa ſunt impura & excrementis mucoſis viſcidisque delibuta, ibi fit corruptio; Cui ſi ſuperveniat mucor aut fracedo quædam, tunc ſtatim degenerat ex ſuâ naturâ in venenum quoddam ſpirituoſum & ſubtile,vitæ noſtræ valdè inimicum,quod ob ſubtililatem ſuam facilè exhalat aëremque contaminat.Cùm verò animalia ac præſertim homo aëre indigeant,eumque non ſolùm inſpiratione ſuâ hauriant, ſed is quoque per poros corporis intret, ut vitales ſpiritus ſic

ſic refocillentur atque reſtaurentur ; fit etiam, ſi aër iſte fracedine ſuâ ac mucore venenatô ſit infectus, ut ſpiritus noſtri vitales ilicò tali venenatô mucore inficiantur.

§. 12. Undè ſi ad ventriculum primò perveniat ille aër tale mucore ac ſpiritu fracidô infectus, ſpiritus ventriculi vitalis tanquam functionum vitalium œconomus ac miniſter ob talem hoſtem intùs admiſſum pavorem ſtatim atque terrorem inſignem concipit, laxatisque hinc vitæ noſtræ habenis ad peculiare ſuum propugnaculum obtinendum aufugit, unde ventriculus vomitu & nauſeâ ſumma ac inexpugnabili vexatur, nec non dolor capitis vehemens ſuccedit, quia cerebrum unà cum ventriculô ab eodem hoſte infeſtantur, tandemque univerſus vitæ noſtræ ſpiritus afficitur, unde excandeſcit & valdoperè iraſcitur, quô factô febris ilicò adeſt, ac totum corpus fervet, quoniam ſpiritus vitæ noſtræ ut talem hoſtem ac inimicum aggrediatur, calorem ſuum gradu, quo poteſt, auget, ut his armis ſpiritum illum venenatum foras expellere poſſit; hinc fiunt dolores, in emunctoriis anthraces, vibices, maculæ nigræ, rubræ, & violaceæ per totum corpus: noſter enim ſpiritus, vitæ noſtræ œconomus per calorem ſuum auctum ad cutem tanquam ad corporis cloacam illa veneni miaſmata amandat, ut reliqua interiora & nobiliora viſcera præſervet, donec tandem vincat hoſtem aut ab hoſte vincatur, atque hinc ſanitas aut mors ſubſequatur.

§. 13. Unde colligere poſſumus in caſtris omnibus peſtem facili negotiô generari, eò quod caſtrorum Duces negligant, mortuos milites & naturali morte vel aliô caſu peremtos longiùs à caſtris ſepeliendos, & excrementa omnia caſtrorum longiſſimè à caſtris auferenda curare ; ex quibus omnibus poſteà exhalat fracida mephitis & mucor radicalis, qui facilè induit peſtiferam Luem, ac deinde aërem contaminat ; quo ſic infectô inficitur etiam noſter vitalis ſpiritus, atque hinc à cauſis externis propagatur producitúrque peſtis.

§. 14. Sed ſæpiùs etiam in intimis noſtri corporis viſceribus & thalamis progignitur peſtis, non verò ſemper ex cauſis exteriùs ſerpentibus dependet: Ut ſi v. g. ſanus aliquis nec ullo pactô à peſte infectus audiat, peſtem graſſari per aliquam regionem longiſſimè à ſe diſtantem, in eaque parentes & proximos ſuos percipiat peſte affectos aut peremtos, tunc temporis ipſe licet ſanus peſtem imaginatur, & ex imagine iſtâ timet terretque ſpiritus ſuos, ex quo terrifico peſtis conceptu in excrementis corporis ejus intùs latitantibus producitur ſpiritus fracidus & mucoſus, qui tunc temporis facili negotio eſſentiam peſtis induit, ſicuti putredo quævis ex imagine peſtis & conceptione illius ea, quæ ſuperflua ſunt, ad peſtem perficiendam promtè aſſumit: Atque ſic incipit peſtis in intimis corporis noſtri thalamis, dum peſtem imaginamur, & non ſolùm ſimplici phantasmate concipimus, ſed cum timore & pavore apprehendimus,

unde ex timido illo conceptu horret ſpiritus, ac timor ſpiritui incutitur, isque terrefactus ita debilitatur, ut ad præſervanda corporis excrementa, ne ad viam inſignis corruptionis labantur, non valeat, unde eadem à ſpiritu vitali derelicta magis magisque corrumpuntur, donec fracedinem illam venenoſam peſtiferamque acquirant, atque ſic peſtis in nobis primordialiter exoriatur ex peculiari corruptione excrementorum à ſubſtantiâ vitali ſeparatorum per imaginem terrificam ipſius peſtis, quæ ſpiritum noſtrum protinùs aggreditur & ita debilem reddit, ut facilis poſteà aditus fracido illi ſpiritui pateat, qui corruptiones omnes promtè inſequitur: Atque hinc peſtiferus exoritur ſpiritus.

§. 15. Potiſſima peſtis præſervatio conſiſtit in mutatione loci, qui locus ſummâ prudentiâ & cum conſilio prudentis Medici eſt eligendus: Nam ſi vapor peculiaris fracidus ac peſtilens ex loco & provinciâ aliquâ exhalet & ſur um feratur, tunc videndum & perpendendum eſt, quò uſque ſe extendat illa exha atio maligna peſtilens & fracida, petendusque eſt locus, ubi benignior ſpirat aura, benignique vapores & ſvavibus ventis concomitati dominantur. Nonnulli quidem locum mutant petuntque alium, ubi crudelior ac pejor eſt exhalatio aut vapores ſunt maligniores, quod tamen non eſt mutare locum, ſed potiùs in eodem perſiſtere. Antiqui quando de mutatione loci loquuti fuerunt, eam intellexerunt, ubi nempe vapores & ſpiritus peſtilentes non dominantur. Unde dicere conſveverunt: Longè citoque abi, & tarde redi: Quæ vera demum & utilis eſt loci mutatio pro præſervatione peſtis.

§. 16. Præter mutationem loci præſervant à peſte primo 🜍 ♁ij ſudorificum, quod aliàs dicitur Cinabrium ♁ij ex ☿io & 🜍re ♁ij compoſitum: Hoc 🜍 ad ʒj cum ℥j ▽æ ulmariæ vel card. bened. aſſumtum præſervat à peſte, ſi ſudetur per 3. aut 4. horas ab ipſius aſſumtione.

§. 17. Secundò præſervat à peſte pulv. emeticus ter in menſe aſſumtus; poſteà ☿io ſudorifico foras pellendus eſt ſpiritus venenatus & peſtilens, qui noſtrum ſpiritum inficere tentat.

§. 18. Eſſentiæ etiam ſanguinis cervi & ciconiæ ſunt præſervandæ peſtis arcana: 🜍 quoque cum myrrhâ aloë hepatica permixtum à peſte præſervat. Præſtant id etiam & aërem corrigunt fumigia ſequentia: ℞ 🜍ris ℔j, picis & Θ aa ℔ß, thur. ℥iij, myrrh. ℥ij, aſæ fœtid. ℥j, balſam. 🜍 cum ſpiritu terebinthinato compoſit. ʒij. Miſc. fiat paſta, de quâ ter in die, manè, meridie & veſperi fiat per totam domum & cubicula ejus fumigium ſuper carbones ardentes, parum de ipſâ ſuper eos mittendo: Atque ſic extinguitur venenum peſtilens, quod in aëre latet; cùm hæc omnia fracedinem & mucorem avertant, 🜍 & pix unà cum Θe præſervent.

§. 19. Præſervat etiam ſummoperè à peſte quotidiana ſudatio in hypocauſtô

cauſtô ter ſaltem in hebdomate inſtituta cum △ e ſequenti: ℞ Carabes ſeu ſuccin. alb. ℥j, thur. & myrrh. aa ℥ß, V̈ opt. ℔j, ponantur hæc omnia in vaſe fictili, & ſpiritus Vini accendatur, ac includatur hic ignis ſeu flamma in hypocauſtô, & maneat ibi per horam à peſte præſervandus unà cum ſuis veſtimentis, quô ſic facto & ipſe & veſtimenta ejus à veneno peſtilenti vindicantur, ut tutus tunc temporis ab omni peſte eſſe poſſit; qui ſudor ter in hebdomadâ iterandus eſt. Contra peſtem verò ab iterato Deo immiſſam non eſt clypeus in Naturâ fortior potentiorque, quàm preces & eleemoſynæ.

§. 20. Bezoardicum animale ex Bufone paratum ſummum eſt in peſte præſervativum ac curativum: ſumitur nempe bufo recens & vivus ac cum ⊖e petræ calcinatur æquali in pondere, quod calcinatum & pulvis hinc reſultans dicitur Bezoardicum & antidotum animale ex bufone; ſicuti etiam in bufone adhuc vivo latitant arcana majora pro curandâ & præſervandâ peſte, ut paulò poſt narrabitur.

§. 21. Vinum picatum, ſalitum & 🜍ritum ſummoperè à peſte præſervat, ita ut ordinariè in paſtu de Vino illo bibatur: ſpiritus ⊖is etiam à peſte præſervat, ſicuti omnia ea, quæ proprietate naturali à putredine præſervantur ac incorrupta manent, unde ⊖ minerale univerſale totius Naturæ, quod putredinem ab omnibus rebus arcet, ac earum omnium eſt balſamum, ſummum arcanum peſtis præſervandæ exiſtit, modo purum fiat, & præparatur ad rubedinem ſummam poſtmodumque ſpiritui ſuo acido inſeparabiliter uniatur.

§. 22. Peſtis curatu admodum difficilis eſt, cùm ſpiritus ille peſtilens tanquam natura & efficiens cauſa peſtis fortis admodum ſit ac potens, ita ut inviſibili ac ſpirituali gladio nos aggrediatur: Itaque non exiſtimandum eſt, reperiri poſſe in Naturâ materialia & corporalia medicamenta, quibus evinci ac domari tanta lues ſeu virus peſtilens poſſit, ſed ad eſſentias ſpirituoſas recurrendum eſt: ſola autem Chymia potens ac dives eſt in inveniendis hiſce medicamentis, quæ methodo ſuâ & Vulcaniis armis inſtrumentisque omnia naturalia medicamenta ad ſpiritualem reducit naturam, & corpore craſſo ſpoliat.

§. 23. Curatur ergò peſtis tutiſſimè, citiſſimè ac jucundiſſimè ſolo balſamo generali ex ⊖e univerſali elicito, quod, ſi ab omnibus excrementis ſuis, quibus ſcatet, exſpolietur, & purum nitidumq; corpus ejusdem puro nitidoque ſpiritui ſuo ſepties deſtillato copuletur, & ita coctione continuâ coquatur, ut duo fiant unum, purum & mundum, incorruptibile ac inſeparabile, ſolum illud in Naturâ latens certiſſimum, tutiſſimum ac jucundiſſimum curandæ peſtis arcanum eſt, quo ſpiritus ille fracidus ac lethalis devincitur: Hujus autem balſami jv. grana accipienda ſunt ad curandam peſtem cum Vino generoſo, & quidem

ſemel

ſemel tantùm in die; ſudat hinc ſtatim æger ac per diaphoreſin inſenſibilemque transſpirationem foràs ejicitur ſpiritus ille peſtilens, & ſpiritus humanus aliorumque animalium omnium tantô robore refocillatur, ut ſufficienter omninò vires mali rumpere & hoſtem atrociſſimum vincere aut debellare poſſit. Solô etiam uſu tanti balſami tutiſſimè à peſte præſervantur, qui eò utuntur, etſi peſte infectis ſerviant, viſitentque aut cum ipſis permaneant.

☞ §. 24. Huic & tanto medicamento ſuccedit bufo recens ac vivus menſe Juniô poſt meridiem captus: Is autem ſuſpendendus eſt per triduum pedibus inferioribus filo alligatus coram △e lento ſuppoſita patella cereâ, ut tandem in illâ triduanâ ſuſpenſione vomat bufo terram, quam ſingulis diebus comedit & muſcas virides ac veluti deauratas: Et hoc terreum excrementum omne, quod bufo in illâ ſuſpenſione vomit, unà cum muſcis illis viridibus ſuſcipiendum eſt, atque inſimul cum bufone exſiccatô ac in pulverem reductô permiſcendum, nec non cum gummi tragacantha in ▽ card. bened. diſſoluto conterendum ac commiſcendum eſt, poſteà in trochiſcos minutiſſimos redigendum pondere aurei unius, qui peſte affectis gerendi ſunt pro amuleto, & in curandis ulceribus peſtilentibus tutiſſimè adhibentur. Quantò magis præſervatis à peſte hôc remediô præſtari poterit. Bufo unus ſatis magnus ſufficit ad curandos peſte affectos etiam quadraginta mille, quod mirum & in Naturâ ſtupendum eſt arcanum: adeoque bufo in Naturâ verum & certum curandæ peſtis hieroglyphicum certiſſimumque præſervativum eſt, modò ſuſpendatur in adſpectu noſtro: ſi igitur terror ac odium ejus naturale in nos creſcat, tunc toxicum fit ſummum.

§. 25. Succinum flavum aut candens ac radians eſt etiam curandæ ac præſervandæ peſtis ſecretum tutiſſimum, ſi ſæpius in die emunctoria hoc ipſo ſuccino fricentur, donec ſuccinum incaleſcat; eſt etiam verum pentaculum ſeu amuletum fugandæ peſtis, ſi geſtetur; Eſſentia ejus pariter ſummoperè prodeſt in profliganda peſte, ſi ſuccinum ſpiritu Vini rectificatô diſſolvatur; hæc diſſolutio maximè confert tum in curatione, tum in præſervatione peſtis. Aſſumenda autem ſunt iſta medicamenta, & ab eorum aſſumtione ſudor provocandus, ut ſi quid intùs veneni ſit, per ſudores foràs ejiciatur.

§. 26. Cathartica medicamenta cujuscunque generis vix proſunt in profligandâ peſte, quia cauſa ejus materialis & efficiens eſt ſpiritualis, flocci pendens virtutem catharticam omnem: Itaque conſulo peſtiferis temporibus hac lue infectis aut ab ea præſervandis, ut nullis catharticis ſeu purgantibus, niſi ſolo ☿io præparato aut ☿io vitæ utantur, ut excrementa corporis humani tanquam peſtis fomentum ac fermentum educantur: his enim ſolis medicamen-

tis

tis latitantia expelluntur, atque ſic ſpiritus ille peſtifer, fracidus mucoſusque evincitur.

§. 27. Notandum eſt in pentaculo ſeu amuleto bufonis præparando, bufones eſſe capiendos menſe Junio poſt meridiem decreſcente ☽a, veteresque bufones eſſe meliores, quia in nos majus odium concipiunt, & majori terrore ex adſpectu noſtro afficiuntur, quàm juniores: Ideoque irritandi & ad focum ſuſpendendi ſunt filo alligati pedibus inferioribus aut poſtremis, ut in iſta ſuſpenſione præ terrore & odio moriantur: Dum verò moriuntur, vomunt terram, quam ſingulis diebus comedunt, ac vermiculos ex terrore & odio partos productosque ejiciunt; quapropter patella cerea flava ſupponenda eſt, ut vermiculi illi inviſcentur & capiantur cera levi igne emollita: Ex his igitur omnibus unà cum corpore bufonis emortuo exſiccatoque ac in pulverem redacto unà cum patella cerea ſuppoſita amuleta & pentacula ſunt conficienda, quæ non ſolum geſtatione ſuper mammam ſiniſtram ad præſervationem peſtis, ſed & adſtrictione ſua ſuper ulcera peſtilentia & appoſitione ad curationem citiſſimam tutiſſimamque proſunt.

§. 28. Inter Vegetabilia datur Uva inverſa, quæ ſi recens contundatur & applicetur, ter repetendo, ſuper bubones & anthraces, venenum mirificè extrahit ac quaſi ſuffocat, adeoque in agone conſtitutos reſtituit.

§. 29. Hyacinthus etiam ſmaragdus & ſaphyrus, item corallium & aurum habent ſummam vim extrahendi veneni peſtilentis; ſed ſi ad eſſentiam redigatur cum ſpiritu acidô ⊖is generalis ac deinde dulcorentur cum ſpiritu Vini alchooliſato, miranda & ſtupenda curandæ præſervandæque peſtis ſunt arcana tum admota tum aſſumta ad quantitatem granorum quorundam, in juſculis aut ▽is appropriatis ſudorificis ac roborantibus: tunc enim roboratus Archeus noſter ſeu ſpiritus vitalis hiſce arcanis ac myſteriis potentiſſimè in expellendo veneno peſtilenti agit. Et hæc eſt certiſſima, tutiſſima ac jucundiſſima peſtis cura ac medela.

Animadverſiones

Ad §. 1.

PEſtem eſſe perditionis aut interitus nomen, omnes eruditionis confirmant linguæ: Hac enim qui laborant, plerumque perire ac peſſum ire ſolent; unde à Philologo quodam Clariſſimo dictum fuit, peſtem hoc addere mortalibus, ut comitatiores moriantur, & minùs comitati ſepeliantur: Quapropter peſtis

etiam funerea Lues, morbus lethalis, venenum mortiferum ac mors ſeu lethalitas κατ' ἐξοχτῶ vocatur, atque peſtiferum proinde auſpicium idem eſt, ac id, quod mortem & exitium indubitatum portendit. Adeoque peſtilentiæ morbo nullus formidabilior, nullus contagioſior ac magis calamitoſus, nullusque crudelior ac ferocior exiſtit, quippe qui pauci temporis intervallo integras urbes civibus, ac colonis agros miſeris modis viduare, ingentesque ſolitudines inducere conſvevit. De hâc ipſâ igitur ſine pari ærumnoſa & peſtifera labe, quam non immerito morborum reginam ſalutant, in præſenti agit nunc quoque Autor, & ſe quondam de ea ſatis prolixum uberrimumque, licet nunquam nobis viſum tractatum conſcripſiſſe teſtatur, cui tamen hîc loci ipſemet in quibusdam, ut paulò poſt videbimus, ſciens volensque contradicit, veluti poſteriores cogitationes ſemper eſſe ſapientiores & dexteriori maturitate magis inſtructæ ſolent. Mentem verò ſuam de Peſtis natura & cauſa cumprimis tunc mutaſſe Autorem, poſtquam Helmontii oculatum acumen ſeu inaudita Doctrina ejus publicam lucem adſpexit, vel exinde deprehendimus, quod in ſingulis atque præcipuis cum Helmontio in hac doctrina conveniat, imò verba & animi ſenſa magni iſtius per △em Philoſophi mutua accepiſſe, ſi ſcripta invicem conferre non diſpliceat cuipiam, ſatis ſuperque in aprico eſt. Quicquid autem ſit, noſtra tamen non intereſt, modò ſub præſidio & nutu veritatis hæc peſtis, pathologia conſcripta exiſtat, ita ut recto tramite ad benè ineundam tam ardui mali curationem ea nos poſtmodum manuducere queat. Hanc ipſam ergò compendiariam & nos ſequemur viam, quam nobis Autor noſter & promiſit, & reapſe etiam exhibuit, ita tamen ut veritatis affectus ſemper nobis ſit potioris, quàm virorum utut magnorum ac celeberrimorum autoritas, quos olim & hactenus in deſignandâ vera genuinaque peſtis cauſa adeò hæſitaſſe & adhuc hæſitare concernimus, ut tot infinita propemodum monumenta eorum & tot diverſa hac in parte mireque fluctuantes opiniones Lectorem ad confuſionis præcipitium non trahere non poſſint. Unum excipimus Kircherum, qui non ita pridem tantam in Medicinæ theatro accendit & cœcutienti turbæ commodavit lucem, imò & me unà cum Hauptmanno meo, dexterrimi in ſcrutandis & feliciter aſſequendis Naturæ arcanis judicii Viro, in ſententia ac meditationibus noſtris, de vera mortis malignitatisque idea ſeu imagine, ante hoc decennium, & quod excurrit, conceptis confirmavit, ut amplius de accuratè ac promtè determinanda malignitatis, adeoque etiam peſtiferæ Luis natura eſſentiaque nequaquem dubitemus, ac ceſpitare nos poſſe cenſeamus: Ubi tamen dolore omninò cogimur, non paucos etiam ex Viris non contemnendi ingenii ac celebrioris famæ exiſtere, qui rei tam manifeſtæ nihilominùs fidem adhibere pertinaciter negant, imò tam nobile mentis curioſæ inventum flocci potiùs habent acerbeque rident, quàm ut ſcripturam

vene-

venerabilis Naturæ nunquam ſatis laudandam ulteriùs inveſtigare, & veritatis ubera ſugere in gratiam communis commodi geſtiant. Atque ſic ô quàm multi imò plerique, quibus publica ſalus concredita eſt, canonicè (ſi Diis placet, nempè juxta Veterum confuſa & abſurda documenta) mederi ſe jactitando, planè contra conſcientiam & ex mera maledictaque conſentiendi ignavia tam temerè miſereque de corio humano ludunt, veluti ad oculum id demonſtrare poſſemus, niſi exempla tantoperè eſſent odioſa. Aſt ut ad ſcopum redeamus, in anteceſſum monemus, Kircherum nobis in explanatione Peſtis juxta Autoris textum cynoſuræ adinſtar fore, cujus copiam à nobis ante biennium hîc Lipſiæ publico bono communicatam ut quilibet in promtu habere poterit, ita nos eò breviùs etiam, remittendo videlicet Curioſos ad politiſſimum laudati jam Autoris de Peſte ſcrutinium typis excuſſum, expedire licebit.

Ad §. 2.

Ut mortem peccatorum eſſe ſalarium, & morbis, ad hanc quandam ſemitam, novimus, ita luridam quoque peſtem nil aliud, quàm percutientis DEI certiſſimum flagellum & ſagittam, ex pharetrâ exitiali lue plena depromtam, ob iniquitates hominibus immiſſam exiſtere, ex ipſâ ſanctâ paginâ & effatu dignis hiſtoriis inibi conſignatis aliisque eccleſiaſticis abundè diſcimus, imò nemo erit, qui temerariò auſu hoc ipſum inficias ire conabitur; Hinc ab aliis etiam gladius & manus Domini ob gravitatem peccatorum magnam hominum multitudinem proſternens adpellatur, & apud Paracelſum ira DEI audit. Atque hôc ipſô ita ſe habente, inſtare quis poſſet Medico hîc nihil agendum eſſe, quod Lues iſta divinum quid eſſe, ac propterea omnes Naturæ cancellos excedere cenſeatur. Verum reſpondemus cum doctiſſimo Kircherô, licet hâc ipſâ contagione tanquam immediatô juſtitiæ ſuæ organo mundus â DEO caſtigetur, ut plurimum tamen Deũ ter maximum mediante Natura tanquã ſua miniſtra juſtitiæ ſuæ rigorem exſerere. Quapropter Medicus hic animum deſpondere, & ægrotos auxiliô ſuô protinùs deſtituere non debet, quùm peſtis eſſentia plerumque intra Naturæ clauſtra contineatur, atq; ſuas in Naturâ fundatas habeat cauſas, Deusq; cauſarum ſecundarum conſortiô ac concurſu ad conſimiles plagas mortalibus inferendas uti ſoleat; adeoque utut juxta Autoris effatum peſtis eſſentia ſit tenuiſſima ſeu ſpiritualis ac inviſibilis, ex nullô humani corporis recrementô ſeu impunitate (quæ tamen non penitus tunc excludenda eſt ſiquidem impurum atque excrementitiis vitioſisque humoribus ſcatens corpus aptiſſimam faciliùs cõcipiendæ peſtis ſedẽ atq; domiciliũ præbeat) ſcaturiginẽ ducens, ſed imẽdiatè ab irâ divina tanquã cauſa principali proveniens nihilò tamẽ minùs ex Naturæ ſinu inſtrumentũ ſeu materialem vel occaſionalẽ cauſam, quæ conſiſtit, ſecundùm

verba Autoris, in ſpiritu fracido ac venenato (qui modus ſequendi in Helmontiano peſtis tumulo frequentiſſimè occurrit) à corruptione elementari oriundo, DEUS deſumere conſvevit.

Ad §. 3.

Cauſa peſtis proxima & immediata ab Autore cum circumſtantiis quibusdam hîc proponitur, & ſpiritus fracidi ac venenati nomine exprimitur. Ut ergò rem ipſam intimius inſpicere ac comprehendere, nec non cum Kircheri ſententia ex ipſa veritatis matrice nata, quantum quidem poſſibile, conciliare queamus, paucis notiones iſtas ponderabimus. De vocula ſpiritus notum eſt, plures ejuſdem ſignificationes exiſtere, ita ut præter reliquas notet quoque flatum aeris ſeu vaporem, vel aliquid huic conſimile, quod nempè ſpiritualem ſeu vaporoſam quandam ſubſtantiam habere videtur: Deſignat etiam ſpiritus nomen tenuiſſimam ac valde ſubtilem ſive in corpore animantis, ſive in macrocoſmo ſubſtantiæ portionem, quæ notabiliter concerni ac palpari non poteſt, ut ex Medicinæ theoretico codice id abundè patet. Adſcriptu tamen præ reliquis huc facientibus dignum eſt, quod Paracelſus de ſpiritu inſinuat dum ſpiritum eſſe vitam rerum corporearum, & ea qui ſpiritum habent, vitam inſimul obtinere dicit ac docet: Quæ ſanè omnia ad animatam putredinem & viva illa effluvia paulò pòſt ex voto adplicari poterunt, ſi jam perpendere pergamus, quid ſpiritus fracidi titulus in receſſu habeat, & qua ratione hoc epitheton ſpiritui aſſignari poſſit. Quod ergò illum fracedinis terminum attinet, iſte nihil aliud ſignificat, quàm corruptionem ac putredinem, ita ut fracere idem ſit, ac de ſtatu ſuo exire, degenerare, putreſcere atque, omninò corrumpi: Hinc nobis etiam nullum eſt dubium, requiſita omnia fracedini competere, quæ ſublimioris Phyſices Interpretes doctrinæ corruptionis attribuunt. Latè patens quidem putredinis ac corruptionis eſt vocabulum, quæ tamen latitudo nos minimè hîc remorabitur: Corruptio enim ſeu putreſcentia in eô hîc nobis ſignificatu accipietur, quatenus rebus elementaribus implantatam eam ac omnium morborum aut nocumentorum cauſam exiſtere novimus, Id quod fracedinis vox veluti digitô nobis commonſtrat, utpotæ quæ graviorem atque nocivam putredinem à degeneratione rerum etiam bono fini deſtinatarum provenientem utique innuere videtur: Quâ ratione juxta Paracelſum putrefactio aut fracedo mortis damnoſa dici poteſt operatio. Nunc ulterius progrediamur & videamus finalem corruptionis aut putredinis cauſam. Atque hæc ipſa apud rerum naturalium Doctores quàm clariſſima eſt, quando dicitur, corruptionem eſſe rei alterius generationem: Quô ita ſtante perſpicuè ſtatim effulget veritas Paracelſici dogmatis, quô illud proprie ſic dictæ ac veræ putredinis nomen nequaquam mereri aſſerit, quod vitâ ſuâ privatum eſt, ſeu ubi omnis vita prorſus evanuit. Adeoque indubita-

tum ſemper erit, putrefactionem eſſe ad generationem principium , ac putrefactione cuncta in terrarum orbe progigni. Quæ omnia cum ſatis plana & probo Naturæq; œconomiam ac viſcera penitius excutienti Philoſopho (nam alioquin impoſſibile erit, abditas rerum cauſas ex fundamento inquirere atque perſpicere) abſque ulla hæſitatione conceſſa ſint, ita noſtra jam quondam de malignitatis ferali genio concepta , nunc verò firmiter fundata & noviter etiam â Kirchero doctè deducta ſolidiſque argumentis confirmata ſententia ſub ſcuto experientiæ nunquam non ſarta tecta manebit. Per ſpiritum igitur fracidum, venenatum & peſtilentem nil aliud hîc intelligimus, quam miaſmata verminoſa â ſpiritu peſtifero & maligna ſeu fracido per eximiam graviſſimamque cadaverum aut quarumcunque rerum putredinem in actum deducto progenita , quæ ſive inſpirationis medio attracta , ſive per ſpiracula cutis intrantia poſtmodum virus ac tyrannidem ſuam per intimas corporis noſtri fibras atque receſſus ſpargunt, iiſque inſenſibiliter ſe inſinuant , atque ſic hominem horrendis ſymptomatum paroxyſmis ad ultimum vitæ exterminum diſponunt & plerumque detrudunt quemadmodum hæc omnia tam præclarè â Kirchero, cujus limatiſſimum de Peſte ſcrutinium in omnium jam verſatur manu, proponuntur, ut brevitati ſtudentes ab ovo hoc negotium hîc arbitrari ac repetere non immeritò ſuperſedeamus. Deinde fracidi hujus ſpiritus venenum tenue, inviſibile ac propemodum ſpirituale eſſe dicit Autor , quo ipſo ſummam hujus animati veneni ſeu vivorum effluviorum ſubtilitatem is indicat, ut nullis omninò ſenſibus, niſi ad microſcopiorum auxilium & artificioſum acumen refugiamus, ſit pervia, vel ſi oculis non nihil animatum hoc ac peſtilens virus deprehendi queat, atomorum ſub radiis ac ſplendore ☉is circumvolitantium adinſtar ſe habet, aut exigua quædam nebula vel fumus in aëre concretus, atque per aëra ſive ſub liberô ♃e ſive in conclavi quodam hac lue infecto hûc illûc fluctuans (leniſſimô autem aëris flatu agitatur) tunc conſpicitur. Hæc ſanè exquiſita & animata veneni tenuitas ut violentâ & exactiſſima penetrabilitate pollet, ita eò faciliùs etiam peſtiferæ hujus ſobolis contagioſa propagatio & hominum ſubitanea infectio fieri poteſt, velut in ſubſequenti theſi videbimus. Geminam autem infectionis claſſem ſeu rationem Autor hîc producit , quarum altera contingit in nutrimentô ſeu pabulo humani corporis ſpirituali, quando videlicet ſtatim animatum illud venenum ſeu aëreus hic draco cum ſpiritibus noſtris ſe commiſcet , ac ſpiritum inſitum ipſum immediatè aggreditur , ſeu ipſi Archeo vel Naturæ noſtræ confeſtim nubit, id quod ſine præſentiſſimô vitæ diſcrimine atque ut plurimum certâ ejus ruinâ contingere nequit; unde peſtis etiam ad Naturæ triſtiſſima refertur naufragia: Altera verò accidit , quando exitioſiſſimum hoc virus non ſtatim ad intimos vitalium viſcerum receſſus atque ad vitalis fomenti ſeu

auræ centrum; hoc eſt ſpiritus inſiti fontem ſe penetrat, ſed tantùm humorum præſertim circa primas vias adhuc ſtagnantium maſſam inficit, tunc ſpei non nihil adhuc ſubeſſe ſolet, ac multos evaſiſſe compertum eſt, ſi nempe in tempore, antequam ad interiora proſerpat virulentus iſte monarcha, debitis ac nobilioribus alexipharmacis malo interitum vitæ minanti occurratur, atque peſtifera fœtura acceleratis armis in herbâ, quod dicitur, exanimetur & extinguatur, id quod tunc etiam vel propterea faciliori operâ fieri poterit, dum integra adhuc medicaminum virtus ad has primas vias ac primæ coctionis officinam non pervenire nequit. Ut ergò hæc peſtis ſpecies, quæ corporale nutrimentum dumtaxat ac primitùs contaminat, curationis deſideratam poſſibilitatem adhuc pollicetur, ſi in iſtâ, quæ vitæ ſpiritum deſubitò ſtringit & occupat, res propemodum deſperata, ac plerumque de hominis vitâ actum eſt, niſi potentiſſima Naturæ arcana vel vitale iſtud balſamum protinùs adhibeantur, quod alioquin tinctura Phyſicorum ſeu Magiſterium Hermeticum aut Lapis Philoſophorum benedictus in ſublimiori & abſtruſiori Sapientiæ naturalis ſcientia ſalutatur, de cujus ſcaturigine & confectione hîc quædam philoſophari ac ſpargere Autori collibitum fuit. Ne verò datam opportunitatem aliquid de univerſali hoc ⊖e, in quô reverà vitale & radicale balſamum deliteſcit, hîc penitùs negligamus, de hôc ſciendum eſt, à Philoſophis varia & mira ipſi impoſita fuiſſe nomina, ut naturam & notitiam ejus abſconditam redderent, ne indignis ſedes & ſubjectum, in quô confertim hoc ⊖ Naturæ balſamicum deprehenditur, perperam innoteſcere, atque ſic ad vulgarem diſciplinam duci poſſet. Unicum autem ſubjectum unicamque materiam eſſe in tota & magnifica hac rerum naturalium diatriba, Philoſophi aſſerunt, cujus vis & virtus undique & ubique eſt balſamica, ſeminaria atque magnetica, quæve reverâ & in centrô ſuô non tantum ſuperiora cum inferioribus, ac cœleſtia cum terrenis ſubterraneiſque, atque ſic vice verſa invicem adamantina catena combinandi aſtrale robur obtinet, verùm ſperma etiam ſeu radicem & vitalem vigorem omnium metallorum mineraliumque in ſe mirificè comprehendit. Hac igitur incognita, (pauciſſimi autem hanc ſeminalem regni mineralis matricem norunt) impoſſibile eſſe dicunt Philoſophi, ut aliquis ipſam Naturam Naturæque majeſtatem ac proprietates ineffabiles adeoque occultas metallicæ proſapiæ & cum aſtris tam intimitùs conſpirandi ac correſpondendi operationes unquam addiſcere queat; adeoque hæc ipſa eſt cauſa, cur jam laudatæ materiæ philoſophicæ indago totius Philoſophiæ ac Sapientiæ naturalis ſit unica Minerva atque præcipua margarita. Ergò unica eſt materia, in qua abſconditus ſol & ſal ille univerſalis latet, unicumque eſt ſubjectum, quod tamen Sophorum profundiùs in ſanctuarium Naturæ deſcendentium corona ſingulari ac varia ratione partiri conſvevit: Modò enim hoc ipſum bipartiri ſolent, ita ut

hanc

hanc materiam hermaphroditicæ naturæ eſſe, atque in eadem utrumque ſemen tam maſculinum quàm fœminum contineri, ſine quorum congreſſu nullum etiam generari poteſt metallum, nec nobile medicamen ullum, ſtatuant, ac propterea unanimi conſenſu affirmant, cuncta metalla ex vapore 🜍ris & argenti vivi (illud vires maſculas & activas, hoc virtutem mulieris & cooperantis paſſionis ſuſtinet) progigni. Tu nota benè haud incaſſum nomine vaporis (quatenus hæc principia ante coagulationem in prima ſua ac primordiali materia adhuc ſunt conſtituta) hîc uti Philoſophos, ut nempe tam 🜍 quàm ☿ium vulgi hinc ſeriò ſic excludant. Deinde ex tribus hanc unicam materiam conſtare oppidò oſtendunt, adeoque modò ☿ium, 🜍 & ⊖, modò ſpiritum, animam & corpus, modò humidum primigenium, calidum nativum & ſiccum radicale ſeu fundamentum, modoque liquorem, reſinam & balſamum exinde deducunt, quæ tamen loquendi rationes omnes eô, quô collocavimus ordine, quàm exactiſſimè invicem conveniunt: Porrò ex 4. elementis tanquam trium principiorum parentibus etiam philoſophici laboris germen deducunt, & tandem quinariô numerô ſe quoque hujus ſapientiæ Præſules oblectant, quatenus quinta eſſentia, cœleſte magiſterium & aſtralis planè partus (Autor vitale balſamum vocitavit) ex ſummè depuratis & decenter rurſum unitis unicæ hujus materiæ ſive 4. elementis, ſive tribus principiis, ſive geminô ſemine (perinde enim Philoſophis eſt, quomodocunque animi ſui ſenſa exprimant & filiis doctrinæ depromant, ſicuti etiam unius rei plurima eſſe poſſunt nomina aut circumſcribendi rationes) elicitur, atque lege myſterii Hermetici componitur. Clariùs aut meliùs arcanum hoc tantâ cum induſtriâ velatum exponere non valemus; fecimus nempè balbutiendo, quod in re tam arduâ potuimus, imò ſi meditationes noſtræ multis adhuc tenebris implicitæ videantur, excuſationis benignitatem nobis vel eô nomine promittimus, quod ultra poſſe obligari queat nemo.

Ad §. 4.

Autoritatem indubitati omninò axiomatis ſuſtinet Autoris effatum, quô ſtatuit, omnem peſtem eſſe contagioſam atque à contage propagari. Huic nos talem inſuper ſubjungimus canonem, omne videlicet contagium præſupponere gravem ac ſingularem putredinem atque corruptionem, adeò ut de contagio ſine putrefactione vel neglecta ea loqui abſurdum, & à ſaniore medicinâ omnimodè alienum non immeritò pronuncietur. Quibus ſic præmiſſis, dilucidô modô ſtatim manifeſtari & exoptatâ facilitate donari poterit contagionis ratio peſtilentis, aliàs tantis ſemper difficultatibus & obſcurâ caligine implicita. Nempe eximiam putredinem neceſſariò verminoſam & animatam eſſe ad ſatiem uſq; hactenus oſtẽdere allaboravim⁹. Ubi ergô viva putredo, ibi quoq; viva miaſmata;

Hæc

Hæc igitur viva animata putredinis effluvia & vermiculi atomorũ adinſtar minutiſſimi vel ſpontè poſtmodum moventur, promoventur, & ab unô in hunc vel illũ vicinum propriô motu trajiciuntur. Aſt dices, quomodo hoc ratiocinium cum Autoris mente conveniet, quem contagii cauſam in fracedinem ac malignitatem ſpiritualem rejicere hîc videmus. Conciliationem in promtu eſſe tibi pollicemur, ſi modò vitæ eſſentiam in ſpiritualitate conſiſtere primùm conſideres. Contagionis proximam cauſam diximus eſſe animatæ putredinis ſeu fracedinis, quæ quò major & magis exotica, eò etiam virulentior eſt, viva miaſmata ſeu verminoſas ἀποῤῥοίας, quibus ſpiritualitas ac ſpiritualis ſubtilitas & agilitas eatenùs non tantùm competit, quatenùs vermiculi illi adeò ſunt minuti, ut etiam ſenſum ac viſum licet acutiſſimum effugiant, adeoque meræ dumtaxat fuligines, vapores ac ſpiritus eſſe videantur, verùm etiam quatenùs quilibet vermiculus ſeu verminoſa, ut ſic loquar, atomus in ſe reapſe ſpiritum vivificum continet, adeoque in rei veritate ſpiritualis exiſtit. Quæ omnia quùm certiſſimè ita ſe habeant, quâ ratione peſtilens illa fracedo, quùm vivâ polleat volatilitate ac ſubtilitate, tam celerrimè quàm inſenſibiliter ad alia ſive loca, ſive animalia transferri & propagari queat, à quovis promtiſſimè intelligi jam poterit; cumprimis tamen hominum vel aliorum etiam animalium corporibus adhæreſcunt, iisque ſive per inſpirationem ſive per ſpiracula cutis aperta ſe promtiùs inſinuãt atq; infectionis labẽ cõmunicant maligna & peſtifera hæc effluvia, quod humidã caliditatẽ aut calidã humiditatẽ (vita enim calido & humido, ut tritè notum eſt, gaudet) cumprimis & valdoperè ament: Atque hæc adeò ſe benè & clarè ſatis habent. Sed quid per vehiculum ſpiritus fracidi, maligni ac peſtilentis hîc intelligat Autor, aut cur aërem hôc titulô inſignire voluerit, paucis quoque nunc deſpiciendum; ubi hoc ſtatim adjungimus, quòd Kirchero ingenioſo iſti animatæ putredini aſſertori aër malignitatis vector atque inquinamentorum venenatorum auriga pariter vocitetur. Antequam verò, quid aër ad peſtis propaginem conferat, aut quam ob cauſam in hâc lue is accuſandus ſit, cognoſcamus, ſcire omninò neceſſum habemus, quod ſub duplici ratione aër conſiderari debeat, primò quoad propriam naturam, ſubſtantiam & eſſentiam ſuam, quam ſapientiſſimus rerum Conditor ipſi indidit; ac deinde quoad accidentia ſeu effluviorum inquinamenta; priori modô aëris nomen acceptum omnis omninò contagionis expers eſt propter nobilem ac ſummam ſui ſubtilitatem, quâ naturam ætheris ac ignis, quæ nulla ratione contaminari poſſunt, affatim imitatur, unde ſapientiores etiam Medici & Naturæ lumine illuminati Philoſophi aëris hanc ſaluberrimam & præcellentem gloriam non ſatis deprædicare ſe poſſe conqueruntur: In aëre enim eſt omnis creaturæ ſpiritus vitalis, quo Deus eundem adornavit, eſtque elementum omnium reliquorum digniſſimum ac primarium imò & fundamentum, utpote ſine quô cœ-

tera

tera tria imò res creatæ cunctæ inevitabiliter ſtrangulantur, corrumpuntur; Eſt aër verus & genuinus locus panſpermias, imò eſt balſamus & magnes omnium mixtorum excellentiſſimus: ſanè non tantùm omnia, ſed & ipſa eaque tota mundi ſtructura aëre conſervatur, ſiquidem is ſit elementum virtutis divinæ plenum, quod in hôc ipſô incluſus ſit ſpiritus Altiſſimi, & quod illi adhucuſque magnum illud benedictionis verbum FIAT, CRESCAT, VIVAT infixum exiſtat; Unde etiam aër hoc venerabile conſervationis, vegetationis ac vivificationis beneficium omnibus creaturis præſtat, non quatenùs perfunctoriè à vulgaribus Phyſicis perpendi ſolet, ſed quatenus ſpiritu Univerſi, cujus originem ſanctam & divinam nunc percepimus, oppidò imprægnatus eſt, & eundem in centro ſuo complectitur. Hâc ipſâ igitur ratione & hoc reſpectu conſideratus aër peſtis cauſa nequaquam eſſe, nec inficere poteſt, ut imperiti putant: Poſteriori autem modô aër infici dicitur aut dici poteſt, dum diverſis exhalationum & exſpirationum peſſimarum è terrâ effluviis vel vaporibus, variâ halituum miſcellâ fœtis, aër veluti corpore quodam & veſtimenti ſenſibili induitur, atque hâc exoticâ & pernicioſâ malignitate larvatus exitium animantibus afflare ſolet, utut ipſe aër in ſe & juxta ſuam ætheream naturam limpidus & inquinamenti incapax exiſtat: Adeoque infici ac contaminari aër eô ſaltim reſpectu dicitur, quod inquinamentum & impuritas ſine aëris (qui hâc ratione peſtiferorum ſpirituum ſeu effluviorum vector eſt) ope ac remigiô effectum ſortiri nullum queat. Ergò aër haud propriè inquinatus dicitur, ſed eſt inquinamenti iſtius peſſimi per aëris tractum diſperſi dumtaxat vehiculum. Jam quomodo aëre varium hunc pernicioſarum mercium confluxum advehente & adſpirante labes ac corruptela illa peſtilens contrahi, & tam corporis noſtri alimentum, quàm ipſi ſpiritus vitales lue peſtiferâ infici, atque animans quodvis ad exterminium hinc rapi poſſit, quilibet facilimô negotiô, modò reſpirationis ac tranſpirationis tam naturam, quàm utilitatem accuratiori mentis oculô inſpicere non negligat, determinare & ad amuſſim exponere poterit: Neceſſum attamen eſt, ut illis nequaquam quis adſtipuletur, qui aëris illam inſpirationem ſaltim ad caloris nativi ventilationem, non verò ad ſpirituum vitalium generationem & ſubſtantificam vegetationem ſeu recreationem conducere aſſerunt, ſed potiùs certus ſit, ſpiritus vitales animalium uti ex puriſſimâ & delicatiore aëris ſubſtantiâ ſunt creati, ita etiam per eandem indubitatò ac neceſſariò illos conſervari. Hoc verò qui pertinaciter negare non erubeſcunt, næ illi ignorantiam ſuam in ſublimiore rerum naturalium ſcientiâ luculenter produnt, atque in magnô Naturæ librô ne alphabetum quidem ſeu prima elementa ac rudimenta ſe cognoſcere palam commonſtrant; Nempe cum purô & limpidô ſpiritusque noſtros vivificante & exhilarante aëre inquinamenta etiam illa, quibus fortè tunc ſtipatus eſt, non tantùm nutrimentum corporis

exitioſiſſimô modô conſpurcantia ac corrumpentia, verùm ſpiritus vitales etiam atrociter infeſtantia ac plerumque mortificantia attrahuntur, ſive ut jam fiat per inſpirationem, quâ aër ille fracedo hoc & peſtilenti, ut ſic dicam, amictu circumdatus partim immediatè in ipſam vitalem aulam, ubi ſpiritus vitales deſubitò inficit, partim in ventriculum & chyli officinam deducitur, ubi humores alimentitios æquè ac excrementitios in primis viis ſtabulantes inquinat, partim etiam in tranſpiratione per apertos poros ſanguineæ maſſæ inſinuatur atque imprimitur.

Ad §. 5.

Autor hîc quodammodo à theoriæ ſcopo ad praxin diverti videtur, dum de mundificatione aëris, horridâ inquinamentorum perſonâ obnupti quædam inſpergit. Primò valdè difficile ſtatuit eſſe, virus in aëre deliteſcens corrigere. Atque hoc nos quoque putamus niſi cauſa peſtis accuratiſſimè cognita fuerit, neque correctio (quod nomen hîc ſtrictè accipio, quatenus per immutationem aut alterationem ea fieri ſolet) hîc locum habere poterit, ſed quùm cauſa hujus mali ſit viva & animatam truculentiam habeat, penitùs extinguenda extermi-nanda atque enecanda potiùs erit: Quod niſi exactè obſervetur, vix poſſibile eſt, ut aëris venenô illô contaminati correctio præſtari queat. Secundò dicit, venenum illud ſpirituale & inviſibile (quod licet ſubtiliſſimum, tamen vivum & animatum nobis eſt) ab alio ſpiritu eoque longè potentiori eſſe vincendum & expugnandum. Seipſum verò ſtatim explicat, dum fumoſæ ſubſtantiæ, hoc ſingularium ac ſpecificorum contra peſtilentes effluxus ſuffumigiorum mentionem fecit. Tertiò talem fumoſam & ſpiritualis peſtis venenum robore ſuo longè ſuperantem ſubſtantiam ſeu ſpiritum inventu difficilem eſſe innuit, ut aër ex fundamento corrigi, vel potiùs venenatâ proprietate ex voto ſpoliari poſſit. Atque ita etiam eſt, id quod tamen unicè dependet à ſcholis noſtris hactenus ſolemni ignorantiâ veræ & proximæ cauſæ peſtem inducentis. Ignotâ enim hujus quidditate, impoſſibile, vel ut Autor loquitur, difficilimum eſt, ut appropriatum remedium excogitari ac inveniri poſſit, niſi fortè fortunâ & citra omnem intentionem quandoque aliquod medicamen præſcribatur, quod neſcio etiam Medico maſculam verminoſæ putredinis viva miaſmata perimendi efficaciam habet. Ideoque qui eos in arte medicâ fecit progreſſus, ut contagionem, malignitatem & peſtilentem atrociam non pro qualitate mora, ſed pro viva & animata quadam ſubſtantia licet delicatiſſima, ſubtiliſſima & fermè inviſibili habeat, is non tantùm meditabitur ac cum felici ſucceſſu reputabit, Bezoardicorum & Alexipharmacorum virtutem in eô potiſſimum conſiſtere, ut effluvia illa animata ab exotica & peſtilenti pariterque viva putredine provenientia enecent extinguantque,

que, verùm etiam tales antipeſtiferos ſuffitus pro efficaciore contaminati aëris repurgatione excogitabit atque parare ſtudebit, qui eandem potentiam inſecta illa peſtifera ac minutiſſima ſeu viva miaſmata citâ celeritate occidere atque ſic funditus extirpare habebunt, veluti hujus modi ſuffumigium notum nobis eſt, quod etiam mures majores, araneas cruce ſignatas, bufones & hujus familiæ venenatæ inſecta alia ocyſſimè ſine ulla hominum pernitie, modò cum cautela peculiari id inſtituatur, interimit, atque ſic aërem quoque à venenata hac infectione bona fide liberat, quantò magis minutiſſimi iſtiusmodi ac inviſibiles vermiculi, quibus tunc aëris tractus confertim ſcatet, & propterea illi turmatim in aëre volitantes cœruleum vel lividum fumum quendam hinc inde repræſentant, ſic extingui, interfici ac radicitùs exterminari poterunt, quâ de re infrà, ubi de remediis aliquid dicend. nobis dabitur occaſio. Quartò aphœbus manibus Autori largiendum eſt, dum faciliori opera ut ab omni morbô, ita etiam à peſtifera lue præſervationem, quàm ejus curationem præſtari poſſe monet, proptereà quod illud, quod extra nos eſt, haud vel non adeò difficulter, eô, quô diximus, modô removeri queat, quàm ſi venenum jam intimitùs corpori ac ſpiritui noſtro nupſerit, atque vitalem microcoſmi aulam penitiùs occupaverit. Præſervandi autem dexteritas promtè adminiſtrari poterit per conclavium cumprimis ac veſtimentorum mundificationes & peculiares præparationes, item talibus remediis intùs aſſumendis, quæ animata iſta effluvia omnibus modis averſantur, quæve iis ſunt infeſtiſſima & planè funeſta.

Ad §. 6.

Controverſia illa, quæ tot Autoribus anxiam ſolicitudinem nullô non tempore injicit, à Fabro noſtro ad examen hîc ducitur, an nempe veneni peſtilentis cauſa ex ſolis cauſis naturalibus, quas regnum ſublunare ac elementaria inferiora ſuggerunt, absque cœli cooperatione & ſine ſiderum congreſſu generari poſſit; Vel paucis: An peſtis à cœlô aut ſphæra cœleſti vel auxilio ejusdem inſimul oriatur. Nos ut brevi manu ad deciſionem pervenire quæamus, mentem & verba Autoris ſuccinctô ſtudiô trutinabimus, quæ hac de re non tantùm in præſenti, verùm etiam ſubſequentibus theſibus quibusdam is fecit. Antiquis autem plerisque & propemodum cunctis affirmativam tueri placuit, utpote qui ex coitu & adſpectu quorundam ſiderum luem peſtiferam tam deſignari & prænunciari, quàm inſimul & quidem maximam partem effici aſſeverarunt. Rationis favorem exinde petunt, 1. quod ſublunaria ſeu inferiora non cooperante cœlô nihil penitùs agere, nec peragere valeant, quemadmodum cœli cum inferioribus arctiſſima proinde harmonia ac intima conſpiratio ſeu conſenſus latiſſimè eſt famigeratus, ſiquidem cœleſtia corpora in inferiora triplici ratione, nimirum motu, lumi-

lumine & influxu agere ſtatuatur. 2. Quòd ea, quæ aliquid præſagiunt, etiam illud poſteà parere & cauſari valeant. Aſt de aſtris, quæ globo terreſtri ad ſigna eſſe data conſtat, notum eſt, quod imminentem peſtem ſæpiſſimè ſignis ſat luculentis prædicere ſoleant, veluti ſunt maculæ ſolares, Cometæ & ſigna hujusmodi conſimilia. Adeoque concludunt infauſtam planetarum aut aliorum ſiderum conſtellationem malignamque influentiam in cœlô tunc conſiſtere, cujus impulſu aëris ſubſtantia pervertatur & venenatâ naturâ inficiatur, donec peſtiferum malum hinc poſteà latè longeque diffundatur. Unde quibusdam arridet etiam ſoli, ſiderum principi, ſagittas tribuere, quibus is quandoque judicatur noxius; quam quoque cauſam eſſe dicunt, quod ab Homerô Phœbus ſeu Apollo tam peſtilentiæ, quàm Medicinæ Deus ac Faber nuncupatus fuerit. Quomodo igitur huic aſſerto obviam ſit eundum, quoniam cum Autore noſtrô nos falſiſſimam cœlorum accuſationem in peſte aſſerturi ac firmiſſimis rationum argumentis probaturi ſumus, in ſubſequentibus ab ipſô Autore exoptata nobis anſa id præſtandi ſubminiſtrabitur.

Ad §. 7.

Ut itaque ſcopum noſtrum eò citius faciliusque conſequi valeamus, in anteceſſum ex ipſo Autore fundamenti locô præmittimus, quod cœlum adeoque & ſidera, quæ polum decorant, ſint incorruptibilia, & non niſi vitalem ſalutiferamque virtutem obtineant: Adeoque cœli gloriam Dei enarrant, & meram hominum ſublunariumque omnium meditantur ſalutem, conſervationum ac vitam. Neque poſt lapſum primorum parentum cœlis atque cœleſtibus corporibus ulla maledictio, exſecratio aut labes à DEO, transgreſſionum juſtiſſimo vindice impreſſa aut infuſa fuit, ſed in terram tantummodo maledictionem ſuam cœleſte Numen conjecit: Adeoque corruptionis, morborum & mortis feudum, ut cum Helmontio loquar, eſt ſaltim ſubter lunam, & imperium noxiarum viciſſitudinum terrena dumtaxat concernit & inferiora tangit elementa. Cœlum ergò, quod potiùs in ſe vitam, lumen, gaudium & ſanitatem, ut jam diximus, complectitur, quum incorruptibile ſit, labem corruptionis etiam præſtare per ſe nequaquam ſolet, adeoque morbus, quicunque is etiam ſit (quivis enim primordia originis ſuæ generaliter à corruptione capit) minimè cœleſtis lucis eſſe ſoboles poterit. Agunt quidem ſidera in inferiora, ſed non niſi bonâ, vitali aut vivificâ intentione. Quod ſi verò ſuam hanc agendi benignitatem exercens cœlum ac cœleſtes influentiæ in inferiori globô impuritatum copiam ac corpora putrida (veluti inferiora elementa vi divinæ maledictionis nunquam non corruptioni obnoxia ſunt) offendant, fit ut per accidens hinc putridæ & malignæ exhalationes ſubſequantur, quas cœleſte robur utpote puritatis amantiſſimum deprimere

& ex-

& expugnare geſtiens ad locum genitalem remittit, & hinc morborum anſa & propago ſuccreſcit. Ideoque cœlum per ſe morbos illos neutiquam parit, ſed unicè per accidens, quatenus id radiis ſuis vitalibus terrarum orbem colluſtrare atque animare intendens impuritates offendit, & in eas agendo vel ipſis reluctando prava effluvia atque putredinem hinc ſuſcitat. Eodem propemodum modo cum cœlo negotium ſe habet, ac cum Natura humana: Illa enim à Medicinæ Proceribus ut morborum curatrix, ſic quoque eorum genetrix ſalutari ſolet; Ubi tamen Natura protinùs accuſanda & pro noverca habenda non eſt, quod morborum tædia & calamitates pariat, quia id Natura, quæ puro ſemper delectatur, non per ſe facit, (ejus enim intentio ſemper bona & vivifica eſt) ſed per accidens, quatenus impuritatibus reluctatur, ut purum ab impuro liberare, illud verò conſervare & hoc propulſare valeat, quod tamen ſine quadam moleſtia & magna ſæpè ærumna, quæ morbi aut ſymptomatis titulo tunc venit, fieri non poteſt. Quemadmodum enim Deus non creavit mortem, ſed peccatum eam introduxit in mundum; ſic nec cœlum ac ſidera ejus, quæcunque etiam ſint, faciunt mortem ac morbos, ſed peccatum fragilitatem ac corruptibilitatem hanc inferiorum, unde morborum nativitates dependent, introduxit. quæ poſtmodum à qualibet vel levi etiam cauſa activa fieri, & nobis exterminium accelerare poteſt; Imò idem hîc appoſitisſima ratione accommodari poteſt, quod de aëris præſtabilitate & innocentia paulò ſuperiùs monitum fuit. Ergò hinc elucеſcit, quàm ineptè incuſentur Mars atque Saturnus, & quàm malè conſimilia atro calculo ſignata aſtra atque eorum conſtellationes aut diverſæ configurationes tunc de crimine arguantur, quùm unicè ac primariò eximia ac vehementior elementorum inferiorum corruptio, exoticam vivamque fracedinem, quæ penetrantiſſimam ac ſummè potentem virulentiam habet adjunctam, pariens atque per conſequens peſtem inducens, cœlum verò & aër tanquam cauſa per accidens à cordato prudentique Medico aut Philoſophô hîc reſpicienda veniat.

Ad §. 8.

Haud contemnendum ingenuitatis ac candoris ſui ſpecimen hîc edidit Autor, dum in honorem Boni publici, ne alii imposterum deciperentur, erroneam opinionem, quam circa hanc ſententiam olim in tractatu quodam ſingulari de Peſte, qui tamen ad noſtras huc uſque non pervenit manus, fovit, liberè fatetur, ac proinde opinionem ſuam intrepidè mutat, aliamque & eam quidem meliorem ex poſterioribus cogitationibus, quæ ſemper ſapientiores eſſe ſolent, prognatam proponit. Hujuſcemodi igitur confeſſio virtutis & pietatis eſt pleniſſima, adeoque à quolibet bonæ mentis alumnô imitanda; Hinc notatu perdigna ſunt Celſi verba, qui hôc de negotio ſe corrigendi & errores ſuos confitendi,

tendi,ita ſe circiter expedire amavit: Magnorum virorum, inquit, & fiduciam magnarum rerum habentium more illi faciunt,qui ſe deceptos fateri non erubeſcunt; ex adverſo levia ingenia,quia nihil aut parùm habent,nihil etiam ſibi detrahunt,ſed potiùs in errore ſuô,ut aliquid nihilominus ſcire videantur, contumaciter perſeverant. Magno igitur ingenio & magna nihilominus habituro ſimplex & candida erroris (ſupra captum enim humanæ ſortis eſt, nunquam errare.) confeſſio adeò convenit, ut etiam ipſum peculiari præconiô adornet, quod hujuscemodi candor cauſâ utilitatis,quæ poſteris tradenda, & cui promovendæ quilibet noſtrûm eſt natus,exhibeatur. Jam quoque alteram rationem, quâ cœli culpam in efficiendâ peſte quàm plurimi probare annituntur, paucis diluere aggredimur,quæ talis eſt: Quod alicujus affectus præſertim in Medicinâ ſignum eſt,hoc etiam ejusdem cauſa eſſe ſolet; ſed cœlum ſæpiùs deſignare futuram peſtem, notorium eſt, ergò etiam peſtem id concitare valebit. Verùm nos reſpondemus,hoc ipſum nequaquam eſſe ſimpliciter verum, ſiquidem inſtantiam ſuam manifeſtô patiatur. Ecquis enim v.g. præconem, qui nomine Regis aut Principis ſui Vicino bellum denunciat, protinùs per cauſa iſtius belli habere ac pronunciare auderet,cùm tamen is nihil fecerit aliud,quàm quod mandatum Domini ſui obſequioſè exſequendo iſtud dumtaxat bellum indixerit: ſic aſſidua vertigo plerumque apoplexiam prædicere ſolet,ubi tamen non ſtatim ſequitur,vertiginem etiam apoplexiæ eſſe cauſam, ſed eadem cauſa ſi mitior eſt, primò vertiginem, deinde ſi majores ea vires acquirat & in graveſcat, apoplexiam quoque concitare poteſt. Atque hoc exemplum egregiè applicari poteſt ad ſidera peſtem annunciantia & ad peſtem ipſam: Nempe ab eadem cauſâ utrumque provenire ſolet; Dum enim maligna effluvia à corruptione inferiorum elementorum oriunda primitiùs ad ſuperna ſurgere aut elevari, atque ſic aſtra maculis inquinare,obfuſcare,aut meteora etiam alia ac cometas conſtituere conſveverunt, fit etiam, ut nullam etiam, quàm nunc dictam ob cauſam peſtem vel graviſſimos morbos mox nobis ingruere ſignificent; adeoque ſapientiores etiam propterea non aſtris,ſed potiùs corruptioni inferiorum id adſcribere recordabuntur; Quum verò poſteà ſiderum excellentiſſimus vigor impuritates iſtas ab inferioribus transmiſſas tolerare haud ſoleat, fit ut miaſmata illa virulenta rurſus per vitale ac generoſum aſtrorum robur reſolvantur,deprimantur, præcitentur, atque ſic ea tanquam per cohobationem, exaltationem aut deſtillationem magis penetrabilia & activa facta iſtum terræ circuitum,ad quem proruunt, inſigniter infeſtent, atque in homines & animalia vim tyrannidis ſuæ vehementiùs poſteà ac majori cum impetu exſerant,adeoq; ſæviſſimæ peſtis ſeminia ita ſpargũt. Cœterũ,quæ Autor de mutatione temporũ & verâ æſtatis ac hyemis cauſâ hîc ingerit, hujus loci non eſſe videntur, niſi quod eatenus conſiderandæ ſint iſtæ mutatio-

tatio-

rationes, quatenus ob perpetuũ motum curſumq; ſuum áſtra diverſum poſitũ accipiunt,ac propterea modò ab hôc vel illo mundi climate penitùs abſunt,modò procul diſſita exiſtunt,unde mutationes & diverſa anni tempora atque affectus: Atque hanc ob cauſam aër ac infima aëris regio vel fervet, vel tepet, aut friget, quâ de re cumprimis ex fundamento Theophraſtus Paracelſus admodum peritè ac doctè egit,qui videatur. Sed propter hanc tamen abſentiam aut diſtantiam,quæ contingit,nec Sol,nec cætera ſunt accuſanda ſidera, ſed ita omninò debebat hæc viciſſitudo ſic ordinante Deo evenire,ut vivificô Solis aliorumque aſtrorum adſpectu ac influxu omnes etiam terrarum oræ exhilarari ac vegetari poſſent. Reliqua ex ipſo Autore ſatis liquent.

Ad §. 8.

Ulteriùs & hîc pertexere pergit hanc de æſtate & hyeme telam Autor, in quâ etiam nobis hîc ſubſiſtere placet. Cæterum in oculos ſtatim incurrit, cur tempore æſtivo aër ſit calidior, quod nempe radiorum ſolarium calor calorem terræ ſubterraneum & vapores calidos eliciat; atque ſic aërem manifeſtò calefaciat; ſin verò ſol elongatus ſit, tunc terra etiam conſtringitur, caloremque ſuum in ſuis viſceribus, ita ut in locis ſubterraneis tunc æſtas vigeat, & venter telluris ſit pro maturandis terræ fructibus ſeu mineralibus longè calidor aptiorque, concentratum retinet, & non niſi nativam indolem, quæ in frigora conſiſtit, ex circumferentiâ ſuâ prodit ac ſpirat; unde etiam aër hoc gelicidium poſteà concipit. Plura circa hanc materiam tanquam hûc non adeò ſpectantem hîc congerere ſuperſedemus.

Ad §. 10.

Hujus theſis explanatio ex ſuperioribus jam patet, ſicuti etiam origo & modus,quô fracedo illa venenata ex elementorum inferiorum corruptione nata in corpore noſtro concipitur & in actum deducitur: Huic ſi adjiciatur inſuper Kircheri lectio,tota Peſtis natura & eſſentia cum omnibus ac ſingulis circumſtantiis ſuis quàm perſpectiſſima eſſe poteſt.

Ad §. 11.

Cauſa corruptionis, quam calor in humiditatem agens, ſeu calor humidus,vel,ſi quis mavult,humiditas calida præſtat,hîc apponitur quæ ut ex phyſicis eſt jam ſatis nota,ita tamen ad inducendam malignitatem ac virulentam vivamque fracedinem inſufficiens eſſe videtur: Verùm ipſe Autor, ut malignæ corruptionis ſatisfaciat doctrinæ,peculiarem & veluti cadaveroſam impuritatem,quæ fracidum & venenatum iſtiusmodi mucorem in ſinu gerit, præſupponit, quæ

ut

ut accedente corruptione ſeu putrefactione majorem malignitatem deſubitò induit-ita etiam conſimili virulentiâ præditas fuligines poſteà ſpargit, ac ſpirituoſa vel potiùs animata effluvia emittit,quæ ſubtili ſuâ penetrabilitate unà cum aëre per inſpirationem pariter & inſenſibilem tranſpirationem tam ad patentes quàm ad penitiores vitalesque corporis noſtri receſſus ſe penetrantia, ſpiritum vitæ atrociter infeſtant,atque ferales miſerias pariunt,veluti dirum virus jus hoſpitii hoſtili ferociâ ſuâ violando ſemper ad vitæ epilogum citò tendere ſolet. Contumaciam verò iſtius veneni,quod ſemel in corpus ſe inſinuavit, vehementiorem reddit iſta mucoſa ac glutinoſa viſciditas, quâ vitalibus pertinaciſſimè adhæreſcit,ſicuti Kircherus fusè magis ac eruditè id perputavit. De corruptionis naturâ hoc tantum addo, quod ea ſit ſolius materiæ, quæ quò impurior ac ſuſpectior eſt,eò majorem & vehementiorem quoque malignitatem parit atque producit: Primum agens verò eſt ſpiritus mundi, qui calorem hujus vel illius mixti connatum ac materialem (is enim ab innatô ſeu formali diſtinguitur, quòd hic extinctô animali vel plantâ periat, iſte verò in mortuô animali ac vegetabili tamdiu durat,quamdiu mixtum ipſum,quâ de re videatur acutiſſimus Hoffmann. l. 2. Inſtit. ſect. 2. c. 3. §. 7.) ſuſcitat, atque ad reſolvendam (putrefactio enim eſt famula reſolutionis ac ſeparationis.) humiditatem, quâ anteà tanquam nutrimenti matre uſus fuerat, eum effectiſſimè impellit.

Ad §. 12.

Quemadmodum quælibet corporis noſtri pars ſuum habet phœbum ſeu ſpiritum vitæ ac calidum inſitum, cujus beneficiò & virtute actionem ſuam ſeu facultatem exerit, ita ventriculus quoque ſuô vitali ſpiritu ſeu fermentô, cujus aſſiduam inſtaurationem lienis benignitas præſtat, excellenter gaudet, ſine quô effatu dignum publicumque aſſumta digerendi & coquendi officium præſtare hoc organum nequaquam poteſt: Atque hinc etiam fit, ſi naturaliter debilis ſit ille ſpiritus vitæ inſitus ventriculi, vel ſi ob aliam cauſam perturbetur, vel ſi etiam lien, nobilis ille cordis vicarius atque fermenti vitalis officina labefactata exiſtat, ut vitium coctionis primæ ſit in promtu, atque cruditates tanquam radix & fundamentum omnium excrementorum præter naturam facilimô negotiô progenerentur ac cumulentur. Unde Paracelſi effatum certô confeſtim ſtat talô, dum ſtatuit, omnes febres omnesque morbos eſſe ex fæcibus, hoc eſt excrementis, puta vel confertim ob crimen læſarum coctionum progenitis, vel præter naturam retentis atque coacervatis. Statuminatâ hac baſi adparet deſubitò, quàm appoſite Autor prima peſtis elementa atque ejus incunabula ratione ventriculi, cujus quanta ſit in corporis noſtri rempubl. autoritas, ſæpiùs jam commemoravimus, determinaverit, atque radicalem cauſam adducendo præclarè pro-

propoſuerit. Præſupponitur ergò in hôc vel illô climate aëris tractum virulentis & animatis hujuscemodi effluviis, quæ fracidô & tenaci quodam mucore velut armata eſſe jam novimus, ſcatere, tunc dubium eſt nullum, aërem hunc peſtiferum per inſpirationem (hujus enim ratione non tantùm aër in pulmones deducitur , verùm etiam magna ejus portio ad ipſum ventriculum pervenire ſolet) tunc quoque ad orificium ventriculi ejusque cavitatem deſcendere , quô factô Archeus ſeu ſpiritus ibi reſidens adventum tam atrocis & infeſtiſſimi hoſtis cum honore ſtatim perſentiſcit, ac proinde ſubitum , inſignem & plusquàm panicum terrorem concipit, atque hinc unà cum ſpirituum vitalium influentium ſatellitiô aufugit, vel potiùs ad centrum ſuum tanquam ad propugnaculum magis munitum recurrit. Quum itaque ventriculus ſic ſpiritu ſeu calidô nativô tanquam patronô ſuô, utpote qui aufugiendo functionis ſuæ habenas, quas regere debebat, perterritus deſeruit, deſtituatur, tunc calamitoſæ vomitiones & vehementiſſimæ nauſeæ protinùs ſuccedunt, atque magnæ anxietates exinde ſuccreſcunt. Imò cùm miaſmata illa virulenta in ventriculum irrumpentia, & propter mucidam tenacitatem , quâ eſſentialiter pollent, nobili ventriculi membranæ pertinaciter adhærentia in rei veritate ſint viva, vellicando inſuper & lancinando ſenſatiſſimum organum graviſſimas omninò roſiones, morſiones ac dolores, qui propterea quadranter verminationes audiunt, ibi inducunt, atque conſequenter etiam valdè acerbas cephalæas pariunt, partim ob intimum, quem cerebrum cum ventriculo habet , conſenſum ac compaſſionem , partim etiam, quod effluvia illa venenata unà cum aëre per inſpirationem attractô neceſſariò quoque in cerebri ſacrarium ſe penetrent, donec paulò pòſt funeſtum hoc malum toti corpori & cunctis ejusdem locis commune evadat, atque univerſus vitæ noſtræ ſpiritus hinc turbetur ; id quod horrida & inexpugnabilia plerumque ſymptomata abundè tunc commonſtrant. Sicuti autem territorii cujusdam Dynaſta ac Princeps ob inopinatum hoſtis inſultum primitùs quidem gravi terrore percutitur ac conturbatur, imò ſecuritatem quærens ad validius caſtellum citò ſe reducit ac fugâ ſibi conſulit, poſteà verò ad ſe rediens nec non territorii ſui ſalutem & ſubditorum tutelam ad animum ſibi ſeriò revocans in hoſtem ſe armat , & terrorem abjiciendo ad vehementem potiùs iram furoremque tranſit , nec non cum impetu ſummô convocatis militum copiis hoſtem adgreditur, ut ex ditione ſuâ eum propellere atque exterminare poſſit : Ita etiam cum Archeo noſtrô ſeu ſpiritu vitæ comparatum eſt. Is enim licet primum perterrefactus refugiat non nihil, tamen ilicò ad priſtinam ſedem redit, atque cum exorbitante impetu hoſtili materiæ reſiſtit atque reluctatur: Qui ipſe reſiſtendi ac certandi actus nil aliud eſt , quàm violenta humorum peccantium vel malignis effluviis contaminatorum fermentatio , (hoc ipſum autem clariùs infrà in conſideratione febrium oſtendetur.)

unde impuritates & ſuperfluitates quævis in corpore tunc reſtagnantes ſpirituoſæ fiunt, ut ex fonte Artis Chymicæ & manuali experientiâ id notiſſimum eſt, quæ cum ſpiritibus influentibus mixtæ calorem noſtrum neceſſariò conduplicant ac mirum quantum adaugent, ita ut hinc pateat actutum etiam, cur peſtis nunquam ſine continuâ & ardente febre exiſtat. Per hanc ipſam quoque explicationem luculentiſſimè patet ratio & cauſa, quomodo ſpiritus vitæ ſeu calidum nativum intenſiori gradu ex hôc certamine augeatur. Cùm verò propter hanc ſpirituum excrementitiorum ſibi commixtorum ſocietatem Archeus ſeu Natura noſtra impenſè irritetur, & proinde eò fortiùs & majori cum vehementiâ in hoſtilem materiæ peccantis tyrannidem agat, fit etiam, ut hoc ipſum non fruſtrà nec ſine peculiari fine fiat, ſed dicta hac reluctatione vel pugnandi actu propulſat aut propellere ad minimum à centrô & nobiliorum partium dignitate ad corporis circumferentiam ſeu minùs nobiles partes ac locorum extremitates, qualia præter cutem cumprimis ſunt glanduloſa iſta emunctoria, in quæ peſtis ſolemniter protuberare ſolet, intendit venenatum, peſtiferum ac infauſtum hoſpitem, unde varia exanthemata & tumores oriuntur, qui tamen ſemper vivam & animatam putrilaginem ſeu verminoſam mucilaginem in ſe comprehendant, veluti acutiſſimus Kircherus id egregiè ſub ſinceriſſimô veritatis & experientiæ teſtimonio demonſtravit.

Ad §. 13.

Si ullibi, certè in caſtris, ob putridas exhalationes & inquinamentorum ſordiumque, quæ ibi tam copioſè cumulantur & quam plerumque negligenter habentur, immunditiem putreſcentem virulenta contagio & luis peſtiferæ ſeminaria, præſertim ſi inſuper ☉aris accedat æſtus, concipiuntur. Hoc ipſum autem eò magis tunc fieri ſolet, ſi cadavera militum ſive morte naturali, cumprimis autem morbo aliquo contagioſo malignoque ſive alio caſu peremtorum, imò aliorum etiam animantium vel omni ſepulturæ beneficio priventur, & in campis hinc inde temerè diſperſa maneant, vel ſi ſuperficietenùs tantum contumulentur, ita ut à canibus vel animalibus carnivoris aliis eruantur rurſus ac dilacerentur. Tunc enim libero ♃i & externo ☉is calori expoſita perniitioſiſſimè putreſcunt ac fœtidiſſimâ ſanie diffluunt, atque id quidem eò faciliùs, quod cadavera cuncta inſitam quandam ad ſuſcipiendum putredinis peſti generandæ aptiſſimum virus, & conſequenter ad infinitas vermiculorum venenatorum turmas producendas diſpoſitionem habeant. Ergò hinc ſufficienter claret, unde fermentum peſtilens ac ſeminium contagioſum in Caſtris potiſſimùm perfacilem ducat originem, atque cur febres peſtilentiales ſeu maligniſſimæ cumprimis caſtra depopulari ſoleant.

Ad

Ad §. 14.

Acriter omninò inter Philoſophos & Medicos controvertitur, an ſcilicet poſsibile ſit, ut ſola imaginatione, adeoque citra ullam externarum cauſarum culpam in intimis corporis noſtri receſsibus Peſtis ſic contrahi queat. Multi quidem hoc ipſum, inter quos Autorem etiam noſtrum Helmontii veſtigia legentem deprehendimus, aſſerunt & omnibus nervis obtinere conantur, ob eam præcipuè cauſam, quod poteſtatis imaginativæ ac phantaſticæ vis ſumma utique ac ſtupenda exiſtat; id quod ſatis ex miro illo imaginationis magnetiſmo, qui in gravidis obſervatur, videre licet. Verùm enim verò utut primô intuitu ratiocinia Helmontii aliorumque Neotericorum plauſibilia utique & in rei veritate ingenioſa exiſtant, tamen cum doctiſsimo Kirchero nullatenùs admittendum, imo penitùs impoſsibile cenſemus, peſtis geneſin in ſola imaginatione, quantumcunque etiam terreatur quiſpiam aut anxia mente peſtem ſibi diu noctuque imaginetur, conſiſtere; ſed neceſſariò ac ſemper omninò peſtis generationem virulenta quædam ſemina, licet à nobis illa non attendantur, præcedere debent; Quibus præſuppoſitis promtius faciliusque nihil eſt, quàm peſtem horridæ imaginis terriculamento ſeu funeſtiſsimæ rei imaginatione contrahere, ſiquidem hujuscemodi atrox imaginationis aut horroris vehementia multum plurimumque in concitandis tumoribus & turbanda vitali œconomia valeat, ita ut corpus ſic diſpoſitum virulentos extrinſecùs ſerpentis & advenientis contagii hoſpites eò promtiùs poſtmodum recipiat; qua de re non minùs acutè & accuratè, quàm prolixè diſſerens in ſuo de Peſte ſcrutinio Kircherus videatur. Unde etiam concludimus, nec Autoris philoſophiam hîc locum habere, niſi rudimenta ac elementa quædam ſive ſemina peſtifera præſupponantur. Oblata hac occaſione, ἐν παρόδῳ monere juxtà præſtat, illos, qui naturali quadam inclinatione ad Melancholiam & phantaſiæ turbatæ angorem concipiendum propenſiores ſunt, meliùs muniri non poſſe, quàm ſi graſſante hoc malo quotidiè largiori non nihil Vini potione recreentur: Quùm enim Vinum mentem afferat & animoſitatem evidenter pariat, quumve in eo ſit dulcedo lætitiæ & hilaritatis ſvave ſeminarium, ac propterea cor egregiè id exhilaret, vitaliumque robur præſtabiliter ſuſtentet, ſpiritus ex votô reficiat, vitamque quàm optimè foveat (unde etiam exoptatiſſimus vitæ noſtræ auriga Vinum dicitur) ſubſumtu facilius nihil eſt, quàm quod nectar hoc balſamicum ac ros nitidiſſimus curas etiam potenter ſolvere, omnem phantaſmatum terrificorum triſtitiam procul arcere aut diſcutere, atque nubila mentis oppidò denubilare valeat. Hanc ipſam vero cautelam Medici ſeu Phyſici illi, qui infectos inviſere tenentur, aut inſtantiſſimis precibus invitantur, cumprimis ſibi dictam exiſtiment, adeoque omnibus caveant modis, ne jejuni

adeant hac lue inquinata loca, ſed uno vel altero calice Vini optimi vel ſpecificè medicati ſe in anteceſſum armare recordentur ; ſic enim præcavebunt , ne terror & phantaſtica meticuloſitas ipſum tam facilè percutere aut inſilire ac perdere poſtmodum poſſit ; Imò commodè ſic roborata ejus Natura malignitati potentiùs reſiſtit , nec tam facilè à fracidis exhalationibus offendetur, Adeoque tam meticuloſis & Melancholicis , quàm ipſis præſertim Medicis ſobrietatis ſtudium utpote ob dictas cauſas omninò nocivum ac ſuſpectum diſvaderi tunc potiùs debet.

Ad §. 15.

De Peſtis præſervatione non immeritò Autor primùm ſe præbet ſolicitum, quam potiſſimum in loci mutatione in fugâ conſiſtere docet. Prudenter tamen & ſub conſilio peritiſſimi Medici fuga hujusmodi ſemper inſtituenda debet, ne incidat in ſcyllam, qui vult vitare charybdim. Ergò non ſolummodò probè animadvertendum eſt, quò uſque ſe tunc temporis extendat illud contagium vel peſtiferæ fracedinis exhalatio; verum etiam ventorum obſervatio ſummoperè neceſſaria eſt, ita ut attendere debeamus, quorſum aut verſus quod clima mundi tunc flamina tendant. Si enim v. g. Auſter tunc ſpiret , & meridionales & ſeptentrionales locorum tractus nequaquam ſunt adeundi, ſiquidem pertimeſcendum ſit, auſtrum tunc afferre peſtis fomenta & cauſas, loca verò ſeptentrionalia utique ſic ſuſpecta exiſtere, utpote ad quæ, venti meridionalis remigiô inquinamenta contagioſa vel ſpontè transferuntur aut facilimè transferri poſſunt: Adeoque laterales plagæ tunc eligendæ, & vel orientem verſus vel occidentem, modò & ibi de aëris ſalubritate & benigniore aurâ primùm certiores ſimus, transeundum. Quibus igitur in fugam collocare ſalutis fiduciam placet , illis tria cumprimis attendenda ſunt 1. ut citiſſimè & maturè fugiant , antequam contagioſa miaſmata corporis ſpiritus ac humores vel ad minimum veſtimenta infecerint : Quod qui negligunt, & loci mutationem ſeriùs ſuſcipiunt , ex iis non pauci conceptô jam peſtis fomite, quem intùs geſtant ſepultum, dum eundo vires is acquirit, etiamſi jam ſaluberrimum locum occupent, inopinatò ſæpiùs pereunt. Ideoque citò abire meminerint. 2. Quam longiſſimè ſe abducant , & ad diſſita loca à peſtilenti labe adhuc bonâ fide immunia ſe recipiant : Qui enim in viciniâ ſaltim conſidere volunt , illi ſciant , nullô negotiô effluvia malignantia & halitus peſtiferos etiam illùc transferri ac propulſari poſſe. 3. Tardus ſit eorum reditus , nec priùs priſtinos petant Lares , quàm ſi omne contagionis virus omnimodè extinctum ſit atque ſublatum : Longè enim majori cum exitio periculoque ex loco puro & ſalubri in minùs ſalubrem & laten-

latente adhuc virulentiâ contaminatum tranſiri , quilibet facilimô negotiô concedet.

Ad § 16.

Medicamenta prophylactica ſeu præſervantia jam proponit Autor , qui anſam ſciſcitandi & controvertendi , dum nobiliora ſudorifica ad præſervationem commendat, omninò ſuppeditat, an ſcilicet in ſcopo præſervandi tempore peſtis ſudorifica ſtatim adhiberi & cum applauſu rationis approbari poſſint. Nos ab expulſivis (talia autem ſunt ſudorifica, quæ à centro ad circumferentiam & ab internis ad exteriores partes materiam peccantem & impuram malignamque expellunt ac protrudunt) hoc præſervandi negotium nequaquam auſpicandum eſſe ſuademus, quoniam ſic fermentatio & ebullitio ſanguinis & per conſequens humorum etiam excrementitiorum, ubicunque etiam lateant, qui temerè turbari tamen , niſi præmiſſis ſcilicet prætermittendis ſeu univerſalibus , non debent, concitatur , imò impuritates circa primas vias ſtagnantes ad penitiores receſſus hac ipſâ humorum exæſtuatione ac ſudorum propulſione avidius utique rapiuntur, adeoque peſtifera effluvia in corporis abdita & vitalia ipſa attrahendi promtitudo ſic mirum quantum acceleratur. Res ergò, ut accuratiùs dijudicari poſſit, neceſſum eſt, ut diſtinctionem prophylaxeos afferamus, adeoque gemina eſſe prophylactica moneamus. Quædam enim ad futuram peſtem , quædam verò ad præſentem ſuccidendam porrigi debent. Hanc quod attinet, concedere tandem poſſumus ſudorifica appropriata ſeu alexipharmaca, quod fomes Draconis hujus tacitè tunc conceptus eſſe queat; In illâ verò ad ſudorifica tranſitum protinùs faciendum eſſe haud conſulimus , ſed initium potiùs, antequam ad Diaphoretica procedatur, ab univerſalium uſu, veluti ſubſequens theſis hâc in parte nobis favet , inſtituendum exiſtimamus. Cœterùm quoad præſidium præſervativum ipſum, quod hîc decantat Autor, res non adeò plana eſſe videtur, quid propriè per 🜍 ♁ij intellectum hîc velit: Certum enim eſt, quod 🜍 ♁ij ſimpliciter ſic dictum & cinnabaris ejusdem mineralis evidenter duo ſint diſtincta, & aliâ ratione illud præparetur aut ſeſe habeat , præſertim quod inſtar 🜍ris communis flammam concipiat , aliâ quoque ejus cinnabrium. Verùm quum Autor cum adjectione hôc 🜍 ♁ij determinet, & illud nuncupet ſudorificum, deinde etiam præparandi rationem cum ☿iô puta ♎atô non nihil addat, patet ipſum hôc nomine nihil indigitare aliud, quàm ♁ij cinnabarim, ex quâ etiam ſpecificum cephalicum tanquam inſigne tam facultatis animalis quàm vitalis confortativum, & in utriusque affectibus præſtantiſſimum remedium parari notum eſt: Aliàs verò egregiè reſiſtit putredini ac corruptioni, & proinde in omni malignitatis caſu ſingulariter confert atque maximarum eſt virium. 🜍 etiam

iam ♁ij ſimpliciter dictum ſi ritè & lege Artis Hermeticæ beneficiô nempe alkalium & factorum exinde fortiorum lixiviorum per ſingularem induſtriam paratum ſit, in morbis malignis & peſtilentialibus Panacææ adeoque Medicinæ efficaciſſimæ autoritatem ſibi vendicat: Veluti etiam indubitatum eſt, ipſum vulgare 🜍ur vel rectiùs flores 🜍ris vel alia ex hôc facta remedia tantas & tam admirandas in peſtis virulentâ contagione diſſipanda & exterminandâ virtutes obtinere, ut hinc 🜍ur divinum quid, hoc eſt à Diis quaſi immediatè in humani generis ſubſidium cœlitùs inſpiratum antidotum ab ipſô Hippocr. fuerit ſalutatum Quapropter & nos aſſerimus, flores 🜍 cum ſaccharô candi (& ſi non diſplicet cum pauxillô myrrhæ.) aut cum quodam ſpecificô electuario vel conſerva commixtos quotidiè bis vel ter graſſante peſtiferô hoc contagio tanquam præſentiſſimum optimumque prophylacticum, velut ex §. 18. videre eſt, aſſumi. Quum enim peſtis eſſentiam conſtituat animata & verminoſa ſed exotica fracedine & vehementi venenô prætida putrilago, 🜍ur verò omnibus inſectis ac vermibus ſit infeſtiſſimum eosque præſentiſſimè enecare valeat, cauſa in promtu eſt, cur familiaris 🜍ris uſus tantam contra hoſtis hujus atrociam opem imo victoriam polliceatur & afferat.

Ad §. 17.

Aliud medium à peſte futura & ejus inſultu corpus præſervandi, quod in univerſalium familia agmen ducit, Autor nunc producit, quod cachochymiæ ſubtractionem nobis inſinuat: Nullum enim dubium eſt, quin apta & conveniens corporis à ſuperfluis noxiisque humoribus aut excrementitiis impuritatibus ac cruditatibus expurgatio, ſi in tempore inſtituatur, ubi ſeminium peſtis in corpore nondum eſt ſuſceptum, hoc ipſum illudque non contemnendum beneficium præſtet, quò minùs paratum idoneumque diverſorium malignus hoſpes invenire poſſit, ſiquidem cacochymia ſeu vitioſorum humorum colluvies magnetis ad inſtar tunc ſe habeat, quò eò citiùs faciliusque contagioſam labem corpus ad ſe rapere ſolet. Hoc præmiſſo non opus eſt, ut repetamus, quid Autoris regale & toties à nobis laudatum Emeticum in hac peſtifera calamitate, ubi ſcopus præſervandi præſtò eſt, præſtare, & quomodo id ex fundamento radices Cacochymiæ extirpare queat: Ex præcedentibus enim hujusdem uſus & doſis vel ſpontè in hoc etiam caſu ſe commendabit ac manifeſtabit. Sudorifica evacuantibus rectè ac tutò ſubmitti, in antecedente theſi jam indicavimus: Quantas autem vires malignitatem & putredinem animatam enecandi, adeoque peſtiferum etiam virus, quod ſpiritum noſtrum graviter inficiendo & incitas redigere valet, extinguendi habeat ☿ius ſudorificus, iam ſuprà ſufficienter dictum doctumque fuit.

Ad

Ad §, 18.

Peſtis curationem adeoque longè magis ejus præſervationem exoptatam in ſanguinibus(puta animantium præſertim lege artis præparatis.)conſiſtere,elegantiores docent Autores. Ratio omni dubiô procul quærenda eſt in proprietate balſamica,quam omnis ſanguis in gradu excellentiæ obtinere ſolet: Cumprimis verò commendat Autor ſanguinem cervi, qui ut contra quævis toxica, ita etiam contra peſtiferam virulentiam eſt efficaciſſimus. Pariter cervi urinæ, carnîs,corii,oſſium,eiusque partium omnium vim optimum eſſe peſtis defenſivum,hac occaſione addimus. Sanguinem ciconiæ,licet is non ſit officinalis,itidem hîc plurimum pollere, nulli dubitamus, præſertim quod nobis conſtet, totam ciconiam non ſecùs ac cervum habere vim alexipharmacam inſignem, adeò ut contra omnis generis venena, & propterea etiam contra peſtiferam labem cenſeatur præſtantiſſima; Nec mirum, ſiquidem ciconiæ ex eſu ſerpentum, ranarum & bufonum vivant,& adſumta ea ita coquant ac transmutent, ut caro earum ac omnes partes omninò theriacales hinc evadant, & uſurpatæ poſtmodum peſtilentes ſagittas ex corpore noſtro potenter extrahant ſeu ſugent. Majorem tamen efficaciæ excellentiam impetrabunt & in rei veritate arcani antipeſtiferi titulum merebuntur,ſi eſſentia ac ſpiritualis medicina vel ☍ etiam exinde lege magiſterii hermetici fiat, quâ in re conſulenda eſt Chymiatrorum manualis experientia & informatio. Sulphuris nobilitatem & generoſam contra peſtiferos morbos virtutem paulò ſuprà deprædicavimus, imò id ipſum tanquam medicamen ad omnia corporis vitia quàm commendatiſſimum & in conſervatione ſanitatis catholicum valorem obtinens adhuc pronunciare non veremur, ob vitæ videlicet fomitem & valdè acceptum humidi radicalis pabulum, quod indubitatò in ſe complectitur mirabilis hæc 🜍æ pinguedo. In hôc autem paragrapho laudat Autor flores 🜍 gummatos vel myrrhatos,qui proinde & ob ingredientium proprietatem balſamicam magis appropriatè à peſtiferô inſultu nos tuentur. Notum enim eſt, quod tam aloë quàm myrrha maſculè impediant, quò minùs humores ingentem atque inſignem ſubire aut ſuſcipere corruptionem poſſint. Mirè autem efficaces ſunt ambo in deſtruenda verminoſâ ſobole,ut vel hôc ipſô nomine ac ſuprà de 🜍re dictum fuit,ſtatim in propatulô ſit, quomodo animatum ac vivum hoc in peſte venenum, ſi præſens ſit, extinguere, vel ſi immineat,procul arcere ac expellere valeant. Cumprimis verò ſuffumigia ſed ex decentibus ſpeciebus conflata non ſunt negligenda, utpote quæ planè herculeum ad exſtirpanda peſtifera hæc ſeminia ſeu effluvia auxilium conferre queunt. Atque hoc ipſum Autor quoque obſervavit, quæ egregiam plane mixturam ad depurationem aëris magnô certiſſimoque cum effectu præſtandam

hîc

hîc appoſuit, in quâ primas obtinere ac baſin conſtituere 🜍ur non immeritò videmus, quod huic vix ſimile contra peſtem præſidium in rerum naturâ reperiatur, quemadmodum id Kircherus locô ſæpiùs allegato pagina mihi 360. & ſeqq. egregiis & in oculos incurrentibus tam exemplis illuſtratum, quàm rationum ſolidis argumentis probè comprobatum dedit. Alterum ingrediens nempè picem quod ſpectat, illam eatenus hîc conducere ſciendum eſt, quatenùs præter balſamicam facultatem miaſmata virulenta veluti congelat ac condenſat, adeoque ſibi adhæreſcere facit, ut ita vices lictoris alicujus quaſi ſubeat, hoc eſt ratione viſciditatis ſuæ glutinoſæ effluvia iſta veluti vinculis capta teneat ac cohibeat, quò 🜍ris ignea poteſtas eadem eò melius ac penitius conſumere ac deſtruere poſtmodum queat. Huic ſal ſubjicitur, quod propterea hunc ſuffitum reddit potentiorem, quod acidus hinc promanans vapor peſtiferæ fracedini ſeu fœturæ ſit impenſè infeſtus, adeoque contra malignam hanc exhalationem præcellens remedium: ⊖ namque per ſe ob balſamicam, quâ præſtanter pollet naturam ſuam valdè potentem ab omni corruptelâ præſervandi & ſuperfluas impuritates quasvis conſumendi ac velut comburendi vim ſuſtinet, ut latiſſimè id notorium eſt. Quartò ut olibanum ſeu thus magnæ eſt adverſus quam plurimos morbos utilitatis, ita vel propterea hîc congreditur, ne fœtor ſuffumigii hujus cerebro tantoperè noceat, ſed ut eum nonnihil corrigat, atque pro roborando capite ſingulariter inſerviat. Myrrhæ gloria jam nobis innotuit; cui ſuccedit in præſcripta ab Autore pro ſuffitu formulâ Aſa fœtida, quæ longè potentiùs verminoſam prolem ſeu animatam putrilaginem ex malignâ fracedine ortam, quàm aloë aut myrrha peſſumdat atque funditùs exterminat. Quod tandem balſamus 🜍ris terebinthinatus hîc fructuoſè addatur, & eôdem ſuffitus iſte alexipharmacus non perfunctoriè nobilitetur, ſed potiùs mirum quantum exaltetur, id nobiliſſima ſtatim 🜍ris efficacia aliquoties jam expoſita indicare atque aſſerere poterit. Cœterum uſurpandi cautelas dilucidè ſatis in textu appoſuit Autor, ut hinc non immeritò nunc properemus ad ſubſequentia.

Ad §. 19.

Aliam per ſuffimentum in ſudatoriô ſeu æſtuariô parvô (in quô unus ſolus concluſus ſudare exſertô capite poteſt.) à peſte tam hominem præſervandi, quàm veſtimenta ab hâc labe vendicandi rationem Autor hîc adſcripſit, quam nos etiam non approbare non poſſumus, partim ob ingredientium, quæ accenſa vapore ſuô balneum hoc calefaciunt, virtutes jam ſatis declaratas, partim etiam ab ſuccini ac V nobile conſortium. De ſuccino enim certum eſt, quod verminoſæ proſapiæ iſtud non tantùm ſit infenſiſſimum, verùm in febribus etiam omnibus præſertim verò malignis ac peſtilentialibus, quarum eſſentia in putredine

ani-

animatâ, ut ſæpius id oſtendimus, conſiſtit, ſummum remedium exiſtat: Potentiores tamen virtutes ſuccinum habebit, ſi in Q. eſſentiam ſeu ºoº rectificatiſſimum reducatur. Unde quàm virtuoſus eſſe ſuccini fumus debeat, vel ſpontè apparebit. Spiritus Vini quoque & ejusdem 🜍rea flamma præſtantiſſimis laudatarum reſinarum fumigiis imprægnata in venenatis inquinamentis extinguendis eò fortior omninò eſt, quò magis verum exiſtit, ſpiritum Vini ac ſubtiliſſimam ejus eſſentiam per ſe titulo bezoardici vegetabilis ac 🜍ris cœleſtis & quidem rectiſſimè inſigniri, prætereaque generoſam omni putredini validè reſiſtendi energiam poſſidere. Quod verò peſtem per Dei iram juſtiſſimam, quam quotidiè in ſe derivat improbum hominum genus, immiſſam attinet, contra eam ante omnia melius ſanctiusque remedium non datur, quàm illud, quod Theologia nobis inſinuat; Preces & lacrymæ ſunt arma Eccleſiæ. Eleemoſynæ verò & per conſequens, bona opera quatenus talia confeſtim produnt Autoris papicultum: Sed impoſſibile eſt ſine fide Deo placere, adeoque & ipſi Eleemoſynæ ſine devotâ fide nequaquam placebunt, multò minùs iram ejus placabunt. Theologicam hanc peſtiferum malum curandi methodum vide apud Unzerum de Lue Peſtifer. cap. 1. l. 2. qui eam eleganti penicillô nobis depictam reliquit.

Ad §. 20.

Venena in medicinâ nullatenùs adſpernenda eſſe, ſeriò & quidem rectiſſimè ſaniores monent Chymiatri tanquam perſpicaciſſimi Naturæ Conſiliarii. Qui enim venena contemnit ac temerè horret, is ignorat, quatenus inibi theſaurus lateat ſepultus, & quem profunda ſit Dei ſapientia, rerum virtutes tam ſolicitè tegens, ac protegens. Sanè haud nugax eſt illud Poëtarum figmentum, quô amœniſſimos Heſperidum hortos, mala aurea confertim proferentes pervigilem cuſtodire Draconem tradiderunt: Hôc ipſô enim nil aliud digitô velut commonſtrare intendunt, quàm quod ſub rebus & obſtaculis virulentiſſimis vitæque noſtræ crudeliter inſidiantibus recondita ſint pretioſiſſima Naturæ dona & maximæ omninò dotes. Ut autem hæc aurea poma ſeu benedicta myſteria Naturæ decerpere quis minimè poterit, niſi edometur priùs & occidatur Draco ante hortos excubias agens, ſic etiam abſcondita ſub venenato cortice contralis & glorioſa ſalubritas elici non poteſt, niſi Hercules aliquis venenatum Draconem expugnaverit, hoc eſt Chymici peritiſſimi dexteritas veneni iſtius debitam correctionem ſtudioſè præſtiterit. Veriſſimum hoc adeò eſt, ut tacitè convenientia nomina luculenter id etiam indicent; Summum virus ſumma virtus; quia in rei veritate in venenis latitant virtutes ineffabiles & ſecreta nobiliſſima. Nempe Bezoardicum animale ex bufone præparatum ſit loquendi ac philoſophandi neceſſitatem nobis hîc ſuggerit, quod remedii genus ut plerique ipſâ peſte pejùs aver-

ſari ſolent, ita opprobriô non caret, excellentiſſimas virtutes & myſteria ſub bufone latentia ſusque deque propterea tantùm haberi, quod horrorem ſolô adſpectu ſuô ſqualida & venenô livens hæc beſtia incutiat, & quod Medicorum vulgus ab eodem ſicuti ab omnibus venenis aliis tantoperè abhorreat. Statuimus igitur cum Autore noſtro, in bufone non ſolummodo efficaciſſimum antidotum & planè benedictum eximiumque myſterium ad peſtilitatis atrociam ex fundamento curandam, multoque facilius verò in tempore arcendam conſiſtere, cujus beneficio etiam in illis hoc funeſto contagio afflictis vita ſæpiſſimè conſervata fuit, ubi de cœteris præſidiis jam deſperatum erat; Verum etiam in hôc abominabili animante arcanum malignitatis & veneni cujuscunque bonâ fide extinguendi aut repentè expediteque extrahendi prorſus mirabile ac validiſſimum latere. Uſus autem bufonis ſeu rubedæ majoris tam ad intra quàm extra eſt planè commendabilis & tanti momenti, ut eloquia deſint, hanc utilitatis majeſtatem, quam DEus tam horrido animali haud absque ſingulari ſapientiâ induit, ſufficienter exprimendi. O ſi crederent hoc Medici & Chirurgi, exclamat Paracelſus, quantam feliciter ac citò deſperatiſſimos etiam affectus curandi gloriam ſibi ſic comparare, & gratioſæ Artis merita inſignibus præconiis adornare aut locupletare poſſent. Quod uſum concernit internum, Autoris in hâc theſi adſcripta bufonis præparatio nobis perplacet, ſiquidem ea planè conveniat cum ♁iô diaphoreticô, & id præparandi modô. Dubium tamen hîc ſe offert, an ⦶um ſcilicet cum quo bufonis calcinatio ac præparatio inſtituitur, ſit ſeparandum, quemadmodum in ♁iô diaphoreticô fieri id ſolet. Reſpondemus, quod juxta textum ſententia Autoris eſſe videatur, ⦶um cum bufone ſociatum permanere debere, ſiquidem ⦶um per ſe virtutem obtinere alexipharmacalem abundè conſtet: ſi enim à ⦶ſitate illâ more conſuetô vendicare hoc animale Bezoardicum alicui placeret, is profectò unà cum ⦶rô ſal bufonis fixum tollet, adeoque animalem hanc antidotum manifeſtò emaſculabit, atque virtute ſuâ præcipua, quæ in ⊖e bufonis conſiſtit, privabit. Aliam realgar ſeu arſenicum hoc animale (ſic vocare lubet bufonem crudum.) præparandi rationem Autor in Panchymicô ſuô habet, ubi fortiori △e ad albedinem uſque adeoque probè ſeduloque calcinandum bufonem eſſe, & ⊖ non tantùm hinc cum ▽â ſpecificâ nempe ſcorzoner. vel galeg. vel ulmar. ſeu ſcordii, card. benedict. &c. extrahendum, verùm etiam ad cryſtallinam claritatem perducendum dictitat: In hôc enim ⊖e ſummè purificato, inquit, non tantùm peſtis, verùm etiam omnium malignorum ac conclamatorum morborum promtè curandorum arcana atque admiranda energia deliteſcit, dum omnem peſtem omnemque malignitatem è maſſâ ſanguineâ potenter eliminat, eamque totam

fun-

fundamentaliter purificat. Plura de bufonis uſu præſertim externo datâ paulò pòſt in §. 24. occaſione dicemus ac docebimus.

Ad §. 21.

Vinum iſtud medicatum, cujus inventum Hippocrati adſcribendum eſt, commodiſſimè in præſervatione peſtis porrigitur, quod Autor hîc unà cum modo præparandi & uſurpandi appoſuit: De hoc ipſo tamen Vino eruditè & rectè Kircherus ratiocinatur, qui pagina mihi 364. videri poterit; Imò ejusdem virtus ſtatim cuivis patebit, modò ingredientium vires jam à nobis ponderatas reſpicere non faſtidiat. Spiritum ⊖ valdoperè hîc etiam convenire ex iis deſubitò claret, quæ de ⊖is facultate à putredine tutos nos præſtante, & qua ratione id fiat, non modò in hoc ipſo, verum præcedentibus etiam capitibus hinc inde jam adnotavimus: Ea ergò hinc cuminanda venient. Generalem verò regulam pro ſcopo hominem à peſte ex ſententiâ præſervandi hîc adjecit Autor, dum omnia ea excellenter hîc convenire innuit, quæ naturali & peculiari proprietate corpora à putredine ac corruptelâ maſculè præſervandi ac defendendi pollent, vel etiam quæ ipſa quâm diutiſſimè incorrupta manent. Neque dubium eſt, ſub hoc canone omnia ea comprehendi, quæ partim contra hanc contagioſam luem commendavit, partim etiam in ſequentibus adhuc nobis communicabit Autor. Agmen autem ducere ac principatum in claſſe remediorum illorum, quæ præſtant, ut res incorruptæ maneant, ⊖ minerale univerſale ſeu Philoſophorum citra ullam hæſitationem concedimus. Sed ubi benedictum & gratioſum hoc totius Naturæ ⊖ & aſtrum illud balſamicum inveniemus, quod Natura tam profundè abſcondidit, ut illud ex tot mille hominibus etiam vix unus eruere calleat aut valeat? De hoc ipſo autem aſtrali ⊖e & ▽â ſicca Sophorum hactenus & in ſuperioribus quædam balbutire jam fuimus auſi, quæ hîc loci non incommodè repetuntur: Neque bono ſpagyrico difficile adeo fore exiſtimamus, catholicum arcanum & mirabile hoc ⊖, modò ejusdem priùs compos fuerit factus, ad puritatis ac rubedinis culmen perducere, illudque poſteà cum ſpiritu ſuo acido, quem Philoſophi ▽am ſapientiæ vel azoth aut acetum ſuum vocare ſolent, inſeparabili nexu unire. Sed Autor hîc laudavit id, quod ipſe nec habuit nec vidit unquam, utut etiam ſcripta eius de ſummo hoc Naturæ arcano ſpecioſè ſatis loquantur ac præclariſſimè ſentiant.

Ad §. 22.

Percepimus iam ſuprà, quod, cur & quando peſtis curatu impenſè ſit difficilis, laborioſa atque periculoſa, ita ut ſi ullibi, certè peſtis tempore Medici aliis in ſerviendo ſe conſumere, & ſoſtri loco ipſam peſtem mortemque lucrari ſo-

 leant.

leant. Cumprimis autem curæ difficultas ingens quantum augetur, quando peſtifera tabes interiorem iam viſcerum cumprimis verò vitalium ſpirituumque œconomiam invaſit atque penitiùs occupavit.: Unde Medicorum etiam nobiliſſimi curationem huiuscemodi peſtis ingenio humano tam ægrè per viam putarunt ut genuinum & tanti mali ferociæ evincendæ aptum ſeu efficax antidotum vix reperiri aut excogitari poſſe crediderint. Verùm enim verò licet ſumma difficultas nos à curâ peſtis iam factæ deterrere omninò poſſet, tamen animus nequaquam deſpondendus, ſed potiùs arma medica contra furioſum hoſtem animoſè arripienda ſunt, & talia quidem arcana, qualia Armamentarium ſpagyricum nobis ſubminiſtrare ſolet, hoc eſt quæ plus formæ habent, quàm materiæ; ſive quæ in ſpiritualem eſſentiam aſtralemque ſubſtantiam, adeoque in ſupremum Naturæ ſuæ gradum ſunt ſublimata. Ut itaque talia impetrare remedia queamus, ad Chymiam illam vulgatisſimam Medicinæ columnam & artium omnium magiſtram, quæ Naturæ lumen acutisſimo ſenſu indagare docet, confugiendum eſt: Hæc enim rerum craſſos cortices & quisquilias dexterrimè reiicit, & medullas earundem ſeu ſpirituale nectar deguſtandum oppidò præbet; Cavendum ideoque eſt omnibus modis, ne ſummæ corruptioni, quæ peſtis eſt indubitata genetrix, corruptibilia & multis impuritatibus ſcatentia medicamina opponantur; ſic enim Medicus non tantùm oleum & operam in curatione perdet, verùm peſtifera etiam fœtura iſtiusmodi cruda & impura pharmaca in ſui potiùs convertet ſubſtantiam, adeoque corruptionis iſta malitia potiùs ingraveſcet, & malum peſtiferum evidentia hinc augmenta capeſſens non parum exaſperabitur.

Ad §. 23.

Facilè imò promtiſſimè noſtro largimur Autori, quod beneficiô balſami Naturæ generalis ex ⊖e univerſali eliciti & per 7. ſphæras exaltati, hoc eſt lapidis philoſophici ſeu tincturæ Phyſicorum, quæ Naturæ totius breve compendium eleganter dicitur, peſtis tutiſſimè, citiſſimè ac jucundiſſimè curari poſſit, & quod hâc ipſâ benedictâ medicinâ, generoſior potentiorque contra peſtem, ſive ea ſit curanda, ſive ab eâ quis præſervandus veniat, nequaquam detur. Verùm multa de hoc magnô myſterio ſcribere noſtra vetat ignorantia, quam lubenter fatemur & jure meritô hîc prætendimus: Certiſſimè enim hoc magiſterium (loqui cum Paracelſô, & ſic effugere hanc de materia ſummè arduâ diſſerendi operam liceat) eſt Dei donum, qui hanc artem dat, cui vult, nec ſibi per vim extorqueri ſinit, ſed ſolus vult honorem & gloriam in hôc obtinere, cujus ter ſanctum nomen in æternitates ſit benedictum. De hâc ipſâ Medicinâ gratioſiſſimâ & rectô eius uſu (doſis autem huius in minutiſſimâ quantitate ob cœleſtem

ſtem & incomparabilem vim ſuam concedenda, quapropter iv. grana pro doſi nequaquam admittenda.) vide Theophraſtum, in Manuali ſuô limatiſſimo de Lapide Philoſophorum, cui perpetuas meditationes laboresque tuos, quorum ſeriâ & ſeverâ conſtantia omninò quàm plurima inveniri ſolent, addere; & ſi per DEI gratiam ſummum hoc bonum impetraveris, tacere tu memento.

Ad §. 24. & 27.

Inter varia præſidiorum medicinalium genera, quæ tempore peſtis præſcribuntur, illud quàm plurimum quoque eſt uſitatum, quod Plinio amuletum ſeu pendaculum, Græcis periaptum dicitur. Hoc enim collo appenſum vel alia quavis ratione corpori admotum propulſari & amoliri (en ethymi ſenſum per alluſionem haud incongruam.) venena creditur, atque propterea tam contra vulnera & ulcera, quàm internos etiã haud infructuoſè geſtatur morbos. Et licet non pauci ſint, quæ ſeriò exiſtiment, amuletorum applicationi plus ſuperſtitionis ac vanitatis, quàm efficacitatis utilitatisque ineſſe, adeoque pendacula iſta pro anilibus, frivolis ac nugatoriis potiùs habenda, prætereaque ſi fortè fortuna iuvent, id potiùs fortiſſimæ imaginationi ac firmæ de iisdem confidentiæ, quàm illorum virtuti eſſe tribuendum. Attamen magnorum Autorum confirmatio cum applauſu rationis ex magno Naturæ libro depromtæ & experientiæ ipſius contrarium manifeſtò demonſtrat. Ut autem pendacula illa, quæ variis literis, characteribus, ſigillis, numeris, crucibus & his conſimilibus intricata, adeoque manifeſtis ſuperſtitionibus referta ſunt, omnimodè tanquam à gratioſa Arte luculenter aliena fugienda vel non adeò attendenda cenſemus, ita illa, quæ ex bufonibus præparata aut ☿iô etiam vivô excavatæ avellanæ indito, vel ex arſenicô auripigmentoque (ſed decenter & cum ingenioſa ſolicitudine.) confecto exiſtunt, minimè gentium reſpuenda ſunt, quod reverà à foris ſuper cor geſtata ſummoperè ad emoliendam feralem peſtiferi contagii hoſtilitatem conducant, & præterea ſalva etiam conſcientia admoveri poſſint, quòd omni ſuperſtitione eadem careant, neque ratio hujus operationis prudentiorem Medicum latere queat, modò principalis ac proxima cauſa peſtis, necnon ingenita vis amuleti, v. g. ex bufonibus præparati, accuratiori trutina expendatur. Peſtis itaque quum ab excellenti putredine, quæ ſummam virulentiam habet conjunctam & in vermes ſeu inſecta vel in verminoſa effluvia abit, adeoque in rei veritate viva & animata exiſtit, ſuam originem trahat, bufo verò ſeu rana venenata nil aliud ſit, quàm terreſtris animatique toxici ac contagioſæ virulentiæ magnetica quædam burſa, ut eleganter loquitur Kircherus, & propterea animal illud veneno exquiſitiſſimô ſit plenum, quivis promta collectione cauſam effectus iſtius mirabilis, qui huic adſcribitur ex bufone facto amuleto, poterit concipere; ut taceam inſuper oc-

cultos Naturæ characteriſmos & ſignaturas, quibus in bufone Natura proprietates peſtis oppidò expreſſit, adeóque abditô conſilio peſtiferum ac virulentiſſimum hoc animal neceſſitati noſtræ tanquam antidotum peſtis excellentiſſimum (quod tamen ſemper, ut tutô adhiberi poſſit, curioſè præparandum eſt.) non minus ſagaciter, quàm providiſſimè conſtituit. Bufonium igitur hoc amuletum magnetica virtute vel occulta ſimilitudine venenum illud peſtiferum in interiobus corporis noſtri partibus jam ſtabulans atque furoris ſui ſpicula evibrans & explicans ad ſe rapit & potenter attrahit, attractum verò detinet, ne virulentia ſua ulteriùs nocere & exterminio eſſe hominibus posſit. Præſervandi verò à peſte rationem pendaculum ex bufone paratum pariter præſtat vi ſua attractrice, quam inſignem habet, ut venenum in aëre circumvolitans aut extans intercipiatur & allectetur, atque ſic attractum impediatur, ne illud in corpus humanum ingrediatur, neve inſpirando intra hoc ipſum ſe penetrare queat. Venenum itaq; veneno ſeu venenato loco adpoſitum prolectare illud atque præſentaneo auxilio affectum hinc ortum curare fide dignis argumentis confeſtim demonſtrari poteſt, modò v. g. provocemus ad ſcorpionem, qui plagæ à ſemetipſo inflictæ impoſitus virus mirabiliter & indubitatò extrahit, ſic canis rabidi morſus feliciùs promtiusque ſanari non poteſt, quàm impoſitis ejusdem canis & rabidi pilis vulneri inflicto, & ſic porrò. Amuleti huius nobilisſimi (quod Xenexeton ſeu Xenechton, ac ſi dicas, illo tempore inuſitatum ſeu inauditum remedium, vocatur) inventum cumprimis debetur Paracelſo, ex cuius monumentis id accepit, & poſtmodum egregia parandi ratione auxit & nobilitavit Helmontius, licet is huius antidoti Autorem alium nempè Butlerum, Chirurgum quendam hybernum conſtituerit, tamen Helmontio non infrequens novimus, Paracelſo emeritas laudes ſubtrahere, atque hinc inde in eundem invehere: Tandem ab Helmontio id repetiit Autor noſter, qui præparandi & applicandi modum ſatis dilucidè in textu ſuo delineavit ac conſcripſit, ut ita haud opus propterea ſit, diutiùs in enarratione antidotalis hujus pendaculi inſiſtere, ſicuti etiam tam accuratam & religioſam obſervationem temporis non adeò neceſſariam arbitramur, quo videlicet bufones capiendi ſunt, modò id fiat tempore æſtivo, & potiùs circa plenilunium, quàm ☽a decreſcente, modoque bufones tam magnos quàm veteranos pro conficiendo hoc antidoto colligere ſtudeamus, cujus rei cauſam ex Helmontio Autor claris & expresſis verbis hîc appoſuit. Nec tantùm trochiſci illi ex bufonibus pro amuleto iuxta præſcriptum modum parati mirabilem hanc præſtant operationem, verùm bufo etiam probè in ☉e vel aëre ſiccatus venenum quodlibet & ſic quoque peſtiferum validisſimè extrahit, ſi rectâ tumori ſeu carfunculo ac buboni, vel etiam ipſi cordis regioni, ut accelerato auxilio reſpublica vitalis à truculentisſimo hoſte liberari posſit, imponatur. Ne verò adſpe-

ctu horridi animantis contremiſcat patiens, bufo ſiccus linteo mundo prorſum involvendus & loco affecto ſuperligandus eſt. Notandum inſuper, quod præſente jam in corpore peſtis veneno appoſitus bufo protinus intumeſcat, & ex intimis corporis receſſibus per ſpiracula cutis integrum virus mirificè prolectet atque extrahat, adeoque hoc veneno totus bufo impleatur. Si itaque ſic impletus imprægnatusque ſit bufo, ſtatim abjiciendus, & recens alius toties factâ reiteratione imponendus eſt, donec bufo non ampliùs intumeſcat: Vel ſi quis bufones veneno hoc impletos abjicere nolit (ne impoſterum copia eorum deſit.) in ollam hunc immittere, & tegmine quodam apto operire, operculumque lutô benè munire, poſteaque ollam iſtam igni cum hâc tamen cautelâ admovere poterit, ne penitùs calcinetur ac comburatur iſte bufo, ſed ut dumtaxat mortificato ſic & extinctô per fervoris iſtius vim hôc extractô peſtis venenô; quod animatum eſt, ne aliis nocere ulteriùs vel adſtantes inficere queat, denuò ad debitam ac ſufficientem ſiccitatem pro futurô uſu reducatur. Ergò quanto & quam maximo emolumento homini ſint bufones, & quàm divinum admirandumque peſtis arcanum in iis reconditum exiſtat, abundè ſic percepimus. Nobis inſuper ex M. S. deſideratiſſimi ſoceri D. D. Pauli Macaſii egregium probatumque amuletum innotuit, quod ex bufonibus mineralibus paratur, & maximum exoptatumque ad peſtis præſervationem curationemque auxilium exhibet, cujus tamen præparatio circumſpectè omninò & cum multa cautela eſt inſtituenda. Hoc tamen amuletum non tam intercipit & attrahit peſtiferum ſeminium, quam illud, cum verminoſæ ſoboli ſit inimiciſſimum funeſtumque procul potiùs fugat, ne illum ſe corpori appropinquare & clanculum inſinuare poſſit, veluti etiam eandem operationis valentiam amuletis ☿ialibus noſmet adſcribimus, quæ pariter jam damnatum venenum arcent ac fugiant. Felices ſanè Medici illi, qui in Medicina venenorum uſum nequaquam damnandum temnendumque recordantur: Veneni namque centrum & radicales partes minimè ſunt venenum, ſed potiùs in eſſentia quadam pura, ſalutari ac nitidiſſima conſiſtunt.

Ad §. 25.

Quid reſinoſus iſte ſuccus, nempe ſuccinum, in febribus malignis & ipſa peſte, cui adverſatur valdoperè, amolienda valeat, & quàm laudatum ac ſingulare ſit virium robur, quô illud præſtantiſſimè pollet, jam ſuprà ad §. 19, ubi ex eô in peſte utiliter ſuffitum inſtitui docuit Autor, mentem noſtram explicuimus; Hîc verò triplicem rurſus ſuccino contra peſtem, ſive curandi ſive præſervandi ſcopus adſit (in utroque autem tutisſimum eſt ſecretum ac ſubſidium.) utendi modum attulit, quorum primus eſt, ut, ſive candidum ſive citrinum illud ſit, modò radiantem ac pellucidum ſplendorem obtineat, corporis trina emunctoria vel etiam

iam pulſus ac regio cordis eodem ſæpiùs fricentur, donec incaleſcat, & virtutis ſuæ valorem eo potentiùs exſerere & inſerere poſſit. Deinde cuivis notorium eſt, amatum ac celebratum contra quàm plurima mala ex ſuccino fieri pendaculum; in peſte autem hoc ipſum geſtatur, ut ſic effluvia virulenta conſumantur, eorumque feralia nocumenta emendentur ac diſpellantur. Tandem eſſentiam ſuccini laudat, quam cum ſolo 🜅 parari poſſe, docuit quidem Autor, quæ tamen hoc modo facta rectiùs titulo ſolutionis quàm veræ Eſſentiæ indigitatur: Veræ enim eſſentiæ nullatenùs impetrari queunt, niſi clauſtra eorum, ex quibus elicienda eſt eſſentia, chymico △e & peculiari clave reſerentur adeoque radicaliter reſolvantur; tunc enim demum beneficio rectificatisſimi 🜅 medulla & anima, ſeu Q. Eſſentia ex hoc vel illo mixto ac reſoluto extrahi & acquiri poteſt. Eodem etiam modo comparatum eſt cum ſuccino, ex quo lumen ſeu ſplendorem virtutis, qui in centro ſuccini occultus latet, impetrare non licet, niſi corporis umbra ſeu cortex ſeparetur, atque artificioſa attenuatione in ſua prima principia reſolvatur, niſique ſic reſoluta & ad ſummam puritatem ſuccini principia ſint reducta ac invicem rurſus commixta arcteque unita; quo facto demum ex probè unitis hiſce ſuccini principiis & in unum coagulatis cum 🜅 non tantùm aſtralis planè ac inſigniter coruſcans, verùm generoſisſima etiam efficacia pollens tinctura ſeu eſſentia obtineri poterit.

Ad § 26.

Ita eſt; Purgantia quævis in curatione peſtis quàm maximè peſtifera, h. e. pernicioſiſſima ac citra omnem controverſiam ſuſpectiſſima, imò utplurimum funeſtra ſunt, quòd venenum à circumferentiâ ad centrum vitæ retrahant, ac præterea Naturam ejusque vires tam graviter proſternunt, quàm in conatus ſui benignitate, quâ peſtifera miaſmata à centrô & vitalibus ad circumferentiam protrudere atque per poros eliminare intendit, vehementer conturbent: Atque hinc cauſa etiam in ☉e protinùs eſt, cur dejectiones alvi frequentiores in febribus malignis aut peſte ſupervenientes plerumque ſiniſtrum eventum portendant ac inſtantem mortem indicent. Neque etiam in præſervatione contra peſtem Catharctica temerè ſuadenda, quod ſic humores corporis potiùs importunè moveantur, ac Natura noſtra non parùm debilitetur, niſi Emeticum illud regale Autoris noſtri, quod non immeritò hîc excipitur, quis ad præſervationem uſurpare velit: Hoc enim alexipharmacalem ac præſervativam virtutem ut in ſinu ſuo inſimul continet, ita reverà etiam in corpore eandem relinquit illique imprimit, poſtquam futuræ peſtis fomentum fermentumque bonâ fide & cum virtuoſo impetu è corpore eduxit, quod ita præparatur atque hac ratione munitur, ne tam facilè peſtiferam luem concipere poſtmodum queat.

Ad

Ad §. 28.

Herba paris parit baccas ſeu uvas illas verſas ſeu inverſas, quæ eximiè præſtabilem contra peſtem antidotum præbent. Uſus earum eſt tam internus (hinc ingreditur etiam Tincturam bezoardicam Celeberrimi D. D. Michaëlis, ſicuti excellens pariter Eſſentia exinde præparari poteſt.) quàm externus; de hôc cumprimis agit Autor, cujus fidelis manuductio utique ſedulò in praxi eſt obſervanda; Nec tantùm uvarum earumque ſucci, verùm foliorum etiam uſus in bubonibus peſtilentialibus, imò & aliis tumoribus ſuſpectis atque inveteratis ulceribus & conſimilibus eſt famæ apud Practicos celebratiſſimæ.

Ad §. 29.

Gemmas & aurum adeoque pretioſiſſima Naturæ magnalia ſeu coruſcantes orbis ſubterranei ſtellas in ſalutis noſtræ conſervationem oppidò conſpirantes atque feliciorem exoptatamque peſtis medelam promittentes nobis hîc tandem porrigit Autor, quas paucis etiam nunc perputabimus. Hyacinthum ergò, quæ gemma △is flammas (ex pellucidâ enim flavedine rubens eſt.) conſpicuè imitari videtur, quod ſpectat, tam à peſtiferâ tabe tuendi, quàm vitalia corroborandi magnificum robur obtinet, imò ob flammantem ſignaturam à DEO in anthrace peſtilentiali præſtantia hyacinthi eſſe videtur præmonſtrata; quin & inſuper tanquam laudatum tunc amuletum collo appenſus hyacinthus vel annulo incluſus celebratur. Smaragdus huic ſuccedit, quam gammam ♀latam propter transparentis & gratæ viriditatis ſuæ pulchritudinem vocitant. Peſti autem ac omnibus venenatis morbis ſummum eſt Medicamentum, quòd ſanguinem mirificè depuret, & omnes corruptiones validè impediat. Sapphirus cœrulei ut coloris eſt, ita cœlicam quoque naturam ac vires habere aſſeritur: Eſt hæc ipſa autem gemma pariter alexipharmaca cordialis, ac proptereà peſti etiam peculiari efficaciâ reſiſtit, nec non venena omnia extrahendi virtute maximoperè pollet. His ſubjiciuntur Corallia, quæ ut venenis omnibus, ita etiam peſti mirè adverſantur, in quâ proinde præſtantiſſimum præſtant remedium pariter ac præſervativum. Imò juxta Paracelſum in coralliô hominis ſanitas invenitur, quòd tam ſecretam quàm potentem mundandi ſanguinis in corpore univerſi facultatem in ſe contineat, adeoque maximo polleat myſterio omnes curandi morbos, qui ab impuritate & corruptelâ ſanguinis ortum ſuum hauriunt. Tandem in hâc claſſe auri ſplendida maſſa agmen ducit, quod nobile metallum à Paracelſo tanquam generale contra omnes morbos arcanum deprædicatur, & omnia alia utut etiam generoſiſſima, medicamina in roborando corde, cunctisque viſceribus principibus reficiendis, nec non ſanguine totô exquiſitiſſimè perpurgando

ſuperare aſſeritur. In aurô, inquit Paracelſus, eſt vis ac operatio tam inſignis & admiranda, ut gradus ad roborandam Naturam nullus ſublimior inveniri poſſit; hôc enim univerſi ſingulique morbi, licet in ſummo ac deſperato verſentur gradu, radicaliter curari queunt. Ergò in peſte roborata per auri incomparabilem virtutem Natura ipſamet deinceps à ſuis malis & per conſequens etiam à peſtiferô Dracone ſe liberare poterit. Veriſſimum tamen eſt, quod vires tam gemmarum, quàm auri ipſius mirum quantum exaltari & planè aſtrales reddi queant, ſi induſtriâ digeſtionis ac putrefactionis ſublimentur, & rota philoſophica ad quintum eſſe perducantur: Aurum enim & gemmæ integræ arcanum non præſtant, niſi per ſolutionem hermeticam corpus excludatur, & arcanum ſeu anima eliciatur, niſique pretioſa hæc corpora in aërem ſapientiæ ſeu ſpiritum æthereum redigantur, atque hac ratione illa ſpiritui noſtro vitali ſimilia reddantur: Sanè quò minus corporis ſeu materiæ, & quò magis formæ, eò plus etiam virtutes in medicinâ eſſe ſolet, nec lapides & metalla ante ſeparationem virtutes ſuas exſerere poterunt. Sed clariorem hîc fortaſſis deſiderabit explicationem quispiam, quomodo videlicet excellens hoc arcani nomen impetrari & philoſophica ſolutio ac ſeparatio fieri poſſit debeatque. Audi, quid reſpondeant Patres Philoſophiæ Hermeticæ, & vela intellectus judiciique tui pande: Quamdiu, inquiunt, retinet aliquid ſuam integritatem, tamdiu nullam in Medicina præſtat exoptatam utilitatem: Sed oportet, ut mixtum putredinem ſubeat & in ea moriatur, ac poſtmodum de novô naſcatur, vel in novam nativitatem ac regenerationem ducatur: Hinc nimirum adparet, cur ſapientiores Chymici primam alicujus rei vitam non adeo curent, ſed ſecundam potiùs ejusdem vitam deſiderent, in qua prima materia vel ☉ & rutilans ſplendor quintæ Eſſentiæ (quæ ab omnibus impuritatibus & mortalitate ſeparata ac ſubtiliſſimè mundata exiſtit, & propterea immortalis etiam dicitur.) viſibiliter exſurgit. Quibus ita præmiſſis quilibet ſtatim percipiet virtutes auri & gemmarum heroicas potiſſimum in coloris mundificatiſſimô fulgore reverà conſiſtere. Ergò aurum potabile, (quod Paracelſus vocat purpuratum; niſi enim auri flavedo purpuram ac ſummam nitidiſſimamque rubedinem adſciverit, tantas vires in medicinâ non habebit nec exhibebit) tinctura coralliorum vera, quinta eſſentia hyacinthi, ſmaragdi & ſaphiri illæ demum erunt medicinæ, quæ tantum & tam ſtupendum poſſident virium valorem, ut Medico proinde in curâ peſtis & omnium venenatarum ægritudinum quàm commendatiſſimæ eſſe debeant, utpote tales, quæ cum ſpiritibus noſtris magnam intimamque habent convenientiam, & Naturam noſtram excellentiſſimè conſolari aut erigere valent. Nunc tu, fili ſanctioris doctrinæ, intelligere poteris, quid ſibi velit Paracelſus, quando dicit, bonum & verum Medicum in manu ac poteſtate ſuâ habere cœlum & aſtrum debere: Per cœlum enim ibidem nihil indigitat aliud, quàm ut paulò antè dictum, quintas eſſen-

eſſentias & arcana ad cœleſtem claritatem puritatemque exaltata ac perducta: Tunc demum ea inſtar cœli vel ☉is ſpargere ac corpori noſtro communicare virtutum ſuarum ſaluberrimos radios, adeoque inſtar fulminis penetrare, omnemque morbi tyrannidem evincere atque propellere poterunt. His ergò medicamentis tam internis quàm externis ab Autore noſtrô præſcriptis qui ſtipatus eſt, is thalamos ægrorum absque terrore ac timore, ſed & bonâ cum ſpe recuperandæ ſanitatis adire valebit; neque nos plura aut alia vulgò contra peſtem uſitata atque in officinis (quæ plerumque nullius ſunt momenti ac valoris, ſed potiùs ipſa corruptioni ac fracedini obnoxia.) hîc adjiciemus, præter Potionem noſtram panchreſtam, tincturam anonymam, tincturam ſalutis ac pulverem noſtrum balſamicum, quibus in omni malignitate feliciter expurganda, ubi nempè exactum patientis obſequium in ſedulò uſurpandis hiſce remediis nobis reſpondit, hactenus uſi fuimus.

CAPUT LXIV.

De

Lepra ejusque ſpeciebus, cauſis ſignis & curatione.

§. I.

Lepra antiquitùs planè ignota fuit, non, quod homines olim nullô pactô fuerint leprâ affecti, ſed quod ejus initia & cauſas primordiales Priſci penitus ignoraverint, nec Hippocrates longèque minùs Galenus & omnium Arabum turba lepram ex cauſa ſua primordiali cognoverint; ac proinde incurabilem ipſam fecerint: Et quamvis Galenus curatos referat leproſos, non fuerunt tamen veri leproſi, ſed ſcabioſi dumtaxat aut vitiliginoſi.

§. 2. Docet Galenus multis in locis, lepram ex atrâ bile ac humore craſſô viſcidô, acri & mordace ortum ducere, ſed hoc falſiſſimum eſt, quum atra bilis quocunque etiam modo in corpore lædatur ac corrumpatur, inſenſibilitatem in cute non pariat, ſicut id in omnibus leproſis contingere ſolet. Erit ergò alia cauſa lepræ, quàm atra bilis craſſusque humor, alioquin omnes fermè leproſi eſſemus, ſi excrementa humoris alimentitii craſſa, viſcoſa & bilioſa lepram producerent, ſiqu dem omnes hiſce excrementis abundemus, ac humores in corpore noſtro facilè indurentur.

§. 3. Aſt lepra eſt ex venenô peculiari corruptione in corpore productô eôque anodynô, non quidem ſoporativô, ſed glaciali ac mortificante ſpiritumque vitalem inficiente atque proinde contagioſo, in regione potiſſimum fervidâ ac ſudoriferâ, ubi venenum illud anodynum, mortificans & glaciale per poros corporis exhalat & ſanos alios ſic inficit, cùm ſpiritus vitalis aurâ leproſo ſpiritu infectâ ac ſuſceptâ facili negotio contaminetur.

§. 4. Generatur autem ex corruptione peculiari, inſigni & venenata excrementorum liquoris alimentitii, ex qua corruptione producitur aura venenata, mortificans, glacialis ſeu valdè frigida atque conſtrictiva, quæ poſteà à ſpiritu vitali tanquam illi ſummoperè noxia ad cutem & corporis ſuperficiem amandatur, ibique ulcera ſcabioſa, ſicca & arida producit, atque in cute inſenſibilitatem parit ſalvô tamen & integrô motu membrorum. Spiritus autem vitalis ipſius cutis ab hôc venenô leproſo glaciatur & mortificatur omninò, ita ut non ſentiat exeſionem ac ulcerationem in cute ab hôc venenô leproſo ſeu glaciali, anodyno ac mortificante factam: Ut enim frigus externum glaciale partes noſtri corporis externas mortificat & inſenſibiles reddit, ſic venenum illud leproſum ita frigidum & glaciale eſt, ut mortificet partes ac inſenſibiles faciat: ac proinde vocamus venenum anodynum, quod partes inſenſibiles reddat & ſine ullô dolore afficiat.

§. 5. Vel producitur de foris per contagium: Contagioſum enim eſt venenum illud, propter ſubtilitatem ac tenuitatem ſuam, citò exhalans ac evaporans: Hac evaporatione verò ſpiritum vitalem ſanorum per contagium inficit, & ſuâ labe mortificante anodynâ ac glaciali contaminant. Unde ſtatim in cute ſcabioſa & arida ulcera, eaque inſenſibilia, furfurea, ſquamoſa, alba ac ſublivida, quæ tanquam ab inſigni corruptione prodeuntia terræ mephitim olent, producuntur.

§. 6. Galenus dividit lepram in elephantiaſin, pſoram, alopeciam, morphæam, ophyoſin, vitiliginem & lentiginem, quæ omnes ſpecies tamen differunt ab ipſâ leprâ ſecundum magis & minus, & ſecundum quod participant, de hôc ipſô venenô leproſo ſeu glaciali, mortificante & anodyno; adeoque pſora, ophyoſis, morphæa, alopecia, vitiligo lentigoque non ſunt lepræ ſpecies, quia in his affectibus non perit ſenſus, quod eſt ſignum pathognomonicum ipſius lepræ; ſolumque pendent iſti affectus ab excrementis frigidis, quæ aliquem ſtuporem quidem in cute pariunt, at non omnimodam inſenſibilitatem, ut in verâ elephantiaſi ac leprâ, inducunt.

§. 7. Curatio lepræ apud antiquos verè fuit incurabilis, quæ adhuc curatu etiam admodum difficilis eſt, cùm non reperiantur talia Medicamenta, quæ tantum ac leproſum virus domare & evincere valeant, neque caro ſerpentis ſeu

ſeu viperæ & aliorum omnium ſerpentum ad curandam lepram ſufficiens exiſtat.

§. 8. Oportet enim,ut regeneretur leproſus,& transmutetur ab hôc ſtatu in alium huic omninò contrarium & appoſitum, quod non poteſt fieri ſine myſteriô magnô & arcanô in Naturâ latente; Adeoque venenum illud leproſum,glaciale ac mortificans nihil naturale poteſt edomare, niſi ⊖ illud generale ad ſummam puritatem devectum,qùod ſolum innato ſuô calore frigus illud glaciale ac venenoſum evincere poterit.Quod ſi aurum foliatum diſſolvatur in hôc ſalinô ſpiritu,& coquantur ambo,tunc citius ad perfectionem perfectamque coctionem devenient,& lepram verè curabunt.

§. 9. Dicunt quoque ▽am ☿ij dulcem & perfectè dulcoratam curare lepram poſſe,ſed non credo, quia non laret tanta vis in ☿iô communi ſeu vulgari, nec in eô deliteſcit regenerandi virtus ac energia; imò ipſe vulgaris ☿ius regenerari & à ſuâ leprâ vindicari meretur. Eſt enim is valdè imperfectus ac leproſus, & proinde regenerationem hanc præſtare, nec ſubſtantiam noſtram tantô venenô contaminatam reſtaurare poteſt. Ideoque in ipſô tanta ſpes ſalutis in lepra non eſt collocanda: ſin verò quod ſpei in curatione lepræ per ipſum ☿ium reluceat, id debebitur potiùs ☿io Philoſophorum, non verò vulgari: ☿ius enim Philoſophorum eſt ⊖ illud generale, ex quô oriuntur animalia, vegetabilia ac mineralia cuncta,unde etiam ☿ius iſte Philoſophicus dicitur eſſe animalis, vegetabilis & mineralis,quoniam vera eſt radix rerum cunctarum non ſolùm metallorum,verùm animalium etiam atque vegetabilium omnium. Adeoque hinc vera lepræ cura eſt deſumenda.

§. 19. In arcanô corallino, hoc eſt ☿io communi ▽â forti præparato præcipitatoque & poſtmodum oleô ♀ri ſuper infuſô à ſpiritibus ▽æ fortis vindicato, & ultimò ſpiritu Vini dulcificato latet arcanum quidem purgandæ lepræ,ſed non omninò ſanandæ: ſola enim purgatione ſolatur.

§. 11. ⊖ auri & ☽æ etiam ſunt medicamenta lepram ſolantia, ſicuti quoque ⊖ corall. & margaritar. quæ omnia leproſis ſummoperè proſunt. Summum verò ac ſupremum curandæ lepræ arcanum continetur in ſupremô Naturæ arcano,id eſt in aurô & ⊖e fuſibili ac fixo Naturæ, quò ſolô lepra radicaliter curatur. Hôc autem abſente ac deficiente lepra eſt incurabilis,niſi ſolis ad DEum votis ac precibus. Uſus quotidianus ſpiritus Vini ex granis juniperi extracti & cum meliſſa infuſi valdoperè etiam confert.

Animadverſiones

Ad §. 1.

MOrbum planè herculeum ac monſtroſum, h e. talem, quô nullus eſſe major, violentior, fœdior, abominoſior ac contumacior rebelliorque poteſt (unde etiam eundem ipſa morte multis modis graviorem rectè affirmant.) Autor conſiderandum pariter ac ſanandum hîc aſſumſit; circa quod malum tamen vel propterea breviores nos erimus, quod ſit veluti quidam totius corporis cancer vel potiùs ſphacelus, & nullam omninò vel plerumque curationem admittere ſoleat, veluti apud omnes in confeſſo eſt. Lepræ nomen quod ſpectat, illud valdè laxè à Priſcis uſurpatur, unde etiam à non paucis ponderari ſolet ac ſpecies illarum affectionum, quæ ad ſcabiem eamque ſiccam aut ad defœdatæ cutis ærumnas referuntur. Atque iſti negotio natales hujus vocis favere videntur, dum ſi ad græca provocemus cunabula, ab aſperitate, ſcabritie ac decorticatione, vel etiam à ſquamis in quas tunc cutis reſolvitur, derivare hoc nomen Philologi conſveverunt. Nos tamen dicimus lepram eamque veram & confirmatam cum ſcabie ejusque ſpeciebus nequaquam eſſe confundendam, ſed peculiari utique ratiociniô perpendendam, tam ob cauſæ & loci affecti quàm curæ manifeſtiſſimam enormemque diverſitatem, veluti mox in ſubſequentibus id indicabitur. Unde etiam error eorum in aprico eſt, qui lepram ſe curaſſe aſſeverarunt vel rectiùs jactitarunt, cùm tamen vera lepra, quæ ſi altiores radices egerit, inſuperabilis eſt, & omnem medicinam exceptô ſummo Philoſophorum myſteriô reſpuit, minimè fuerit, ſed dumtaxat quædam ſcabiei ſpecies eaque fœdior non nihil ac horridior, ſicuti ex Practicis ſcabiei ac pſoræ familiam admodum conſpicimus amplam. Lepram itaque hoc eſt genuinam ejus naturam & cauſam Autor fuiſſe Priſcis penitùs dicit ignotam, & propterea Medicinæ Principes, quos Dogmaticorum ſchola veneratur, negligentiæ vel inſcitiæ accuſat, quod aſſertum tamen ſilentiô tranſire malumus, quàm ut Præceptorum in hac arte exantlatos labores infructuoſô imò ſcandaloſo conatu perſtringamus: Præſtat nempè Anteceſſorum errata pallio debitæ gratitudinis & amoris tegere, & meliora vel clariora potiùs propenere. Hoc quidem verum eſt, quod Hippocrates parcè admodum loquutus ſit de lepra, & vix bis aut ter ejus fecerit mentionem, ubi tamen de vehementiore quadam ſcabiei ſpecie potiùs agere videtur, veluti ex remedio videre eſt, quod in ⊖e eliquato (vili profectò medicamine reſpectu tam atrocis mali) contra ungues leproſos quæſivit. De Galenô quoque & Arabum choro idem ſen-

ſentiendum, qui pariter ſqualidiorum pſoram pro lepra habuerunt, adeoque voce hac in latiore ſignificatu accepta conſpicuè abuſi fuerunt.

Ad §. 2.

Cauſa igitur, quam lepræ Galenus adſcribit, exilis nimium multisque morbis notoriè communis, & omninò inſufficiens eſt, cum magnus & ſonticus morbus non niſi cauſam magnam & exoticam præſupponat; adeoque atra bilis ſeu humor melancholicus craſſus, terreſtris, viſcidus, acris & mordax immediatè tam horribilem calamitatem parere neutiquam valebit, unde etiam tam rarus eſt iſte apud Noſtrates affectus (multi enim imò plerique ex Practicis noſtratibus diem ſuum obeunt, qui perfectam lepram nunquam viderunt, multò minùs curarunt) cùm tamen ex adverſo quotidianus & valdè communis ſit humor ille atra-bilarius vulgò ſic dictus, ut vix mortalium quispiam deprehendatur, qui hoc recremento non abundet, aut ab eodem non affligetur. Ergò confeſtim patet, atram bilem, utut etiam graviter illa ſit corrupta, minimè hîc accuſandam, ſed aliam potiùs eamque magis truculentam & ex ſublimiori altiorique Chymiatria depromtam cauſam eſſe quærendam. Et quamvis concedamus quidem exquiſitè melancholicos cæteris paribus ad concipiendum lepræ virus magis eſſe idoneos, non tamen melancholia protinùs hujus mali cauſa ſtatuenda veniet, niſi de cauſis adjuvantibus ac remotiſſimis hîc loqui quis velit.

Ad §. 3.

Ideoque Autor noſter id obſervans non ad triviales cauſas hîc recurrendum eſſe cenſens venenum ex peculiari & inſigni corruptione natum determinavit, veluti etiam quidam ex Dogmaticis ipſis promtè largiuntur, in tanto affectu occultum quoddam ſubeſſe virus & magnam raramque cauſam debere. Nempe in ea nos ſumus ſententia, quod fundamentalis, omnigena & univerſalis (particularis enim putredinis gradus hîc locum habere non poteſt.) totius corporis ac omnium partium tam continentium (ſolidas alioquin vocant.) quàm contentarum ſeu humorum ac alimentorum (hæc autem ſpermatis ſeu humiditatis ſubſtantificæ nomine Paracelſo veniunt,) corruptio ac putrefactio ad lepræ geneſin requiratur. Unde etiam notanter valdè dicit Theophraſtus, quod lepra nil aliud ſit, quàm totius corporis in putrefactionem degeneratio, ex qua non tantùm ſuperficies ſeu firmamentum microcoſmi (hoc eſt cutis) verùm omnia etiam membra deturpationis ſuæ fermentum hauriunt, atque ſic decorem ac donum ſuum miſerè amittunt. Cauſa tam panicæ ac peregrinæ corruptionis conſiſtit in defectu balſami Naturæ, quem alioquin Paracelſus vocat liquorem ⊖is microcoſmi, quo conſervatur ac ſuſtentatur totius corporis fabria, ne putreſcat.

treſcat. Cùm autem fundamentum calidi nativi & humidi primigenii ſeu 🜍ris ac ☿ij microcoſmici conſiſtat in ſiccô radicali ſive ⊖e balſamico & ejus vigore ac robore, fit, ſi hoc diſſolvatur ac diruatur, ut univerſalis putrefactio totius corporis etiam ſuperſtite vitâ hinc ſuccedat. Unde non contemnenda ſunt verba Paracelſi, quando dicit: Si cœlum hominis diſſolvatur, hoc eſt ſi collabaſcente fundamentô ſeu ⊖ balſamicô calidum nativum cum pabulo ſuo nempe humidô radicali (quorum natura cœlo ſive aſtris eſt conſimilis.) corrumpatur, tunc leproſus horror enaſcitur. Exinde ſtatim liquet, unde inſanabilis ſit iſte morbus: Ubi enim deeſt fundamentum reſtituendæ ſanitatis, quod in interitate ⊖is balſamici atque calidi nativi partium & corporis conſiſtit, ibi etiam omnia medicamina incaſſum porriguntur, & Medicus auxilio cooperantis Naturæ deſtitutus ſpe ſuâ omninò dejicitur. Sed quæris non immeritò, cur ab Autore cauſa lepræ vocitetur anodyna, glacialis ac mortificans: Videlicet corporis noſtri humores quivis, per exoticam hanc alterationem & incomparabilem ſeu ineffabilem iſtam corruptionem; ſpiritu vitæ, quæ alioquin caloris nativi eſt autor & omnis ſenſationis director, inevitabiliter privantur; unde non tantùm humoris alimentitii horridæ degenerationes & nefandæ malignitatis recrementa generantur & ſuccedunt, quorum flagitioſa ſarcina facilè poſtmodum multiplicatur, dum virulentô ſuo fermento omnia, qui attingunt, graviſſimè inquinant, verùm exutô etiam vitali beneficiô impuritates & humiditates illæ penitùs cadaveroſæ (hinc demortua excrementa vocat Helmontius.) & per conſequens gelidæ quoque ſeu glaciales, anodynæ ac ſtupefacientes vel mortificantes evadunt. Quid enim cadaveroſo gelicidiô pollet ac mortificatum eſt, illud etiam ea, quæ attingit, mortificare poteſt, præſertim ſi calori ſubjectum ſit. His ita ponderatis atque demonſtratis, textus Autoris intellectu etiam perfacilis eſſe poterit.

Ad §. 4.

Quantam & quàm gravem virulentiam ſpargunt & emittant res cadaveroſæ, ſi calori ſubjectæ ulteriùs corrumpantur ac putreſcant, tam clarum ac notorium eſt, ut ulteriori declaratione non indigeat: Deinde quod Natura & ſpiritus vitæ, qui in leproſis adhuc ſupereſt, & circa principalia viſcera reſidet, vituperoſa hujusmodi ac venenata recrementa ad loca ignobilia & cutaneam regionem propellat, non rarò quoque diximus, & per ſuas partes ſæpiùs arbitrati fuimus; unde etiam nullum eſt mirum, quod fœdiſſimis ulceribus tunc univerſa cutis conſpurcata deprehendatur. Sicca autem & arida tunc producuntur ulcera dubio ſine ab hujus farinæ excrementis, quæ propter corruptionis gravitatem in cineres quaſi ac putidum lutum abeunt: Unde etiam leproſorum ſanguis non tantùm

tùm lividus , verùm etiam valdè arenoſus deprehenditur. Hoc ipſum à nobis jam declaratum glaciale & anodynum venenum parit vi ſuâ mortificante inſuper cutis quoque inſenſibilitatem , (hinc anodyni epithetum ipſi adjungitur.) quod cutis, utpote in quâ tanquam tactus adæquato ſubjecto ſuum centrum lepra potiſſimum poſuit, ſic ſpiritu ſuô vivificante, à quo ſenſationis fundamentum ac beneficium dependet, orbetur. Sciendum namque eſt, leprâ ingraveſcente primò cutem ſtupere , deinde ſucceſſu temporis eam ſenſum penitùs amittere , ut nec quidem acu compuncti veri leproſi dolorem perſentiant , neque fervente etiam ▽â affuſâ urantur. Et quamvis ſenſus in cute perierit, tamen membrorum motus non conſopitur (unde Autorem videmus etiam diſtinxiſſe , inter venenum anodymum & ſoporativum , quorum hoc à leprâ excluſit.) ſed integer adhuc permanet , quod in leproſis muſculi adhuc ſint integri & influxu ſuô nondum deſtituantur : Loquitur enim hîc Autor de cutis dumtaxat , non verò de aliarum partium inſenſibilitate.

Ad § 5.

Lepram eſſe morbum contagioſiſſimum , & illum conſuetudine acquiri non minùs, quâm ipſam peſtem, nec lepram dicendam eſſe, niſi exquiſitè contagioſa ſit, unanimi ore affirmant Practici: Unde factum quoque eſt, ut hâc tabe fœdati ab urbibus & cœterorum hominum frequentiâ ablegarentur, ne & iſti horrida ſua contagione inquinari ac infici poſſent. Et hæc pariter eſt cauſa, cur materna lingua hæc calamitas adpelletur der Außſatz quaſi extrapoſitio , quòd illo execrabili vitio percuſſi extra ſanorum hominum ſocietatem poni debeant ac ſoleant. Ex hujusmodi autem hominibus leproſis miaſmata & ſeminaria leprifera emanare, graviſſimus & virulentus fœtor confirmat, qui ſummæ ac contagioſæ putrilaginis certiſſimum eſt indicium. Nec tantùm lepra per contagionem propagatur & in vicina corpora transfertur, verùm Paracelſus quoque aſſerit, menſtruum devoratum pariter inducere lepram , & quod fidem haud difficulter ſibi vendicare poteſt, ex menſtrui jam ſuperiùs à nobis demonſtrata peculiari malitiâ, quatenus id nempe tanquam pernicioſum excrementum conſideratur, quod provida Natura ſingulis repudiare menſibus ſolet.

Ad §. 6.

Differentias ſeu ſpecies potiùs lepræ, quæ cum eâ confinitatem ac non levem conformitatem obtinent, ita ut ad minimum in quodam tertiô conveniant, & ſolâ qualitatis intenſione ac remiſſione invicem diſcrepare videantur, hîc recenſet Autor. Quicquid tamen ſit, lepra & elephantiaſis hîc potiùs in conſiderationem ducendæ ſunt, quarum hæc eſt perfectiſſima & ad ſummum confirma-

tionis ac deſperationis gradum perducta lepra, illa verò communiter dicitur ele- phantiaſis principium, & quæ adhuc in fieri ſeu quædam ad elephantiaſin via eſt. Nomen autem elephantiaſis confirmatæ lepræ impoſitum eſt, partim ob magnitudinem, quam per proceritatem hujus belluæ indigitare voluerunt quidam, unde eandem ob cauſam quoque morbum leoninum ſeu leontiaſin (licet à non nullis ratio hujus denominationis ab ægrorum fronte petatur, quod ea tumore fœdiſſimô laxior reddita pellem flexilem ac rugoſam leoninorum ſuperciliorum referat.) vocarunt; partim ob turpiſſimam ac ſquamoſam cutis craſſitudinem atque horribilem ferinamque aſperitatem, ita ut cutis leproſorum tunc corio elephanti perſimilis undique eſſe videatur. Quod verò pſoram ſeu ſcabioſam fœditatem, alopeciam, morphæam, ophyaſin, vitiliginem & lentiginem, quæ omnes partim capillos mirè depopulantur, partim cutis naturalem colorem ac venuſtatem miſerè evertunt, quod concernit, pro lepræ ſpeciebus propriè ſic dictis habendæ non ſunt, quòd de plenariâ ſeu omnimodâ illâ cutis inſenſibilitate; quæ alioquin elephantiaſis ſeu veræ lepræ pathognomonicum ac inſeparabile eſt ſignum, nihil participent, ſed potiùs cum moleſtiſſimâ prurigine ſint conjunctæ, adeoque contrario modo ſe habeant. Quod verò dicti cutanei affectus quandoque cum leprâ incipiente complicari ſoleant ac poſſint, hoc facili manu largiri poterimus. Paracelſus duplicem facit lepram ſeu elephantiaſin, aliam rubeam ſeu ☉arem, albam aliam ſeu ☽arem; quòd illa non aliter ac remediis & arcanis ex auro, hæc verò ex argento philoſophicè præparatis curari poſſit. Cæterum alia quoque ſigna præſentis lepræ certitudinem indicantia afferuntur à Paracelſo, quæ hîc notari merentur. Si ſudor refrigeratus, inquit, ſaleſcit vel in ſalem coagulatur, (veluti in ſcorbuticis id præſertim contingit, ut ſudor in ſcamnis in ⊖em concreſcat.) in ▽am verò conjectus non diſſolvatur aut liqueſcat, ſed ſabuloſum, granuloſum ac arenoſum quippiam remaneat, certiſſimum ſignum eſt, lepram præſtò exiſtere: Idem etiam de cœterorum excretorum examine eſt obſervandum. Deinde, leproſi, ait, non poſſunt laxari, etiamſi unicam unam hellebori nigri vel alius purgantis fortioris comederent; adeoque & hoc ipſum indubitatum eſt ſignum radicatæ lepræ, ſi laxativis ac purgantibus quis moveri, cœteris tamen paribus, non queat. Hujus rei ratio pariter in languore & ſtupore Naturæ aut proximè imminente calidi nativi extinctione erit quærenda.

Ad §. 7.

Lepram incurabilem pleriſque & utplurimum etiam in rei veritate eſſe, jam ſuprà diximus atque probavimus: Adeoque tam facilè iis fides adhibenda non eſt, qui ex fundamentô fonticum hoc malum ſe curaſſe poſſe, protinùs gloriantur; unde nec obſervationibus medicis iiſque præſertim vulgaribus tantoperè fiden-

rè fidendum eſt, quæ victoriam curatæ lepræ hactenus cecinerunt. Rationem Autor ſuppeditat, cur inſanabilis eſſe lepra ſoleat: Talia enim, inquit, hoc eſt tam potentia medicamenta vulgò non inveniuntur, quæ lepriferum & tam atrox feroxque virus ſuperare ac evincere, longè minùs eradicare valeant. Quô ita ſe habente eorum quoque ventoſa & vana promiſſa eſſe ingerit, qui viperis aut ſerpentibus aliis crudè dumtaxat uſurpatis indubiam leproſorum venenum curandi efficaciam adſcribunt, eamque præconiis ad cœlum uſque extollunt. Aſſeritur quidem à Paracelſo & non contemnendis argumentis oſtenditur, ſerpentes alta & ardua Naturæ myſteria poſſidere ac in ſe continere (veluti etiam in ſolatione ſerpentū vivorum plura admiranda ac planè incredibilia per tis ſapientiæ hermeticæ cultoribus obveniunt.) ſuo tamen & philoſophicô modô hoc effatum eſt intelligendum, quemadmodum alibi quoque & pluries jam ſignificavimus, in venenis adeoque & ſerpentibus vitæ ſolidum ac mirabile propugnaculum certumque fundamentum eſſe: ſed eâ tantùm lege ſerpentes laudari merentur, ut vel 🜔 exinde eliciatur & ad cryſtallinam claritatem, puritatem ac ſubtiliſſimam penetrabilitatem reducatur, vel potiùs Q. Eſſentia ex his animalibus ſecundum magiſterii hermetici normam (quæ ex quolibet mixto tria principia ſſe per ſpagyricam reſolutionem ſeparanda, ſeparata verò probè purificanda, & purificata poſtmodum adamantino, ut ſic dicam, vinculo conjungenda atque in thalamo philoſophico unienda docet.) quàm ſtudioſiſſimè præparetur: Hoc enim modo demum lucem primæ materiæ (ex quâ ut omnia facta ſunt, ita etiam eâdem conſervantur ac vivunt.) & radicalem totius Naturæ (quam infinitis ſtupendisque viribus ornatam, ut ſic omnes conſervari creaturæ poſſent, creavit Altiſſimus.) humiditatem beneficio ingenioſi Vulcani impetrare poterimus. Adeoque ſi Q. Eſſentiam ſerpentum in manu habebimus, tunc non tantùm pretioſum theſaurum medicum & nobiliſſimum confortans Naturæque noſtræ amiciſſimum jucundumque medicamen obtinebimus verum etiam tale remedium generoſum poſſidebimus, quod inſignibus & raris pollebit proprietatibus venenatos quosvis morbos, ad quorum ſubſellia etiam lepra pertinet, expugnandi, totam maſſam ſanguineam à putrida corruptorum humorum ſaburra, quæ ſic potenter reſolvitur, depurandi & inſtar ſaponis ſqualida excrementa quævis abſtergendi, adeoque Naturam velut renovandi: Et hâc demum ratione ſerpentes hominibus maximo ſunt emolumento ſummoque medicamento: Cruda verò (veluti ſunt carnes ſerpentum recentes aut pulveres ex exſiccatis confecti) nobis nequaquam placent, tanquam multis impuritatibus adhuc implicita & ipſamet corruptione obnoxia. Ut animalia autem quò venenoſiora ſunt, eò etiam præſtantiora in virtutibus ſuis exiſtere ſolent; ſic viperæ etiam, quæ communibus ſerpentibus multò venena-

 tiores

tiores ſunt, vim hanc alexiteriam in excellenti gradu obtinent. Sed quâ ratione Q. Eſſentia ſerpentum aut viperarum ſit præparanda, hoc eſt quomodo juxta ſapientiæ hermeticæ leges ad lucidam & magnificam materiæ primæ puritatem dignitatemque redigendi veniant ſerpentes aut viperæ, nemo docere ac dicere poterit, niſi cui ▽a ſapientiæ ſeu menſtruum univerſale (circulatum magnum vocat Paracelſus.) vel ☿ius Philoſophorum (ſine quo Natura nihil operatur.) ac ipſe fons Naturæ fuerit quàm optimè cognitus. Ut enim omnia in hoc terrarum orbe ex fonte Naturæ ſuas virtutes habent, ita etiam beneficio ejusdem vegetantur ac ſuſtentantur cuncta. Sed ut iſtam ſcientiæ nobilem medullam acquirere valeamus, hoc opus, hic labor eſt. Omnes quidem ex gratioſo Naturæ hoc fonte ac vitali rerum humiditate vivimus, pauciſſimi tamen ſunt, qui eam norunt aut cognoſcere ſtudent: Paucis adeò contingit Heſperidum hortos amœniſſimos intrare, & poma aurea ibi colligere. Ergò ſcripturas Naturæ ſcrutando ſapere diſcamus, & peritiam in luce Naturæ impoſterum conſequi omnem poſſibilemque operam noctu diuque impendamus. Interim tamen & in defectu philoſophicæ Viperarum eſſentiæ alius eam parandi modus ſubſtituendus erit, atque ad ſpiritum vel potiùs ☍ ⊖is optimum cum V. rectificatiſſimo probè unitum & ad dulcedinem reductum refugiendum, cujus beneficiô egregiam quoque medicinam ex viperis obtinere poterimus, quæ leproſis, etiamſi non integrè eos reſtituere priſtino ſanitatis vigori valeat, non contemnendo tamen ſolatio erit. Alium etiam modum vide apud Autorem in ſuo Myrotheciô, item quoque apud Schroderum.

Ad §. 8.

Ex hiſce Autoris noſtri verbis iterum ſumma difficultas vel rectiùs impoſſibilitas lepram curandi eluceſcit, quòd curatio tam horridi affectus nullô aliô modô, quàm per regenerationem, renovationem ac reſtaurationem patientis, ita ut totum corpus in bonam rurſus eſſentiam (hoc eſt ut Autor circiter loquitur, à ſtatu morbido in alium huic contrarium ſeu ſanum.) transmutetur, præſtari poſſit. Quantum autem & quàm magnum quamvè paucis notum myſterium ſit per renovativa medicamina tollere morborum deſperatas contumacias, & profundè poſitas radices exſtirpare, hoc cuivis vel ſponte conſtare poteſt, modò ſcintillam de gratioſo Naturæ lumine in pectore reconditam habeat. Sanè renovandi hoc eſt leproſos curandi hæc intentio fieri ac perfici non poterit ſine myſterio Philoſophorum hermeticorum ſummo & ipſiſſimo in Naturæ ſinu deliteſcente, pariterque per regenerationem parto arcano: Prætereà malo potenti longè potentius remedium, ſi hoc illud ſuperare ac evincere debeat, opponendum eſt. De hoc ipſo autem glorioſo ac benedicto Philoſophorum arcano in præ-

præſenti repetitionem non inſtituemus, ſiquidem hactenus jam in ſuperioribus multa ex magno Naturæ libro deſumta de generali Θis hujus philoſophici ac fuſilis majeſtate pro ingenii noſtri modulo dixerimus: Nec dubium eſt, ex hoc ipſo jam deprædicato & ex Naturæ viſceribus eruto Θe inæſtimabilis pretii ac vigoris ſpiritum elici poſſe, cujus beneficio ſine omni ſtrepitu ac impetu ſed amicabiliter planè aurum attenuatur, diſſolvitur, ad primam naturam redigitur, & purpurea ejus anima extrahitur, hoc eſt verum aurum potabile ac ☉ ſpiritualis ſeu primum ac ſpirituale Ens auri, adeoque vera ▽æ vitæ impetratur, quæ penitiſſimos curandi corporis receſſus intrare ac proximi uniri Naturæ noſtræ; atque ſic renovationem ac reſtaurationem, licet inſenſibiliter, perfectiſſimè tamen exhibere poteſt. Vide ſodes Filium Sendivogii ſinceri characteris Philoſophum in Sudo ſuo, quod ut cedro dignum pronunciamus, ita quoque Amatori ac diſcipulo Philoſophiæ Hermeticæ exoptatum veritatis jubar, quod inibi ſplendidè coruſcat, præclarè hinc affulgebit. Sic alii etiam Philoſophi unanimiter aſſerunt, ſuum Elixir benedictum ac potabile antidotum non tantùm omnes medicinarum, utut etiam alioquin celebrium præparationes, quas Hippocrates, Avicenna & alii artis medicæ dogmaticæ principes nobis reliquerunt; innumeris modis antecellere, verùm hunc Sophorum quoque ſaponem ac ☉arem theriacam ſeu balſamum perfectum perpetuumque lepram ſeu elephantiaſin; imò morbos deſperatos omnes publicè, hoc eſt certò certiſſimè & cum applauſu omnium curare, nec non hominibus naturalem calorem oppidò reſtituere atque mirificâ efficaciâ renovare.

Ad §. 9.

Renovationis jam laudatæ beneficium in ☿io vulgari ad perfectè ſeu radicaliter ſanandam lepram conſiſtere, nullâ ratione ſibi perſvaſum Autor habere poteſt, quòd ☿ius hic vulgi æquè leproſus, immundus atque imperfectiſſimus adhuc exiſtat, & propterea ipſe potiùs auxilio purificationis exquiſitiſſimæ indigeat, quàm ut aliis auxiliari atque ſubſtantias à tanto veneno contaminatas mundificare ac inſtaurare queat. Per ▽am autem ☿ij dulcem ſeu dulcificatam hic nil aliud Autor innuit, quàm illam ☿ij eſſentiam, quam ipſe in ſuo Myrothecio præparare docuit, ita tamen ut beneficio V cohobati & per laborem debitæ circulationis ab acore liberata & ad dulcedinem ſic redacta exiſtat, quod ipſum eò etiam faciliùs fieri poteſt, quùm ipſe ☿ius à Paracelſo pater & autor dulcedinis ſtatuatur. Quicquid tamen ſit & quomodocunque dulcorata eſſent a ex ☿io vulgari (niſi ea fiat forſitan cum menſtruo univerſali benedicto Philoſophorum ſeu aceto metallico catholico, quod appoſitè vivens liquidusque ignis à Proceribus Hermeticis nuncupatur, tunc enim pariter ad Arcana Philoſophica cum ſummo Sophorum magiſterio ſeu Elixire Arabico conſimile propemodum virtutis ro-

bur obtinentia Eſſentia ſeu ▽a illa ☿ialis referenda erit.) juxta communis nimi-
rum Chymiæ rationem paretur, illa tamen ſpes ac fiducia in eam bonâ fide col-
locari non poterit, ac ſi leproſam deformitatem tollere, & priſtino ſalutis nitori
hujuſcemodi ægros reſtituere valeat: Aſt ſi de ☿io Philoſophorum atque reverà
vivo (vulgaris enim cadaveroſus ac mortuus eſt.) ſive de ⊖e illo fuſili gene-
rali (cujus tot nomina apud Philoſophos hinc inde deprehenduntur; quot pro-
prietates & circumſtantias, quæ fermè ſunt infinitæ.) almum hoc ſubjectum
habere & exhibere ſolet.) ſit ſermocinatio, tunc non tantùm hinc exoptatam &
perfectam lepræ curam ſperamus., verùm ſeriò etiam cum Autore pollicemur:
Hic enim ☿ius Philoſophicus cùm ſit radix rerum omnium ac mirabilem vim &
poteſtatem in totum macrocoſmum hoc eſt in tria illa regna, nempe animale, ve-
getabile ac minerale poſſideat, ſanitati etiam ac conſervationi vitæ humanæ is
ſingulari ac gratioſiſſimo potentiſſimoque eſt patrocinio atque præſidio, præ-
ſertim ſi labore philoſophico vires hujusdem concentrentur atque figantur; un-
de etiam lapis Philoſophorum & materia illa, ex quâ honorificentiſſimum hoc
myſterium producitur, à Philoſophis omnibus non tantùm mineralis, quod ex
minerali matrice ſit extrahenda, verùm animalis ac vegetabilis etiam ſalutatur,
quoniam ea tam animam ac ſpiritum habet, quâ cuncta atque ſingula vivifican-
tur (propterea enim animalis dicitur.) quàm virtutem vegetativam, vigeſcendi
ſcilicet, creſcendi, ac tam virtute quàm quantitate ſe atque reliqua omnia multi-
plicandi vigorem excellenter obtinet; unde vegetabilis etiam adpellitatur. Hic
ergò ☿ius Philoſophorum eſt illud Azoth & magnus iſte mirabilisque liquor, in
quô arcana cuncta deliteſcunt, & qui à DEO ſupra omnia miracula creatus tan-
quam nata ac cœleſtis theriaca in morbis deſperatis omnibus non immeritò lau-
datur.

Ad §. 10.

De Arcani Corallini præparatione, quam ſatis dilucidè hîc expreſſit repe-
tiitque Autor, ac virtutibus ſuprà jam mentem noſtram declaravimus, ut ita
haud opus in præſenti ſit, circa hoc thema plura monere.: Ingenuè tamen fate-
tur Autor, integram lepræ ſanationem ex hôc remediô haud expectandam eſſe,
ſed purgando & abſtergendo impuritates ſanguinemque non nihil mundifican-
do ſolatium quoddam dumtaxat hanc medicinam præſtare, ne majora & acer-
biora capeſſere incrementa hoc malum protinùs poſſit; ſin verò Corallatum
Paracelſi, quod is pariter arcanum vocat Corallinum, & ex eſſentiâ auri cum ☿io
virgineo ac philoſophico conficere docet, in manu quis habeat, tunc de abſo-
lutâ lepræ curâ non dubitandum erit, utpote in quo magnô ac philoſophi-
cô remediô, quod reſpectu regalis ſuæ proſapiæ puria fermè cum ipſamet
Phyſicorum tinctura facere poteſt, in ſignis etiam vis & virtus Naturam utut
gra-

graviter labefactatam ac deturpatam, inſtaurandi lactitat nunquam ſatis deprædicanda.

Ad §. 11.

⊖ia ſive alkalia ☉is, ☽æ, perlarum ac corallorum quibus virtutibus reſplendeant ac celebrata exiſtant in Medicina, ex ſuperioribus jam nobis perſpicuum eſt; imò in præſenti vel propterea tribus nos expedire circa hæc remedia præſtabit, quod ſolida & abſoluta lepræ curatio exinde non ſperanda, ſed quod, ut ipſe confitetur Autor, dumtaxat levamentum quoddam ac ſolamen præbeant, & ad ſubſidia curæ palliativæ pertineant. Sub eandem quoque medicaminum blandientium ac ſolantium claſſem in magnô hôc affectu ſpiritus juniperi cum meliſſa infuſus ac ♌latus reducendus eſt; quum pariter ſolidi nihil ad impetrandum deſideratæ curæ ſcopum hinc expectari queat, niſi hôc ſpiritu tanquam adpropriatô vehiculô pro uſurpandô ſupremo Naturæ arcano ſeu magiſterio Philoſophorum vel ſecreto alio philoſophicè præparato quis uti velit; Tunc enim inſita vegetabilibus hiſce proprietas aut virtus ſplendore tam illuſtris panacææ mirum quantum multiplicabitur, illuſtrabitur, exaltabitur; Et tantum de morbo illo famoſè incurabili, quod inſanabilitatis epitaphium defectus & raritas ſummi Philoſophorum & à nobis cum ſolicitiſſimo deſiderio deprædicati myſterii tanquam veri renovativi præſidii, quod leproſis exoptatam reſtitutionem unicè pollicetur, ponere atque conſtituere nos cogit.

CAPUT LXV.

De

Lue Venerea, ejusque cauſis, ſignis & curâ.

§. I.

Lues ♀rea Hippocrati, Galeno, & omnibus aliis antiquis Medicis tum græcis tum Arabibus ignota fuit, quod tunc temporis tanta & tam effrena atque intemperata ſcortatorum libido non fuerit; veluti ego aliam quoque nullam hujusce Luis originem exiſtimo, quàm intemperantem ac frequentem hominum libidinem, in cujus mutetam, fœnus & ſupplicium orta eſt tanta Lues ac corporis tabes. Peccata namque hominum morborum omnium fecerunt catenam, & proindè novum peccatum novum quoque induxit morbum.

§. 2. Sunt, qui originem hujusce luis ex muliere menſtrua patiente & cum homine concumbente duxerunt: Alii vero ex bruto equino cum ulceribus jun-

ćto, farcin vulgò nominato malo ſcaturiginem fecerunt. Aſt quicquid ſit, eſt ſcilicet corruptio ſumma liquoris alimentitii totius corporis, unde ulcera corrodentia & cancroſa proveniunt, atque tumores varii ac dolores per totum corpus graves & acerbi oriuntur, à quibus ſpiritus vitalis partium, ſanitatis œconomus multa patitur.

§. 3. Hinc Luem ♀ream definire ſic poſſumus, quod ſit morbus contagioſus ex veneno mordaci, purulento & putrefaciente ortum ducens & liquorem alimentitium omnium partium inficiens, unde ſymptomata varia ſuccreſcunt, nec non diverſi dolores, tumores & ulcera, quæ peculiarem curationem exigunt atque expoſtulant.

§. 4. Dolores peculiariter tunc ingraveſcunt tempore noćtis, diu verò tam acerbi non ſunt; quo ſolo ſigno diſtinguuntur dolores ♀rei ab arthriticis; item ulcera etiam colorem peculiarem ſeu ſublividum ac plumbum habent, quo itidem dignoſcuntur ab ulceribus aliis, ſicuti etiam peculiari alexipharmaco curantur: Non poſſunt enim ulcera ſimilibus & iisdem remediis curari ac communia ulcera, ſed illa requirunt alexiteria, ut in curatione id clariùs demonſtrabitur.

§. 5. Cauſa ergò materialis hujus morbi eſt corruptio inſignis ac venenata liquoris alimentitii, ita ut corrupto liquore hoc alimentitio vitalis ſpiritus afficiatur, excandeſcat, & ob talem inimicum potentem ac fortem iraſcatur: unde febres lentæ oriuntur, & reliqua ſymptomata omnia, quæ in Lue ♀rea ſolent contingere, quæ varia ſunt ac diverſa, quòd diverſas diſtinćtasque partes corruptio illa ſuâ labe inficiat: ſi enim nervi tendines & perioſtia ſeu tunicæ oſſium afficiantur, dolores ac tophi fiunt; ſin verò carnes & cutanea corporis ſuperficies hinc lædantur, tunc producuntur puſtulæ ac tubercula, nec non ulcera depaſcentia & corrodentia: ſi autem ipſa oſſa hoc venenô contabeſcant, atque gingivæ, dentes & palatum hâc lue polluantur, tunc in his ipſis partibus ulcera putrida ac fœtida eaque corrodentia fiunt, unde vox corrumpitur, dentes liveſcunt deciduntque unà cum maxillis: ſi tandem caput tali tabe inficiatur, pili defluunt, craniumque ipſum carie afficitur ac corrumpitur, nec non cephalalgiæ atroces & immanes oriuntur, quæ omnia ſymptomata nullis cedunt remediis, quàm peculiaribus ſudorificis & purgativis alexipharmacis quibusdam, ut ſequenti methodô id fiet manifeſtum.

§. 6. Curatio hujusce luis multô tempore ac diutiſſimè remanſit incognita, ita ut omnia medicamenta vulgaria eluſerit. Tandem devenerunt quidam ac alexiteria. & quum uſus vulgarium fruſtrà inſtitueretur, ac ſumma morbi pertinacitas cognoſceretur: neceſſitas demum prævaluit, & ingenium audaciamque dedit, ut ad ☿ium ſeu Argentum vivum convolarent, ſoloque ejus

ejus linctu ac perunctione licet non abſolutam curam , ſolatium tamen quoddam adepti ſunt.

§. 7. Tandem ſupervenit Alchymia , quæ ☿ium ſuis occultis præparationibus elaborare & in oo dulce convertere docuit , quo ſolo aſſumto tum admoto abſolutam & perfectam luis ♀reæ curationem illa dedit. In ☿iô vitæ etiam eſt abſoluta hujusce luis cura, qui ſumitur à fortioribus ad grana 8. cum conſervâ roſar. per 8. aut 6. dies repetita doſi, atque ſic tollitur cauſa materialis hujus corruptionis.

§. 8. Oleum arſenici ulcera hujus luis maligna & concroſa ſolâ perunctione ſanat , quæ deinde ſolô balſamô 🜍ris ſimplici ad laudatam cicatricem perducuntur. Oleum etiam ſeu ſpiritus flavus fuliginis, qui per ſimplicem in 🝭a ludatâ deſtillationem elicitur, perfectiſſimè curat deſperatam hanc luem ♀ream. Facilimum certè medicamentum & vulgare, quòd ubique locorum materia hoc medicamentum faciendi reperiatur. Benignus adeô & valdè miſericors eſt Deus, qui tandem contra hoc deforme malum, quod peccatum & libido in genus humanum induxit, tantum revelavit medicamentum.

§. 9. Sudorifica omnia etiam ſummoperè proſunt , quod liquorem alimentitium rectificent: Inter hæc autem ſunt potiſſimum Sudorificum ♃is & ☿ij, quæ vegetantium omnium, nempe guajaci ſarſæparillæ, radicis chinæ & buxi ſudorifica longè antecellunt : Et quamvis iſta etiam proſint , non tamen id faciunt in virtute ac energiâ æquali, quam ſudorifica illa , quæ ex ♃e & ☿iô eliciuntur , ſequenti methodô , quæ in gratiam miſerorum & ægrotantium hominum docebo.

§. 10. ℞ ♃is opt. Anglici lib. j. ☿ij optimè toti & crudi tantundem, liquetur Jupiter, eique fuſo addatur ☿ius & refrigeſcat. Materia refrigerata groſſô modô quatiatur, & retortæ vitreæ indatur, ita tamen ut ſuper libram unam hujus materiæ libra una ♉ craſſô modô contuſi addatur, ut collum 🝭æ intrare poſſit: Quò enim craſſius eſt contuſum illud mixtum, eò majorem etiam ac copioſiorem dat liquorem. Retorta deinde cum hiſce tribus materiis imponatur cineribus ad deſtillandum leniſſimo 🜂e, & clarus limpidusque liquor hinc deſtillatur. Huic liquori ſuperinfundenda eſt 🜄a communis ♌lata ad æqualem quantitatem iſtius liquoris, ſed pedetentim hoc faciendum , ne ſpiritus exeat, & vas fortiùs incaleſcat, atque ſic frangatur. Hoc igitur permixtum & tepefactum retortæ immittendum eſt, in cujus fundo remanſit 🝎 deſtillati liquoris, cui anteà 🜄a communis affuſa fuit, ac poſteà curandum, ut omnis materia per ſemihoram ſuper cineres ebulliat: Quô factô frigeſcat & clarificetur materia, quod clarum eſt, effundatur per inclinationem in aliam retortam ſatis capacem & fortem , in cujus fundô ſit ⊖ nitrum ſummoperè purificatum, ſuper quod liquor hic clarus

limpidusque fundendus eſt, cavendo tamen, ne cum hôc liquore effundatur etiam ☿ius crudus & liquidus, qui reſidet in fundô retortæ, ſed reſervetur hic ☿ius ad ipſum amalgamandum cum novô liquatô ♃e. Liquor ergò tuus cum ⦶rô conjunctus deſtillandus eſt △e ſatis forti ad ſiccitatem materiæ; hæc materia ſicca & albiſſima in fundô retortæ remanens eſt illud ſudorificum Jovis mirandæ & ſtupendæ efficaciæ ad curandos omnes morbos, qui ſudore egent. Doſis hujus medicamenti eſt ad grana viij in ▽a aliqua ſudorifica, ut card. benedict. ulmar. ſcabioſæ: Ex hac ſimplici doſi eaque jucunda ac grata, ſudant ægri copioſè atque ab innumeris morbis curantur.

§. II. Sudorificum ♁ij ſimili quoque methodô paratur: Accipitur nempe gummi ♁ij, quod deſtillatur ex ☿io ſublimato æquali in pondere, huic gummi imponitur æquale pondus ⦶ri, & deſtillantur ſimul in retortâ vitreâ ad ſiccitatem. Materia hæc lota ſimplici ▽â communi (ut vindicetur à ⊖e ⦶ri calcinato) atque exſiccata eſt ſudorificum ♁ij ſummæ efficaciæ, cujus doſis eſt ʒß. in ▽ card. benedict. aut ulmar. Et ſic lues ♀rea perfectiſſimè hiſce medicamentis curatur.

Animadverſiones

Ad §. I.

QUod cum pace Autoris noſtri fiat, ab ejus ſententiâ hîc ſecedimus, & tam Hippocrati ac Galeno quàm priſcis aliis maximè notam fuiſſe Luem ♀ream & dira ejus ſymptomata, nullô præoccupati affectu aſſerimus. Ratio negandi, quam noſter attulit, omninò inſufficiens & omnibus modis à veritate aliena tantoque Autore indigna eſt. Ecquis enim affirmare auderet olim & ante aliqua multa jam ſecula ♀ris abuſum ſeu immodicum ejus uſum Veteribus fuiſſe rarum, quùm in ipſâ non tantum ſanctâ paginâ, verùm cumprimis in Satyricorum etiam monumentis contrarium, & quod Priſci fœda carnis oblectamenta ſummo cum ardore ſectati fuerint, luculenter demonſtratum nemo non deprehendere poſſit. Si igitur ex radice voluptatis effrænatæ dira hæc lues proveniat (ſicuti pudenda hæc calamitas reverà ſcortatorum eſt flagellum, ac propterea à ♀re nomen etiam habet) ſicque olim & ab ipſis mundi incunabulis ſtatim homines magnâ libidine inflammati extiterint, neceſſariò quoque hos milites ſalarium ac mercedem illecebroſi laboris ſui tunc accepiſſe, hoc eſt turpe hoc morbi onus toleraſſe concedendum erit. Ergò Luem Veneream vetuſtiſſimum eſſe morbi genus, nulli dubitamus, id quod Zacutus Luſitanus in Medicor. Princip. hiſtor. fidiſſi-

fidiſſimis exemplis prolixè dedit probatum, qui, ut amori brevitatis eò melius indulgere poſſimus, videatur. Quod verò hoc malum Veteribus Medicis minus videatur fuiſſe cognitum, tantummodò nominum facit innovatio, quam Neoterici excogitarunt, eſſentia tamen hujus morbi cum totô ſymptomatum collegiô iisdem ſatis perſpecta, licet non ſemper tam accuratè deſcripta fuit, veluti id egregiè oſtendit jam laudatus Luſitanus. Tandem ſi mors eſt peccati ſtipendium, etiam ſemita ad mortem, nempè morbus, quiscunque is ſit, hanc occupabit claſſem: Unde omnes morbos Paracelſus dicit eſſe flagella ac ferulas quasdam, imò morbos peccatorum pœnas exiſtere, vel ſola hæc gallica Lues eodem teſte oſtendit atque argumento eſt.

Ad §. 2.

Circa cauſæ determinationem mirè variant & ceſpitant Autores, ita ut quilibet fermè hîc ſuô abundet ſenſu: Plerique tamen in eô quoad procatarcticam cauſam conveniunt, quod ab immoderatô coitu natales ac ſeminium ſuum plerumque hauriat iſte affectus, & quod illi nequaquam aut rarò hâc Lue corrumpantur, qui Venere penitùs abſtinent. Cumprimis verò accelerat iſtud malum complexus impurus, & ſi res habeatur cum mulierculis hôc morbô jam infectis ac bubones habentibus, à quibus non excludendæ ſunt illæ, quæ ſacra ſua celebrant, præcipuè ſi congrediendi frequentia cum hujuscemodi perſonâ accedat, atque ſi ſuſpecti malique characteris ſint illæ ſeu proſtibula communia; Cujus rei confirmationem nobis ſuggerere poterit menſtruorum infamia, quam in conſideratione affectuum uterinorum ſuprà oſtendimus: Imò ſola ♀ris intemperantia atque exceſſus etiam citra ullam contagionem vitium hoc progignere valet, id quod haud difficulter ſuis rationum argumentis roborari poterit. Unde appoſitè Seneca dixit: *In præcipiti eſt voluptas, ad dolorem vergit, niſi teneat modum.* Ex frequentiori enim ♀re hominis vigor ac robur confeſtim debilior redditur, adeò ut hâc ſolâ cauſâ partes corporis nobiliores puriſſimâ alimenti ſui portione ſic orbatæ (conficitur namque ſemen ex magis defæcatô & elaborato ſanguinis, ut ſic dicam, flore.) potenter exhauriantur, coctiones manifeſtò turbentur ac proſternantur, ſpiritus reſolvantur, membra contabeſcant (quia tunc non trahitur tantùm ſanguis, ſed tandem materia etiam ſanguini ſimilior, tertiæ coctionis privilegium jam adepta, & à membri formâ non adeò diſtans, quæ alioquin humiditas ſubſtantifica à Neotoricis dicitur.) adeoque tota corporis fabrica mirum quantum enervetur; labefactetur. Hoc ipſum quàm optimè ſcivit ipſe Ariſtoteles, qui animalia nimiô coitu luxuriantia citiſſimè ſtatuit ſeneſcere. En fundamentum & cunas valdè idoneas ad concipiendam hanc mali turpitudinem, ſiquidem centum ſit, hunc morbum non transplantari, niſi in

ea corpora,quæ prius morboſa fuerint facta: Quâ ipſâ etiam occaſione ratio ſe prodit, cur non omnes immodico utentes concubitu in hanc tabem incidant, quod nempè cauſa ſine patientis aptitudine agere non valeat; Unde qui naturâ robuſti ſunt & bonô corporis habitu pollent,tam facilè hac lue ex ſolô ♀ris exceſſu non contaminantur. Adſociat ſe quoque jam enarratæ cauſæ alia, ut ex aſſiduô ♀ris exercitiô eôque ſolô hæc ægritudo oriri queat. Notum eſt, ſine Vinô frigere Venerem; Igitur tantò magis Veneri nimioperè ſervientes,quod debilitari ſe hinc perſentiſcant,Bacchi conſortium appetunt, & alia quàm plurima confertim ingurgitant: Hinc fit,ut Venere excedente calor naturalis quidem minuatur, Vinô tamen calor præternaturalis ac quaſi febrilis æſtus augeatur, collectisque cruditatibus multa impuritatum ac humiditatum excrementitiarum copia coacervetur,adeoque exinde corruptionis ac putredinis malitia vel promtè repullulet. Et ſic quoque habemus hujus morbi progreſſum, quem ipſiſſima Lues accedente vel leviſſima contagione ac fœdæ impuritatis communione oppidò poſtmodum excipere ac conſequi poteſt. Tandem quoque ex multô nimioque aut vehementiori ♀ris uſu non tantùm ſanguinis præſtantior & ſpirituoſa portio ac poſtmodum ipſa humiditas ſubſtantifica abſumitur, verùm etiam continuatô inſuper hôc libidinis œſtrô exhauſtisque humoribus laudabilibus denique quævis in corpore deliteſcentes impuritates ac ſuperfluitates excrementitiæ ad loca genitalia per laſcivos hoſce labores valdoperè inflammata & avidiùs attrahentia confluunt(non ſecùs enim in titillatione ac voluptatis ♀reæ pruritu,quàm in dolore fieri humorum affluxus ſolet) atque ſic uterque ſexus per immodicum congreſſum corporis ſui vitia ac corruptelas, quæ anteà tempore quietis ſopitæ latitabant, mutuò transferunt, ac ſibi invicem citiſſimè effectiſſimeque communicant:Quantò magis id fiet,ſi mulier viri infecti contuberniô utatur,vel ſi maſculus negotium cum infectâ aut menſtruatâ habeat, atque multitudo inſuper ſeu intemperantia coëundi accedat. Ulteriùs pergit Autor & dicit,juxta quorundam mentem ab elephantiaſi (quæ Gallis farcin adpellatur) eaque ulcerata ſeu cum puſtulis ulceribusque cancroſis & gangrænoſis combinata Luem hanc ♀ream provenire. Hoc ipſum ergò ut fieri quandoque ſolere credimus,& Autores quoque non pauci id conteſtantur, ſic etiam hanc ipſam Luem ſive ab elephantiaſi ſeu leprâ conſummatâ fuerit orta, ſive aliô modô cum eadem complicata, tunc eò magis deſperatam magisque inſuperabilem ac incurabilem evadere, adeoque rem in deteriùs manifeſtò inclinare indubitatò nobis perſvademus. Teſtimonium & confirmandi pondus addidit noſter Paracelſus,quando dicit,lepram quandoque in Luem gallicam tranſire, præſertim ſi lepra ex luxu ♀reô exacerbetur, quod eò faciliùs contingere poteſt, quò proniores ad ♀rem animadvertuntur leproſi,Si igitur lepra,inquit,cum Lue gallica

ſit

ſit commixta, vel hæc ex illa progenerata exiſtat, tunc incurabilitas imò lethalitas prædicenda eſt; veluti duorum magnorum ac leoninorum morborum concurſus morbum illum compoſitum ſemper mortiferum facit. Quid verò Autor, ut ulteriùs progrediamur, per brutum equinum propriè intelligat, valdè obſcurum eſſet, niſi ſe ipſum ſtatim gallicô idiomate explicaſſet: Brutam enim & barbaram planè hanc loquendi rationem non diffitemur, ſi verba ipſamet reſpiciamus. Nomen bruti autem triplici modô hic exponi poteſt, partim quatenùs idem ac malum denotare videtur, partim etiam quatenus peculiarem deformitatem (ob adſpectum hujus mali horridum) ſignificare poteſt, & tandem quatenùs hoc vocabulum familiariter quoque uſurpatur pro eô, quod ſtupidum eſt ac penitùs inſenſile. Quùm igitur lepra ſeu elephantiaſis primò inſigne ſit malum, deinde adſpectu ſuô horrorem præſentibus incutiat, ac tertiò cutis inſenſilitatem ſeu privatum ſenſum habeat eſſentialiter conſociatum, ut ſuprà id demonſtravimus, non immeritò brutum nominari poterit. Sed cur equinum? Reſpondemus, quod Autor potiùs domeſticô quàm exoticô ac peregrinô exemplô morbi hujus ſimilitudinem adumbrare amaverit. Unde enim hæc Lues Indis potiſſimùm ac hiſce vicinis gentibus præcipuè familiaris eſt, ita etiam à tali belluâ ſeu elephante, quarum magnam copiam alit hæc tellus, ſimilitudinem hujus mali ducere voluerunt: ſic & Autori noſtro natione Gallo ab equis, qui frequentiùs ibidem pſorâ fœdiſſimâ ac morphæa lepròſa pariter & carioſâ laborare, atque pellem ob carioſam & ſquamoſam aſperitatem corio elephanti non adeò diſſimilem hinc accipere ſolent, tanquam animante ipſis ut Europæis omnibus quotidiano lepræ deſcriptionem inſtituere libitum fuit. Atque hac ratione brutum equinum Gallis idem eſt, ac Indis morbus ille, quem Elephantiaſin Medici vocant. Aliam Helmontius habet ſic loquendi & Luem ♀ream hac phraſi circumſcribendi rationem, quando dicit, hoc malum eſſe exortum, ubi miles cum equa hac Lue, quam vermis nomine indigitant, & morbo gallico fermè ſimilis eſt, infecta deteſtandum Sodomiæ crimen commiſit, unde fermentum morbi brutum poſteà in familiam humanam per mixtionem in actu brutæ libidinis transplantatum fuit, qua de re videatur etiam Grembſius. Sed electio melioris ſententiæ ſit pene Lectoris beneplacitum. Cauſam ipſius mali quod attinet, eſt illa nulla alia, quam excrementum veneno ſa malignitate inquinatum, ſpermatica tamen proprietate præditum; quod primò partes genitales, poſteà cæteras quoque partes, & tandem totum corpus occupat atque contaminat, ſanguinem in vaſis contentum ut & humiditatem ſubſtantificum, illud nempè immediatum cujusvis membri nutrimentum, ſeu ut Autor loquitur, liquorem alimentitium graviter corrumpit & ad laudabilem nutritionem planè ineptum reddit; unde ulcera cancroſa & corrodendi hoſtilitatem obtinentia, item tumores

mores

mores fœdi varii, dolores membrorum artuumque acerbi & edaces oriuntur, unoque verbo Natura ſeu Archeus noſter ac ſpiritus vitæ, qui frænos actionum omnium alioquin regit, ſic ſummopere turbatur atque offenditur: Hinc tam gravia & tam atrocia ſymptomata ſuccedunt, quæ Luem ♀ream magis magisque infamem & calamitoſam reddunt.

Ad §. 3.

Rectiſſimè autem in definitione hujus morbi contagium virulenta ejus poteſtas ſpectatur, cujus ratione tam præproperè iſtius malitia diſſeminatur: Ubi enim venenata ſeu maligna putredo fervet ac ſævit, ibi contagionis certitudo certiſſimè etiam præſtò eſt, ſiquidem illa non ſoleat non conſimilis nequitiæ miaſmata ac ſuſpectiſſimas fuligines poſtmodum ſpargere atque emittere, quæ quantam rurſus aliis ſe corporibus inſinuandi penetrandique vim habeant, ſufficienter hactenus à nobis expoſitum fuit. Hinc etiam appoſitè hoc malum Venereum contagioſa & virulenta corporis cachexia nuncupatur, quòd totus corporis habitus hac Lue ob graviſſimam liquoris alimentitii corruptionem ſeu cacochymiam impenſè malignantem evertatur atque inſigniter contaminetur. Ergò citra omne dubium & quidem excellenter contagioſis hic morbus eſt; unde etiam à Paracelſo is non ineptè ſtatuitur ex omnis generis contagioſis affectibus conflatus, eodem videlicet modo, ut pictores quandoque plures invicem colores commiſcent & ex iis unicum tandem conſtituunt: Revera enim hic morbus de cujusvis contagii tam ſcabioſi ac leproſi quàm peſtilentialis ac cujusvis maligni morbi, ut ſunt petechiæ, morbilli, variolæ, purpura & ſic porrò, ſpecie aliquid refert. Quæ cùm ita ſe habeant, extemplò manifeſtum eſſe poterit, unde crudelis iſta ſymptomatum (quorum non pauca, qualia ſunt tumores ac bubones, ulcera item ac gummata Venerea & conſimilia, potiùs morbos ſymptomaticos adpellandos eſſe, Claudinus in ſua Empyrica Rationali exiſtimat) vehementia, ac præſertim ſævi dolores tam capitis quàm articulorum potiſſimumque inferiorum internodiorum provenire poſſint. Notandum tamen & addendum eſt, hîc quoque locum cumprimis appoſitum obtinere Naturæ lumini conſentaneam Philoſophiam de animata putredine, cujus reſpectu non tantùm cauſa tabis cachecticæ, quæ Luem hanc ſolemniter comitari ſolet, item contagii, roſionis, ulcerationis & exquiſitè lancinantis undique doloris imò tota hujus mali eſſentia ac natura citra ullam controverſiam evidentior protinùs evadet, verùm ipſius curæ etiam ſucceſſus longè felicior erit, & ex votô accelerari abſolvique poterit. Quid quod ipſi quoque Dogmatici tacitè animatam hanc putrilaginem ac verminoſa effluvia ♀reæ Luis proximam veramque cauſam eſſe admittant, quod probamus (ex curandi methodo, quando ad leniendam & mulcendam

dam doloris ♀rei crudelitatem 🝆 ſcorpion. aut viperar. item uſum hydrargyri extrinſecùs partibus graviter dolentibus admovendum ſvadent: Ubi ſanè nulla ratione opus eſt, ut ad occultas qualitates ſegniter confugiamus, quoniam ratio hujus affectus eſt ſatis manifeſta, ſiquidem medicamenta & fomenta ex ☿io item ex rebus venenatis aliis, ad quarum claſſem quoque pertinent ſcorpiones & viperæ, parata vermiculis & animatæ putredini vehementiſſimè ſunt infeſta ac mortifera.

Ad § 4.

Certum & experientia confirmatum eſt, dolores, quorum comitatu Venereus morbus omninò ſtipatur, tempore potiſſimum nocturno (hinc etiam iſta lues ab Helmontio noctis ſalutatur tortura) exacerbari & feroci cum impetu furere: Cujus rei cauſam ſilentio transmiſit Autor, forſan quod ea non adeò difficulter excogitari ac reddi poſſit. Diu videlicet pori ſemper magis conſtipati ob aëris ambientis naturalem ſeu frigidiuſculum temperiem deprehenduntur (unde cauſa morbifica ad interiora recedit, & partes extimas nervoſasque relinquit, imò velut torpida ob ambiens frigus redditur.) item fomentis etiam convenientibus aſſiduò adhibitis dolores mitigari poſſunt; Ex adverſo autem noctu & in lecto ſeu tempore ſomni, ubi fomenta plerumque negliguntur, partes incaleſcunt, pori aperiuntur & cauſa morbifica non tantum ad extimas corporis partes rurſum percurrit, ibique magis expanditur, verùm validiùs etiam per calorem hunc activa ac ferociens redditur. Et hæc eſt genuina nocturni doloris ejusque exaſperationis in Lue Venereâ ratio. Ergo cum ſemper dolores illi in hâc lue noctu increſcere ac ingraveſcere ſoleant, id verò in arthritide non fiat continuò, fit ut ratio diſtinguendi hos affectus à ſe invicem exinde inſimul elici queat. An verò ex hâc ſola circumſtantiâ aut ſignô indubitatam differentiæ iſtius veritatem promittere poſſimus, ob inſtantias manifeſtas veriſimile haud videtur. Deinde operæ pretium quoque eſt, ut per curationem promtiùs feliciusq; expediunda ulcerum communium ac gallicorum diſcrimen attendatur, id quòd etiam explicitè ſatis tradidit Autor. Ideoque ſi ex eo oris plumbeô livore, cui alia quoque adjungenda ſunt, ut boni Practici ſolent, diagnoſtica, nobis perſpectum fuerit, ulcera iſta in rei veritate veneream virulentiam teſtari, tunc ſciamus, ea haud ſufficere, quibus alioquin communia expugnare ulcera Chirurg conſveverunt, ſed alexiteria eaque optima & efficaciſſima eſſe adhibenda, & quæ animatæ cumprimis putredini inſigniter ſunt funeſta, qualia in ipſâ etiam peſte uſurpare ſolent nobilioris Medicinæ Antiſtites.

Ad

Ad §. 5.

Percepimus jam corruptionem ſingularem ac virulenti characteris, qui tam ipſi liquori alimentitio, quàm humiditatibus excrementitiis omnibus (virulenta enim putredo plerumque excrementis tanquam aliàs communibus omnium morborum materiis ſe aſſociat.) ſæpè numero inſenſibiliter imprimitur, ac diffunditur, Luis gallicæ genuinam exiſtere cauſam, hanc verò virulentiam & corruptionem eò evadere graviorem juxta intelleximus, quò certius eſt ſpermaticam humiditatem, & quod huic confine eſt, quin & loca genitalia, ſi corruptionis ac putrefactionis arcanum incendium malignumque fermentum concipiant, peſſimum ac perniciosiſſimum virus de ſe ſpargere, & planè peſtifera exhalare miaſmata: Quæ omnia ut comprobatô & certiore ſtant talô, ita jamdudum etiam nobis innotuit, putrefactionis negotium ſine fermentationis concurrente operâ perfici non poſſe: Fermentationis autem efficaciâ rem putrefactam ita diſponi, aniculis etiam conſtat, ut ardentes vel fragranti potentiâ oppidò pollentes adeoque calidiſſima temperie præditos ſpiritus vel potiùs fuligines ac effluvia planè ſpirituoſa indubitato emittat, quæ poſtmodum ſic humoribus partibusque vicinis ſeſe inſinuant, donec totum corporis ædificium ſeu œconomiam inflammaverint: Ideoque omni caret miraculô, cum Lue ♀reâ febriles ſæpiſſimè æſtus combinari. Sed lentas potiſſimùm febres tunc oriri ac concurrere dicit Autor, cujus rei rationem nos conjicimus in hujuscemodi corruptionem ac vitioſam fermentationem, quæ inſenſibili fermè & inſidioſô planè progreditur paſſu, unde poſteà excrementitia ac ſpirituoſæ exhalationes, quarum mentionem, & alibi jam toties fecimus, ſenſim etiam prodeunt, atque ſic lentum fervorem efficiunt. Deinde in hoc ipſo corruptionis ac morbificæ fermentationis actu ſpiritum vitæ ſeu Archeum extra orbitam vagari, & in reluctatione illa, quam contra materiam peccantem ac virulentam celebrat, ad furorem redigi, ſæpiùs quoque commemoravimus: Unde dum hoſtiles inſultus is cum vehementiâ fugare tentat, magnæ calamitates & graviſſima hinc inde, præſertim verò ibi, ubi ferociùs repugnat Archeus noſter, ſymptomata concitantur, velut alibi id prolixiùs jam declaravimus. Porrò cùm in morbo gallico non tota ſemper corporis fabrica, ſed una dumtaxat vel altera pars per virulentam hanc corruptionem, quæ humores putreſcentes non tantùm in ſpirituoſas fuligines, verùm in viva etiam ac animata miaſmata partes crudeliter lancinantia reſolvit, lædatur, fit etiam, ut in unâ tantùm vel alterâ parte, cumprimis tamen in capite ac nervoſis membranoſisque locis omnibus cruciatus, puſtulæ, ulcera vel alia etiam Luis gallicæ ſignacula (quæ non tam ſymptomata, quâm morbi ſymptomatici nominandi ſunt, ut accuratiores Medici volunt.) percipiantur atque conſpiciantur, quemadmodum

dum eadem ſatis præclarè unà cum circumſtantiis ſuis hîc adnotavit Autor, ut vix habeamus, quod monere ultrà poſſimus. De cute autem & de carne, (quæ ex ortu ſuô vitiis plena eſt) nervis item ac membranis (ad quas perioſtia ſeu tunicæ oſſa cingentes etiam referuntur, quæ ſi lancinentur, ineffabilem & intimum dolorem pariunt.) res ſatis clara eſt, quod faciliùs venenô hoc ſparmaticô & ex ſpermatis corruptelâ primariò & cumprimis ortô reſpectivè exaſperari, defœdari, infeſtari ac corrodi queant. Hinc etiam creditu difficile non eſt, fauces & gingivas ab ulceribus gallicis (virulenta enim effluvia ſurſum ſuâ naturâ & ad cacumen microcoſmi, ut notum, tendere ſolent) exedi atque ſic defaſtari, ut dentes non tantùm hinc carioſi ac impenſè mobiles evadunt, verùm omnimodè etiam cadant ac defluant penitùs: Nec gingivæ tantùm à veneno ♀reo deſtruuntur, verùm ipſæ maxillæ etiam & ligamenta earum ita corrumpuntur, ut planè locô moveantur aut dislocentur, imò penitùs quoque firmamento ſuô deſtitutæ decidere incipiant, veluti tales tragoedias exhibere noſocomia Italica & Gallica ſpectatoribus, inter quos ego etiam ante hos 20. annos fui, totâ die ſolent. Tanta denique hujus veneni & malignitatis ♀reæ eſt vehementia, ac tyrannis, ut ea etiam, quæ poſt mortem in cadaveribus haud perire, ſed plerumque incorrupta permanere ſolent, à corruptione & carie minimè tuta exiſtant, veluti ſunt oſſa, quæ alioquin & quod tam facilè non corrumpantur, auro, cujus naturam ratione fixitatis referre dicuntur, correſpondere Paracelſus ſtatuit: Hinc obiter ſtatim & ex hôc non contemnendo effato, cui ipſa experimentalis quoque Phyſica applaudit, magni ponderis & efficaciæ inſignis remedia in oſſibus ſpagyricè paratis conſiſtere colligimus. Oſſa igitur in Lue ♀reâ corruptionis haud expertia exiſtunt, ſed tunc pariter putredinem ſuam, quæ vulgò caries vocari ſolet, experiri coguntur: Præcipuè autem cranium in cariem incurrit, quod miaſmata illa virulenta magis confertim ac promtè ſublimia corporis petant, atque ſic capitis regionem cumprimis occupare ſoleant. Notandum autem, quod oſſa in Lue gallica non tantum ceu aſſeres aut ligna arrodi, ſcindi ac velut pulverari, adeoque ſic ad ruinam ſuam pervenire poſſint, verùm tunc potiſſimùm ita corrumpi ſolent, ut velut in liquamen quoddam glutinoſum ac reſinoſum reſolvantur, unde etiam Gumma à Chirurgis præſertim Italis hæc oſſium & cranii Venerea putredo appellatur. Et hoc ipſum etiam eſt, quod Helmontius innuit, quando dicit, oſſis liquorem ac colliquationem gumma fieri ac dici. Cauſa hujus cariei ac putredinis, quæ oſſibus contingit, magna certè ac ſontica eſſe debet, adeoque ſi quicquam in Medicinâ veritatem animatæ putredinis, quæ non immeritò inter cauſas maximas primatum obtinet, demonſtrare atque ob oculos ponere incredulis valet, profectò hæc ipſa caries & oſſium colliquatio ac corruptela eſt: Omni enim poſſibilitate caret, tantam & tam corroſivam

[Kkkk] humo-

humorum peccantium acrimoniam in corpore humano adhuc vivo ac ſuperſtite fieri non poſſe, quæ ſolvere oſſeam ſubſtantiam, atque eo, ut in Lue illâ fieri ſolet, modo in gummoſam aut liquidam ſubſtantiam convertere valeat. Ergò ad verminoſam putrilaginem & hinc nata viva miaſmata atomorum adinſtar minuta recurrendum, quæ non ſecùs ac coſſes ligna arrodentes, & conſumentes ſolidam quoque cranii & aliorum oſſium ſubſtantiam depaſcere atque tam miſerè, ut ſic loquar, depopulari poſſunt. Quum verò inſecta illa nutrimentum ſuum poſcant, & vapores vel ſponte ad ſupremum corporis humani ventrem adſcendant, fit poſteà, ut arroſum ac velut pulveratum ex jam dicta cauſa cranium, quod alioquin medullarem ac pinguem inter laminas ſuas comprehendit humiditatem, gummoſum aliquod liquamen ſeu hujuſcemodi gummitionem exhibeant, ut taceam de horum vermiculorum excrementis, quæ in corroſâ cranii ſubſtantia relinquuntur & ſic commixta cum ea tale gummi efficiunt. Atque hic rurſus ἐν παρόδῳ annotari meretur, quod quævis lignorum corruptio, ſicuti etiam hoc ipſum à vulgo conceditur, fiat per hujuſcemodi inſecta; (coſſes dicuntur) unde Naturæ verus ſcrutator nequaquam ſtupebit, cur ligna putrida noctu atque in tenebris lucere ſeu lumine ſuo locum ſitumque ſuum oſtendere ſoleant; nempè hæc ligna corrupta ac putrefacta inſectis ac verminoſis incolis minutiſſimis ac infinitis, non ſecùs ac caſei corrupti inviſibilibus acarorum turmis ſcatent, ſunt pleniſſima, quæ cùm indubitatò de ſpiritu lucis aliquid participent, fit, ut etiam lumine ſuo in tenebricoſo & obſcuriſſimo loco poſitum ſuum prodant, & ſic præclarè ſplendore videantur, non ſecùs ac cicindelæ ſeu lampyrides noctu hinc inde volitantes conſpicuè ſcintillant. Impoſſibile enim eſt, ut res penitùs mortua & nihil vivi in ſe continens ſplendere tunc poſſit, niſi ratio illa, quam nos ex ſublimiore illâ de viva mortis imagine & animata putredine Philoſophia jam dedimus, admittatur. Hac occaſione etiam experimentalis Phyſicæ ſectatores Caput de Igne fatuo & huc illucque errante vel ſaliente, item de Igne lambente (qui hominum & equorum aliorumque animantium capillis adhæret, & dum crinis comitur, in ſcintillas catervatim delabentes reſolvitur) & aliis meteoris ignitis (excepto tamen fulmine) longè accuratiùs explicare & juxta Naturæ lucernam perſpicere poterit, quàm factum hactenus fuit. Notum autem eſt, circa paludes, ſepulcra, patibula, macella & hujuſcemodi loca conſimilia frequentiùs iſta, ut vocantur, meteora comparere ac mortales deludere; ſed inſimul cuivis etiam conſtat, aërem propè paludoſa & conſimilia loca inſectorum volitantium & minutiſſimorum diverſis hinc inde ac disjunctis copiis ſcatere ac oppletum eſſe. Ergò cùm inſectis illis beneficium ſpiritus lucidi ac 🜁ris vitalis nemo non concedere poſſit, ratio ſtatim in propatulo eſt, quòd △ ille fatuus nil aliud ſit, quàm certa quædam multorum vermiculorum, qui culicum generi non adeò diſſi-

diſſimiles ſunt, copia, noctu lumen ſeu flammam exhibens, quæ ob motus ſui inſtabilitatem modò præcedere, nunc ſequi, modò ad latus reſilire, nunc elevari, modò deprimi videtur. Quod ſcintillas, quæ è crine noctu vel in tenebricoſo conclavi pectinato catervatim proſiliunt, ſpectitat, illæ reverà nihil aliud ſunt, quàm acori illi ſuo etiam lucis ſpiritu ac vitæ 🜍re manifeſtò gaudentes, qui capillis fermè inſenſibiliter accreſcunt pariter & adhæreſcunt: Hi enim decidentes affatim non ſecùs ac cicindelæ micant atque ſcintillant. Interroganti autem cur loto & poſtmodum pectinato capite magis confertim hujuſcemodi ſcintillæ decidant, haud verò item fiat illoto capite, reſpondemus, quod dum lotus capillus à viſcida & uncta immunditie liberatur, acori ſive beſtiolæ illæ tam firmiter tunc, quod glutine illô deſtituantur, adhæreſcere lotis crinibus non poſſint; unde his pectinatis promtiùs poſteà abraduntur ac prolabuntur: Ex adverſo autem ſi illotum ſit caput, crinis etiam multâ viſciditate ac glutinoſâ impuritate imbutus eſt, quâ præſente tenaciùs inſecta illa pilis adhærent & dentibus pectinis tam facilè non cedunt. Filii doctrinæ exinde ſpecimen accipiunt, quomodo Phyſica experimentalis juxta Naturæ cynoſuram conſcribi debeat. Quæ obiter obſervaſſe ac percepiſſe, neminem, qui magnalia & opera Naturæ ex fundamento ſcrutaturus eſt, pœnitebit.

Ad §. 6.

Veram hoc malum curandi rationem olim obſcuram valdè imò penitùs incognitam fuiſſe, plenâ fide credimus, ſiquidem cauſa ipſa ignota tamdiu extiterit, quæ etiamnum quàm plurimis cognitu operoſa eſt ac difficilima, præſertim verò iis, qui Veterũ opinionibus mordicùs adhærentes fulgidũ naturalis Sophiæ ſplendorem, quem Neotericorum ſolertia ex inſcitiæ ſepulcro eruit, tanquam noctuæ fugere & magnô cum ægrotantium damno abominari pergunt. Stat igitur ſententia, incognitâ cauſâ nullam fieri curationem, & adhibita medicamina tanto morbo planè imparia ac nequaquam convenientia, qualia ſunt vulgaria purgantia & alexipharmaca &c. à morbi inſolita naturâ & magnitudine magna cum Medici ignominia adhuc uſque eludi. Quapropter hîc denuò inculcamus, non tantùm magnorum quorumvis morborum magna & valida eſſe medicamenta debere, verùm ſciendum etiam, curam Luis ♀reæ, quæ incomprehenſibili propemodum modô hominum corpora occupat, cum graviſſimorum ac virulentorum, qui cumprimis ſpeculum animatæ putredinis ac verminoſæ ſanioribus Medicis oſtendere ſolent, morborum curatione inſignem habere convenientiam, & præterea etiam ſpecifica, heroica atque ex abdito Naturæ ſacrario deſumenda depoſcere. Quum verò quondam hujusmodi decumbentes incaſſum non tantummodò curarentur, verùm poſteà etiam prognoſticis relinqueren-

rur, circumforaneos & agyrtas, quorum audacia neminem fugit, tandem relictorum ac omni ope medica deſtitutorum miſertos, licet potiſſimum meri lucelli cauſa, fuiſſe, atque temerè & audacter rerum pericula facientes ☿ij uſum contra morbi hujus ferociam inveniſſe & excogitaſſe, adeoque hac ratione per accendentes ☿io magnam exiſtimationem in procuranda vel mitiganda dumtaxat horribili hac Lue conciliaſſe, aſſerit Paracelſus. Verùm neceſſitati, quæ juxta proverbium ingens eſt telum, & propterea ingenioſiſſimo acumine pollet, inventionis iſtius honos noſtro quidem animo tribuendus eſt; Hæc ipſa enim neceſſitas ut totam peperit Medicinam, ita quoque Medicorum acuit ingenia & animoſa eadem reddidit, ut rara & mira in deſperatis, contumacibus ac conclamatis morbis excogitare atque adinvenire remedia allaborarent. Sic factum quoque eſt cum ☿iô, quem ut antiquitas pro mero & peſtilentiſſimo habuit veneno, ita cordatiores Medici animadvertentes admirabilem in ☿io facultatem omnia inſecta & vermium familias ex putrefactione prognatas potentiſſimè enecandi, altiùs ſuis meditationibus ſurrexerunt, & exinde medicinas tandem contra hæc viva putredinum crimina parare veriti non fuerunt. Tantum tamen abeſt, ut in primordio juventi hujus præſidii ☿ium ad intra porrigerent, ut potiùs id diſſvaderent, & ad extra ſaltim applicandum currens hoc metallum docerent, ſicut etiam hoc ex ipſo patet Autore noſtro. Duplici autem modo externum ☿ij uſum celebrarunt quondam & adhuc uſque non pauci inſtituunt, cujus utriusque etiam hîc fecit mentionem Noſter: Et primò quidem linctus meminit, per quem nihil aliud dubiô procul intelligit, quàm ☿ialis Medicamenti maſticationem, cujus beneficiô ſalivationem (quæ curandi ratio à pleriſque faſtidita ob inſignem fœtorem, quẽ inducit, non admittitur.) excitant Practici, & ita per eandẽ virulentiam ac malignitatem mali ♀rei tam humoribus quàm viſceribus impreſſam expugnare & educere ſatagunt. Tale autem maſticatorium fieri tunc ac præſcribi ſolet: ℞ Maſtich. ℥j, ☿ optimè dulcificat. ℈j M. f cum melle paſtilli Numero 3. vel 4. Hæc ipſa maſticatio & hinc nata copioſa ſalivatio ad dies 30. ſæpiùs continuari ſolet; ubi tamen notandum, quùm per hoc remedium per quàm vacillans tota dentium ſeries reddatur, quod tunc vel finis maſticationi illi ſit imponendus, vel ſi malum ♀reum urgeat, & ſalivationis continuationem poſtulet, talia quoque adhibenda, quæ virtute adſtringendi dentes rurſus firmare & à lapſu eosdem defendere poſſunt. Deinde per inunctionem membrorum externorum, præſertim eorum, quæ magnô cruciatu affliguntur & tophis obſeſſa ſunt, ☿ius ſaliva hominis ſani extinctus & cum reſinis ac gummatis quibusdam balſamicis correctus, vel quod melius tutiusque eſt, ☿ius probè dulcificatus (communi autem modô ſublimatus tunc cane pejus & angue fugiendus, quod ſymptomata graviſſima, pernicioſas exulcerationes & plenariam membrorum ruinam affe-

afferat.) extrà adhibetur ; unde non tantùm ſalivatio illa , quam ☿iale maſticatorium parere ſolet , conſequitur , verùm doloris etiam atrocia ac malignitatis vehementia hâc ratione ſi non penitùs tollatur , tamen valdoperè mitigatur : ſed hâc tamen lege concedi poteſt illa maſticatio aut perunctio ☿ialis , ſi univerſalia decenter fuerint præmiſſa, quâ de re in Voluminibus ſuis hanc Luem prolixiori operâ pertractantes videantur Practici.

Ad §. 7.

Cum itaque ☿ius in morbo Gallico tanquam ſacra anchora ac patronus unicus exiſtat, de quo Venus pathologica ſeu morboſa gloriari queat (ut cum Paracelſo loquar.) & uni ☿io omnis curatio hîc debeatur, vel omnis morbi gallici curandi virtus in unâ & ſolâ energiâ ☿iali recondita ſit , boni & cordatiores etiam Medici hæc oracula invanum abire non permittunt. Sciendum autem ☿ij, ut tuto ad intra adhiberi poſſit , præparationem eò uſque progredi debere, donec non tantum omnem acrimoniam & mobilitatem ſuam penitùs amiſerit, verùm etiam ad amicabiliſſimam dulcedinem redactus fuerit , id quod ſine Arte ſpagyricâ nemo impetrare poterit. De præparandi autem ratione, quomodo nempe ☿ius in oleum ſeu eſſentiam dulcem ſvavemque reduci poſſit , propterea nihil addimus , quod hujus panegyricum ſuprà aliquoties cum debitis præparandi circumſtantiis dixerimus.

Ad §. 8.

Agit hîc potiſſimum de ulcerum Venereorum curatione Autor , quam perunctione cum oleô arſenici tactâ feliciter expedire poſſe ſtatuit. Atque ita ſe res habet : Nulla enim res perfectiùs ſanat ulcera hujusmodi utut etiam maligniſſima, quàm arſenicum ritè præparatum , præſertim verò ſi illud venenum (maximum autem & acutiſſimum eſt, ſi crudum eſt.) in oleum ſeu liquorem adipoſum (Paracelſus quoque Mumiam aut balſamum arſenici vocat) beneficio ⊖is ⊡æ aut ⦶ reſolvatur , qui labor etiam ſic ultrò ſuccedit atque facilimè : Tunc enim arſenicum ritè præparatum in rei veritate eſt maximum mundificativum incannativumque ſummum; ita ut poſteà balſamô 🜍 ulcera ad cicatricem producendi labore haud opus ſit, quum hoc beneficium conſolidandi ipſum exhibeat arſenicum, modô legitimè ſit præparatum atque à virulentâ ferociâ bonâ fide liberatum: Quidam tamen ut tutiùs adhiberi tunc arſenicum poſſint, virtutem hujus realgarici mineralis in oleum quoddam aut adipem transferre (eô planè modô, ut v. g. 🝆 ſcorpion. fieri ſolet.) ſtudent, licet tunc tardiùs operationem ſuam exſerere queat : *Sat enim & hîc citò eſſe exiſtimant , ſi ſat benè , ſi ſat ſecurè.* Oleo arſenici ſubjicit Autor ſpiritum ſeu 🝆 flavum fuligi-

nis, cui magnam in ♀rea hac Lue etiam deſperata perfectè curanda efficaciam adſcribit. Modus præparandi facilis eſt, quem Autor præſcripſit, nos ſi correctionem ac rectificationem vel autem in eundam inſuper adjiciamus, ac Schroderum noſtrum in ſua Pharmacopoeia, qui præterea circa delectum fuliginis cautelam optimam adjecit, ſi conſulamus, negotium felicius faciliusque etiam ſuccedet. Tam intus autem quàm foris adhiberi tutiſſimè poterit, quum non tantùm, quod internum uſum ſpectat, inſignem corroborandi ac refocillandi, ita etiam ut in agone conſtituti hinc ſeſe recolligant, virtutem hoc Medicamentum poſſidere, verùm ob præſtabilem etiam extergendi ac mundificandi poteſtatem, quam habet, in ulceribus cancroſis, quàm excellenter curandis ac conſolidandis, nec non in venenoſitate potenter extrahenda ſingularem efficaciam obtinere aſſeritur. Sanè ut remedium hoc comparatu facilimum ac notoriè domeſticum eſt, ita tutò quivis rei veritatem explorare hîc poterit. Non itaque opus eſt, ut foris anxiè quæramus, quod domi atque in promtu eſt.

Ad §. 9.

Præconia & merita nobiliorum ſudorificorum ut hactenus nobis ſedulò fuerunt in ore ac mente, ſic quoque in hac Lue eorundem uſum unà cum Autore noſtro ſummoperè commendamus, ſiquidem præcipuum ac veluti unicum curandi hujus fœdiſſimi morbi fundamen in eô conſiſtere videatur, ut membra ♀rea hôc venenô conſpurcata ad potentiam ſudorificam perducantur, hoc eſt ut probè ſudent ac copioſiſſimum ſudorem profundant, ſicuti cutis in balneô, quæ undiquaque ſe aperit: Nihil enim malignitatis ac putrilaginis ſive adhuc vivæ, ſive extinctæ deinceps adhærere poterit, imò & ipſe humor alimentitius ſeu tota maſſa ſanguinea fundamentaliter ſic mundificatur, ſi videlicet à membris ſufficiens egrediatur ac prorumpat ſudor. Ex regni autem mineralis promtuariô tunc potius petenda & probè præparanda ſunt ſudorifica, adeoque fortiora potiùs eligenda veniunt, quàm ut mitiora & ex regnô vegetabili depromta porrigantur, atque ſic occaſio medendi amittatur; unde etiam imbellis & lignea hæc curandi ratio nominatur, quæ cum lignis illis, contra hanc Luem, ut vulgò ſibi perſvadent ſpecificis, quorum mentionem fecit etiam Autor, inſtitui ſolet: ſin verò decocta lignorum iſtorum loco vehiculi aut quotidiani potus præbeantur, multum eadem quoque tunc prodeſſe non repugnabimus. Duo autem cumprimis ſudorifica hîc commendat Autor, unum, quod ex ♃, alterum, quod ex ♂, ope ☿ti conficitur, ſicuti etiam præparandi modos in ſubſequentibus theſibus cum omnibus circumſtantiis explicitè ſatis adpoſuit.

Ad

Ad §. 10. & 11.

Sudorificum ♃em, quem etiam Sudorifici maximi titulô ſuprà honoravit Autor, parandi modum hîc repetit, circa cujus hiſtoriam hoc tantùm monemus, quod præparationis proceſſus hîc adſcriptus idem ſibi quidem velit, quod ille, quem ſuprà Cap. IV. de aurium dolore Autor noſter appoſuit, attamen non paucis circumſtantiis & cautelis magis exiſtat perſpicuus, ita ut veluti eſſe prioris dilucidator queat. Cœterùm ſuprà locô jam citatô ad §. 9. uberius omnia expreſſimus, quæ ad declarationem hujus proceſſus facere poſſunt; quapropter benivolum Lectorem iſthoc etiam remittimus. Deinde ſudorificum ♁ij parandi ratio, quam Autor plenè ac ſincerè hîc communicavit, non è triviô deſumta eſt, ſed characterem nobilioris Chymiæ eandem præ ſe ferre luculenter conſpicimus. Atque ut ♁ diaphoreticum vulgò parari beneficiô aperti & actualis △ ſolet, ſic hoc ♁ij ſudorificum ignis potentialis & Naturæ, qui in ⊖is ⦶ri imò omnium ⊖ium centrô conſiſtit, auxiliô ingenioſè conficitur. Poteſt hoc etiam remedium ☿ius vitæ bezoardicus vocitari, & non immeritò ad præſtabiliorum non tantummodò alexipharmacorum claſſem reponi, verùm contra Luem ♀ream, quatenùs illa ſingulari malignitate infamis eſt, & potisſimùm per excellentiora ſudorifica edomatur, incomparabilis afficaciæ laudem ſibi vendicare.

CAPUT LXVI.

De

Febribus & earum cauſis in genere, item undenam febres ſint intermittentes ac continuæ, & cur omnes à frigore incipiant: In ſpecie verò de febre quotidiana & ejusdem curatione.

§. I.

IGnorant adhuc ſcholæ medicæ, quid ſit febris; ſtatuunt quidem plerique febrem eſſe calorem præter naturâ in corde accenſum, & hinc per totum corpus ſparſum, à putredine autem ortum; aſt æquè frigus illa habet, ac calorem: Incipit

pit namque cum frigore, & deinde cum calore progreditur, adeoque acceſſio frigoris ſeu initium paroxyſmi æquè eſt febris ac caloris progreſſio, ſeu medium, quod eſt in calore: Neque putredo calorem ullô pactô cauſatur, neque etiam aliquid in corde, ubi ſcholæ febris ſedem ponunt, ſine manifeſtâ morte putrefieri poteſt, quoniam ubi putredo eſt, ibi vitæ eſt digreſſus ſeu abſentia, & ex adverſo mortis præſentia.

§. 2. Hanc ipſam febris definitionem ſcholaſticam non ampliùs infirmabo, quũ per ſe ſatis invalida ſit, & inſuper à Domino Helmontio Medico Bruxellenſi celeberrimô in tractatu ſuô de febribus multis argumentis abundè infirmata fuerit: ſed tantùm veram ac legitimam febris definitionem hunc in modum afferam; Febris eſt accenſio accidentalis Archei ſeu ſpiritus vitalis noſtri, à peregrinis excrementis, quæ ex variis digeſtionum generibus in variis noſtri corporis partibus accumulantur, proveniens. Et enim dum Archeus noſter ſanitatis noſtræ œconomus excrementa peregrina in partibus ex digeſtione cumulata reperit, ſtatim excandeſcit & ſemetipſum irritat, ut eadem expellat, & proinde calorem in ſe ipſo comprimit, unde ſtatim in intimis frigus adeſt, tremuntque membra, ac dentes quatiuntur, donec tandem calor compreſſus ſe diffundat ubique unà cum ſpiritu ad expellenda excrementa illa, donec ea vicerit, ſuperaverit ac propulſaverit, tunc ilicò ceſſat febris ſeu excandeſcentia ſpiritus aut Archei, ſive jam ſit febris intermittens, ſive continua; fiunt autem febres intermittentes ex quantitate pauca excrementorum devincendorum, dum Archeus per vices dumtaxat tendit ad expellenda ipſa excrementa; continuæ verò fiunt, quando Archeus ſummoperè irritatur, & una via tendit ſuô per auctô calore expellere illa excrementa, ut jam clarius dicetur.

§. 3. Differentia igitur febrium intermittentium ac continuarum non dependet exinde, quod natura & cauſa febrium occaſionalis & accidentalis in venis ſit concluſa vel etiam extravaſata, ut ſomniarunt Galenus & reliqui omnes ejus ſequaces; ſi enim febris verè eſt accenſio & irritatio Archei noſtri, æquè is irritabitur, ſive materia ſit in vaſis concluſa, ſive non: ſed ex qualitate & quantitate excrementorum expellendorum fit major aut minor Archei excandeſcentia, atq; ſic ex majori ac potenti vel ex minori excandeſcentiâ febris evadit vel continua vel intermittens.

§. 4. Maligna enim qualitas & maxima quantitas excrementi expellendi irritat magis Archeum ad majorem excandeſcentiam, quàm benignior qualitas & minor quantitas ejusdem; veluti etiam tale excrementum faciliùs ac citiùs expellitur, quàm quod ei contrarium eſt: Atque hinc etiam fiunt febres intermittentes, quia Archeus noſter continuò irritatur & excandeſcit in hoſtem ſeu materiam febrilem, ſed devictâ ac ſuperatâ eâ quieſcit: quum autem non radicaliter

caliter & totaliter ea evincatur, ſed adhuc maneat fomes focuſque paucus admodum, qui paucitate ſuâ non habet potentiam irritandi Archeum, propterea etiam Archeo non irritato calor ſuus naturalis quietus permanet, donec denuò accreſcat focus ſeu materia febrilis relicta: tunc temporis enim hæc bellum ſuâ copiâ rurſum infert Archeo; is verò arma ſua protinùs convocat, atque ſic redit febris, donec tandem per iteratas vices aut evincatur Archeus, & ſic mors conſequatur, aut radicitùs expugnetur materia febrilis, ac criſis abſoluta & ſalutaris fiat, neque paroxyſmus febrilis, fomite nimirum ac focô ipſius febris per Archeum ſanitatis œconomum penitùs extirpatô, ampliùs redeat. Qui alia de reditu febris intermittentis excogitarunt, falſa ſunt omninò & mendacia græca, adeoque ferula potiùs plectenda quàm argumentis defendenda.

§. 5. Febris autem continua fit, quando materia occaſionalis ipſius febris aliquâ in corporis parte maximâ in quantitate peccat: ſin peccet pravâ & malignâ qualitate, tunc fit febris maligna & prava, ſecundùm malignitatem & pravitatem excrementi putreſcentis & in aliquâ corporis parte latitantis, cujus ratione irritatur & accenditur Archeus, viresque ſuas ad expellendam febrilem materiam colligere adigitur; hanc verò quum unô vel altero die expellere nequeat, durat ejus bellum & accenſio tamdiu, donec eam propulſaverit materiam febrilem omninò, vel ab eadem victus Archeus remanſerit, ubi ipſa mors poſtmodum ſubſequi, ac vita ſeu ipſius vitæ Archeus perire ſolet: Atq; ſic fiunt febres continuæ ordinariæ, malignæ, peſtilentes ac reliquæ omnes.

§. 6. Jam porrò manifeſtum faciemus, undenam febres à frigore incipiant: Miror ego, quod Galenus febrem non definiverit frigus, cùm omnes, qualeſcunque ſint, à frigore initium capiant, membraque tremant, & frigus glaciale per totum corpus, tam in intimis ejus quàm externis partibus perſentiatur. Donec adveniat calor, & frigus illud expellat. Certè juſtâ hinc ratione febris definiri poſſet, quod ſit frigus præter naturam per totum corpus diſperſum, à materia in aliquâ parte corporis putreſcente ortum, cui poſteà calor præter naturam ſuccedit.

§. 7. At frigus iſtud non eſt à materiâ putreſcente, ut neque calor, qui huic ſuccedit: ſunt enim ambo ab ipſo vitali Archeô, qui dum colligit vires ſuas, ut expellat febrilem hoſtem, cor arcem ſuam naturalem petit, ubi calorem ſuum ex omnibus membris, quantum poteſt, colligit, atque tunc membra omnia diminutô calore ſuô vitali frigus ſummum perſentiunt. Et cur non perſentiſceretur ſummum frigus ex calore vitali partium diminuto vel potiùs retractô, cum idem frigus perſentiatur in ventriculi debilitate, ſi is ipſe cibis copioſis & ſupra calorem ſuum naturalem auctis repleatur; tunc enim Archeus ventriculi convocat

revocatque calorem vitalem ex membris cunctis ad ventriculum, ut peragat digeſtionem ſuam: Unde protinùs membra omnia ſummum percipiunt frigus, donec peractâ coctione redeat calor nativus ad membra, ex quibus is revocatus erat. Si omninò pari ratione cum materiâ febrili comparatum eſt, ſi eadem cumulata ſit in aliqua corporis parte, puta in meſenteriô, aut ventriculô vel lione, vel renibus aliisque ſimilibus locis, atque ibi tanquam juratus Naturæ hoſtis Archeo vitali noſtro negotium faceſſit, tunc ſtatim Archeus hoſtem perſentiſcens omnes vires ſuas revocando calorem nativum, qui ex ſe ipſo & unius eſt ſubſtantiæ, convocat, ut hoſtem illum aggredi atque expugnare poſſit: quô factô membra, ex quibus revocatus eſt calor ſeu Archeus, frigus ſummum perſentiunt ac membra tremunt, quia Archeus nervos quatit, ut tremulô hoc motu excrementa hoſtilia membris adhærentia diſcutiat, non ſecùs ac aranea ſuas telas temulô motu quatit, ut ex his pulverem diſcutiat.

§. 8. Si igitur febres omnes in genere incipiunt à frigore, cui ſummus calor ſuccedit, ut per ſudores materia febrilis occaſionalis ex pravâ digeſtione partium producta foras propelli queat, veluti jam in ſpeciali febrium conſideratione manifeſtum & clarum fiet.

§. 9. Febrem quotidianam ergò quod ſpectat, perperam omninò aſſeruerunt Antiqui, eam ortum ducere ex pituitâ, utpote quæ nuſquam locorum in corpore humano viſa eſt. Aqua enim ſeu humor aqueus, qui in corpore humano excrementitius reperitur, & per ſpiritum vitalem ſanitatis noſtræ Oeconomum foras amandatur, non eſt pituita, neque cum pituitâ illo Galeni figmentô comparari poteſt, quum humor ille ſimplex ▽am ſimplicem repræſentet, & in qualitate naturam atque eſſentiam ▽æ imitetur: Omnia namque ſive ſint excrementa ſive alimentum, compoſita ſunt ex principiis naturalibus ac ſeminibus, neque quicquam eſt ſimplicis elementi: ſin verò Galenus pituitam eſſe aliquid excrementitii ex alimentô ſeparati, & in quô prædominari ▽æ qualitates videntur, ſtatuiſſet, excuſari potuiſſet; ſed fecit is pituitam quartum humorem, ex quo tanquam verô elementô principioque corpus humanum componitur. Si enim corpus humanum componeretur ex 4. humoribus tanquam veris principiis ſuis atque elementis, in hos etiam humores corpus humanum per ſe vel per artem reſolvi poſſet: ſed neque per ſe, neque arte in pituitam & fictitios humores alios id reſolvitur, ideoque hæc compoſitio humana ex 4. humoribus verè fictitia eſt.

§. 10. Reſolvitur autem verè corpus humanum, ut & reliqua omnia mixtorum corpora in illa principia, quæ numero ſunt quinque, nempe in ▽am elementarem, ſpiritum acidum, oleum, ⊖em ac 🜃am, & quidem hac methodô: Projiciatur corpus humanum ſeu cadaver in vas refrigeratorium cum totâ ſuâ mate-

materiâ, & ignis levi gradu ſupponatur, tunc primò egredietur ▽a, quæ vaſi vitreo impoſita ac multoties rectificata reiteratis multis deſtillationibus deveniet tandem ad ▽æ ſimplices naturam eſſentiamque, quæ frigore congelabitur & calore diſſolvetur, nec non frigiditatis aut caloris naturam induet ſecundùm aëris varietates ejusque impreſſione frigidas aut calidas, prout facere mera & pura ▽a ſolet: Deinde continuato △e egredietur humor acidus & ꝏ rubeum, quæ ambo ſeparentur & ſeparata vaſis diſtinctis multoties rectificentur, ut de ▽â diximus. Humor acidus poſt ultimam ſui rectificationem deveniet clarus, & ſemper erit acidus ac ſummoperè penetrans, nec unquam multabit ſuas qualitates atque eſſentiam: Oleum itidem ſummoperè rectificetur, quod poſt ultimam ſuam rectificationem clarum ac limpidum evadet, & ardebit tanquam ꝏ, nec unquam qualitatem eſſentiamque ſuam mutabit. Atque hoc verum ac legitimum ſignum eſt, has corporis humani ſubſiſtentias merè elementares eſſe, quod nunquam in alias ſubſtantias permutentur, ſed conſtantes & permanentes in ſoliditate & conſtantiâ ſuarum eſſentiarum & qualitatum perſeverent.

§. 11. Caput mortuum in vaſe remanens poſt ultimam ♌lationem ſpiritus & ꝏi, fortiſſimò △e ad albedinem uſque calcinandum, & poſteà in ▽am ſtillat. communem projiciendum eſt, ut ⊖ & ≂a tanquam ultima reſolutionis elementa in eô latitantia fiant manifeſta; poſt ebullitionem hujus calcinati ⊕ in ▽â illâ ſtillat. vulgari ea per chartam bibulam ſeu emporeticam filtretur, & quod clarum limpidumque per filtrum trajectum eſt retortæ vitreæ aut alembico imponatur ac ♌letur, tunc in fundo ◯ vitreæ ſeu alembici ⊖ album remanebit, quod toties calcinandum ac diſſolvendum ▽â communi ♌latâ eſt, donec reiteratis calcinationibus, diſſolutionibus & ♌lationibus ⊖ ab omnibus excrementis ≂nis ſuis vindicatum ſit, & ultimam puritatem caloremque rubeum acquiſiverit: Tunc enim nunquam ampliùs mutabitur, ſed veluti aurum in ipſô △e illæſum & conſtans permanebit. Terra verò, quæ ſuperſtes erit, calcinatione purificanda, & per lotiones alba, tenuis & levis admodum reddenda eſt.

§. 12. Atque hæ ipſæ ſubſtantiæ erunt elementa ſimplicia corpus humanum componentia, quod in ultima corporis humani reſolutione immutabilia reperiantur, non verò 4. humores Galenici: Hi enim cùm nullô pactô in reſolutione corporis humani erunt etiam primi: Et proinde non deprehendetur quoque in corpore humanô pituita, & per conſequens febris quotidiana pariter ex pituita non orietur. Unde poſtmodum fit, ut illi, qui in evacuatione pituitæ pro febre quotidiana curanda occupati ſunt, oleum ac operam perdant, imò naturam potiùs impediant, & ab ipſa febris quotidianæ cura eam avertant, ſiquidem

dem dicta febris ab ipſa Natura curetur ſolô vomitu aut ſudoribus ſolis, quorum beneficio excrementa digeſtionis in ventriculo collecta, ex quibus unicè hæc quotidiana febris originem ducit, educuntur ac foras propelluntur.

§. 13. Hinc definire febrem quotidianam poſſumus, quod ſit excandeſcentia & accenſio ſpiritus vitalis, orta ab excrementis frigidis & aquoſis, quæ ex depravata ventriculi digeſtione quotidiè producta poſtmodum ſingulis diebus Archeum irritant accenduntque; unde febris quotidiana provenit: Cum enim ſingulis diebus ac quotidiè excrementa illa, quæ ex depravata ventriculi digeſtione oriuntur, Archeo ſeu ſpiritui vitali noſtro bellum indicunt, ſicuti ea omninò capacia ad irritationem ſpiritus noſtri faciundam ſunt: Atque hæc eſt vera febris quotidianæ eſſentia.

§. 14. Excrementa autem viſcida & aquoſa ex depravata ventriculi digeſtione quotidiè facta ſunt materia accidentalis quotidianæ febris: Cauſa verò ipſam febrem quotidianam efficiens eſt excandeſcentia ſpiritus vitalis noſtri à materia peregrina ac præter naturam producta, ad quam expellendam & foras ejiciendam ſpiritus vitalis accenditur, unde poſtmodum febris quotidiana ortum habet. Purgatis igitur hiſce excrementis & roboratô ventriculo, ut benè optimeque rurſum digerat ac coquat, febris quotidiana utique curatur, veluti mox docebitur.

§. 15. Cum itaque febris quotidiana, ut jam demonſtratum eſt, materialiter ab excrementis ex depravata ventriculi digeſtione natis dependeat, in horum etiam excrementorum evacuatione & ventriculi corroboratione, ut depravata ejus coctio digeſtioque corrigatur, cura ejus conſiſtet. Evacuabuntur autem talia, qualiacunque etiam ſint, excrementa ſolô pulvere emeticô & Crocô metallorum vel ☿rô rubeo atque oleo ♀ri ſpiritusque Vini dulcificato, qui omnes ſpiritus Aquæ fortis extinguit & radicitùs tollit, ita ut ſic præcipitatum iſtud rubeum ſit omninò dulce ac ſudorificum potiùs roboransque, quàm catharticum. Atque in his ſolis conſiſtit tutiſſima & jucundiſſima febris quotidianæ curatio.

§. 16. Deinde ventriculus ▽a ſtillat. cinamom. ambariſata & moſchata corroborandus eſt, ſumendo per 8 dies ſummo manè jejuno ventriculo cochlearia ij. Ut autem Medicinæ Candidati perfectiſſimè & tutiſſimè ad curam hujusce febres quotidianæ pervenire, & ægros ſic jucundiſſimè ſolari queant, Medicamenta antè præſcripta ac nominata ad normam legemque præſcribendorum medicamentorum ſic reducam ℞ Pulver. emetic. gr. vj. Conſerv. viol. ℥ß M.f. bolus, detur manè duabus aut tribus horis ante paroxyſmum, & poſt tres horas ſumatur juſculum ⊖e conditum. Vel ℞ Croc. metallor.

gr.

gr. viij. Conſerv. viol. ℥ß M. f. bolus, detur manè, ut pulver. emeticus, ſervato eodem Artis regimine ac cuſtodia. Vel ℞ Arcan. Corallin. ſeu præcipitat. rub. ℈ß. Conſerv. viol. ℥ij M. f. bolus, detur ut jam dicta medicamenta, ſervato pariter eodem regimine.

§. 17. Sic igitur febris quotidiana radicitùs curabitur ſine ullâ phlebotomiâ quæ valdè eſt periculoſa & damnoſa penitùs, quum per emiſſionem ſanguinis vires valdè deſtruantur & collabantur, nec non ſpiritus vitalis infirmetur ac debilis fiat, unde impotens poſteà ad debellandum morbum evadit. Hinc peccant omnes Medici, qui antequam purgent & evacuent materiam præter naturam in corpore latitantem, primò ſanguinem mittunt, ac deinde purgant; ſic enim ita debilitant ſpiritum vitalem noſtrum, ut invalidus is ſit ad expugnandum morbum atque eâ evacuanda illa excrementa, quæ expelli debent. Adeò ipſa excrementorum purgatio ſic infirmatur, quæ fieri non poteſt, niſi auxiliô ſpiritus vitalis robuſti ac fortis, unde etiam fit, ut in mortuis ac moribundis medicamenta cathartica non operentur, cùm in his abſens jam aut valdè debilis ſit ſpiritus vitalis. Ideoque perpendant Medici, quantum in celebrandâ phlebotomiâ omnibus in morbis ſine ullâ conſideratione adhibitâ noceant, atque hinc accuratè conſiderent, an ſanguis turgeat & nimis copioſus ſit, ita ut tutò is emitti ſine ullâ virium proſtratione poſſit. In febribus enim intermittentibus excrementa febrem excitantia & accendentia non latent in venis, ſed extravaſata ſunt, quapropter etiam phlebotomia tunc nullo pacto prodeſt, ſed multum potiùs nocet; cum eadem vires infirmentur, & materia peccans extravaſata ſæpiùs ad vaſa retrahatur atque ad venas rurſus perducatur, aut ſaltem majus incrementum capiat, ut ex intermittente febre ob errorem malè medentis continua fiat.

§. 18. Sudorifica ultimò præſcribenda ſunt, ut penitùs abſolvatur febris quotidianæ cura. Sæpiſſimè enim excrementa febrem cauſantia ita viſcoſa ſunt ac tenacia, ut cathartica medicamina ſequi non valeant: Ideoque ea ipſa per provocatum ſudorem attenuanda ſunt. Sudorificum autem ♃iale anteà præſcriptum ſummum eſt in curatione febrium omnium arcanum, quod præſcribendum eſt ad gr. vj. aut viij, cum ℥j ▽. card. benedict. aut ulmar. & ſtatim ab aſſumtione ipſa æger cooperiendus, omnique arte ſudor per 3. aut 4. dies ſubſequentes iterata doſi hujus ſudorifici provocandus eſt: Quô obſervatô cum DEO omnes febre quotidiana laborantes curabuntur.

Animadverſiones

In genere.

MOrborum genus ab Autore hîc tandem proponitur, quod ubivis locorum commune eſt, & eandem ubique ſervat naturam, ut rectè monet celeberrimus Poterius: Febres intelligo, quas tamen non adorare hîc animus eſt, veluti teſte Kircherô quibusdam gentibus fuit conſvetum, ſed eſſentiam earum, radicem, proprietates ac genuina quoque remedia omni cum ſedulitate ſcrutabimur, atque juxta Naturæ dioptram diſpiciemus pariter & adnotabimus, ne morborum notiſſima febris nobis quoque totâ ſuæ tragoediæ via ac progreſſu, ut conqueritur Helmontius, magnô cum ægrotantium damnô permaneat ignota. In anteceſſum autem edicimus ſtatim, Autorum Veterum, quos ſchola Galenica vulgò veneratur, veſtigia hîc minimè nos lecturos eſſe, de quibus certum eſt, quod ad unum omnes eandem planè circa doctrinam febrium cantent cantilenam; eademque oberrent chorda, ſed veram potiùs quærere febris cognitionem ac fiendi modum, ſemper poſſibilitatem & mores Naturæ obſervaturi, unicè ac potiſſimùm allaborabimus. Multi quidem hodiè vel Jovem lapidem dejerare non erubeſcunt, ſe ad unguem callere & ſapere febrium veram originem, naturam & anatomem, ſed quantoperè fallantur pariter atque fallant, curandi ſucceſſus abundè teſtificatur, & vel exinde effatum hoc noſtrum ☉e meridianô clarius adparet, quod fermentationis nunquam ſatis deprædicandam, & qua nullatenùs medicæ ſapientiæ codex carere poteſt, doctrinam non tam negligant, quàm omnimodè derideant, & fermentum ex mera ignorantia nihil aliud, quàm autē futile dicant eſſe commentum, id quod tamen nec illi quidem, qui adhuc in ſaniore Medicina ſeu Chymiatria tyrocinium dumtaxat agunt, admittent, quum certitudo ac veritas fermentorum, modò ex προαιρέσει quis cœcutire non amet, in oculos protinùs Pyrotechniæ deditis incurrat, imò vel ipſis aniculis de ea ſatis ſuperque conſtet. Aſt mox percipiemus, à principio fermentationis principaliter dependere omnium febrium geneſin, & proinde impoſſibile penitùs eſſe, ut quis febrium naturam & viſcera, ut ſic loquar, exactè cognita habere, earumque cauſas reddere ac feliciter curare poſſit, niſi lumen fermentationis ac præcipitationis, quod Natura velut in manu genuit, & doctrinæ filiis benignâ manu oſtendit, adhibeat admoveatque. Ideoque omnes etiam illi, quibus fermenta ſunt nugæ & fabulæ, non niſi fabuloſè de febrium centrô ratiocinari vel nugari potiùs, neque etiam ex fundamento natu-

ram

ſam earundem cognoſcere queunt. Porrò neque opus eſt, ut tam laborioſè febrium computemus & attendamus differentias, ſed conciſô negotiô hanc expedire operam licebit, modò Autoris noſtri ſequamur manuductionem, atque Entia nullo modo multiplicanda eſſe recordemur, juxta tritum illud, quod poteſt fieri & abſolvi per pauca, id multis fieri nequaquam debet, præſertim quod Natura ipſa, quæ tam ſanitatis quàm morborum effectrix à magnô ſalutatur Hippocrate, hoc ſtatim nobis inſinuet, ſiquidem Naturam eſſe unam, veram & ſimplicem ex Hermetica ſapientia conſtet, Medici verò Naturæ miniſtri ac imitatores accurati omnibus modis eſſe debeant: Quapropter qui unam vel alteram eamque potiorem febris ſpeciem; num videlicet continuanum intermittens (ſive ea jam ſit quotidiana, ſive tertiana, ſive quartana.) num maligna, an ſecùs, vel hectica etiam exiſtat, ex vero fundamento noverit, is reliquas poſtmodum omnes, quas ſupervacaneas cenſemus differentias, facilima ratione perſpicere ac tollere poterit. Non minùs igitur verè quàm appoſitè Paracelſus noſter, ſunt fermè, inquit, ſupra 200. febrium ſpecies, ſed tamen una ſolum atque eadem per omnia eſt febris; ubi tamen nos malignas excipimus febres, in quibus præter fermentationis, quæ febrilis eſſentiæ unitatem conſtituit, impetum, animata inſuper putredo, quæ malignitatis genium planè pleneque exprimit, conſideranda venit. Sed miſſa inutili quæſtionum ac controverſiarum, quibus ſcholarum perſonant auditoria, farragine ad ipſarum nunc theſium, quas Autor de febribus hîc conſignavit, examen nos convertimus.

Ad §. 1.

Quidditatem & eſſentiam febris ſcholas medicas, quæ Veterum & Galenicorum placitis ac documentis ſolummodò innituntur, reverà ignorare, liquidum protinùs ac perſpicuum evadet, ſi tam Dogmaticorum Veterumque quàm Neotericorum, quibus (loquimur autē hîc de iis dumtaxat, qui juxta cynoſuram Hermeticæ Philoſophiæ ſtudium Medicinæ excolunt) lux Naturæ ſeriò in deliciis eſt, & ſine ea philoſophari religionem ducunt, ſententias accuratô poſthac judiciô conferamus. Si itaque cuipiam exceptis Neotericis quibusdam evolvere omnium Autorum volumina, quæ de febribus conſcripta numeroſè extant, allubeſcat, in æternum mihi fidem abeſſe velim, niſi illam febris definitionem, quod ſit calor præter naturam in corde accenſus &c. in cunctis vel plerisque ſaltem ceu inventarium quoddam vetuſtum, ut juxta maternum idioma noſtrum eſt in proverbiô, quod de manu in manum venit, & quaſi per hæreditatem poſteris traditur, deprehenderint. Verum quidem eſt, quod febris ac πυρετȣ nomen & utriusque ratio ſententiæ vulgari magnum parere patrocinium videatur, dum à fervore & ab accenſione ambo derivantur, atque hinc febris ab Ebræo-

rum

rum gente etiam vocatur pruna ſeu carbo ardens , & ab Hipp. magnus ignis ; hoc eſt calor exæſtuans ac veluti verſus in △em nuncupatur , ſicuti etiam bonis eruditisque Medicis ſolemne eſt,nomen ita confingere , ut hoc atque ipſe pariter morbus ſimili planè ſe habeant ratione ; nihilominùs tamen certum quoque eſt, Autores præſertim verô indoctos Medicos non rarò nominibus & ita febris etiam voce abuti,ſic monente Paracelſô : Febris erronea, inquit , & citra rationem febris dicitur,quia fervor,unde hoc nomen deducitur , eſt ſignum morbi iſtius,non verò materia , non cauſa. Hujus autem voculæ nempe febris abuſus in ſequentibus ſtatim pateſcet,ubi veram naturam , eſſentiam & proprietatem, à quâ nomen rei procedere debet,hujus morbi ſeu materiæ aut ſubſtantiæ morbificæ eruemus atque indicabimus. Hæc tamen non eâ dicimus fini, ac ſi abrogare & receptiſſimum ſeu civitate medicâ antiquitùs donatum hoc nomen ex eadem proſcribere ſit animus , verùm propterea id tantùm monemus ne eſſentiam & radicem febris in fervore & caloris exceſſu quis hujus nominis vulgò adnotatam rationem inſpiciens quærere inducatur , atque ſic in curationis ſcopô decipiatur,ſiquidem frigus aut refrigerantia quævis,quatenus nempe talia calorem illum atque paroxyſmum febrilem non pellant tollantque, cùm tamen alioquin contraria contrariis curari ſoleant debeantque : Unde ex hâc ipſa inſtantiâ actutum claret,febris eſſentiam non in fervore ac æſtu ſeu in calidiore intemperie,ſed potiùs in ſubſtantia quadam exiſtere ac indagandam eſſe. Sed videamus quid ſibi hîc velit Autor,& quid de febris conſtitutione is ſentiat : Duo autem conſideranda hîc proponit , quorum primum eſt,febrim haud rectè per calorem præter naturam definiri,quod ægrè hîc urgeat angatque penetrans frigus,quàm incendium,& quod primordium paroxyſmi,quod frigus ac horror præſtat,æquè ſit febris , ac progreſſus ejusdem , qui in æſtu conſiſtit. Alterum de putredine agit , à qua ipſa calorem illum immodicè auctum ac impetuoſè afficientem provenire haud poſſe , Noſter exiſtimat. Sanè merentur ambo , ut accuratiùs à nobis jam perpendantur,& media conſiderandi ex profundiori Naturæ ſanctuariô,in quô nullæ tenebræ mentes obfuſcare poſſunt , depromantur. Ergò in febre calorem excedentem adeſſe non negat quidem Autor,ſed ita tamen,ut ſine frigore (puta ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ) non exiſtat,adeoque utriusque ratio habenda hîc veniat,qua de re Paracelſus pulcrè ratiocinatur , dum dicit , omnem tempeſtatem cum frigore ac ventorum impetu (puta itidem plerumque & utplurimum.) incipere,poſteà verò fulgura & fulmina ſuccedere : Ubi enim tempeſtas ingruit, frigus in anteceſſum perſentiſcitur , ac totum corpus inſtar borealis venti id pervadit , & exquiſitum horrorem rigoremque incutit : Unde etiam haud abſonè ludit jam laudatus Theophraſtus,dum febrem microcoſmi quendam terræ motum eſſe aſſeruit ; quam ſanè febris deſcriptionem ratione frigoris ac rigoris,quò in

in principiô paroxyſmi febricitans valdoperè concutitur, is inſtituit: Tunc enim partes humanæ fabricæ non ſecùs ac in terræ motu domicilia & alia cuncta, quæ terræ innituntur, inſigniter contremiſcunt, quod illô tempore ob concentratum & undique ad locum illum, ubi materia peccans ſtabulatur, ut poſteà id clariùs in §. 7. percipiemus, convocatum calorem naturalem non tantùm ſubitò frigeſcant partes reliquæ, utpote calore nativô ejusque influxu ac commercio tunc deſtitutæ, verùm etiam ſic refrigeratis membris eorumque meatibus ac ſpiraculis (frigus enim valdoperè poros, ut notum, obſtipat, vaſa coarctat, atque ſic ſpirituum influxum fuliginumque tranſitum impedit cohibetque) oppilatio eorundem contingit; unde cùm fuligines, effluvia & ſpiritus excrementitii in fermento & foco febrili exorti collectique tranſitum exitumque ſuum non deprehendant, cum impetu erumpere coacervati moliuntur, & hinc in hoc ipſo partium algore horrorem ac tremorem inſimul inducunt non ſecùs atque exhalationes in locis cryptisque ſubterraneis, nimioperè cumulatæ & tranſitum non reperientes tremorem ſoli ac terræ motum pariunt, quæ poſteà quò copioſiores ſunt, eò horribiliorem etiam ac vehementiorem terræ concuſſionem tremoremque faciunt. Cùm verò inſuper fuligines illæ ſeu ſpiritus excrementitii, intùs ob denegatum, à penitiorium meatuum conſtipatione, tranſitum concluſi acorem inſuper & acrimoniam obtineant, (ſunt enim iſti nihil aliud, quàm ⊖ volatile humoris excrementitii putrefacti ſeu mineræ febrilis reſolutum, quod acredinem indubitatam habet.) fit ut præter impetuoſam motionem & agitationem, quam præſtant vapores iſti erumpere geſtientes, partes corporis noſtri præſertim verò eas, quæ membranoſis involucris exquiſito ſenſu præditis inveſtitæ ſunt, mordacitate ſua lancinando ac vellicando majorem corporis concuſſionem ſeu horrorem efficiant: Quo ipſo in negotio nullus planè inter nos & Galenicos diſſenſus intercedit, niſi quod clariorem rei explicationem nobis citra omnem tamen jactantiam vendicemus. Comparavimus quoque paulò ſuprà febrilem paroxyſmum cum tempeſtate, quam ex Paracelſo imò & experientia fide utplurimum cum frigore invadere ſtatuimus: Ut enim ingruente tempeſtatis furore cœlum denſiſſimis & impenſè obſcuris nubibus, ita etiam, ut pice nigrius id eſſe videatur, cingitur atq; triſti velamine occulitur, unde fomentum influentes cœleſtisque caloris ſubducitur aut intercipitur, atque cumprimis infima aëris regio virtute caloris ☉aris, cujus efficaciam vivificam & incredibilem eſſe novimus, obſtante ſpiſſorum nubilorum agmine privatur, atque ſic deſubitò refrigeratur; ita conſimiliter etiam contingit in paroxyſmi exordio, ubi calor ad nidum ac fomitem febrilem, ſive is circa meſenterium, ſive circa pancreas, ſplenem, hepar, & ſic porrò, conſtitutus ſit, ab Archeo ſeu Natura retrahitur, atque ſic inſimul decens ſpirituum influxus cohibetur, unde ſtatim partes externæ ac reliquæ refrigerantur, velut jam paulò di-

ximus antè: Imò tunc temporis & ipſum cor (quod eleganter ☉ corporis vocatur, ſicuti ex adverſo ☉ rurſus dicitur cor mundi.) influxum caloris vivificantis partibus reliquis denegat aut ſubtrahit, & tantùm ſuppetias fert loco illi; ubi materia peccans reſidet ac deliteſcit, ut ab Archeo eo meliùs illa conduplicatis ſic armis expugnari poſſit. Adeoque haud perperam à Paracelſo Chymicorum principe has ſimilitudinem elegantias fuiſſe inſtitutas admoto ſic declarationis lumine, facilè quivis jam perſpicere poterit. Sed plura de vera hujus frigoris cauſa ulteriùs edifferendi infrà nobis offeretur anſa, quam expectabimus. Alterum quod ſpectat hujus theſis membrum, illud putrefactionem ſub ſe comprehendit, de quâ Autor dicit; quod nullô ea pacto calorem efficere, & quod vitâ ſuperſtite in corde nequaquam putrefactio fieri poſſit. Fatemur ſanè, nos circa arduum & multis difficultatibus plenum thema hîc verſari, quas potiſſimum id cumulat, quod putredo ac putrefactio ſit multiplex, & quod latè patens ejus ſit ſignificatio, adeoque propemodum hæc vocula pro cujusque arbitriô uſurpari ſoleat. Ita enim concernimus Philoſophos Hermeticos ſuam putrefactionem ſeverâ lege diſtinguere à vulgò ſic dictâ, ita ut alia ſit putrefactio Philoſophorum, & alia vulgaris. Item non nulli deprehenduntur, qui nec ineptè aliam faciunt naturalem ſeu vivificantem (ſub quâ comprehenditur rerum digeſtio, coctio ac circulatio,) & aliam præternaturalem ſeu mortificantem, quæ ſine calamitate & quadam vehementiâ non abſolvitur. Et hæc ipſa quoque cum priori exactô modô convenit, quatenus Philoſophorum putrefactio cum naturali confertur, ſine quâ tam in Arte Hermetica, quàm corporis noſtri œconomia nihil laudabile perfici poteſt; & quatenus vulgò ſic accepta cum præternaturali atq; impetuoſa ſeu morbifica convenire dicitur. Deinde gradus etiā putrefactionis, nempe ejus initiū, incrementū, vigor & declinatio quasdam peculiares veluti putrefactionis ſpecies conſtituere poſſunt, qui ipſi proinde non negligendi, ut ad diverſas Autorum de putrefactione ſententias reſpondere queamus: Si enim hos putrefactionis gradus attendamus, tam Autori noſtro adſtipulari, qui putrefactionem nullô pacto calorem cauſari poſſe innuit, quàm à parte Paracelſi pariter ſtare poſſumus, qui modò adfirmat, putrefactionem eſſe rem frigidiſſimam, & algorem ex putrefactione provenire, modò etiam alibi dicit, quamlibet putrefactionem dare calorem cum aliquo frigore conjunctum. Quod Autorem noſtrum concernit, mens ejus intelligenda eſt de principiô putrefactionis ſeu incipiente ea, ubi calor in materia peccante abſconditus nondum factus eſt activus, ſed inermis tunc eſt, & in minera illa excrementitia profunde adhuc ſepultus latitat. Poſtquam verò Natura noſtra ſeu Archeus ac ſpiritus vitæ onus ac pondus materiæ morbificæ (quam non immeritò Chaos febrile tunc nuncupamus,) ſeu humoris excrementitii in hac vel illa parte præter naturam retenti perſentiſcit, illum deſubitò aggreditur, atque in eundem agere

inci-

incipit. Ut verò hanc id expugnandi & propellendi, quod inutile ac noxium corpori futurum eſt, intentionem Archeus noſter eò melius expedire poſſit, beneficiô magnetiſmi ſui convocat imò attrahit ex partibus vicinis aliisque calorem naturalem, atque potiorem affluxum ſpirituum vitalium, ut vires ſuas adaugere atque multiplicare valeat, tunc eo in loco ubi materiam impugnat, ſibi vendicat; unde fit, ut intercepto retractoque à partibus reliquis calore ac ſpiritu vitali influente partes mirum quantum refrigerentur, atque hinc horror febrilis exoriatur, veluti jam antè fuſiori id opera demonſtravimus. Poſtquam verò ſpiritus vitæ aliquantiſper in hanc materiam excrementitiam ac vitioſam egit, calor internus ſive calidæ partes ex materia peccante per quandam diſſolutionem eruuntur, atque ſic activæ fiunt, veluti ſemper calor extraneus & ambiens provocare & ad actum deducere rei alicujus internum atque anteà conſopitum ſeu dormientem quaſi calorem ſolet. Atque hinc putrefactionis ſuccedit incrementum pariter ac vigor, qui omninò calorem illum præter naturam efficit, quod materia peccans in progreſſu putrefactionis efferveſcentiam concipiat, fuligines & miaſmata ſpirituoſa tanquam fulmina quædam (prout ſæpiùs ex fermentationis fundamento hoc oſtendimus) hinc confertim emittat, atque ſic demum illum morbificæ fermentationis tempeſtatisque impetum toti maſſæ ſanguineæ & omnibus in corpore humoribus, dum videlicet ſpiritus iſti excrementitii cum iis commiſcentur, communicet ac imprimat, unde inſignis per univerſum corpus tunc perſentiſcitur æſtus, qui febris nomine indigitatur. Ideoque non tam putrefactio ipſa quàm putrefactionis ebullitio, ut cum Paracelſo loquar, vel juxta Neotericos, efferveſcentia ſeu fermentatio hîc attendenda eſt, quæ paroxyſmum cauſatur. Sed ô quàm pauci magnô cum Medicinæ detrimento arcanum putrefactionis & fermentationis nomen intelligunt vel potiùs intelligere cupiunt! Putrefactionem porrò in corde fieri citra diſpendium ac interitum vitæ, adeoque ſedem & primarium febris ſubjectum cordis atrium exiſtere non poſſe, innuit Autor, cui etiam noſtrum nos perfacilè addimus calculum, quatenus nempe de putrefactione præter naturam ac morbificâ, quæ copiam & retentionem vitioſorum excrementitiorumque humorum requirit atque præſupponit, cujus fomes nidusque ſemper circa viſcera & loca naturalia ſeu officinas primas deprehenditur; hîc eſt ſermocinatio: Putrefactionem autem naturalem & ſvavem cordi: quum ibi fermentum vitale reſideat, non denegare licet; Ex hac enim putrefactione, digeſtione & fermentatione naturali, quæ in corde inſtituitur, fit vapor ſpirituoſus & aura vitalis, quâ totum corpus poſteà vegetatur atque conſervatur. Hoc tamen negare non poſſumus, quod cordi etiam ex putrefactione & fermentatione præter naturam humorum vitioſorum, quæ v. gr. in ſplene, aut meſenterio, & ſic porrò fit, non contemnenda calamitas & afflictio

ſuccreſcat, dum effluvia & fuligines damnatæ hinc ortæ per circulationem ſanguinis ad cor transferuntur, unde in febribus tantæ anxietates, cordis palpitationes & ſymptomatu alia provenire ſolent, quòd Archeus & calidum cordis inſitum id, quod infeſtum ſibi eſt, cum vehementiſſimô impetu tunc expellere allaboret: Cum verò fuligines tamdiu, quamdiu paroxyſmus & fermentatio febrilis durat, ſuccedant, & cordis aulam continuo acceſſu petant, ſymptomata illa etiam perſeverant, donec & effervescentia mineræ febrilis beneficiô nobiliorum præcipitantium ſedata & extincta fuerit.

Ad §. 1.

Helmontii floridæ ſapientiæ Antiſtitis tractatum de febribus hîc commendat Noſter, quem nos etiam mereri aſſerimus, ut ſedulò legatur atque relegatur, cumprimis tamen notatu digniora exinde ſeligantur, quòd hanc ipſam doctrinam ingenuô baſilicoque fermentationis ac præcipitationis fundamento pulcrè adornaverit & quàm optimè ſtabiliverit. Quod definitionem febris attinet, quam Autor hic produxit, & quâ eandem per accenſionem ſeu effervescentiam accidentalem deſcripſit, ſciendum eſt, quod in cujusvis morbi conſideratione Autor noſter, eſſentiales ejus partes, nempe cauſam principalem ſeu efficientem, tanquam maſculinum morbi principium, & cauſam materialem ſeu fœminiam quæ tamen activa ſeu coagendi virtute non omninò caret, ſed pejor potiùs maſculum ad certamen hoc provocat & laceſſit, attendere ſoleat. Cum ergò Archeus ſeu ſpiritus vitæ ſit cauſa principalis ſeu efficiens febris, excrementa verò peregrina ſeu humores excrementitii ac peccantes, quos Archeus cum impetu aggreditur, & cum furore armis hinc inde convocatis impugnat, ut anteà percepimus, vices cauſæ materialis ſuſtineat, fit ut ex hâc ipſâ pugnæ violentiâ, ob graviter irritatum Archeum & fermentantia excrementa, quæ acres & fervidiſſimos ſpirituoſosque vapores copioſè exhalant, per conſequens & ex accidenti totius corporis contingat accenſio & maſſæ ſanguineæ effervescentia, quam antecedit tamen tremor & frigus partium, ob eam cauſam, quam ſupra luculenter indicavimus, imò in præcedentibus Capitulis hinc inde jam abundè ſæpiſſimè ac fideliter accidentia & ſymptomata graviſſima, quæ irritatus & ad furorem redactus Archeus, nec non impetuoſa materiæ peccantis fermentatio parere ſolent, unà cum datis rationibus expoſuimus. Sed & inſuper hîc tangitur quoque paroxyſmi remiſſio ac finis, de quò ſciendum eſt, quod eum victoria Archei placati & ad ſtatum tranquillitatis perducti, nec non præcipitata, expugnata & exturbata materiæ peccantis fermentatio, nequaquam verò refrigerantia imponant. Tandem etiam diverſa ratio cauſæ, quæ aut intermittentes aut continuas febres parere ſolet, tam perſpicuè adducitur, ut ampliore declarationis luce haud opus ſit.

ſit. Ita autem reverà ſe res habet, febres continuas & intermittentes differre inter ſe ratione materiæ occaſionalis, ut Helmontius loqui amat, quatenùs illa vel copioſa eſt ac malô more pollet, adeoque Archeum continuò aſſiduoque laceſſit, & quatenus ea eſt pauca ac mitioris ſeu languidioris indolis, quam ſpiritus vitæ per vices dumtaxat aggredi ſolet. Cœterum ſedes febrium continuarum tantoperè non diſcrepat ab intermittentium diverſoriô, edeoque hæ febres non variant ex natura loci affecti; occurrunt enim febres continuæ, ait Helmontius, quæ in intermittentes deſinunt, & contrà.

Ad §. 3.

Juxta humoris excrementitii ſeu mineræ febrificæ quantitatem & qualitatem, ſive juxta utriusque tam copiam vel paucitatem, quam malitiam aut bonitatem Archei irritationem vel excandeſcentiam majorem ſeu atrociorem, ac minorem ſeu levem, adeoque differentias febrium continuarum atque intermittentium hinc æſtimandas eſſe, ſatis ſuperque ex textu Autoris claret; Certiſſimum enim eſt, quod tot conſtituendæ ſint humorum excrementitiorum ac vitioſorum diverſitates, quot degenerationes eorum, quas jam pridem declaravimus ſuprà, cernuntur. Illam tamen diſtinctionem inter materiam peccantem, quæ in vaſis adhuc comprehenditur, & inter illam, quæ extravaſata eſt, omninò non inanem nec negligendam, ſed maximi ponderis in conſideratione febrium eſſe exiſtimamus, atque hac ratione Autori noſtro utique adverſari cogimur: Reverà enim impuritates & humiditates excrementitiæ, quæ extravaſatæ & extra ſuos limites adeoque ad alienos Lares delatæ ſunt, de majori ac maligniori accuſantur degeneratione & corruptione, quàm ſi intra propriæ digeſtionis hoſpitiæ, ubi materia peccans longè mitior ſemper ac benignior contingit, adhuc comprehendantur. Ratio aſſertioni s eſt in promtu, eamque Helmontius præclarè ſuggerit, dum dicit, humores extravaſatos in putidum fœtidumque ſtatim lutum & flagitioſum ſarcinam mutari, quod vitæ ſodalitio beneficioque hinc deſtituti horridis ſtatim ab peſſimis auſcultent corruptelis, quas vitalis aura alioquin maximè ſolet compeſcere: Unde etiam hæc ipſa excrementa ab Helmontiô nominantur demortua atque cadaveroſa; Cujus Philoſophiæ mentionem jam alibi nos feciſſe recordamur. Ergò his præſuppoſitis quilibet ſibi facilè perſvadere poterit, graviores & magis continuas febres ex humoribus excrementitiis extravaſatis, quàm mitiores ac intermittentes eſſe expectandas: Imò febres vulnerariæ, quæ plerumque ſunt pernicioſæ ac periculoſæ, imò lethalitatem interminantes hoc ipſum ſatis confirmant, utpote quæ ex ſanguine extravaſatô & graviùs putreſcente ortum ſuum habent, quem Helmontius cruorem funeratum ac cadaveroſum adpellitat.

Ad §. 4.

Ratio febrium intermittentium denuò hîc exponitur atque repetitur, quam paucitas & benignitas (ſic enim loquuntur Medici agentes de cauſâ morbificâ tractabili & coctu ſive expurgatu non adeò difficili) materiæ peccantis conſtituit, utpote quæ faciliori negotiô ac breviori temporis ſpatio à Naturâ noſtrâ expurgari atque exterminari poteſt, quàm ſi humores excrementitii contrariô modô ſe habeant, atque Archeo cum ferociâ & contumaciâ reſiſtant. Deinde etiam cauſa tam intermiſſionis quàm ſtatô die recurrentis & periodum ſervantis paroxyſmi hîc affertur. Febris igitur intermiſſio ut tropæum Archei ac requies Naturæ eſt, poſtquam nempe ab eadem materia peccans maximam partem evicta, atque fermenti ejus impetus ita refrænatus eſt, ut Archeum noſtrum ampliùs ea, utpote tam quoad quantitatem quàm qualitatem valdoperè imminuta tunc irritare & excandeſcenti anſam præbere non poſſit; ita periodus & inſtaurata febris invaſio propterea rurſus contingit, quod intereà temporis & hôc ipſô intermiſſionis ſpatiô cineres febriles tam copiam quàm facultatem ſuam recuperarint, & id quidem eò magis, quô intemperantiùs vivit Genioque ſuo indulget æger, unde cruditates colliguntur, quas minera ſeu cineres febriles magneticâ quadam vi ad ſe alliciunt, atque ſic evidentia augmenta capiunt; Quô factô feriæ illæ ſeu induciæ rurſum ſolvuntur; & focus febrilis fermentationis morbificæ impetum integrat, atque ſic Archeum de novô laceſſens ad pugnandi furorem concitat, unde eo planè, ut anteà diximus, modo paroxyſmus recurrit & angit. Atque hæc intermittendi & denuò invadendi ſcena tamdiu reciprocatur, donec aut febris penitùs everſo expugnatoque Archeo animam abſolverit, aut Archeus bonâ fide victoriâ potitus materiam febrilem radicitùs & omnimodè expurgaverit, atque perfecta criſis coronidem morbo planè pleneque impoſuerit.

Ad §. 5.

Febrem continuam præſupponere maximam materiæ peccantis ac impetuoſè fermenteſcentis putreſcentisque quantitatem nec non impenſè pravam qualitatem ſeu labem, adeoque inſignem ejus cruditatem, ferociam & contumaciam, nullum eſt dubium. Cùm autem impoſſibile ſit, ut ſpatio quarundam horarum aut paucorum dierum tantus hoſtis expugnari expellique poſſit, fit, ut diutius & continuò duret hic inter Archeum & materiam febrilem concertandi fervor, donec vel vicerit omninò Archeus, vel victas manus is ſupponere atq; perire cogatur; ſin verò humores corrupti fermentô inſuper exodicô peregrino virulentoque ſint contaminati, atque hinc, quicquid attingat illud, in virus ſuum

trans-

tranſmutet , tunc febres continuæ cum additione malignitatis ſeu malignæ oriuntur, de quibus infrà peculiariter tractabitur.

Ad §. 6. & 7.

Hiſtoria frigoris, & cauſa, quare cùm algido horrore, rigore ac tremore febres primordium ſuum capiant, cum controverſiis reliquis, quæ circiter circa febris naturam agitari ſolent, jam ſatis ex ſuperioribus cognita nobis eſt. Ut tamen negotium hoc adhuc clariùs perſpici poſſit, appoſitum ſimile à ventriculô & coctione ejus deſumtum hîc annotavit Autor, quod ſilentiô etiam non involvemus: Ita enim reverà ſe res habet cum debiliori ventriculô, ſi nimiopere is repleatur & multô cibô gravetur, ut Archeus ventriculi tunc omnem ex cunctis membris calorem vitalem ad hanc officinam ſuam convocet, quò opus coctionis ac digeſtionis ſuæ eò meliùs ac robuſtius perficere poſſit: Unde retracto & ſubtractô cæteris partibus caloris vitalis ſeu potiùs fermenti ſpirituoſi fomentô, non lève ſed omninò ſatis exquiſitum & inſigne (glaciale vocat Autor) frigus tunc perſentiſcitur, adeò etiam, ut quandoque vehementem dentium ſtridorem habeat conjunctum, veluti quondam in Almâ Leucoreâ ex Commilitonibus meis quempiam nobilem Pomeranum & juvenem Athletici habitus, qui alioquin benè valebat, niſi quod de imbecillitate ventriculi aſſiduò conquereretur, novi, qui ſemper poſt prandium ac cœnam, quam plenis utique buccis celebrare ſolebat, tantô horrore & algore, adeoque totius corporis & omnium membrorum inſigni concuſſione perfundebatur, ut tangentes egelida membra & adſtantes in ſtuporem potiùs quàm in admirationem id traheret. Jam fiat adplicatio ad rigorem & horripilationem febrilem & dubitamus nulli, eam ex votô conſpicuam hinc evadere poſſe; ſi enim v. g. materia peccans ſtabuletur circa meſenterium, tunc id ſubitò ad majorem impugnandi & materiam morbificam edomandi poteſtatem ſibi vendicandam, ex reliquis membris provocat & arripit ſpiritus vitales, atque ſic efficit, ut iſtæ partes fomentô privatæ valdè refrigerentur, & glaciale non rarò gelu cum magnô tremore & totius corporis concuſſione ibidem percipiatur atque oriatur.

Ad §. 8.

Ergò febres utplurimum cum algore & tremore exordiuntur (nec ſine cauſâ, quod materia peccans ex penitioribus corporis receſſibus excudi ſic poſſit:) & cum immani ac ferô fervore (unde etiam à feritate quibusdam febris derivatur, quod ardoris feritas tyrannidem ſuam in omnes æqualiter exerceat) progrediuntur. Nec itidem ſine cauſâ fervorem illum per totum tunc diffundi corpus innuit Autor, dum hujus beneficiô ſudores erumpunt, ut latrocinans & fe-

& febrile hoc fermentum per fumos,per ignes,per ▽am edometur,atque mateteria vitioſa penitùs eliminetur: tunc enim feliciter abſoluto ſudore omnia poſtmodum fiunt pacata,reſerantur corporis meatus,refocillatur calidum nativum, & facultates priſtinæ redeunt, quæ à calore præter naturam abſtractæ anteà & veluti abjuratæ fuerant : Adeò reverà per ſudores miteſcit hic microcoſmi æſtus,non ſecùs ac in macrocoſmo aërem exæſtuantem ac ventos impetuoſos pluviâ adveniente, cum quâ non ineptè ſudor comparatur, miteſcere ac conſopiri obſervamus.

Ad §. 9.

In ſpecie nunc aggreditur Autor febrium potiores quasdam differentias, & primò ad intermittentium claſſem ſe convertens à quotidianâ auſpicatur, de quâ paucis hæc præmonenda cenſemus. Quæritur nempè an quotidiana, de cujus natura eſt ſingulis diebus invadere, ad familiam intermittentium referri queat, quod febris, quæ quotidiè affligit, planiſſimè cum continuâ convenire videatur. Nempe diſtinguunt Practici inter quotidianam continuam & intermittentem: Illa remittit quandoque ſed ſine tamen intermiſſione, adeoque propemodum cum continuâ ſimpliciter ſic dicta videtur convenire; hæc verò dicitur illa, cujus acceſſio die quælibet redire quidem ſolet, ſed ita tamen, ut per aliquot horas remittat pariter atque omnimodè intermittat, hoc eſt ut patientem à febrili paroxyſmo quotidiè rurſum abſolvat. Hæc ipſa autem ut omnium febrium rariſſima ſtatuitur, ita non pauci ſunt, qui eam dari plane plenèque negant, ſed tunc potiùs, ſi febris quotidiè recurrat, illam ipſam pro duplici tertianâ (ſimplex autem tertiana ſemper antecedere ſolet,quæ poſtmodum per degenerationem ſit duplex,adeoque quotidianæ ſimilima.) vel triplici quartana (hæc rurſus cognoſcitur ex præcedente quartana ſimplici.) eſſe habendam cenſent; cui ſententiæ etiam B. ſubſcripſit Sennertus, qui proinde conſulatur. Verùm cùm hæc controverſia curandi intentionem non variet aut turbet, eam pro lubitu & ulteriùs ventilandam potiùs cathedris relinquimus. Cauſam hujus febris unanimi conſenſu omnes fermè,qui de febribus ſcripſerunt, pituitam eſſe affirmant, quam opinionem vulgò receptiſſimam eô nomine rejicit & damnat Autor,quod pituitam naturaliter in corpore generari, & in 4 humorum naturalium,quibus maſſam ſanguineam conſtare communiter putant,conſortiô comprehendi,aſſerant Medici ſcholaſtici. Ideoque pituitam (eô ſcilicet modô, ut jam & alibi ſuprà fuſiori opera diximus,conſideratam.) pro Galeni figmentô & merô mendaciô, cum autoritate tam Paracelſi quàm Helmontii Noſter habet, ſed tantummodò excrementi titulum hanc ſubire docent,ita ut nihil aliud denotet,quàm ▽oſum liquamen,quod poſteà putreſcendo in mucilaginem viſcidam lentamque degenerat(non ſecùs ac omnes ▽as per corruptionem fieri mucidas ac

ac glutinoſas videmus.)adeoque humor hic ▽eus totô genere ſuô ſit præter naturam ac vituperoſus,ſive jam ſit inſipidus,ſive acore,ſive ſalſedine imbutus, ſive etiam limoſô lentore polleat, aut aliô peregrinô ſapore ac colore infamis exiſtat, Hic enim ut diſcrepat à fermento vitali, tanquam à vivô mortuum, ſic etiam infeſtus omninò ac infauſtus in corpore exiſtit, & propterea omni ſtudiô evincendus exterminandusque venit. Aquoſum autem & viſcidum ſtatuitur illud excrementum,quod febrem quotidianam enititur; atque hôc ipſum circa vias primas & in officinâ primæ coctionis potiſſimum generari & accumulari, ſed & ibidem tunc putreſcere ſolet: Unde etiam quum quotidiana augmenta focus iſte febrilis in promtu habeat,facilique negotio capeſſere poſſit, quoniam in penitiori corporis receſſu non deliteſcit, ſed ſtatim in limine ejus, ut ſic loquar, ſtabulatur,quotidiè recurrere ac ſcenam ſuam ſingulis diebus etiam peragere ſolent. Deinde aquoſam ſeu phlegmaticam illam eſſe peccantem materiam, quæ febri quotidianæ occaſionem præbet, exinde liquet, quod in eâ tam frigoris quàm caloris ſymptomata atque acceſſiones ſint remiſſiores mitioresque, ſed & diutiùs pariter protrahi ſoleant; quod humor ▽oſus putreſcens tam mobilis non exiſtat,ſed potiùs ignavô torpore polleat, adeoque tam citò hujus fermentatio, utpote quæ lento tardoque progreditur paſſu, terminari & abſolvi non poſſit.

Ad §. 10. 11. & 12.

Hoc circa præcedentem theſin adhuc monendum reſtat, quod Autor quaternionem hunc humorum, qui in ſcholâ Galenicâ receptus tantoperè ac mordicùs defenditur,iterum iterumque hîc evertere atque diruere conetur, veluti id in hôc tractatu aliquoties & ſuprà hinc inde jam fecit, atque noſtram nos quoque ſymbolam explicando,nî fallor,ſufficienter inſimul adjecimus. Cumprimis autem ex baſi chymicarum operationem & nobiliſſimæ hujus Artis fundamento (hæc enim princeps Medicinæ columna eſt, ſuper quâ tota Medicin. eaque nobilior & obſtruſior conſiſtit, producitur & ſtabilitur, & ſine quâ nihil rectè perſpici nihilque accuratè perfici poteſt.) rerum omnium principia, adeoque & morborum cauſæ, nec non humorum corruptorum & excrementitiorum diverſitates originesque demum rectè cognoſci atque ad exactam conſiderationis trutinam duci queunt. Ergò medicæ cognitionis firmamentum ex penetralibus ac luce Naturæ Artis ſpagyricæ ſinu, non autem ex cerebrô petendum & eruendum eſt; Citra namque hanc Artem & illum ſeparationis, reſolutionis ac præparationis magiſtram nemo poteſt eſſe verus Medicus. His ita ſe habentibus Autor etiam noſter ex lumine artis deſtillatoriæ & hinc deſumtô exemplô valdè appoſitô principia corporis humani, quæ non niſi celebratâ veræ reſolutionis dexteritate ſe manifeſtare poſſunt, affatim deduxit, atque inſimul vanita-

tem & ludicram incertitudinem 4. iſtorum humorum probè demonſtravit, ut exinde poſtmodum non difficulter argumentari liceat, quid de materia morborum peccante humoribus excrementitiis eorumque gradibus ac differentiis tanquam omnium febrium matricibus propriè ſit ſtatuendum, quâ de re plura non addimus, ſed potiùs curioſum quemvis partim ad ipſum Autoris textum (in quô corpus humanum non in 4. illos humores fictitios, ſed in 5. principia, nempe ▽am ſeu phlegma inſipidum, ſpiritum acidulum, ꝏ, ⊖em ac 🜃am ſeu chaos reſolvi, & per conſequens id etiam ex his ipſis elementis componi, beneficiô Artis ſpagyricæ oppidò oſtendit) partim ad noſtras Animadverſiones prioribus & antecedentibus Capitibus dicatas remittimus, quàm ut ſuperfluâ prolixitate & repetitione præter neceſſitatem præ entem operam prolongare allubeſcat. Non minùs igitur verè quàm rectè Paracelſus noſter dixit. Ex luce Naturæ & Artis chymiæ (quæ utraque demum à falſo verum diſcernere, & rerum omnium principia per debitam & Naturæ conformem analyſin rectè inveſtigare docet.) (tantummodò ſapere debemus, non autem ex phantaſia & abſurdâ perſvaſione (adde hîc pariter conſentiendi ignaviam.) in quâ nil niſi quatuor humores & nugæ infinitæ gignuntur.

Ad §. 13. & 14.

Structuram hujus definitionis tam cauſa principalis & efficiens, quàm materialis & occaſionalis abſolvit; atque in iſtâ morbos definiendi ratione hic quoque Autor antiquum obtinere pergit. Febris quotidianæ cauſa principalis & efficiens, nempe Archei ſed Naturæ contra materiam peccantem irritatio, excandeſcentia & pugna, quam fermentationis impetuoſæ nos charactere conſvevimus deſignare, eodem modô ſe habet, ut in omnibus aliis febribus ac morbis, prout ex hinc inde antecedentibus ibidemque adſcriptis declarationibus id abundè conſpicere licet. Cauſam materialem referunt excrementa aquoſa & viſcida, quæ propter ventriculi infirmitatem & depravatam hinc digeſtionem vel alios etiam commiſſos fortè circa diætam errores facilimô negotiô progigni & collecta præterquam naturam retenta corrumpi aut putredine exoticam naturam induere, adeoque Archeo ſummè inimica & impenſè adverſantia evadere queunt: Quæ tamen ſaburra vel ſponte proſcribi & ventriculi œconomia facilimè ab hoc malè digeſtorum ac corruptorum onere liberare poteſt, modò ſalutaria & nunquam ſatis commendanda nobiliorum emeticorum præſidia perperam non fugiantur. Impoſſibile enim eſt, ut confortantia, licet excellentiſſima ſint, virtutem ſuam exſerere ac ventriculo ex ſententiâ prodeſſe poſſint, niſi prius extermine tur id, quod impuritatis ac putredinis infa-

mia

mia notatum aggravat & noxium eſt. Hoc autem quò citius fit ac breviori manu, nec non per propiorem & parti purgandæ commodiorem expeditur ſemitam, eò melius etiam eſt, atq; Medici ſagacitatem hoc ipſum non oſtendere non poteſt.

Ad §. 15.

Ut cauſa principalis & efficiens febris atque omnium reliquarum cohiberi, hoc eſt irritata Natura, & ad iram ac furorem redactus impetumque faciens Archeus, qui juxta Hippocraticum Oraculum omnium morborum eſt conditor præcipuus, rurſum placari, ſedari & ad priſtinum omnia decenter & ordinariè rurſus peragendi ſtatum ſeu naturalia ſua officia decenter præſtandi aptitudinem reduci queat, neceſſum eſt omninò, ut id, quod eum gravat & laceſſit, acceleratô remediô præcipitetur compeſcaturque pariter atque penitùs è mediô tollatur: Adeoque peccantem materiam debitô modô purgare demum eſt febribus ex fundamento (malignas hîc excipimus; quæ, antequam purgandi ſcopo indulgendum, alia præmittenda & faciunda requirunt, ut infrà clariùs patebit.) medeٍri atque easdem unà cum materia peccante radicitùs protrudere: Quod axioma qui non admittit, multiplici ratione peccat & errat. Ut itaque ſcopum purgandi ex ſententiâ complere valeamus, neceſſum utique eſt, ut proprietates locorum, in quibus fomes febrilis reſidet, cognoſcamus & animadvertamus, quoniam aliô modô pelluntur & evacuantur recrementa morbifica in ventriculo ſtagnantia, aliô modô ea, quæ inteſtinum aut meſenterium aut viſcera naturalia alia occupant, & ſic porrò. Cum verò in quotidianâ materiam peccantem ſtabulari potiſſimum in ventriculo perceperimus ſuprà, & facilimô ea negotiô per vomitum ejiciatur, ſequitur quod Emetica utiliter tunc atque commodiſſimè, cæteris tamen paribus, exhibeantur. Deinde cum inteſtinorum anfractus tunc quoque inſimul de hâc febrili colluvie aliquid retineant ac foveant, per alvum purgatio itidem non erit infructuoſa. Ergò utrique ſcopo unum medicamen cùm ſatisfacere poſſit, & quum unâ fideliâ duo dealbari queant parietes, non immeritò hanc methodum febres curandi ab Autore præſcriptam amplectimur: Adeò enim toties jam laudatum emeticum ex ☿iô præparatum (vocat ſic Autor ſuum vitæ ☿ium, à communi illo impenſè diſtantem.) aut Crocus metallorum (nobiliorum autem horum emeticorum præparationes, vires & laudes jam ex ſuperioribus ſatis ſunt nobis cognitæ.) κάτω καὶ ἄνω educere febrificantem ſaburram atque funditùs eradicare eam, ſi aliquoties doſis iteretur, ita valet, ut aliô purgante opus minimè habeamus. Seriò autem datâ ſic occaſione hîc aſſerere atque monere in ſalutem febricitantium nequaquam non poſſumus an debemus, quod arcanum omnes febres intermittentes feliciter ac celeriter curandi

randi in Emeticorum præſtantiorum ter ad minimum juxta Autoris mentem iteratorum uſu conſiſtat, modò obſequium clientis huic faveat propoſito, ubi Medicum ab eô deterrere non debet aliqualis ille labor & debilitatio, quæ data & uſurpata Emetica excipere conſvevit, quoniam illa vel ſponte beneficiô ſomni & refectivorum poſteà emendari ac evaneſcere ſolet. Imò hoc demum eſt reverà confortare, quod Archeum ab excrementorum gravaminibus liberat, & remotis iis poſtmodum ſummam eidem exoptatamque pacem rurſus tradit atque largitur. His emeticis Autor ſubjicit excellentiſſimum febri fugum, nempe ☿tum rubeum atque probè dulcificatum, per quem nihil aliud intelligit, quàm Arcanum Corallinum, quod lege Artis Hermeticæ conficiendi & ad ſinceram dulcedinem reducendi modum unà cum illuſtribus virtutibus ſuis tam ſudoriferis quàm generoſè corroborantibus (propriè autem ad cathartica remedia hoc ſpecificum non pertinet) ſæpiùs jam, præſertim verò Cap. LXII. ponderavimus, expoſuimus.

Ad §. 16.

Licet meliori ratione ventriculi ejusque virium recreatio præſtari non poſſit, quàm ſi à ſarcinæ ſuæ vitio ac onere bonâ fide is abſolvatur & liberetur; tunc enim vel ſponte laborans Archeus ſublevatur atque ad ſe reducitur, tamen inſtaurativum, quale eſt ▽e cinamom. optimè & ritè ♌latæ, atque ambræ & moſchi animâ imprægnata, præmiſſâ ſic purgatione cum inſigni emolumentô & peculiari Naturæ beneplacitô porrigetur. In hac inſuper theſi Autor addidit quoque in gratiam medicæ praxis Candidatorum prætandata Emetica ritè exhibendi modum, de quô alibi vice non unâ à nobis jam actum fuit.

Ad §. 16.

Scholam Galenicam in curatione febrium nihil prius habere, nihilque frequentiùs præcipere, quàm phlebotomiam, tam verum certumque eſt, ut hoc præſidium tanquam unicum efficaciſſimumque febrilis incendii refrigerium ac veluti alexipharmacum ſolenniter & ubique pronunciare huic diſciplinæ addicti non fuerint veriti. Verùm ſi ex fidiſſimis Naturæ Oraculis tam ratione quàm experientiâ firmiſſimè comprobatis Artis Medicæ fundamenta quis deſumere non renuerit, is protinùs inſtitutum hoc Practicorum & malè feriatam conſuetudinem multò periculo plenam eſſe, & variis difficultatibus ſeu potiùs abſurditatibus ſcatere, vel manu palpabit. Atque hoc ipſum eſt, quod hîc innuit Autor, dum febrem quotidianam ſine ullâ phlebotomiâ, quam periculoſam & nocuam hîc potiùs cenſet, radicitùs curari poſſe ſtatuit, atque in hôc cum Helmontio ut propemodum in omnibus conſentit, quando dicit ac docet, omnem febrem citra V. S. citò, tutò ac perfectè curabilem eſſe, imò ſine eadem feliciùs ſanari

nari poſſe, atque majus periculum damnumque inferre Venæſectionem, quàm ipſam febrem. Diximus autem phlebotomiam tunc periculoſam pernicioſamque eſſe, quod natura noſtra, quæ juxta Hippocratis effatum ſola atque unica eſt omnium morborum, inter quos febres primatum tenent, medicatrix, impenſè tam turbetur ac debilitetur, quàm ſpiritus vitales ac influentes valdoperè ſic diminuantur atque exhauriantur, quorum tamen robore, & copia morbus potiſſimum curari, & materia peccans debellari, evinci, propellique debet. Sed quomodo vitalibus armis, quorum beneficiô Archeus præcipuè omni peregrinorum & vitioſorum recrementorum hoſtilitati reſiſtit, per V. S. ſubtractis imminutisque, imò non rarò fractis hoc effectum dari poſſit; quilibet ad rationis lancem perpendat. Ideoque V.S. juxta Helmontium rectè tunc laniena liquefactiva ac conſumtiva, vel ſanguinis tanquam optimi vitæ theſauri rapina appellitatur, & illi qui perperam Venæſectiones imponunt atque commendant, è miſerorum cruore vivere non abſonâ phraſi dicuntur. Robur enim vitale revera eſt in ſanguine, quod in morborum curationibus potiùs multiplicandum eſt ac confortandum, quàm temerè conſternandum: Niſi enim Natura noſtra valeat, niſique ea medicaminum vires efficiat activas & efficaces, atque niſi Medicus in morbi curatione habeat Naturam cooperantem, remediis ſuis, quæ præſcripſit aut exhibuit, licet probatiſſima alioquin & præſtantiſſima ſint, nihil planè proficiet, ſed omnia incaſſum porriget, & oleum operamque omnimodè in hujusmodi curatione perdet: Unde etiam videmus, quod proſtratâ Naturâ & dejectis per damnatam in febribus V.S. (quæ de calore nativô multum ſemper furatur) viribus, ipſa etiam purgantia & Emetica, etiamſi ſint magnifica & validiſſima, penitùs nihil operentur, quod Archeus ad incitas ſic redactus præſidiis hiſce ampliùs ad expugnandum & propulſandum hoſtem ſuum uti, & medicamenta iſta, velut in moribundis fit, ad actum deducere non valeat. Deinde etiam hôc nomine V.S. in febribus non tam inutilis quàm damnoſa eſt, quod imbecillitas ventriculi, depravata digeſtio ſeu coctio, item nauſea & inappetentia familiariter febres comitari ſoleant; ſed omnes Practici, etiam illi, qui doctrinæ Galenicæ vota ſua unicè nuncuparunt, cavendum eſſe dictitant, ne infirmo exiſtente ventriculô & dejectô appetitu præſente Vena ſecetur, quia infirmitas illa hinc magis magisque exhauſtis nempè cum ſanguine ſpiritibus vitalibus (à quibus partium vigor dependet.) ita ingraveſcit, ut non tantùm majores exinde oriantur & colligantur cruditates, tanquam præſentiſſima febrilis foci fomenta, verùm ipſa etiam poſtmodum medicamenta antifebrilia & alia, quæ in hoc caſu ceu ſingulariter proficua commendantur, à proſtratô ventriculi tonô decenter diſponi, & ad exoptatam debitamque operationis ſuæ activitatem perduci non queunt. Tandem & cumprimis V. S. in febribus fugienda & abominanda eſt, quod evacuatô ſanguine

guine ad depleta hinc vaſa per magnetiſmum Archei arripiantur & vehementer attrahantur impuritates excrementitiæ quævis & cumprimis illæ, quæ fomitem febrilem in ſe comprehendunt,& circa primas vias adhuc ſtabulantur, adeoque ſic illæ ad habitum corporis & penitiora ejus antra deducantur, unde poſtmodum febres periculoſiores & graviores fieri, vel ad minimum eas curandi difficultas atque tarditas præpoſteram hanc commendatæ phlebotomiæ audaciam compenſare ſolet. Sed de hoc V.S. inſigni abuſu plura jam ſuperiùs nos monuiſſe in mentem venit, quæ hic commodiſſimè pariter applicari poterunt.

Ad §. 18.

Curandæ febri quotidianæ colophonem addunt ſudorifica, quorum, præſertim autem hîc denuò commendati ſudorifici maximi ſeu ♃is bezoardici præconia recantare ſuperſedemus, cùm hactenus à nobis id factum fuerit plus quàm abundè. Certiſſimum autem eſt, ex habitu corporis & penitioribus ejusdem receſſibus meatibusque, in quos quisquiliæ & effluvia febrilia ſe inſinuarunt, atque purpureum ſanguinis nectar inquinarunt, beneficiô ſudorificorum eorumque excellentiorum, quorum catalogus nobis hactenus ſatis ſatisque innotuit, rudera hæc febrilia, ut ſic loquar, penitùs demum præmiſſis tamen ſupra laudatis evacuantibus attenuari, reſolvi, ac diſcutiendo repurgari, adeoque curationem febris bonâ fide ſic abſolvi, ita ut nullum amplius recidivæ pertimeſcendum ſit periculum.

CAPUT LXVII.

De
Febre tertiana ejusque curâ.

§. I.

FEbris tertiana eâ ratione dicitur tertiana, quod tertiô quoque redeat die ejusdem paroxyſmus. Aſſerunt Galenici febrem hanc ex bilioſô humore putreſcente in ventriculo vel meſenteriô ortum habere: Aſt quod de pituitâ diximus, idem de bilioſô humore adjicere poſſumus, quum in corpore humano non detur talis humor: Nam ſi alioquod in corpore flavum & amarum reperiatur, non eſt bilioſus humor, ſed eſt ſcoria & recrementum chyli, qui dum ab inteſtino percolatur in venis meſaraicis, relinquit in inteſtinis potiſſimum craſſioribus flavum & amarum quiddam, quod excrementa craſſiora flavo colore tingit, ac poſteà unà cum iis evacuatur.

§. 2. Quod

§. 2. Quod verò ſubtile ac tenue eſt, cum ſerô ſanguinis tranſit, & tandem per renes in veſicam unà cum urinis excernitur: Atque hoc tingit urinas colore flavô, & tamen urinæ non amareſcunt, quod amaror illius ſcoriæ beneficiô ⊖is ⊡æ, quod ibi prævalet, miteſcat nec appareat: ſi verò illa ſcoria ac recrementum chyli in inteſtinis remaneat, tranſit aliquando in ipſas venas meſaraicas, ipſasque obſtruit; aliquando etiam in hepar ipſum ſe inſignat, atque tincturâ ſuâ illud inficit, unde icterus provenit; ſi verò magnâ & inſigni putredine corrumpatur, febris continua hinc oritur: ſi in ventriculo aut meſenteriô ac inteſtinis minimam concipiat putredinem, tertiana febris ortum hinc habet. Nam in quacunque corporis parte ſi recrementa digeſtionis copioſa retineantur & putredine corrumpantur inſigni, magnum Archeo noſtro faceſſunt negotium, eumque ſummoperè & ita irritant, ut continua ejus excandeſcentia hinc ſuccedat, donec recrementa iſta foras expulſaverit: Tunc enim quieſcit Archeus ac febris ceſſat.

§. 3. Hinc horrores, rigores, tremores, ſudores & reliqua ſymptomata conſimilia, quæ febres omnes concomitari ſolent, ſunt ab Archeo noſtro, qui omnia hæc ad devincendum expellendumque hoſtem ſuum excitat, atque ab his motibus non ceſſat, donec hoſtem ſuum vicerit.

§. 4. Febris igitur tertiana eſt ab excrementô digeſtionis ventriculi, quod à ventriculô ſæpius in meſenterium tranſit, & ibi pariter ac in ventriculo ponens ſedem ſuam putreſcit, ſecundùmque gradum putredinis febrem continuam accendit, vel duplicem tertianam vel ſimplicem.

§. 5. Febris tertiana ſimplex definiri poteſt excandeſcentia & irritatio Archei ab excremento amarô & flavo digeſtionis ventriculi orta, quæ tertiô die redire ſolet, quòd Archeus noſter dum pugnavit contra hoſtem, à pugnâ unô die integrô quieſcat, ut reparet ac refocillet vires in pugnâ deperditas. Vel quod recrementum expugnandum unô integrô die copiam ſuam adeò accerſat, ut iterum potens ſit ad aggrediendum Archeum noſtrum, eumque ad pugnam irritandum: Ideoque tertio quovis die febris tertianæ paroxyſmus redit; Nam recrementum illud ſuprà dictum digeſtionis ventriculi non eſt omninò & radicitùs extirpatum ac devictum, aliâs ſi penitùs ab Archeo devictum ſuperatumque eſſet, non ampliùs rediret febris tanquam omninò curata: Aſt tamdiu tertio die ea redit, donec penitùs ſuperetur.

§. 6. Quando igitur febris per integrum diem ceſſat, evidens & clariſſimum ſignum eſt, recrementum illud paucum & in paucâ quantitate remanere, adeò ut non ſit capax & potens irritare Archeum, quò febris continuetur: Vel ſignum eſt Archeum in pugnâ defatigatum eſſe, adeò & ceſſare à pugnâ conatur, donec vires ſuas collegerit & repararit; tunc temporis enim redit

dit pugna,atque iterum incipit excandeſcentia & irritatio Archei,donec tandem hoſtem ſuum omnimodè is vicerit. Et hæc dicta ſunt de febre tertianâ, quæ veriſſima ſunt,& talia à Medicis omnibus deprehendentur. Si autem falſa hæc eſſent,ejus certè cura eaque tutiſſima & veriſſima non ſequeretur. Nam curatio hujus febris certa præſupponit ejus certam notitiam;Ignoti autem non datur curatio morbi.

§. 7. Curatur tertiana tutiſſimè & jucundiſſimè , ſi cauſa ejus materialis & occaſionalis ex partibus expurgetur,in quibus ea ſtagnari ſolet. Evacuatur autem iſtud excrementum ex partibus,in quibus reſidet,potiſſimùm vomitu ac ſudoribus potenter elicitis. Scilicet vomitu præſertim ab omnibus ſuæ digeſtionis purgatur excrementis ventriculus ; unde & ſolô vomitu certiſſimè curatur febris quotidiana & tertiana,quod cauſa materialis harum febrium ſic expellatur: Ideoque etiam per ſe ab ipſâ Naturâ & ab Archeo ſanitatis noſtræ œconomo hæ febres ſolo vomitu curantur,quando is excitat copioſos vomitus,atque ſic excrementa illa amara, flava & viridia ex ventriculô rejicit , modò poſteà roboretur ventriculus & ejus coctio,quod multi conſecuti ſunt potu Vini optimi & meri,alii verò ▽â cinamomi. Vomitus igitur excitandi ſunt in curâ tertianæ,quod tutiſſimè fit pulvere emetico vel croco metallorum ad gr. 6.aut 8. dato cum conſerv.viol.& tribus ſubſequentibus diebus ſummo mane duabus aut tribus horis ante paroxyſmum vomitus Medicamentis hiſce exhibitis provocandus; à tali verò triduanâ purgatione roborandus ventriculus, aſſumtâ anre paſtum ▽â cinamom. vel Vino Hippocratico.

§. 8. Deinde ſufficienti in quantitate ſudorifica propinanda ſunt ; ſudorificum autem Carollor. & Margaritar. aut ſudorificum ♃is ſummum eſt arcanum in curandâ tertianâ,quæ ſumuntur à ℈j ad ʒß in ▽ulmar.& card.benedict. & ab aſſumtione horum ſudorificorum æger in lecto collocatur optimè coopertus,ſudorque omni arte elicitur per 6.aut 8.dies ſummo mane jejuno ventriculo iteratâ ſudorificorum doſi.

§. 9. Sudorificum Corallor. & Margarit. ſic præparatur ℞ Corallor. optim. Margarit.& ☿ crud.æqualem quantitatem , ⊖is ⦶ri optimi ad pondus omnium,miſc.hæc omnia quàm optimè,& in vaſe teſtaceo fictili ac forti admoto △e comburantur,deinde igniantur per 3. horas in fortiſſimo △e, ultimò in ▽â communi bulliant,ut priventur ⦶ro combuſto : Pulvis ille quàm optimè edulcoretur & ſiccetur,tandemque rurſus calcinetur,addito tantundem ⦶ri,poſteaque edulcoretur ▽â communi,ſiccetur , & reponatur ad uſum. Doſis ejus eſt ʒß ad ʒj in ▽ card. benedict.atque ſic curantur febres tertianæ omnes ſudorifico hoc præparato,utpote quod corpus totum perfectiſſimè emundat , ab excrementis liberat , atque ſic excandeſcentiam Archei ceſſare omnique ex parte qui-

quieſcere facit, quàm is in corpore nihil, quod ipſi contrarium ac inimicum ſit, amplius inveniat. Et hæc veriſſima atque abſoluta tertianarum febrium cura eſt.

Animadverſiones

Ad §. 1.

POtiſſimam atque præcipuam febrium intermittentium diviſionem à diſtantia paroxyſmorum (non enim omnes febres unum idemque intermiſſionis aut receſſus ſpatium obſervant) deſumtam eſſe in quotidianam, tertianam ac quartanam, tam undique notum eſt, quàm quod tritiſſimum Practicisque cunctis indubitatiſſimum. Cùm itaque naturam & originem quotidianæ jam conſideraverimus, ad febrem tertianam, quam Paracelſus triduanam dixit, quæ reliquis febrium ſpeciebus revera frequentior eſt, nunc nobis progrediendum perſentiſcimus. Hæc itaque febris epitheti iſtius obtinuit titulum, non propterea, quod integram trium dierum diſtantiam aut triduanam quietem ſed inducias ea habeat ac requirat, ſed quod incluſivè ab illô die, quo invadit unus paroxyſmus, dehinc tertio alter paroxyſmus recurrat; adeoque ſingulo tertiô die invaſione nova affligit ægrum. Vulgò, quod inſimul hic monendum eſt, diſtinguitur febris in exquiſitam & notham: Illa quavis acceſſione cum rigoris vehementia incipit, cui in incremento paroxyſmi ſuccedit acris & mordax totius corporis æſtus, ita ut illud pungi ac velut ulcerari videatur; diutiùs etiam non durat, quàm per 12. horas, interdum verò paroxyſmus quarta vel ſeptima hora abſolvitur (hunc autem paroxyſmi terminum poſteà ſequitur perfecta intermiſſio.) atque inſuper ſeptem judicari curcuitibus ſolet. Prætereà & hoc notandum eſt, quod primus paroxyſmus ſit levior, alter quodam modo fortior, tertius multò vehementior, & quartus omnium vehementiſſimus, poſt quem vehementia paroxyſmorum paulatim ſed conſpicuè remittit, atque eodem paſſus decreſcit, quo increverat anteà. In tertiana ſpuria tam frigus quàm calor (qui minus pungens in ea eſt) remiſſiùs mitiuſque dominium quidem exercent, acceſſiones ejus tamen diutiùs durant, & ſupra 12. horas imò non rarò ad 18. vel 20. etiam extenduntur, ſicuti pariter recurſiones ſuas nullo ordine habito atque incerto planè tempore talis tertiana celebrat, & nunquam ſeptimo, raró autem decimo quarto circuitu terminatur & evaneſcit. Cœterum in primordio hujus Capitis ſtatim redintegrat Autor controverſiam illam ac pugnam, qua illam humorum evertere quaternionem à Dogmaticis ſolemniter receptam denuò intendit: Et ſicut in præcedente Capite vanitatem

pituita eo ſcilicet modo & ſignificatu acceptæ, quo Galenici eam definiunt ac defendunt, oſtendit; ita hîc bilis pariter eôdem modo ac ſenſu, ut ſcholis conſuetum eſt, ſumtæ nugas revellere iterum conatur. Verùm quoniam ad ſuprà, nempe Cap. XXXVIII. item XLIV. & alibi etiam traditas adnotationes de hac controverſia & Autoris aſſerto facile & vel ſingula, quæ ad febris tertianæ cauſam materialem ſpectant, accommodari poſſunt, repetitionis quoque negotium non immerito hîc omittimus. Eſt tamen ut tribus ſaltim repetam, illa ſic dicta bilis in ventriculo vel circa meſenterium deliteſcens, & tertianæ occaſionem præbens, nihil aliud, quàm tenue liquidumque ſed valde 🜍reum tamen ventriculi & inteſtinorum tenuium vel potius chyli recrementum, per certum corruptionis gradum ad flavedinem & amarorem perductum, quod plerumque cruditatibus vel ob ventriculi imbecillitatem, vel ob commiſſum circa diætam errorem progenitis collectiſque ſcaturiginem ſuam debet.

Ad §. 2.

Hoc ipſum igitur chyli flavum amarumque recrementum ſi valde copioſum ſit ac intra ventriculi tenuiumque inteſtinorum carceres p. n. ac diutius retineatur, nec non putreſcere paulatim hinc incipiat (ſi enim graviorem conceperit corruptionem continua febris exinde oritur.) ut tertianam parere ſolet, ita etiam ſi juſto decentique tempore tranſeat id, quod tenuius eſt, cum ſero ad ſanguinis vaſa, & hinc ſic diſponente Natura à renibus emulgeatur, atque in veſicam urinariam deferatur, prout tota die id contingere videmus, & naturaliter etiam fieri debet, tunc urina exinde tam in hoc ſaccato emunctorio colligitur, quam inſimul flavedinis colore (ubi tamen ⊖ minime excludimus.) tingitur. Aſt cum ita ſe res habeat, & urina flavam tincturam hinc quoque accipiat, flavum autem liquamen iſtud ſit amarum, quæritur non immerito, qui fiat, quod urinæ, licet etiam ſaturatiſſimè flaveſcant, veluti ictericorum urinæ eſſe ſolent, amaro ſapore penitus deſtituantur. Reſpondemus cum Autore Artis ſpagyricæ fundamento freti, quod ⊖ſedini hoc unicè imputandum ſit, cujus beneficio omnis acor & amarities non tantum miteſcere, verùm etiam penitus evaneſcere ſolet: ſed Urina, ut notum eſt, valdopere ſalſa (hæc autem ſalſugo à tot digeſtionibus coctionibuſque ſequeſtrata hîc concurrit) exiſtit, & hinc ad poſite perquam vocatur microcoſmi lixivium, aut, ut aliis ludere placet, quoddam veluti mare, quod alioquin macrocoſmi mirabile lixivium comprehendit, Salia autem præſertim fixa ſive alkalia obtinere vigorem ac virtutem acida & amara, quorum origo potiſſimum à corruptione dependet, citò emendandi atque immutandi, omnium rerum fidiſſima magiſtra confirmare experientia nullo non tempore poterit. Hinc certitudo energiæ etiam, quam ⊖ia poſſident,

in

in promtu eſt, qua corruptiones & putredines rerum efficaciter arcere, vel à corruptela præſervare ac vindicare valent, ut taceam, ⊖urinæ peculiarem mundificandi & putredinem fortiter compeſcendi valentiam habere; unde ipſa urina etiam cruda tanquam præſentiſſimum in peſte ac virulentia ejus labe ſeu tabe præſervativum laudari ſolet. Data occaſione Autor hîc icteri ejuſque cauſæ mentionem quoque iterat, circa quam tamen ſuprà jam ſatis inſtructi ſumus.

Ad §. 3.

Cauſam tertianæ febris febriliumque ſymptomatum præcipuam & efficientem expoſita ſic materiali ſeu occaſionali hic producit Noſter, atque eam nihil aliud eſſe, quam Archeum (quem albi ſæpiusque ſpiritum vitæ ſalutavit.) irritatum atque impetuoſè contra materiam vitioſam luctantem ſtatuit. Multis quidem ludibrio eſt magnificum hoc Archei nomen, quod tamen ſpiritui vitæ non ſine inſigni rationis pondere impoſitum eſt. Sed quam per hunc ipſum riſum ac contemtum nobiliſſimi hujus fundamenti ipſimet prædant inertiam ſuam atque ignaviam Naturæ ſinum aperiendi, & in ſacrarium ejuſdem profundius ſe penetrandi, quilibet ſtatim cognoſcet, floſculos illos ex amœniſſimis Hermeticorum viretis depromtos libare & ſedulo accuratoque mentis oculo intueri non faſtidiet. Quid ergo quæris eſt ille Archeus? Nihil ſane eſt aliud, quam cauſa efficiens interna, quæ oportunius ſubtiliusque faber & generationem actionumque omnium inſitus Vulcanus, h.e. Archeus nuncupatur. Eſt, inquam, moderator internus vitaliſque & generationis architectus ac rector, cuncta ad finem ſcopumque ſuum dirigens, prout omne, quod naturale eſt ſuorum motuum actionumque in ſe comprehendit ſpirituale initium & excitatorem, quo titulo Archeus quam rectiſſimè inſignitur. Atque ut clariùs dicam, Archeus eſt nihil aliud, quàm ſpiritus vitæ, ſine quo ut nullum creatum eſt corpus, & quælibet res vitalem ſpiritum habet, ita etiam hominem cum primis hoc theſauro munitum veneramur. Seiſcitaris igitur ulterius, quid ſit ſpiritus vitæ? Reſpondemus, eſſe ſubtiliſſimam, delicatiſſimam & planè cœleſtem ſubſtantiam auræ tenuiſſimæ perſimilem, imo ipſius Creatoris (ecce benedictam ejus originem, inſpiravit enim Deus homini almum hoc vitæ ſpiraculum.) & Natura veram exiſtere virtutem, quæ alioquin in ſcholis calidum nativum & humidum primigenium rectiſſimè vocitatur. Singularem verò hujus ſpiritus vim & poteſtatem ut nihilominus abundè cognovit Hippocrates, dum τό θεῖον hic ſubeſſe aſſeruit, ita Philoſophi Hermetici præſertim de eo eleganter ſentiunt, quando radicem & fontem eum adpellant, à quo dimanant actiones omnes. Unicus omnino & reipſa eſt ſpiritus vitæ (h. e. vita ipſa, quæ nihil aliud eſt, quam ſpiritualis eſſentia.) qui virtus eſt unica per totum cor-

pus diffuſa, ex qua omnia membra vigent ac vivunt. Eſt caloris & facultatum ſedes ac vinculum, eſtque primum & primarium obeundæ cujuſvis functionis inſtrumentum, à quo omnis cujuſcunque rei virtus & energia dependet: Hic ſpiritus eſt omnium rerum opifex, adeoque potiſſima & princeps ſanitatis ac morborum omnium cauſa: ſpiritus iſte eſt omnium rerum corporalium vitale balſamum (qui hoc balſamum & ⊖em Naturæ fraterna & conſanguinea neceſſitudine invicẽ convenire ac conſpirare ex fundamento cognoſcit, is ad magnalia ſeu myſteria Naturæ & notitiam omnium ſeminũ ſeminaliũ proprietatũ exoptatum poſſidet aditum.) necnon cœleſtis ac inviſibilis △, hîc tamen △ ſine pari eſt, & modo △ frigidus ſeu frigus △eum, modo △ liquidus ſeu liquor △neus dicitur.) ejus medio conſervantur, generantur ac renovantur curata, & quæ ſunt conſimilia eulogiorum ornamenta, quibus veri Philoſophi aſtralem hunc magnetem honorant, utpote cujus beneficio aſtrales virtutes (ecce benedictum hujus ſpiritus ſive Archei cibum; ſpiritum enim mundi & univerſis intelligo.) ad rerum conſervationes, generationes, vegetationes, auctiones & renovationes ſub vehiculo aeris, qui proinde non immerito vitæ pretioſiſſimum pabulum continere & advehere dicitur, mirificè attrahit. His itaque ex fonte & lumine Naturæ præmiſſis, facilè quivis perſpicere & ratiocinari poterit, quomodo Archeus perturbatione commotus irregulariter agens & male ſe habens h. e. iratus irritatusque quando in hac vel illa parte materiam peccante & excrementitiam deprehendit, quæ nunquam non huic facultati vitali inſidioſa, exitioſa & oneroſa eſt, febrem ſeu morbum aliquem efficere queat. Sed hujus negotii deductionem albi perſpicuè ſatis ac toties jam dedimus, ſicuti etiam ſymptomatum iſtorum hiſtoria hactenus ſatis nobis innotuit.

Ad §. 4. & 5.

Non tantum hîc ab Autore ruminatur, quod modo dictum eſt; verum is nobis quoque putredinis gradus conſiderandus ulterius inſinuat, juxta quos febris indoles medienda venit; Quo putredo enim gravior aut mitior, eò etiam vehementior febris nimirum aut mitior, continua aut intermittens hinc naſcitur. Prætereà quoque meminit hîc loci febris tertianæ duplicis, quæ certiſſima febris nothæ ſoboles eſt, & à quotidiana vix differt (unde eadem curandi ratio hîc etiam attendenda eſt.) nec non tertianæ ſimplicis, quæ cum exquiſita planè eadem eſt, & de qua hîc loquitur atque agit pariter Autor. Hæc autem febris tertiana ſimplex itidem ab Autore cauſaliter definitur, prout hanc morbos definiendi rationem hactenus eum in finem obſervavit, ut inſpecta ea medendi ſcopus ac media in promtu confeſtim Practico eſſe queant. Cœterum ut paroxyſmi ſingulo tertio die receſſus ejuſque ratio jam nobis perſpecta eſt, ita cum primis

primis ſi fermentationis ſpeculum, quod ſæpius hinc inde porreximus, adhibere non tædeat, clarius longè hoc negotium evadet & indubitatum ferociam ſymptomatum mitigandi ad compeſcendi præſidium inſimul afferet, quàm quod aliunde nobis hoc polliceri valeamus. Quàm primum enim materia peccans fermentationis concipere impetum, hoc eſt Archeus vel ſpiritus vitæ ſeu Natura noſtra in illam irregulari motu agere, & ad hanc pugnam auxiliares caloris naturalis ſpirituum vè vitalium ex reliquis partibus convocare manus inceperit, tunc ſtatim adeſt peroxyſmi febrilis exordium, nempe algor, horor, rigorque tremorque totum corpus, præſertim verò externas ejus partes concutiens atque valdoperè affligens. Poſtquam verò illud Archei irritati certamen contra materiam vitioſam aliquantiſper duravit, & fermentatio illa impetuoſa incrementum ac vigorem beneficio tunc concentrati caloris nacta fuit, tunc non tantum calor ille naturalis ac ſpiritus vitales, qui ob congreſſum & commixtionem ſpirituum ac fuliginum excrementitiarum vel effluviorum ſpirituoſorum ab impetuoſæ fermentationis vigore ortorum ac emiſſorum (per fermentationem enim quilibet ſuccus, dum calor ſeu ſpiritus ejuſdem inſitus ſic fit activus, evadit ſpirituoſus, atque ſi fermentatio bona & naturalis ſit, & in ſucco laudabili fiat, boni etiam & naturales, jucundi & laudabiles ſpiritus hinc prodeunt; ſin mala, præternaturalis & impetuoſa exiſtat fermentatio, atque impuritates & excrementitiæ humiditates hôc fermento digerantur, tunc & excrementitii & malæ notæ ſpiritus exinde oriuntur) inſigniter turbantur, inordinato motu & confertim per omnia corporis loca feruntur, hinc inde rapiuntur, atque cum confuſione diffunduntur, unde æſtus in febrilis paroxyſmi incremento ac vigore ingens, acris & mordax oritur, qui calor præter naturam ſeu △ is latro & Cacus, Vulcani monſtroſus filius dicitur, quod vigorem Naturæ furto latrocinioque is ſurripiat, & anhelitu ſuo flammivomo corporis non contemnendam calamitatem contrahat, ut febricitantibus notum eſt. Tandem ſi in loco illo, ubi nidus ac fomes febrilis latitat, fermentans materia excrementitia in hac ipſa pugna & Archei irregulari actione fuligines ac miaſmata ſua ſpirituoſa maximam partem exhalaverit, adeoque ſpirituoſo robore, quod anteà per fermentationem ac putrefactionem acceperat, non tantum deſtituta orbataque ſit, verum ejuſdem etiam quantitas conſpicuè imminuta hinc fuerit, tunc torpet rurſum & quieſcit excrementitius humor, nec ſpiritum vitæ amplius laceſſit atque irritat, qui tunc pariter utpote in pugna valdè defatigatus quieſcendi anſam arripit, & melius ſe habere incipit, dum liberè rurſum remoto obſtaculo per membra tranſire & ordinariè actiones ſuas dirigere atque perficere poteſt. Torpore interim & quieſcere diximus materiam peccantem per paroxyſmum imminutam; ubi tamen notandum, caput mortuum hoc fe-

brile in centro ſuo occultum magnetiſſimum comprehendere, cujus beneficio tempore induciarum ac intermiſſionis (ubi pax eſſe videtur, & tamen non eſt pax.) quaſvis impuritates rurſum attrahit, novas copias colligit & ita ſe inſtaurat (præſertim ſi hôc intermiſſionis tempore abutatur patiens, & exceſſus erroreſque in diæta committat, adeoque cruditates de novô cumulet.) ut ſufficiens rurſum ac potens fiat denuò Archeum irritare & ad certaminis vehementiam provocare, unde novus iterum ſuccreſcit paroxyſmus: Quæ acceſſiones die tertio renovatæ (renovatio autem illa eò citius peragitur, quod cineres febriles in primis viis & quaſi in limine ſtabulentur) tamdiu continuantur, quamdiu recrementum hoc vitioſum & febrificum non radicitùs fuerit exſtirpatum ac penitus penitusque ex ventriculô & inteſtinis proſcriptum, veluti jam alibi & ſuperius hoc quoque fideliter monuimus.

Ad §. 6.

Hoc certum eſt, quod quò longius intermiſſionis ſpatium in febre tertianâ contingat, eò clarius etiam hinc concludere licebit, materiam peccantem valde imminutam invalidamque tunc eſſe, adeoque facili negotiô etiam penitus eam exterminari febremque tolli poſſe; ſin verò tempore hôc induciarum inſignis infirmitas nihilominus angat ægrum, nec ſine ærumnâ tunc iſte ſe deprehendat ac ſymptomata quædam perſentiſcat, ſignum eſt luculentiſſimum, Archeum ad magnam & tantam laſſitudinem eſſe deductum, ut magnam peccantem denuo aggredi & irritationem ab illâ factam percipere non valeat: Unde curandi etiam negotium ac intentio difficiliores ſucceſſus accipit, & niſi reparare Archeus vires ſuas queat, ut ad pugnam & reluctationem iterum accingere poſſit, tunc non niſi ſiniſter funeſtusque eventus expectandus eſt, licet hic in febre tertiana ſimplici, quatenus eſt talis & quatenus cum aliis pernicioſis circũſtantiis aut malignitate haud complicata exiſtat, alioquin non ſit pertimeſcendus: Unde etiam factum, ut febris tertiana ſimplex, præſertim quæ intra modicum finitur tempus, quod benè notandum (excluditur enim hîc ea febris, quæ diùtius protrahitur, & proinde ſuſpectiſſima eſt) vulgo medicina potius fuerit ſalutata, quàm morbus: Quapropter & Jtali invidere has tertianas, quas pro ſingulari Naturæ beneficiô exoſculantur, nobis Germanis conſueverunt, quòd hâc ratione quaſi venalem nos obtinere firmiorem poſthac valetudinis proſperitatem ſibi perſuadeant. Atque hoc eatenus verum eſſe poteſt, quatenus eô modo ſanguinis impuritates ſic deflagrantur, obſtructiones viſcerum probè expediuntur & ita totum corpus ventilatur, ut illud à quavis excrementitiâ materiâ tanquam certiſſimo naſcentium futurorumque morborum ſeminariô

pror

prorſus vindicari queat. Sed noſtri ô quidem animô oſcula & amplexus hoſtiles nequaquam ſunt tuti, & proinde nobis quoque nullatenus placent.

Ad §. 7.

Eandem curandi methodum & rationem per Emetica nempe, Confortantia & Sudorifica, hîc laudat Autor, quam antecedente Capite de Quotidianâ inſinuavit, atque nos declaratiunculis ibidem noſtris inſimul ponderavimus, ut proinde nulla penitùs hîc immorandi longiùs neceſſitas urgeat. Circa Emetica tamen adhuc admonendum id reſtat, num duabus vel tribus horis ante paroxyſmum febrilem, ut Autor præcipit, commodè utiliuſque porrigatur Vomitorium, & num tribus diebus non interruptâ ſerie ſe invicem ſubſequentibus illud tutô & citra metum enormis virium jacturæ dari ac iterari poſſit. Quod prius attinet, ibi obſtare videtur illud, quo monemur, ne ignem igni, malum malo, & afflictionem afflictioni addamus: Cum enim mox febricitaturus haud leves ſufferre labores & moleſtias ex paroxyſmô teneatur, præcedentes verò ab aſſumtô Emeticô vomitus plurimum negotii ægro faceſſere eumque debilitare ſoleant, ſuſtinendo pariter paroxyſmo poſteà minùs ſufficiens eſſe poterit. Verùm enim verò, ut leves hæ inſtantiæ ab optimâ medendi ratione nos remorentur & abſterreant, non eſt, ſiquidem per Emeticum & quidem non mite illud ac lene, ſed generoſum ac validum, quod cum virtutis valore operationem ſuam brevi celerique manu exſerere poteſt, materia illa peccans, quæ in eô jam eſt ut fermentum importunum atque mox principium inſtanti paroxyſmo præſtet, oppidò reſolvatur, attenuetur ac reſolutum attenuatumque potenter κάτω καὶ ἄνω propellatur, ut hinc paroxyſmus poſtmodum vel penitùs non inſultare valeat, vel levis exiliſque dumtaxat & vix ſenſibilis ſuccedat, qui viribus tantopere nocere amplius atque eas frangere non poteſt. Et licet non nihil ex hâc purgatione æger defatigatum ſe perſentiſcat, tutus tamen poſteà eſt à paroxyſmi impetu; Imo licet ſemel adhuc paroxyſmus recedat, tamen Archeus à gravamine ſuô maximam partem ſic liberatus eò citius promtiuſque hunc paroxyſmum expedire hoſtemque ſuum ſuperare poterit: Archeus namque vires ſuas ſervat omnino, ſi liberè remotis iis, quæ gravare eum ac impedire valent, per membra tranſire & agere poſſit. Secundò per 3. dies immediatè ſe excipientes hæc vacuandi ſalubritas celebrari tutò poteſt, quòd ſic potiùs confortetur & priſtino vigori ſuæque libertati reſtituatur Archeus, ſi quantocyus auferantur ea, quæ ipſum laceſſunt, aggravant atque affligunt, quàm ut infirmitas (hæc enim ſi adſit, potiùs morbo imputanda eſt) hinc metuenda veniat: Ex fundamentô enim confortare eſt Naturam ab onere & moleſtiâ excrementorum infeſtantium liberare. Nec etiam errabitur, ſi ſingu-

ſingulô biduô potiùs porrigere, ita ut ſemper diurna quies intercedat, Emeticum porrigere quis amet, præſertim ſi circumſtantiæ quædam id ſuadeant jubeantque. Poſt evacuationem iſtam, ut jam novimus, ſtomachi, everſionem confortante aliquo eôque Naturæ noſtræ acceptiſſimô, quale eſt ▽a cinam. Vinum Hippocraticum vel etiam meracum, tollere ſatagit Autor. Sed quid de Vino, quod Autor ad refocillandum ventriculi robur hîc commendat nunc ſtatuendum? Id ſanè vulgò in febribus quàm maximè damnatur ab omnibus propemodum Autoribus, quod generoſè calidum fervido morbo potiùs miro ſit augmento & exacerbationi. Verùm victoria in Vini favorem ſtatim erit, ſi illud poſt celebratas haſce purgationes, quarum beneficiô materia febrifica ſublata eſt, propinandum dicamus: Deinde tam rigoroſi nequaquam ſunt illi in diætâ Medici, qui nobiliora præcipitantia aut excellentia medicamina alia exhibere callent; ſic enim mirificè recreantur defatigati & famelici ſpiritus & præcavetur inſimul, ne reſidua fortè ſcoria febrilis fermentum protinùs concipere valeat. In febribus tamen maliginis, ubi tutò Emetica & purgantia uſurpare non licet, aliter ſe res habet, ſiquidem hîc Vinum reverà ſit toxicum & malignitatis fermentum potiùs ſtupendum quantum exaſperet, niſi fortè ad incitas redacta ſit Natura noſtra, & res alioquin deſperata eſſe videatur: Tunc enim compertum eſt, quandoque Archeum anteà veluti occiſum ita fuiſſe præter omnem ſpem reſuſcitatum, ut poſteà morbum feliciter evincere valuerit.

Ad §. 9. & 10.

Emeticis ſanô utique conſiliô ſubmittuntur ſudorifica eaque præſtabiliora: Cùm enim fuligines & ſpiritus excrementitii à fermenteſcente fomite febrili elevati per totum corpus diffuſi & cum ſpiritibus vitalibus infauſtô abſurdoque ſadalitiô confuſi ſint, nullo aliô præſidiô citiùs rectiusque, quàm ſudorificis, ex habitu corporis & penitioribus ejuſdem receſſibus propelli, ac ſpiritus vitales à moleſtiſſimô hoc excrementorum contuberniô liberare poſſunt. Sudorifici perlati & Corallati (locô perlarum, quæ nimis pretioſæ ſunt, rectiſſimè ſubſtituitur mater earum.) quod nobis hîc commendat Autor, jam in Cap. XXVI. & XXXIII. facta tam mentio, quàm addita etiam præparatio fuit? Itaque animadverſiones noſtræ iſtis locis deſtinctæ conſulantur ac repetantur

CAP.

CAPUT LXVIII.

De *Febre quartana & ejuſdem curâ.*

§. I.

QUartanam febrem curare ignorant Medici vulgares, id quod, nempe ignotam ipſis eſſe eam, exinde etiam arguere poſſumus, quum aſſerant febrem hanc oriri ex humore melancholicô, quem nullo pactô in corpore humanô admittimus: Qui enim reperitur in liene ſanguis, non eſt melancholicus humor ſed verus ſanguis ac liquor alimentitius, qui ad lienem deſertur, ut attenuetur & perficiatur ibidem in verum humorem alimentitium: Unde tot arteriæ lieni ſunt implantatæ, ut copioſus ſpiritus vitalis & turgens, qui hic reſidet, attenuet craſſum hunc humorem, & in verum legitimumque corporis noſtri alimentum mutet.

§. 2. Hinc quum verè non detur in corpore humano melancholicus humor, ſicuti probatu id facilimum eſt, reverâ etiam Quartana ex hoc humore non dependebit. Melancholicus autem humor non reperitur in corpore humanô, id ipſum videlicet conſtituens, quum melancholicus humor nec in ultimâ corporis noſtri reſolutione nec in primâ etiam compoſitione reperiatur. Omnes enim partes & ſingulæ nutriuntur alimentô homegeneô ac ſimilari, dum calore ſuô nativô & Archeo alimentum per venas & canales demandatum & cibos naturales in ſuam ſubſtantiam convertunt, quæ ſimilaris omninò & homogenea eſt, homogeneum pariter alimentum depoſcens. Atque proinde non video, in corpore humanô 4. humores reperiri poſſe cùm omnia ſint ſimilaria & homogenea, ac nutriantur etiam ſimilibus homogeneisque alimentis.

§. 3. Sunt tamen excrementa varia & diſtincta ſecundùm varietatem ac diſtinctionem variarum in corpore humanô digeſtionum, ubi quod ſunt partes, tot etiam ſunt digeſtiones, in quibus omnibus fiunt excrementa ab Archeô expellenda, alioquin, niſi hoc fiat, pariunt morbos: Quicquid enim non expellitur ab Archeo, quod expellendum eſt, id ſtatim illi peregrinum & inimicum evadit; ac proinde bellum Archeo ſtatim indicit, unde poſteà morbus fit: Bellum namque ab excrementis Archeo indictum morbus eſt.

§. 4. Unde in quartanâ febre excrementum, quod producitur in renibus, liene & hypochondriis, materialiter & occaſionaliter quartanam producit.

ducit. Nam harum partium Archeus laceſſitus & irritatus ab excrementis illis, quæ plerumque craſſa, viſcoſa & tenacia ſunt, excandeſcit, & proinde calorem ſuum auget, ut dicta excrementa expellat: Cùm verò ſtatim expellere nequeat propter viſcoſitatem ac tenacitatem ſuam, quam habent tunc à labore ſuô per duos integros dies quieſcit, & quartô demum quoque die hoſtem illudque excrementum aggreditur, donec tandem repetitis iſtis aggreſſionibus, quæ paroxyſmi à Græcis dicuntur, foras expulerit.

§. 5. Sin verò Archeus noſter vitalis excrementa illa, ex quibus producitur Quartana, expellere nequeat, febris hæc evadit incurabilis, ægrotique quartana moriuntur. Sæpè etiam vidi ego quartanam ab ulcere renum productam, quod cùm curari & purulenta ejus materia omninò devinci abſtergique non potuerit, talem febrem peperit, ut ita quartô quovis die Archeus vitalis expellendum hunc hoſtem aggrederetur.

§. 6. Quartô autem id ſolum Archeus tunc aggreditur hoſtem, quod tantô dierum ſpatiô egeat, ut vires in antecedente paroxyſmo deperditas refocillet ac recuperet; Vel quod, ſicut anteà dixi, excrementum illud Archeum ad prælium irritans tunc valdè devictum & adeò deperditum ſit, ut Archeum ampliùs laceſſere nequeat, & prætereà ipſe Archeus etiam delaſſatus à pugnâ tunc ceſſet, donec tandem excrementum illud adhuc penitùs non devictum convocatis copiis viribusque quantitate ſuâ augeatur; poſtmodumque iterum hoſtem ſuum, nempè vitalem ſpiritum aggrediatur, & ſic quartô die febris illa redeat.

§. 7. Si autem magna & copioſa ſunt excrementa in ipſis hypochondriis, adeò, ut ea potentiſſimè Archeus aggrediatur, tunc temporis quartana febris continua oritur, quod Archeus continuò hanc materiam aggrediatur forti & validâ pugnâ, donec vincatur aut vincat.

§. 8. Sunt & aliæ febres, quæ quintô, ſextô ſeptimôque, vel etiam decimô quintô quoque die aut ſingulis menſibus paroxyſmos ſuos repetunt, noſtrumque Archeum aggrediuntur & ipſum irritant. Fit autem hoc excrementis variis, in diverſis noſtri corporis partibus, ex ultimâ alimenti earundem digeſtione productis, quæ dum ſtatô illô ſpatiô ſuâ copiâ Archeum aggredi & ipſum irritare valent, febrem quintanam vel ſextanam aut ſeptimanam vel menſtrualem aut conſimilem excitare poſſunt: De quibus febribus omnibus peculiaria conſcribere Capita haud opus eſt, cùm ad normam & legem quartanarum reduci, ſimilibusque curari remediis queant, veluti mox id clarè manifeſtabimus atque oſtendemus.

§. 9. Difficulter admodum curatur febris quartana, quod curatio ejus ab excrementorum viſcoſorum & tenacium in liene, renibus ab hypochon-

driis

driis contentorum, ibique noſtrum vitalem Archeum laceſſentium irritantiumque evacuatione dependeat, quoniam virtus medicamentorum ex vegetabili regnô depromtorum cathartica ad has partes non, niſi multùm diminuta ac deperdita pervenit, ſiquidem in ventriculo, inteſtinis, venis meſaraicis & hepate illa virtus propter coctionem & alterationem, quam medicamentum iſtud in omnibus illis partibus antequam, ad venas & hypochondria deveniat, ſufferre cogitur, evaneſcit ac perditur: Quocircà raró vel ad minimum tardè his medicamentis ex vegetantium familiâ deſumtis quartana febris curatur.

§. 10. Aſt citiſſimè ac jucundiſſimè per ☿ium ſpagyricè præparatum, præcipitatum rubeum dulcem curatur, qui à Paracelſô propterea nominatur Diaceldateſſon vel Arcanum Corallinum, ut occultet hoc ſecretum & miram, ejus proprietatem ad curandos quoſcunque morbos ac præcipuè chronicos, longos, curatuque difficiles: ſumitur hoc medicamentum ad ʒß cum paucô Vini vel conſerv. violar. aut bugloſſ. pòſt cooperiatur æger in lectô per quàm optimè & ſudet; ſolvitur tunc unà etiam alvus, ſed lentè & admodum pigrè; eſt urinæ & ſudores copioſè eliciuntur.

§. 11. Antimonium etiam catharticum & ſudorificum curat quartanam, & ſumitur vel pulv. emeticus, vel crocus metallorum, vel flores ☿ij ſed ⊖e gemmæ correcti ad gr. viij. cum conſerv. roſar. perque 3. dies doſis iteratur, ſervato Artis regimine & cuſtodiâ. Deinde hiſce transactis tribus diebus porrigitur vel ſudorificum ♃is ad ℈ß, vel ☿ij ad ʒß cum ▽is ſudorificis ulmar. card. benedict. aut ſcabioſ. Itaque æger per 8. dies repetita doſi in lectô optimè coopertus ſic ſudet.

§. 12. Et hac ratione perfectiſſimè Quartana curatur, niſi adſint ulcera, in interioribus viſceribus, quæ niſi curentur, febris quartana tolli non poteſt. In hôc caſu autem valet ſummoperè ſequens Emplaſtrum: ℞. Cer. alb. ℥iv, terebinth. ʒij, gumm. elem. & tacamahac. ſpiritu ♀ri rectificatô diſſolutor. aa ʒiij, ☍ tamariſc. ℥ß, Eſs. ſalv. ʒj, pulv. verbaſc. opt. ℥jß, Croc. ♂, ⊖ armoniac. & ⊖ ♀ri aa ʒj. M. omnia & coquantur in conſiſtentiam Emplaſtri, hoc extendatur ſuper alutam, & applicetur parti dolenti & ſcirrhô affectæ, ſæpiusque utatur inſimul ☿iô dulci rubeo paulò ſuprà laudatô.

Atque ſic etiam febris quartana ab ulcere hujusmodi proveniens, niſi illud valdè profundum inveteratumque ſit, jucundiſſimè curabitur.

Animadverſiones.

Ad §. 1, & 2.

VErſiculus longô mortalium ævo probatus atque decantatiſſimus, eſt:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα ἄλλοτε μήτηρ.

Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca eſt.

Hoc ipſo namque ſignificatur, non omni die, neque quovis tempore benè omne poſſe, ſed iſto benè & ex voto, alio malè ac tædioſè. Quod cùm ita ſe habeat, inquit Favorinus, ut in rebus humanis benè aut malè ſit alternâ vice, hæc biduo medio intervallata febris quantò eſt fortunatior, utpote in quâ eſt *μία μητρυιά, δύο μητέρες*, una noverca, duæ verò matres: Ut enim illud nomen malas, rigidas ſævasque proprietates indicat, matris verò nomen bonas ac benignas habet affectiones, ita hæc alluſio etiam admodum quadrat in quartanâ, ubi dies acceſſionis & paroxyſmi novercalis & ærumnalis, duo verò intermittentes blanditias & benignitatem maternam vel bonitatem materni affectus referunt afferuntque. Ideoque febris quartana incluſivè in diem extenditur quartum, ac propterea in eadem longior, quàm in cœteris eſt periodus. Accuſat autem Medicos vulgares, vulgaribus ſaltim ac vulgò uſitatis minusque præparatis remediis militantes hîc rurſum Autor, quod curare quartanam non valeant, quoniam cauſam ejus veram genuinamque non cognoſcunt: Atque hoc ipſum ſtatim probat ex commento 4. humorum, & ſic quoque humoris melancholici, quos ſcholæ pro eſſentialibus maſſæ ſanguineæ partibus & ſplenem pro officinâ hujus humoris habent, in ſcholis recepto, quod ipſum jam ſæpiùs ac ſuprà inpugnavit, atque figmenti hujus abſurditatem variis argumentis expoſuit Noſter, ſicuti etiam nos pariter, illâ ipſâ occaſione ſuprà in Animadverſionibus, quid de dictâ hâc controverſiâ habendum aut de eâ ſentiendum ſit, & quamnam (nempe vitalem) auctoritatem lienis viſcus obtineat, pro viriti declaravimus: Reverà enim lien ſi benè & naturaliter ſe habeat, non tantùm bonum laudabilemque ſanguinem conficit imò ob arterioſi ſanguinis, qui hîc abundat, vivificantem energiam propemodum perficit, verùm etiam eſt conditorium fermenti, aromatis ac balſami vitalis, quo vegetandæ ſunt atque inſtaurandæ partes ac viſcera facultati naturali inſervientia cuncta, eorumque actiones excitandæ pariter atque roborandæ: Unde etiam non ineptè ſplencordis vicarius, qui mandata ſui principis promtè accipit, & vitales radios ſibi vicinis partibus fideliter diſpenſat, in abdomine reſidens ſalutari poſſet. Quidquid hîc ipſe lien quàm plurimum quoque ad vitalem

lem perpetuò circulandi ſanguinis, cui in itinere fermentum vivificum adſpirat, neceſſitatem conducat, adeoque de magnificâ aureæ Rotæ, quod nomen primario quidem cor ſibi vendicat, ſpartâ non pauca participare videtur.

Ad §. 3.

In genere hîc Autor primitùs loquitur de excrementorum geneſi & diverſitate, quarum hæc cumprimis dependet à diverſitate partium ac digeſtionum, qui in qualibet parte peragi ſolent, Quod enim ſunt partes, tot etiam digeſtiones ac fermenta exiſtunt: Unde Helmontius aſſeruit etiam vel ita potiùs loqui amavit, quod quodilibet membrum ſuum habeat ſtomachum; id quod tamen unicè ratione digeſtionis (hæc autem ſine nativâ ſuâ fermentatione fieri non poteſt.) quam quælibet pars ſingularem habet, in quâ ſemper purum ab impurô & ab eô, quod ad nutritionem ac conſervationem hujus vel illius partis inutile ineptumque eſt, ſeparatur, intelligendum eſt; adeoque & hac ipſâ ratione in quavis digeſtione (vel ulteriori ſanguinis rectificatione ſeu purificatione) aliquod recrementum generatur atque relinquitur. Ut itaque illud, quod purum & naturæ membri nutriendi idoneum exiſtit, aſſimilandum eſt, ita excrementa ab Archeô etiam expelli, & pars ab onere hoc ſqualidô ſeu cadaveroſo liberari debet: Quod niſi fiat, excrementum in hac vel illâ parte retentum ſtatim præternaturale evadit, & exoticam ſeu peregrinam adeoque ſpiritui vitæ inſidioſam exitioſamque naturam induit, atque ſic Naturæ ſeu Archeo noſtro bellum & tumultum indicit, hoc eſt morbus inducit.

Ad §. 4.

De ſede febris quartanæ affectâ hîc ſermo eſt, Autorque ſtatuit excrementum hoc præternaturale ſeu præter naturam retentum depravatumque in renibus, liene ac hypochondriis in quartanâ reſidere ac deprehendi. Verùm hypochondria tanquam πρῶτον πάσχον hîc minus accuratè conſiderari, quilibet ſtatim intelliget, qui ex præceptis anatomicis recordabuntur, quid nempe ſint hypochondria. Mors quidem, ut Helmontius loquitur, & magna calamitas, eſt in hypochondriis; quæ tamen non quatenùs talia hîc attendenda ſunt, ſed quatenus viſcera naturalia eaque obſtructa & corrupta (atque ſic quoque lienem) ſub ſe comprehendunt, & iis videl. domicilium præſtant; regio tamen hypochondriorum tam dextra quàm læva omninò in curatione eſt attendenda, præſertim ubi externorum remediorum uſus convenit; quæ in quartanâ etiam locum habent quàm maximè, teſte Helmontiô, qui ſolis unguentis eandem ſanatam meminit; Veluti mihi etiam unus ex Hermedicis Philoſophis notus eſt, qui tale habet (& ego quoque cum ipſô) contra omnes affectus ſpleneticos

adeoque adverſus quartanam ſingulare & excellentiſſimè magneticum Emplaſtrum, quod hypochondrio ſiniſtro, interpoſitô tamen inter emplaſtrum & cutem linteô nitidô, applicat, atque per integræ noctis ſpatium ibi relinquit, remoto poſtera die hoc emplaſtro ac linteo, hoc totum non ſine inſigni admiratione deprehenditur cruentum, quoniam cutis iterum abluta æquè integra, nec nullâ ratione læſa aut ulcerata conſpicitur, atque antea erat; Adeoque mirum omninò & admiratu dignum eſt, quando ex viſcere & vaſis ibi implantatis ſanguinolentum recrementum tam inſenſibiliter educi queat, nihilominùs hoc veriſſimum eſt, cujus rei oculatus teſtis egomet aliquoties fui. Sed ad ſcopum redimus atque dicimus, lienem ſenſibili teſtimonio ſe quartanæ primarium prodere hoſpitium, renes verò morboſos non niſi exacerbare ac vehementiorem reddere hunc morbum valere, ſicuti etiam obſtructum meſenterium tunc excludendum non eſſe cenſemus, ſed ita tamen ut affectus lien principatum in quartanâ obtineat, utpote ſine quo hæc oriri non poteſt. Deinde cauſam febris quartanæ materialem, quæ hypochondriis & in ſpecie quidem in liene ac renibus obſtructis affectisque ſtabulatur, affirmat eſſe excrementum craſſum, viſcidum ac tenax, adeoque contumaciam ejus accuſat, cujus ratione non tantùm tardior paroxyſmi receſſus ſive longior, quàm in reliquis febribus periodus exiſtit, verum etiam mora ejuſdem diuturnior eſſe ſolet: Quod ipſum ut nos quoque admittimus, ita non deſperamus, clariori adhuc modô vultum & indolem hujus excrementitii humoris, cui vera quartanæ ſcaturigo & eſſentia venit attribuenda, tradi & exponi poſſe. Non morabitur autem nos in præſenti humoris melancholici nomen omnium Dogmaticorum conſenſu comprobatum: Hoc ipſum etenim eatenus retinere non renuemus, ſi per iſtum humorem excrementum præternaturale â certô corruptionis gradu oriundum, puta craſſum acidumq; nobiſcũ intellectum velint Practici. Sed de ſubitò noſtrâ ediſſeremus mentem, quid de hâc materiâ peccante & quartanæ occaſionem præbente propriè ſentiendum ſit. Ergò nos arbitramur Helmontio hîc potiùs adſtipulandum, quando aſſerit, quartanam oriri ex acidô chylô in ſplenem delatô, vel mox adeſſe quartanam, ſi immediate præternaturalis aciditas (quæ ſemper primùm ad corruptionem conſtituit gradum.) chyli in ſplenem deferatur, quemadmodum aliàs etiam novimus & mihi talia conſtant exempla, vel ex ſolô immodicô aceti uſu non paucos quartanâ fuiſſe corruptos: Ideoque ſi ſucci alibilis nempè chyli & per conſequens etiam ſanguinis liquor â naturâ dulci ſpirituoſa & balſamica in acidam, ponticam & auſteram (aceſcit autem chylus non difficulter, ſi debitô tempore non diſpenſetur, ſed præter naturam in ventriculô ac inteſtinis detineatur) tranſierit atque degeneraverit, quartanæ genuina cauſa ſtatim præſtò eſt, modò cumprimis ad officinam ſplenis (quod viſcus alioquin

quin vitale ac fermentale acidum præparat , comprehendit ac ventriculo adſpirat , ut eò melius appetat , ac digeſtivam aſſumtorum fermentationem concoctionemque promoveat adeoque ratione proprietatis ſuæ acida etiam præternaturalia præ reliquis partibus magis avidè attrahit.) devenerit, atque ibi concluſa, ut putreſcere queat, fuerit. Quàm promtè autem acida, quæ ſpirituum laudabilium penuriam indicant, congulentur, & non tantùm terreſtria ſeu 🜍rea, verùm viſcida etiam & tenacia evadant, illis notum eſt, qui mucidam ſubſiſtentiam, quæ in acetô generari ſolet (matrem aceti vocant.) reſpiciunt, & quâ ratione Vina corrumpi hoc eſt vappam primitùs contrahere ac poſtmodum aceſcere, adeoque mucida, tenacia, craſſa & quaſi gravia (wen die Weine ſchwer und zerricht werden / oder ſich dehnen laſſen) fieri ſoleant, reputant. Quibus ſic ſtantibus quid propriè humor ſeu excrementum melancholicum vulgò ſic dictum ſit, quæve cauſa materialis quartanæ exiſtat, nec non quare quartana his proprietatibus ac circumſtantiis, quas paulò antè enarravimus, inſtructa ſit facilè jam & ex aſſe cognoſcere , adeoque tenacitatis, tarditatis & contumaciæ cauſam effari poterimus. Deinde ex prælibatis conjicere vel ſponte etiam licebit, cur quartana habeat duos intermittentes ac feriales dies: Pigrities nimirum & craſſities materiæ morbificæ quando poſt primum vel alium paroxyſmum deferbuit, & frementi impetum depoſuit vel omiſit , tam citò ſe inſtaurare & novi fermenti vires aut robur Archeum denuo laceſſendi concipere non poteſt , ſed longius temporis ſpatium adeoque integri bidui intervallum requirit, ut incrementa nova capeſſere iterumque ſe movendi aptitudinem acquirere, ac de novô ſpiritum vitæ onerare ſeu moleſta ipſi eſſe , atque propterea irritare ſive ad pugnam revocare Archeum , adeoque alium paroxyſmum cauſari valeat. Iterata igitur febris acceſſio ſeu paroxyſmus hac ratione nihil aliud eſt , quàm putrefactionis ſeu putreſcentis peccantisque materiæ aut fomitis febrilis recurrens ac renovata ebullitio , effervescentia, fermentatio ſeu effloreſcentia: Eſtque rurſus excitata Naturæ ira aut furor vel Archei cum materiâ excrementitia iteratum impetuoſumque certamen, quâ de re jam prolixiùs alibi.

Ad §. 5.

Nos potiùs quartanam , licet ex imperitiâ Medici & cauſæ tenacitate ac contumaciâ ea diuturna ac longiſſima ſit (hic enim morbus ad plures menſes ſæpiusque ad annos extenditur.) ſecuram , quatenus nempe quartanam , eſſe ſtatuimus, adeoque in eô ab Autore non ſtamus, quod ægrotus quartanâ, quatenus tali moriatur: Unde Italis id etiam in proverbio eſt , quando dicunt: La quartana non fa ſuonar la campana , hoc eſt quartana febris cauſam emortualis clangoris præbere, vel, ut unô verbô dicam, mortifera eſſe haud ſolet, niſi

cum

cum aliis morbis graviſſimis ſit complicata, aut morbos acutos, ubi jam Natura ad incitas redacta eſt, ſequuta fuerit, vel etiam niſi degeneraverit in hydropem, tabem & ſic porrò: Imò & diſtinguendi ſunt termini lethalitatis ac incurabilitatis; non enim protinus lethiferum eſt, quod incurabile eſt, velutiex Medicinâ Practicâ notiſſimum, & per inſtantiam ſufficienter demonſtrari id poteſt Hiſtoriam quartanæ ab exulceratione renum ortæ quod attinet, hoc ipſum ulcus non tanquam paroxam quartanæ cauſam, ſed tanquam concauſam ſeu adjuvantem vel etiam antecedentem attendendam eſſe exſtimamus, ſiquidem in omni quartanâ primariò affectus debeat eſſe lien, nec ſine ejus vitiô unquam hæc febris pervenire poſſit; unde etiam remedia antiſplenetica ad ſpecifica antiquartia referri ſolent.

Ad §. 6.

Repetit Autor hîc cauſam prolongatæ intermiſſionis, quam partim conſiſtere in laſſitudine Archei, quam ex pugnâ contraxit, partim ex materiæ peccantis facta in paroxyſmô imminutione ac depauperatione, quarum tamen hanc potiùs quod tardiùs ſe recolligere ea poſſit, in quartanâ reſpiciendam paulò antè aſſeveravimus.

Ad §. 7.

Ut quotidiana ac tertiana eſt vel intermittens vel continua, ita & quartana eidem diſtinctioni ſubjecta eſt: Cauſa autem continui iſtius in quartanâ impetus non tantùm copiæ excrementi morbifici, verùm inſigni etiam ejuſdem aciditati adeoque feroci proprietati, quæ propemodum continuo in motu ſeu fermentatione eſt, atque continuò pariter Naturam laceſſit, atque ei moleſtiam aſſiduam infert, adſcribenda veniet, cujus rei uberiorem deductionem in præcedentibus jam adnotavimus: Quod enim de quotidianâ continuâ tunc diximus, pariter tertianæ & quartanæ continuis accommodari poteſt. Denuò tamen repetimus, quod ut quotidiana continua, ita etiam quartana continua à continua ſimplici nihil differat, imò potiùs, ut Hoffmannus ſentit, cum magna abſurditate ſic vocentur: Quod enim continuum eſt, inquit, quartanum vel tertianum eſſe poteſt. Neceſſum igitur eſt nequaquam, ut hæreamus in hôc lutô.

Ad §. 8.

Reliquarum quoque differenriarum, quas in doctrina de febribus Autores attendere, & ratione periodorum eas tertianas vel quartanas, & ſic porrò, facere ſolent, hîc mentionem Autor inſtituit: ſed cùm cura earum juxta cynoſuram quartanæ & ejuſdem tam cognitionis quàm curationis dirigi ac ordinari debeat, non opus eſt, ut harum conſiderationem amplificemus vel prolixè proſequamur.

Ad §. 9.

Ad §. 9.

Difficultatem curandæ quartanæ non immeritò hinc demonſtrat Autor, quod non tantùm cauſa morbifica valdè tenax ac contamax in penitiori corporis receſſu & lienis anfractibus deliteſcat, verùm appropriata etiam remedia atque evacuantia comprimis ex regnô vegetabili deſumpta lienem non attingant, ſed vires eorum in ventriculô ſtatim primisque viis pereant, miteſcant ac dementur vel etiam penitùs per inteſtina proſcribantur. Hinc factum poſtea, dum hic morbus ſprevit hactenùs & vulgò uſitata nec ad gradum morbi adſcendentia medicamenta, ac Medicorum ſpem plerumque fecit irritam, ut proverbiali dicteriô adhuc uſque non ſine maximô Medicæ Artis dedecore pronuncietur, quod nempe exiſtant

Hydrops, Quartana Medicorum ſcandala plana

Verùm utut ex veri remedii penuriâ incurabilis habita ſemper fuerit quartana, tamen eam omninò & infallibiliter ex Arte ac generoſis præſidiis curari poſſe & Autor demonſtrat, & nos quoque id ipſum in rei veritate effectum dari poſſe, feliciter hactenus experti fuimus.

Ad § 10.

De Arcani Corallini (Paracelſus obſcurò & quà natales ſuos incognitô nomine Diaceldateſſon vocat.) nobiliſſima præſtantia nulli quidem dubitamus, quod, ſi ritè ac juxta ſublimioris Chymiæ leges elaboratum ſit, quartanæ pervicaciam oppidò expugnare valeat tamen cùm efficaciæ iſtius periculum in hoc caſu nos ipſi non fecerimus. ejusvis Chymiatri experientiæ id relinquimus atque committimus probandum.

Ad §. 11.

Benedictus autem cumprimis & nobis in Praxi noſtra toties cum feliciſſimô ſucceſſu hoc quoque loco laudatorum Emeticorum probatiſſimus eſt uſus, ita ut aſſerere non dubitemus, in hiſce Emeticis per aliquot vices, prout neceſſitas poſtulaverit, decenter iteratis unicum fermè & indubitatum veriſſimumque citò ac tutò curandæ quartanæ conſiſtere arcanum. Non tantùm enim hoc medicamen virtuoſè & efficaciſſimè ex intimis etiam penetralibus elicit ac educit materiæ peccantis viſciditatem, eam videl. primitùs probè attenuando ac reſolvendo, verùm etiam tam copioſè expurgat, ut aliquoties viderim ac meminerim plus quàm tres menſuras △æ, prout ægroti confitebantur, acidiſſimæ ex unicâ emetici hujus doſi fuiſſe expurgatas; unde non tantum in humoris excrementitii certitudine ſtatim confirmabar; quod non niſi acidus quartanam parere ſoleat, verùm etiam ſedis affectæ principatum in ſplene

eſſe, ſatis ſuperque cognoſcebam, quod patientes inſigne levamentum vel al-
leviationem circa ſiniſtrum hypochondrium ſe perſentiſcere lætarentur. Ego
tamen emetico ♁iali juxta modum Autoris, qui illud pharmacum pro Regibus
ac Principicus ſalutat, parato ſemper uſus fui (nunquam autem metallorum
Croco, cujus tamen magnificæ virtuti proinde nihil detraho.) de quo in ve-
ritate teſtificari poſſum, nunquam id, DEO ſint laudes, in curanda quar-
tana & aliis febribus intermittentibus cunctis ſcopum meum deſeruiſſe. Flo-
ribus ♁ii etiam beneficio 8 (ambo autem invicem ignienda ſunt, & poſtmo-
dum flores iſti ſic præparati à ⊖e rurſus per ▽am ſimplicem liberandi ſunt.)
correctis, alioquin ferox nimis eſſet eorum operatio ſuum tribuimus præco-
nium, cujus tamen fides per experientiam ſtabilienda. Ritè igitur uſurpatis
Emeticis non malè ſubmittitur nobiliorum ſudorificorum uſus, licet nos po-
tiùs præcipitantia noſtra, uti ſunt Potio panchreſta, per admirabilis, nec non
clyſteres etiam præcipitantes noſtri cum liquore virgineo parati, poſtmodum
exoptato utique cum ſucceſſu adhibere hactenus, atque ſic ex ſententia quarta-
næ curam abſolvere conſueverimus. Atque hac ratione & hac curandi me-
thodo ſanguis multo acore inquinatus corruptusque non tantùm ab hoc one-
re ſic promtiſſimè vindicatur, verùm etiam, quod reſtat acoris, per præci-
pitantia tollitur, ita ut ſanguis vel ſponte ſe redintegrare atque de novo ſpiri-
tualeſcere poſſit. Varias & curioſas planè hiſtorias hîc ſpectantes jam addu-
cere inſimul poſſem, verùm has ſuo tempore ex Obſervationibus meis practi-
cis, quas in lucem emittere meditor, luſtrare licebit.

Ad §. 121.

Ex ſcirrho lienis quartanam oriri, nec non ex aliorum viſcerum ulcera-
tione eandem inſigniter exaſperari poſſe, jam paulò antè oſtendimus: Quæ
circumſtantiæ ſi ſimul concurrant, ea remedia præter jam commendata & quar-
tanæ competentia hîc pariter uſurpari poterunt, quæ viſceribus illis affectis
jam ſupra in iis Capitulis, quæ cujusvis viſceris morbos exponunt, convenire
obſervavimus. In Emplaſtro aut hoc ab Autore deſcripto, in quo cumpri-
mis arridet nobis ſolutio gummatum con ſpiritu 🜍ri rectificatiſſimo (ſed ita
tamen, ut cum ſuo oleo adhuc junctus ſit, quippe quod vel ſolum ad ſapi-
endos dolores extra adhibitum miram facultatem habet) facta, nihil addendum
ac monendum deprehendimus, niſi quod hoc ſaltim effari operæ pretium cen-
ſeamus, quod illud virturem probè emolliendi, attenuandi reſolvendi,
maturandi, & dolores viſcerum quàm optimè com-
peſcendi obtineat.

CAP.

CAPUT LXIX.
De
Febre continua ſimplici & ejus cura.

§. I.

FEbres ardentes & continuæ dependent ab iiſdem cauſis occaſionalibus & accidentalibus, ac febres intermittentes; differunt tamen in hoc ſolo, quod cauſa materialis febrium intermittentium ſit pauca, & minori in quantitate Archeum noſtrum vitalem irritet, in febribus autem continuis cauſa materialis in maximâ adſit quantitate, ac proinde Archeum noſtrum potentiſſimè laceſſat, adeò, ut is etiam vehementiſſimè in hoſtem ſuum ſeu materiam hanc occaſionalem, quò expellat eam, excandeſcat.

§. 2. Somnium eſt, materiam febrium intermittentium extra venas & arterias eſſe continuarum verò in ipſis venis arteriisque exiſtere: Non nego quidem, in vaſis ipſis materiam eſſe poſſe, attamen, etſi in iis ſit, febris intermittens hinc pariter oriri poteſt, modò ſit in minori quantitate, & minùs in Archeum agat; ſicuti itidem continuo febris, licet etiam materia extravaſata ſit, modò potens exiſtat ad graviſſimè irritandum Archeum, ut continuo in eam excandeſcat, donec materiam expulerit ac vicerit, ſæpiùs oritur.

§. 3. Quod autem febris continua ſit continua excandeſcentia Archei noſtri vitalis in materiam aliquam peregrinam vitæque inimicam, hinc manifeſtiſſimè colligitur imò clariſſimè manifeſtatur, quod poſt mortem nulla detur febris, quia nullus adeſt ampliùs ſpiritus vitalis, licet tunc copioſiſſima materia ſuppetat ac in corpore remaneat; Hæc enim quum nullum inveniat Archeum ſeu ſpiritum vitalem, quem irritare queat, ut excandeſcat atque inflammetur, ideò nulla etiã poſt mortem oritur febris: ſic pari modô etiam & eandem ob cauſam, nempe ſpiritus vitalis abſentiam poſt mortem nulla datur febris intermittens.

§. 4. Miror ergò, quod in genium Galeni ſatis quidem in multis rebus phyſicis acutum ad corrigendam ſuam febrium definitionem, quam calor præter naturam ex putredine ortus conſtituit, non animadverterit; Cùm putredo poſt mortem ſit copioſior, quàm in ipſâ vitâ, & præterea calor ille præternaturalis tandem poſt mortem ceſſare ſoleat: Unde arguendum ſtatim eſt, calorem illum non dependere ex putredine, ſed ex ſpiritu vitali noſtro, quoniam ceſſante & abſente ſpiritu iſto, ille etiam calor præter naturam unà cum eodem ceſſat & abit.

§. 5. Hinc nulla datur febris ſive ſit intermittens ſive continua, niſi à ſpiritu vitali per cauſas materiales præter naturam in corpore exiſtentes irritatô ac inflammatô: Hæ enim ſi magnæ ſint & potentes, potenter etiam vitalem ſpiritum irritant & febrem continuam inducunt, quod continuò ſpiritum illum irritent. Hæc ipſa autem materia præter naturam eſt excrementum digeſtionis partium: Illud enim futurum partium alimentum digeri & percoqui non poteſt ſine reſiduô aliquô excrementô; quod niſi expellatur, fit Naturæ naturæ & parti, in quâ reſidet, inimicum, cùm ſtatim vitæ noſtræ & Archeo vitali inſidietur, unde neceſſariò ſpiritus excandeſcit & exinde actio morboſa fieri ſolet. Sanè hæ ipſæ rationes cùm ſal luminis habeant & hanc doctrinam certò firmiterque ſtabiliant, non injuriâ miror, cur à Galenicis non comprehendatur, nec ipſi ab erroribus avocentur.

§. 6. Febres continuæ cum dependeant, ut vidimus, ab excrementis maximis copioſisque ex digeſtione alimenti in partibus nutriendis relictis, in excretione etiam & expulſione eorum tota harum febrium curatio tutiſſima reſidebit. Si enim febres intermittentes omnes curentur illâ excrementorum expulſione, febres continuæ etiam ſic curabuntur, quòd ab iiſdem cauſis invicem oriantur, quibus ſublatis earum quoque effectus omnes tolluntur.

§. 7. Miror autem Pariſienſium Medicorum pertinaciam, utpote qui febrium & morborum omnium curationem in ſanguinis miſſione largâ & copioſâ collocant cùm ſæpiſſimè cauſæ morborum & potiſſimùm febrium tam continuarum quàm intermittentium in ſanguine non reſideat: Certum enim eſt, virtutem & proprietatem curandorum morborum omnium in ſanguine collocatam eſſe, quod Archeus vitalis ſanitatis naturæ œconomus & morborum omnium curator in ſanguine reſideat, quô ſublato largaque manu effuſô effunditur etiam unà cum ſanguine ſpiritus vitalis; unde vires ſtatim tolluntur & diffunduntur, atque proinde tota totius corporis natura admodum debilitatur, adeoque etiam curatio morborum omnium, quæ à Naturæ dependet vigore, fruſtranea redditur, ita ut locô illius ſubſequatur mors aut incurabilis morbus.

§. 8. Non ergò ſanguis mittendus, niſi cum ſummâ prudentiâ in plethoricis corporibus & ſanguine turgentibus, quæ Venæſectio nec in febribus continuis & multò minùs in febribus intermittentibus convenit, ſiquidem hæ ſolâ purgatione & ſudoribus copioſè elicitis, adeoque tam ab ipſâ Naturâ quàm ab Arte curentur. Medicamentum purgans, quô ad febres curandas omnes uti ſolemus, eſt ☿ius dulcis, it. ☿ius rubeus præcipitatus & oleô 🜿ri ſpirituque Vini dulcificatus, quæ medicamenta ad perfectiſſimam febrium omnium curam poſtmodum ſudorificum ♃is & ☉is ſubſequi debet; quibus medicamentis ſolis

ſolis omnes partium obſtructiones, & ex iis omnium excrementorum ſaburræ tolluntur: Unde cura febrium omnium tum continuarum intermittentium perfectiſſima & tutiſſima ſuccedit.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

De febre continuâ cum adjectione dictâ, nempe ſimplici hîc agit Autor, cujus partim eſſentiam & originem cognoſcendam exponit; partem etiam, quomodo cura ejus feliciter expediri poſſit: ſimplicem verò ob geminum appellitat reſpectum, videlicet ut illam primò à continuâ ſive quotidianâ aut quartanâ vel tertianâ deſtinguat; deinde ut excludat malignitatem, quæ cum hac febris ſpecie alioquin utplurimum ſe combinare ſolet; Quarum differentiarum tamen hæc potiſſimum attendenda. Naturam febris continuæ ex Cap. LXVI. & ejus animadverſionibus cognitam omninò jam habemus, de quâ diximus, acceſſionem ejus ſine incendiis intermiſſione vel ſine apyrexiâ ad plures protendi dies, ita tamen, ut certis periodis non nunquam aliquantiſper remittat, adeoque ſua exacerbationis, ubi exardeſcentiæ gradus valdoperè intenditur, & remiſſionis, ubi fervoris vehementia non nihil rurſum mitigatur, obſervet tempora. Durat autem hic ipſe per aliquot dies continuatus aut continuò affligens paroxyſmus tamdiu, donec ab exoptata & proſperè perfectèque abſolutâ criſi vel non rarò inſenſibili etiam convaleſcentiâ (quæ certè inſenſibili debetur tranſpirationi.) morbus in totum ſolvatur & evaneſcat. Atque ut intermittentium & continuarum diſcrimen, quod pro more ſuô hîc refricat Autor, tanquam ſatis perſpectum ſtatim facimus miſſum, ita excrementitiæ etiam impuritatis copiam & magnam ejus quantitatem ceu cauſam materialem febris continuæ genuinam lubenter admittimus: Contra hanc enim ſi impenſè irritatus & ad furoris impetum deductus Archeus (eò magis autem exorbitat magisque irritatur & excandeſcit ſpiritus noſter, quò major eſt humoris excrementitii corrupti abundantia.) ſemel pugnare ac impetuoſiſſimô niſû in eandem agere inceperit, hoc eſt ſi tota excrementorum vitioſorum in focô febrili collectorum maſſa morbifici fermenti ferociam contraxerit, atque tota quanta in fermento illo jaceat, hoc eſt ſpiritualeſcat, (quòd ſine congreſſu agẽtis & patientis, vel cauſæ efficientis atque materialis, ſive principii maſculini ac ſubjecti fœminini, ita ut agens in patiens, ſi morbi geneſin conſideremus, ferociter agat, & patiens cum ferociâ reagat atque agenti reſiſtat, veluti omne excrementitium impurumque in agrô Naturæ peregrinum ac vitæ inimi-

cum eſt , fieri non poteſt.) tunc impoſſibile eſt , ut fermenteſcens materia, utpote quæ copioſa eſt,unô vel alterô die defervеſcere ſeu efferveſcentiæ impetum deponere poſſit , ſed aliquot plurimumque dierum requirit ſpatium , quô demum abſolvitur hujus certaminis inter Archeum & excrementum præter naturam retentum atrocia , ſive jam victor evaſerit Archeus, ſive materia peccans ſuccumbente illô ſub mortis vexillô triumphet. Beneficium verò periodicæ iſtius remiſſionis pariter tunc adſcribitur Archeo , qui pauliſper veluti reſpirat & non nihil quieſcit , ut vires ad fortiter redintegrandam pugnam recolligere valeat , prout quod caret alternâ requie , durabile non eſt ; qui ipſe ea non ut ex ſinu Naturæ natus eſt, ita etiam cujus vis rei natura adeoque & Archeus ſeu ſpiritus noſter vitalis hujus regulæ eſt nunquam non obſervantiſſimus. Cauſum quoque ſeu febrem ardentem ad ſtemma febris continuæ non immeritò imo præcipuè referimus , quæ à febre continua ſimplici leviter & eatenus ſaltim differt , quatenus cum magis urgente æſtu illa continuò & ſine effatu dignæ remiſſionis beneficiô affligit , graviorumque pariter ſymptomatum ſatellitiô ſtipata eſſe , in curationis tamen ſcopô cum hac convenire dicitur.

Ad §. 2.

Num tantoperè diſtinctio illa ſit attendenda , dum materiam febrilem vel extravaſatam , vel in vaſis ipſis jam contentam Practici non nulli reſpiciendam putant , vel propterea ambigimus imò dicimus , quod impoſſibile ſit, ut ob perennitatem circulationis ſanguinis materia peccans adhuc extravaſata, hoc eſt circa primarum viarum , ut nos putamus , fores ac porticum ſtabulans atque jam putreſcens, adeoque in aſſiduô ſic conſtituta motu , non etiam ad penitiores corporis receſſus & vaſorum labyrinthos inſimul tranſeat , atque ſic cum ſanguine viſcerum naturalium commiſceatur. Ideoque Autori noſtro potiùs adſtipulamur, qui, ut fiant intermittentes aut continuæ febres, minorem vel majorem humoris peccantis quantitatem potentiamque potiſſimùm requiri atque concernandam eſſe , aſſerit.

Ad §. 3.

Archeum noſtrum ſeu ſpiritum vitæ in febribus imò morbis omnibus efficientis internæ ſeu principalis cauſæ provinciam reverà ſuſtinere, argumentô in oculos incurrente Autor iterum hîc conſolidare ſtudet. Adeoque ab Archeô ſeu ſpiritu vitæ impetum faciente omnem motum ad febres vel morbos alios quoſvis efficiendos fieri exinde probat , quod poſt mortem , ubi Archeus ſeu lumen & aura vitalis è corpore diſceſſit ac illud deſeruit , nullus omninò morbus & nulla unquam generetur febris , utut etiam materia excremen-

crementitia copioſa & inſignis putrilago tunc in cadavere redundet. Ratio eſt in promtu, quia tunc cauſa efficiens interna, nempe ſpiritus vitæ ſeu Archeus, qui τὸ πάντα & omnium actionum ac tranſmutationū generalis promotor aut director in corpore exiſtit, non ampliùs præſtò eſt: Archeus enim omnia in corpore præſtat, & eſt commune principium activum ſeu effectivum, eſtq; radicale ac ſeminale organum, ſine quô nihil fit nihilque peragitur, ſive id ad ſanitatem ac vitam, ſive ad morbum ac mortem faciat, prout Archeus vel decenter & regulariter, vel irregulariter ac impetuoſè agit aut movetur. Adeoque Archeus appetit, attrahit, retinet, coquit ac digerit, aſſimilat, ſeparat & tandem quoque expellit, quæ actiones omnes ſub charactere fermentationis innuuntur, atque oppidò ab iis, qui in luce ampliùs coecutire oculosque clauſos tenere nolunt, deſignantur. Sed hâc ipſâ de re alibi plura jam fuerunt expoſita.

Ad §. 4.

Ita ſanè eſt, ſolâ putredo non facit febrem, ſed quum multiplex putredinis ratio & ſignificatio ſit, limitatio & ſpecialis ejus notatio utique hîc attendenda eſt: Ut verò reliquas putredinis diſtinctiones & gradus hîc prætercam, dico in præſenti ſaltim, quod magna ſit differentia inter illam putredinem, quæ in corpore humanô vivô contingit, & inter eam quæ in cadavere ejus fieri ſolet, quarum illa à ſpiritu vitæ humanô ſeu Archeô vitæ clavum tenente & omnia in macrocoſmô exſequente propterea efficitur, ut præſentibus ac præter naturam collectis impuritatibus, quæ Monarchiæ vitali hoſtiles valdè & inſidioſæ ſunt, impurum & noxium à puro & utili ſucco ſeparari, illudque quantocyus expelli poſſit: Putredo autem in cadavere peragitur à ſpiritu mundi, qui ut viva omnia vitaque adhuc habentia radicem ſuaviſſimè recreat ac conſervat, ſic cadavera, quæ potiſſimum magnetiſmi ſui agens ſic amiſerunt, potenter deſtruit, atque in terram ac cinerem, unde provenerunt, per totalem putredinem corrumpendo convertit. Et quamvis fraterno vinculo ſpiritus vivificus microcoſmi & ſpiritus Univerſi ſint juncti, ac divinam ambo originem habeant; uterque enim eſt ſpiritus altiſſimi, & à DEO tam microcoſmo inſpiratus, quàm macrocoſmo etiam conceſſus, qui ante creationem mundi ferebatur, teſte ſanctâ paginâ, ſupra aquas & ſuper pennas ventorum volavit, unde quoque vera & unica aëris laus & gloria adhuc usque à ſublimioris Philoſophiæ cultoribus ſalutatur: attamen ſpiritus mundi vitale pabulum mixtis non præſtare, nec vitalitatis beneficium ſuppeditare ſolet, ſi ſpiritus hujus vel illius corporis inſitus, qui magnetiſmi ac virtutis balſamicæ in corpore præſes ac œconomus eſt, evanuerit atque in auras abierit: Quantò magis cadaveri humano, quod ſpiritu vitæ ſpecifico, qui in corpo-

corporis humani aulâ à DEO ipſi aſſignatâ reſidens virtutes ſpiritus ſeu animæ mundi ſibi conſanguineas, ut ſic loquar, magneticâ, quâ generoſè pollet, facultate alioquin ad conſervationem corporis ſeu ſedis ſuæ aſſimilare ſolet, deſtituitur, corruptio ſtatim continget (hanc enim DEUS homini ac toti conſequenter Naturæ poſt lapſum per maledictionem impoſuit.) & à ſpiritu mundi, qui ad nutum & voluntatem Domini & Creatoris ſui cuncta exſequitur, eadem expedietur, donec cadaver hominis in pulverem ac terram reverſum fuerit, de quâ ſumtus homo in creatione fuit: Adeoque putredo cadaveris cum eâ, quæ in homine vivô accidere ſolet, minimè confundenda eſt. Ubi igitur mors & ultima corporis deſtructio ſeu annihilatio adeſt, ibi ſemitâ ad mortem, puta morbis planè non opus eſt. Miratur itaque non immeritò Autor, quod Archei ſeu ſpiritus vitalis & ejus poteſtatis autoritatisque præſertim morborum ac febrium notitiam non habuerit Galenus, quem alioquin ab ingeniô in cognitione rerum naturalium ſatis acutô Autor commendat: Ideoque ſtat ſententia adhuc, non tam putredinem in febrium generatione inſpiciendam, quàm illud, quod ex fermentatione putredinis oritur, & quod eam efficere ſolet, de quo utroque hactenus ſatis verborum factum fuit.

Ad §. 5.

Repetit hîc rurſum Autor ea, quæ hactenus plusquàm abundè per ſuas partes perputata fuerunt, ut proinde nihil occurrat, quod monere poſſimus. Dumtaxat & nos miramur cum Autore noſtro vel potiùs ſtupemus, quod ea quæ ex venerabilis Naturæ ſinu deſumta ſunt, & ſal luminis ſplendidiſſimus obtinent eodemque luculenter gaudent, quæve ex Naturæ deſcendunt luce, tam perperam à Magnis etiam & doctiſſimis alioquin Viris, magnâ cum publicæ ſalutis jacturâ & proximi detrimento, imò cum gratioſæ Artis noſtræ manifeſtiſſimo decrementô derideantur, atque ſic filii doctrinæ à vera ſapientiæ viâ abducantur, avertantur, ſeducantur.

Ad §. 6.

Febrium continuarum quoque non ſecùs ac intermittentium curationem in excrementorum hactenus culpatorum tanquam matricis febrilis expulſione conſiſtere, Autor affirmat: Quod ipſum aſſertum tamen eâ conditione concedendum eſt, ſi videlicet in anteceſſum Medicus undique ac bonâ fide certior factus ſit, ſub febre hac continua nullam penitùs malignitatem latere, quæ alioquin inſidioſiſſima ratione ſe abſcondere & primò nullam ſui ſuſpitionem dare ſolet. Tutiori igitur ratione ac via in hujus morbi curatione incedent illi, qui primis diebus uſum Bezoardicorum & Alexipharmacorum (ita tamen ut ad ſudo-

ſudorem patiens nequaquam cogatur, unde jam laudata remedia cum nobilioribus præcipitantibus rectè miſcentur.) imponere ac commendare recordabuntur. Si itaque certò jam conſtet, malignitatis metum adeſſe nullum, primò ad Clyſteres, & poſtmodum ad purgantia atque Emetica ſatis hinc inde decantata acceſſus tutò & fructuoſè fieri poterit. Neque nos auſpicium ardentis ſeu continuæ ſimplicis febris ſtatim ab evacuantibus facimus, ſed priùs præcipitantia & alterantia cum bezoardicis ac confortantibus mixta, item Clyſteres noſtros refrigerantes & præcipitantes præmittere fauſtô cum ſucceſſu conſuevimus.

Ad §. 7. & 8.

Ignoſcant nobis Venæſectionum Patroni, quod hîc quoque & in febris continuæ curatione unà cum Autore noſtro ob ſæpiùs jam dictas & ſuprà allatas cauſas huic præſidio maledicere ac cum vitalis theſauri latrocinio comparare pergamus. Cumprimis verò conſuetudo non tantùm Pariſiis, verùm per totam fermè Galliam à plerisque Medicis ſolemniter recepta damnanda eſt, qua in febribus omnibus ſanguinem confertim extrahere, & in die bis vel ter vel quater venam aperire, atque ſic utplurimum cum ſanguine ipſum vitæ ſpiraculum evacuare, adeoque reverâ è miſerorum cruore, ut Helmontius loquitur, vivere ſolent. Sane qui ex febricitantibus ſic tractatur, in eô felix (proh dolor!) eſt, quod brevi incendio laboret & diu ardere non poſſit, diuque ſimul eſſe nequeat: Aut enim febris ſic curata patientem (quod rarò tamen fit.) deſeret, aut hic illam, quod plerumque contingit. Cœterùm obſervatis iis, quæ anteà monuimus, cura continuæ febris ſimplicis eadem eſt cum illa, quæ intermittentibus debetur, & ſuperius deſtinata fuit, ſicuti etiam ſudorificum ☉ ſeu Bezoardicum ☉are nobis jam cognitum eſt.

CAPUT LXX.

De *Febribus continuis cum maligna qualitate conjunctis ac peſtilentibus earumque curatione.*

§. I.

DAntur febres maculatæ & purpureæ, quæ ad inſtar peſtis per totum orbem graſſari ſolent; Dantur etiam febres caſtrenſes, quæ caſtra depopulantur, ac

peſtilentes ſunt atque contagioſæ, nec ullas maculas in cute habent, ſed lentæ ſunt admodum & cum dolore capitis, cum perpetuâ fermè nauſeâ & appetitu dejectô ægrotantes milites miſerè affligunt. Tunc autem non adeſt febris ardens nec calor ſummis, ſed mitis & propemodum naturalis exiſtit, vires tamen valdè proſtratæ ſunt ac debiles; Lethargici etiam ſunt ægrotantes, & cum ſummô ſopore ſtertunt atque in eadem moriuntur.

§. 2. Hæ febres omnes ſimilesque dependent ab excrementis viſcidis & tenacibus, quæ relinquuntur in ventriculo ac meſenteriô ſæpiusque etiam in cerebrô, unde ſopor aut ſomnus lethargicus: Contagioſæ ac malignæ ſunt, quia excrementa illa ex inſigni ac peculiari putredine ſuſcipiuntur, & malignam peſtilentemque qualitatem inducunt, quæ eſt aura & vapor tenuis, ſpirituoſis ac fracidus, propter quem hæ febres contagioſæ; malignæ ac peſtilentes fiunt.

§. 3. Hic ipſe vapor poſteà florem ſanguinis & tincturam inquinat, tandemque ad cutem evehit & ſublimat, unde maculæ illæ rubeæ, violaceæ ac nigræ in cute adparent, quia ſanguinis Archeus vapores illos tenues, ſpirituoſos, ſanguinem penetrantes ac inficientes ſuâ malignâ qualitate ad cutem amandat unà cum portione ſanguinis infecta, ita ut, ſi multùm infecta ſit, maculæ nigri ſint coloris, ſin minùs, violacei, ſi verò adhuc minùs, rubri ſanguineique evadant coloris.

§. 4. Eſſentia & quidditas harum febrium eſt excandeſcentia Archei vitalis noſtri ab excrementis viſcidis & tenacibus, malignâ, tenui & ſpirituali qualitate præditis facta, cujus ratione ſunt contagioſæ quod ſpirituali ſuâ proprietate ſe diffundant & in alios deriventur.

§. 5. Proveniunt autem potiſſimum hæc excrementa ex depravatis digeſtionibus, quæ originem habent ex depravatâ vivendi conſuetudine ac comeſſatione inſuetâ & extraordinariâ cibisque malè coctis ac nullô ⊖e conditis: Sal enim confert multum ad optimam laudatamq; digeſtionem ventriculi aliarumq; partium: Unde ignorantiam ſuam produnt, qui ægrotis & ſanis ſal prohibent, quoniam ſummoperè ad ſanitatem imò ad vitam longam confert, ſicuti etiam illi, qui nullô aut paucô ⊖e utuntur, breviſſimè vivunt; Chylus namque & ſanguis, qui ex cibis nullô ⊖e conditis producitur, facilè putreſcit, atque in excrementum corruptioni obnoxium abit.

§. 6. Hinc originem habent febres populares & caſtrenſes, quia milites nullô ⊖e condiunt cibos ſuos, & ruſtici quoque propter ⊖is inopiam cibos ſuos paucô ⊖e conditos edunt, hinc poſteà dum laboribus corpus exercent, ſanguis & alimentum ultimum facili viâ abit in corruptionem, atque ſic varii morbi populares ortum ducunt; ſi verò ⊖ copioſum ſubeſſet & largiori manu populo profunderetur, diutiùs is viveret & milites belli labores faciliùs tolerarent

rent ac perdurarent, neque morbis hiſce caſtrenſibus affligerentur; ſiquidem ſanguis & ultimum alimentum, quod ex cibis ⊖e conditis producitur, non ita corruptioni obnoxium eſſet, ut eſt illud, quod ex nullo aut inſipidô ⊖e producitur: ſic panis ⊖e conditus ſalubrior eſt pane inſipidô, & magis ſalutare eſt in omnibus cibis ſal adhibere, quàm nullô uti: ſal enim eſt condimentum ciborum omnium & præſervat à corruptione, omneſque qualitates malignas & peſtilentes arcet. Unde ⫪. ⊖is & ⊖ ipſum tempore peſtis eſt ſummum arcanum.

§. 7. Quocirca febres peſtilentes malignas & contagioſas omnes ⊖ arcet, quod corruptionem inſignem prohibeat, unde etiam curatio harum febrium ab ipſâ præſervatione dependet; Quæ enim præſervant ab illis febribus, eadem etiam has ipſas curant. Præſervant autem ea, quæ à corruptione vindicant: Unde ⊖ primum locum tenet tam in præſervatione, quàm in curatione, atque res alias naturales longè antecellit, cùm corruptionem omnem avellat.

§. 8. Sic ⊖ univerſale ad ſummam perfectionem devectum & ad rubedinem conductum eſt univerſale febrium omnium malignarum & peſtilentium imò cunctorum morborum curativum & præſervativum, cùm omnes morbi, qualeſcunque ſint, materialiter & accidentaliter à corruptione proveniant. Si enim excrementa digeſtionum non corrumpantur, Archeum etiam noſtrum non laceſſunt, ac proinde facili viâ & ſine morbô expelluntur: Non immeritò igitur exclamavit Hermes Philoſophus, in ☉e & ⊖e Naturæ eſſe omnia non ſolùm chymica, verùm etiam, quæ ad vitam naturam ac ſalutem pertinent: Nam ſi Archeus vitæ noſtræ, qui eſt verus noſter ſol & ſal naturale, vigeat beneque valeat, & implantatum radicale noſtrum floreat, non poſſumus, niſi feliciter beateque vivere ac quàm longiſſimè durare: Qui ſcit ergò præparationem illam ⊖is univerſalis, ſummum Naturæ habet arcanum, cujus beneficiô à morbis omnibus vindicatur & diutiſſimè feliciſſimeque vivit. Hoc ergo ſolum eſt potiſſimum febrium omnium præcipuè malignarum & peſtilentium præſervativum ac curativum.

§. 9. Deinde ſubſequitur ſpiritus ⊖is vulgaris, ⊖ Corall. & Margarit. ☿ium morgativum & ſudorificum; ⊖ ♃is & ſpiritus ejus acidus, ſudorificum ♃is & ſudorificum margaritar. corallorumque. Hæc omnia curant febres has malignas & peſtilentes, ab ipſiſque præſervant. Doſis horum medicamentorum eſt à ℈ß ad ℈j. usque ad ʒj. ☿ius etiam dulcis ſpagyricè ſeparatus & diaceldateſſon paracelſi, quod eſt ☿ius rubeus ⫪tatus & dulcificatus oleô 🜖ri ſpirituque vini ſunt ſola ac vera medicamenta cathartica, quibus uti debet Medicus in caſtris, ubi hæ febres malignæ & peſtilentes graſſan-

 tur.

tur. Detur & ſpiritus ⊖is in ▽ commun. & ⊖ ipſum in juſculis cibisque omnibus largius porrigatur. Atque ſic hæ febres curabuntur.

Animadverſiones.

Ad §. 1.

FEbrium malignarum ſpecies jam recenſet Autor, & tam cognitionem earum, quàm curationem dubio ſine propterea tribus paucis expediit, quod cognitô ſuperlativô, quem gradum peſti ſupra prolixè tribuimus, non difficulter poſitivus aut comparativus perſpectus haberi queat. Hac namque ratione febres malignæ, petechiales, purpureæ ac diminutiore nomine peſtilentes ab ipſâ peſte diſcrepant, quod certi diſtinctique pernicies ac contagionis gradus hic obſervari ſoleant. Peſtis enim ut lues impenſè contagioſa, feralis & humano generi ſummè exitialis eſt; ita febres malignæ & peſtilentes, ad quarum claſſem reducuntur etiam caſtrenſes ac populares, peſtis materiam quidem referunt, ſed cum in minori virulentiæ ſuæ diffuſione nec tantâ funerum frequentiâ graſſantur; quandoque tamen ob graviſſimorum ſymptomatum tyrannidem magnamque contagii præſentiam ac multorum ægrorum ſtragem peſtilentiæ & ejus furori vix cedunt febribus hiſce maculatis, quæ parili cum peſte atrocitate ſæviunt, ſubjungit Autor caſtrenſes febres, quæ inſigni malignitatis notâ horrendæ quidem, nullâ tamen virulentiæ ſuæ ſtigmata, maculas ſc. purpureas, vel quaſcunque alias, in cutis ſuperficere edunt, nec æque citò mortis neceſſitatem imponunt, vel etiam tanta caloris vehementiâ affligunt, quin potius dolore capitis torquentis in iis ægrotis, functionesque ſtomachi cum nauſeâ & appetitus dejectione proſtratas habent, usque adeò ut frigidioribus potiſſimum ſymptomatibus obnoxii ſint, lethargumque cum ſummô ſopore in mortem usque experiantur. Specialiter diſtinctos illos morbos maculatos & non maculatos recenſere lubet. Ex harum autem febrium numerô, quæ ſuæ ſc. malignitatis ſpicula in corporis habitu ſignant, conſtanter aliæ purpureô ſe exerunt flore, aliæ non ſemper hoc ipſô virulentiæ efflorescunt indice. Prout intenſiſſimus ille caſtrenſis dolor morbus dictus Ungaricus maculas contingentia habuit ut maximus quondam in Hungariâ Practicus vocavit Rulandus, adjuncta quæque ſæpe abfuerunt. Has ipſas autem maculatas febres purpureas vocat CL. Autor noſter. Triſte hoc purpuræ nomen, quid ſpeciatim portenderit Lipſiæ noſtræ vagientes unà mecum cunæ, quas purpura hæc febris maternâ orbavit pietate, elocutæ ſint, videri poteſt præfa-

præfatio in acutiſſimi ingenii ſcrutinium peſtis magni Kircheri. Notandum tamen eſt purpuræ nomen febribus malignis in univerſum omnibus competere. Deinde petechialis reliquis rubrô colore contradiſtinctæ (aliâs etenim nomen pethechiale peticulare vel puncticulare commune eſt multis aliis, quod proinde rectè Germanicè die Fleckfieber vocamus) ſic vocantur, unde ſuos etiam ducit natales purpureæ febris, quam hic immane quantum graſſatum fuiſſe jam renunciantur (der Frieſel Germanicè vocatur.) Quanquam illa albis etiam ſeſe prodiderit maculis. Morbillorum & variolarum vix atque vix diſtinctæ efflorefcentiæ ſeu maculoſæ eruptiones notiſſimæ ſunt. Conferri tamen poterit ſpecimen meæ pathologiæ animatæ, quod de morbillis agit. Præter has quanquam è peſtilentialium numerô febres diverſis coloris ſeſe prodant exanthematibus, accidit tamen illud tantùm propter diverſos malignitatis gradus, ut in ſeqq. §. innuit Autor noſter. Atque adeò diſtinctè iis agere non æque exigit neceſſitas, hinc ergò ad alterius generis malignas, quæ militum invadunt tentoria ſine tamen caloris exceſſu, quin potius cum frigoris ſævitiâ accedimus. Multa cum his febribus habuit communia memoratus ſuprà Hungaricus morbus, quem proindè abſolutè enim caſtrenſem vocarunt, dolor quippe ventriculi inque ejus confiniô antitypum quoddam ſeu renitentia ac durities eum fuit comitata, inde adverſans nauſeæ motus ſubortus ſub ipſum etiam acceſſionis tempus horror invaſit milites. Atque hâc ſymptomatum larvâ non in caſtris tantùm ſævire maligni moris febres illæ verùm inter urbium etiam incolas populariter graſſatæ ſunt. Ita anno. 1657. Maligna quædam febris in Angliâ intermittentis tertianæ typum ſervans obſervata eſt, & ea quidem rariſſimè in ἀπυρεξιάν ſoluta fuit, quin potius cum frigore ſæviit ac rigore tragædiam inchoavit, finivitque lethargi, delirij ſæpe etiam ſpasmi & motus convulſivi cataſtrophe, ob quam ſymptomatum inſolentiam, quæ ex intermittente in continuum ſæpe mutata fuit, cum certô tamen mortis eventu morbus novus paſſim vocata eſt. Ex iis omnibus clarè jam cognoſci poteſt, quomodò malignæ præter maculatas illas efflorefcentias immani ſæviant æſtu, nec minus intenſo etiam frigore ejusque lethalibus effectibus. De quorum omnium cauſis in ſequentibus decernit Autor noſter.

Ad §. 2.

Febrium quæ cum ſopore ac lethargo ſæviunt, cauſam primùm exponit dicitque excrementa viſcida & tenacia in ventriculo ac meſenterio ſæpius in ipſâ cerebri ſede relicta lethargicas haſce ſuſcitare febres. Atque illa excrementa jam ſuprà explicata dedi, reperiri ibi diximus glacialia, ut eleganter Helmontio audiunt venena, quæ frigidâ ſuâ qualitate infeſtiſſimè ſtuporem ac

torporem ſpiritibus noſtris inferunt. Unde ab obſtupefactivâ hâc infrigidatione figuntur quaſi ſpiritus, ſicque ſuboritur lethargus. Materiam autem præbent viſcida ac tenacia phlegmata, quæ, ut moderni eleganter hoc explicant, glutinoſa laticis ſeu tymphæ omnis corporis ſemitas perfluentis producta ſunt ac veluti cadavera. Hic autem nobiliſſimus humor, cum curas generationis ſuæ habeat intra ſtomachi clauſtra vel meſenterii mempranas iis potiſſimum partibus funeſtum hocce impingit gluten. Neque in cerebrô ei propterea tribuenda ſedes eſt, quod magna illa glandula lethargi cenſeatur ſubjectum, ſed cum ubicunque vitales præſtò ſint ſpiritus, ubique etiam infenſa rigeſcere poſſunt infrigidatione. Sic namque ſtupefactivum illud virus apoplexiæ cauſa, quod vomitu interdum ſalutari rejectum fuit, non in cerebri hæſit anfractuoſis receſſibus, ſed in vitæ limine ſtomacho aut vicinis etiam partibus. Nunc vero videndum, qua ratione frigida hæc excrementa malignitatem induant. Inſignem ac peculiarem putredinem cauſam malignitatis eſſe aſſerit Autor. De hâc quamvis non unô in locô operis hujus ſit actum, pauca tamen adhuc monere lubet. Mucus ſicce laticis, cum jam vitalibus ſpiritibus ſit orbatus, ſpontaneâ diſſolvitur putredine, in quâ tamen ſtupefactivæ ſuæ frigiditatis retinent ideas (neque enim artificialis hæc mixtorum diſſolutio evertit eorundem craſes ſeu ſingulares proprietates) quæ ubi in animatas ſeſe explicant propagines, contagii jamjam ac malignitatis præſto ſunt fomites, ut ex ſuperioribus ſatis ſuperque patet.; rodendo interim illæ immaniſſimas excitant dolorum vehementias, irradiative verò undiquaque diſpergunt ſtupefactivæ ſuæ indolis, æque ac aſpidis ac torpedinis venenum, qualitatis. Adverſus hoſtes hoſce quamprimum collectis viribus aſſurgit archæus Blas ejus alterativum cum calore excitatur, indeque febris, quæ tamen ad ἀπυρεξίαν pervenire, ſicque ſalubriter evenire nequit (febre enim ſolvuntur lethargici affectus) quoniam infenſa illa glacialis veneni præſentia immane quantum obſtat.

Ad §. 3.

Explicata natura & indole harum febrium, quæ ſine maculis aut caloris etiam ſæviunt vehementia purpurearum nunc earundemque ardentiſſimarum naturam explicare aggreditur Autor, dicitque vapores ſpirituoſos ac flacidos ex putreſcente materia evectos florem ſanguinis ac tincturam inquinare. Sed jam alibi ac locis ferè innumeris ulterius hæc explicatæ ſunt, non vapores æque ſed potius atomorum adinſtar vermiculos (hi enim putredinis effectus ſunt) cum ipſô ſanguine lege circulationis in omnes omnino corporis partes ſeſe inſinuare. Per arterias itaque capillares ac cutis ſuperficiem delati mordicando (quam appoſitè itaque lenticulares vel puliculares vocantur maculæ eæ, non

non tantùm quod morſuum pulicum E. g. formam referant, ſed quod ut paulò poſt explicabimus, eodem operationis modo excitentur) ac vellicando inſidum epidermidis ſpiritum ſuſcitant; illa ad furorem adactus ſanguinem allicit, hincque maculatæ illæ exſurgunt puſtulæ majores vel minores pro diverſitate vermiculorum mordentium, eorundemque etiam inſtrumentorum (aliter enim atque aliter formata ſunt eorum roſtra) hincque inflicti vulneris diſparitate. Quod autem maculæ illæ jam ſint nigri coloris, jam violacei, ut plurimum rubri ſanguineique rectè cauſam reddit Autor, quod pro diverſitate infectiones ſanguinis hæ ipſæ variant exanthematum colorationes. Usque adeò ut quo magis accedunt illæ ad naturalem ſanguinis rubedinem eò minor infectio ſit, quo magis autem recedunt ab ea, inque nigredinem, mortis nunciam deflectunt, eò majorem virulentiæ gradum arguant. Hic ſaltim obſervandum proponimus 1: non fictitios humores in febribus hiſce putreſcere ſed ipſam potiſſimum maſſam ſanguinis. 2: Putredinem matrem omnium colorum eſſe ita tamen ut ubi viriditatem præſeferat, inſignem jam monſtret corruptionem; totalem autem indicat intenſior illa viriditas, quam nigredo figurat. Prout itaque putreſcens in febribus ſanguis vel magis vel minus corruptus eſt, ejusdemque habet notas colores, ita deductus eò cum vermibus exanthemata ſeu puſtulas colorat.

Ad §. 4.

Quidditatem tamen ſeu cauſam proximam & immediatam ut loquuntur Dogmatici, harum febrium rectè monet Autor excandeſcentiam eſſe Archei vitalis. Atque hoc eſt, quod toties totiesque toto operis hujus decurſu monuimus, ſpiritum hunc vitalem quemadmodum omnis vitæ ita ex oppoſito omnis etiam morbi autorem eſſe. In archæi hoſpitium omnis recidit morbus, divinum Helmontii effatum eſt. Atque ſic monſtravi jam in antecedenti §. qua ratione efflore'centias illas & exanthemata ſeu puſtulas in cutis ſuperficie excitet, eſtque ſaltim ab accidente, quod hoc loco aliô inficiantur colore. Quod autem febres illæ immaniſſimô ſæviant calore, furor itidem ejus & excandeſcentia in cauſa erit, qua prout aliàs placidè ſeſe ac naturaliter habens blandum naturæ ignem ſuſcitat, ita è contrariô in hac exarthroſi vehementiores cieat æſtus: prout aliàs ſecundum naturæ leges & ex præſcitis finibus omnis vitalis æconomiæ ordinat actiones, ita è contrariô in hac exorbitatione omnes illas actiones diverſimodè turbat immutatque prorſus, unde lethales illæ exiſtunt vitali œconomiæ, utpote quæ tam horribilium ſymptomatum ſtrage horrent. Quemadmodum viri ſignem illum exceſſum caloris ex ſe ſuſcitat archeus, ita non minus eodem Blas alterativo ſævitiem frigoris concipit, conge-

congenereſque edit effectus, ſi à conſimili laceſſetur cauſa occaſionali, quam frigida ac narcotica excrementorum collegia præbere jam antea monuimus.

Ad §. 5. & 6.

Quæ hic ab Autore dicta ſunt de excrementorum illorum corruptione, ea animatæ putredini noſtræ applicari debent. Eſt ita depravata vivendi conſuetudo, qua putreſcentes facilè cibi ingeruntur iisdemque largenter ſuperfunduntur aquoſi potus, qui ipſe magis magisque ad putredinem diſponunt, corporis noſtri digeſtiones vitiant, unde non niſi putrida colliguntur excrementa, quæ eadem afficiunt labe maſſam ſanguinis, quamprimum ad eam perveniunt. Et in caſtris quidem eò procliviores fiunt milites in internam hancce putredinem, quo minus omnium optimo illo condimento Sale condiunt cibos. Ecquid enim notius eſt, quam quod Sal à putredine præſervet. Quod ergo Abysſini populi condiant cibus ſuos affuſâ bile, ut annotat Helmontius, in cauſa eſt, quod bilis lixivioſâ Sale conſtet, unde ſi ei affunditur ſpiritus acidus aliquis, oritur inde efferveſcentiæ indicium antipatheticæ contrarietatis, quæ inter acidum eſt & Alkali. Quàm egregiè itaque, ut incidenter hoc ſaltem moneamus, bilis recentioris naturæ myſtis ſanguinis & epatis balſamus audit. Hinc etiam in putredine fit ipſius Salis diſſolutio, quid enim eſt quod mixti ut vocant Hermetici corporeitatem conſtituit quam Sal, quod in vegetabilibus appoſito nomine dicitur eſſentiale. Sic itaque per putrefactionem mixti compages diſſolvitur, fiunt libera ſalia, ſicque ea fuerint volatilia, in auras abeunt. Hinc namque ut unicum illud addam antiſcorbuticæ plantæ, quæ maximè volatile turgent ſale, in ardentes ſpiritus fermentatione cujus primus veluti gradus putrefactio eſt, recludi nequeunt. Cadaveroſi ergò cibi hoc eſt ſuo ex parte Sale orbati nec omnium optimô illô aromate Sale conditi in digeſtionibus noſtris magis magisque ſubeunt putredinem, calor quippe digeſtionis eſt quaſi putrefactivus, unde antiquitus Eraſiſtratus chyli coctionem in ventriculo vocavit putrefactionem, & quemadmodum quod non niſi ſecretioribus artis noſtræ myſtis cognitum eſſe poteſt, putrefactio fermentalis quædam recluſio eſt, ita diſpoſitiva illa fracedo radiativè verò ex digeſtionibus (ſervatis tamen ſeminum ſemper, vel aliis etiam proprietatibus, hinc namque fructus horarii epidemicam ac malignam ſuſcitant dyſenteriam) maſſam ſanguinis inficit, ut conceptâ putredine lethiferam ubique vermium excludat ſobolem tantæ cauſam ſtragis.

Ad §. 7.

Curationem febrium malignarum, attingit hic Autor noſter optatô cum ſucceſ-

ſucceſſu eam abſolvi, ſi arcanis ex ſale paratis utatur Medicus. Atque hoc eſt, quod ſuprà multoties innuimus, nil quicquam dari, quod effectivè magis verminoſam illam nequitiem mortificet, quam ſal, ſulphur & Mercurium. Subjectum hoc mirabilitatis ſpecificæ ſuæ qualitatis aſtro ac odoretenus omnem illam pullulaginem interficet. Sal prout & ſulphur obſervant à corruptione acſi ea fiens, ut loquuntur ſcholæ, ſit, acredine ſuâ partim interficiunt vermes, partim à corruptione ulteriore ſeu putredine vindicant. Inter ſalia vero quod Sal commune primum, locum teneat, vix quiſquam negabit, qui perpendet ipſô veluti naturæ inſtinctu ciborum illud factum eſſe condimentum, & adeò præſervativum putredinis. Qui ergo Salem communem in dulces cryſtallos redigere novit, maximæ poteſtatis remedium habebit adverſus febres haſce deleterias, præprimis ſi perfectiſſimum illud terræ ſulphur aurum illis ipſis cryſtallis recludere & in tincturam exaltare valuerit.

Ad §. 8.

Non negamus multis laudatum paulò ante Sal commune inter vallis poſt ſe relinquere indigitatum hic ab Autore ⊖ centrale, quippe quod univerſale cum ſit omne, etiam abſolvit punctum in morborum profligationibus, dum interea Salis communis deterimenti ſaltem & particulares ſunt effectus. Sed cui nam conceſſum eſt hunc adire corinthum? In Sale ac ſole naturæ ſecundum ter magni Hermetis effatum, conſiſtunt equidem omnia, ſed quis eſt, qui adyta illa recludet naturæ imis abdita receſſibus. Ingenuè quædam in gratiam artis Filiarum hic addam. In mercurio eſſe, quod quærunt ſapientes, philoſophorum aſſertum eſt, ita ab Avicennâ & Roſario dictum mercurium ſolutum (Salem lunariæ noſtræ vocant) & cogulatam eſſe perfectam medicinam. Cum itaque Sal illud centrale Mercurii ſit ſoboles, is verò ut ex antea dictis patet, irradiativâ quadam virtute, quæ omnium maximè ſpecifica eſt, verminoſam mortificet ſobolem, quivis videt facile, ſummum hocce Mercurii ſecretum præſervativum unicum eſſe ac curativum malignarum febrium. Succedunt alia, quæ tamen etiam arcanorum nomine veniunt, eas ſc: quæ cum hoc ipſô naturæ Sale quadam conveniunt affinitate. Aquam ſuam lunariæ cæleſtis eſt originis, adſtruut Philoſophi omnes unô ore, ſed & quæ ex rore parantur ſalia ac ſaccharina ludunt dulcedine, ſi per ſecretas circulationis & coagulationis leges figantur, inque pulverem rubeum convertantur, ſalis univerſalis ſuccedanea erunt efficaciſſima. Aëris ilum ſalem occultum vitæ cibum eſſe coſmopolita aſſerit, & ab eô ſanguinem in cordis thalamis volatilem reddi, qui genuinus noſtræ reſpirationis uſus eſt, orbi monſtravit alter ille Medicinæ dictator Helmontius; idem ille congruè ſatis docuit, ſpiritus noſtros eſſe

ſalinæ naturæ. Ob mutuum itaque hocce ſymbolum, mutuam harum rerum naturalium affinitatem arcana hæc ſalium occiſum, ut ipſius Autoris verbis utar, archæum à febribus ſc. malignis præter omnem ſpem reſuſcitare poſſunt.

Ad §. 9.

Vulgatiora hic ſubſtituit Autor, ſpiritum ſc. Salis vulgaris præprimis ſi noſtro illo modo deſtillatus ſit, quanquam per repetita etiam cohobia ſupra proprium caput mortuum volatiliſari queat, ut ſtriatim alembici latera permeet. Conveniens hic ſpiritus eſt, ut ſpecies illæ antipeſtilentiales crocus, aloë & myrrha cum eô extrahantur, eritque elixir appropriatum adverſus febres malignas. Reliquarum medicamentorum, antimonii purgativi, ſudoriferi Jovis, margaritarum itemque corallorum in antecedentibus jam jam prolixè mentionem fecimus additis etiam deſcriptionibus eorum. Confer animadverſiones in textus Autoris noſtri C. 26. & 33. Cap. LXIII. §. 25. & 29. Vomitoria quæ hic commendat Autor ſub initium ac accedentis febris, præprimis ſi à copioſè putridis ingeſtis oriatur caſtrenſe malum, locum habent quo in caſu etiam globuli ex vitrô antimonii facti, it. Calx vomitorius Pulandi in Epidemicâ quadam lue Vladiſlai Quarti Poloniæ Regis exercitum infeſtante à celebratiſſimi nominis Chymiatrô D. D. Knœpheliô quondam adbibita fuerunt.

CAPUT LXXI.

De

Febre hecticâ ejusque curatione.

§. I.

FEbrem hecticam malè dixerunt hecticam Galenici, quod in habitu reſideret ejus cauſa, non enim in habitu eſt, ſed in venis ventriculi exterioribus & in depravatâ & læſâ ejus coctione; unde contabeſcit totum corpus, quia chylus eſt depravatus & hinc laudatus ſanguis fieri non poteſt, unde non poſſunt opipare nutriri partes ab illaudatô ſanguine; ſic contabeſcunt & marceſcunt, & aridura afficiuntur inſigni. Melius convenientiusque febris hæc aridura dici & nuncupari poſſet, quam hectica febris, quod ſiccitate inſigni marceſcant partes omnes & humidum radicale eorum à calidô naturali abſumatur ſubveniente alio humido alimentitio in locum alterius depopulati.

§. 2. Unde febris hectica definiri poſſet excandeſcentia & inflammatio Archæi vitalis noſtri ab excrementis viſcidis & glutinoſis ex læſâ ventriculi coctione

ctione ortis, quæ in parte connexâ ventriculi amandatur ibique fortiſſimè adhærent & ſua forti & potenti pugnâ ventriculum lædunt & archæum irritant ac inflammant, unde febris hectica & continua, quæ nullô pactô in corde ſedem primam habet ſed in ventriculô, unde exacerbationem & exaſperationem habet, ſingulis digeſtionibus ventriculi, & à paſtu excreſcit, quod excreſcat ejus cauſa materialis ex digeſtione depravatâ, unde curatur ſolô lactis uſu eo, quod lac concoctu facilimum reparet coctionem ventriculi & ejus vires refocillet: & ſic ex ejus curâ colligitur, quid ſit hæc febris & ubinam locorum ſit ejus focus & ſedes.

§. 3. Et ut diariam ac phemeriam febrim uno ſolo die perdurare ex depravatâ ventriculi digeſtione ſimplici dependet, quia peractâ digeſtione ceſſat vel vomitu facto, ſic febris hectica continua eſt diaria ex pertinaci excrementô circa ventriculum viſcido & tenui ortum habens, quod continuo lædit coctionem ventriculi & irritat acceditque Archæum ventriculi, unde febris hæc lenta continua, quæ perperam hectica dicitur; eſt verè potius diaria continua, quia ab iisdem cauſis materialibus dependet & originem habet, nam ſi coctio ventriculi & digeſtio reparetur & evacuentur illa excrementa ventriculi digeſtionem lædentia facili viâ curatur hæc febris ut & diaria ut ſequenti capite manifeſtiſſimè declarabitur.

§. 4. Febrem hecticam fixam & permanentem, quæ diu longoque tempore Archæum noſtrum vitalem exercuit, incurabilem fecerunt antiqui, quod ejus materia adeò compacta & affixa fuerit partibus quibus adhæret, ut nullis medicamentis eradicare ipſam valuerint. Signum evidentiſſimum eos ipſos ignoraſſe & naturam & eſſentiam febris hecticæ, & locum & ſedem ejus, nolo hîc rationes adferre adverſus ipſos, quia capite præcedenti ſatis admodum clarè declaravi & adhuc præſenti capite curam ſolidam & abſolutam oſtendam etiam & declarabo.

§. 5. Curatur ergo febris hectica quocunque ſit in gradu, mercurio rubeo dulci ſuperius citato ejus enim virtus eſt & proprietas excrementa hæc omnia ex quibus originem habet hæc febris radicitus extirpare & ventriculum roborare, nihil enim aliud habemus & optare debemus, ad curationem abſolutam febris hecticæ, quam roborationem ventriculi, ut benè coquat & digerat & extirpationem excrementorum viſcidorum & æerium, à quibus læditur coctio, & digeſtio ventriculi: hoc autem ſolum medicamentum hæc duo feliciter peragit: nam per ſudorem & per lentam purgationem, quibus dotatur, hæc excrementa expurgat, quibus expurgatis ſtatim nativus calor ſeu archæus ventriculi roboratur, & vires acquirit, unde redit coctio & digeſtio ventriculi chylus laudatus generatur & ex chylô laudatô ſanguis optimus

mus producitur, ex ſanguine optimô ultimum alimentum partium ſingularum producitur ſicque partes omnes reficiuntur & labes & ſiccitas ac aridura evaneſcit.

§. 6. Datur etiam & aliud medicamentum ſtupendum & mirè efficax ad curandam hecticam ſcilicet butyrum margaritarum, quod ſequenti methodô paratur, habeatur in promptu acetum pulveris hæmetici rectificatum & ab aquoſis ſubſtantiis & inſipidis vindicatum, hoc aceto rectificato diſſolvantur margaritæ optimæ, diſſolutio deſtilletur ad ſiccitatem & quod inde deſtillatur inſipidi ſaporis, projiciatur, & quod acidi ultimo profluit, cohobetur & ſuper margaritas in fundô reſtantes projiciatur, & hoc fiat quater aut quinquies, deinde habeatur ſpiritus vini rectificatus & in eô diſſolvantur margaritæ jam ab aceto antimoniali, ſeu pulveris hæmetici diſſolutæ & clarificetur diſſolutio & filtretur & quod clarum & limpidum eſt, deſtilletur, margaritæ in fundô reſtantes ſiccæ & aridæ iterum diſſolvantur ſpiritu vini jam deſtillato ab ipſis margaritis, ſi non infirmetur, & hoc fiat ter quater donec margaritæ ſpiritu vini diſſolutæ non relinquant feces, quæ ſemper ſunt ſeparandæ per filtrum ab ipſâ diſſolutione, quinta aut ſexta diſſolutione habebis margaritas diſſolutas, quæ frigido congelantur & calido diſſolvantur veluti butyrum & dicuntur butyrum margaritarum, cujus doſis eſt ℈ß ad ℈j. juſculo optimo, aut in lacte tepidô recenti ex mammâ extracto, ad curationem febris hectices intra menſem. Datur quoque adhuc alius margaritarum liquor hecticum calorem non ſolum egregiè extinguens, verum etiam corpus cruditate conſumptum, quàm optimè humectans atque refrigerans, nullius corro ſinitatis, aut caloris ſuſpitionem in ſeſe habens, qui ea propter etiam ultimum phthiſicicorum appellatur ſolatium. Ejus præparatio fit cum phlegmate ſpiritus Sacchari ♃ni, quo ſuperfuſo, tantummodo margitarium medullæ reſolvuntur, earumque polliculæ deponuntur, quæ poſtmodum per filtrum ſunt removendæ. Hujus liquoris 30. circiter gutt. pro Doſi exhibeantur.

§. 7. Quæ referuntur de uſu lactis & de balneô aquæ dulcis tepidæ ad curationem febris hecticæ parvi ſunt momenti & confirmatam & diuturnam febrem hecticam curare non poſſunt, conferunt quidem & proſunt & conſulo his utique & reliquis aliis ſuprà citatis medicamentum.

Animadverſiones

Ad §. 1.

Duplex febrium genus conſtitui à Galenicis in confeſſo eſt, alterum earum

κατὰ σχέσιν ut vocant, febrili calore in partibus viventibus ſævit quidem, ſed diu ſubſiſtere nequit, niſi in accenſis ſpiritibus vel humoribus fomitem quendam habeat; Suntque hæ febres ephemeræ & humorales, ut ineptè ſatis dicuntur. Alterum genus κατὰ ἕξιν vocatum ſuppoſitô aliquô caloris focô non æque indiget, ſed cum febrilis, ut intemperatè ſatis vocant, intemperies in habitum tranſiverit, partesque corporis noſtri viventes obſeſſas teneat, ſine cauſâ aliquâ occaſionali per ſe ſolum ſubſiſtere poteſt. Et tales ab habitu ſic dictæ ſunt hecticæ febres. Febrium hæc diſtinctio, ſi accuratius examinetur, cum reipſâ nequaquam convenit. Ut enim prætereamus humorales febres (à fictitio quaternione humorum ſic dictas diſtinctè tales non exiſtere, in iis ipſis remota licet cauſa occaſionali aliquando ſubſiſtere poteſt, poſtquam alterationem blas febrilis ſubiit jamjam Archæus. Sed hecticæ potiſſimum febres omnino prævia aliquâ indigent cauſâ, quæ continuo illi calori fomitem ſubminiſtrat. Atque hoc eſt, quod Autor noſter præprimis indigitat, pertinaciſſimæ ſic viſciditatis excrementa conſumtivum hunc fovere calorem. Ex priori illô Galenicorum errore, quo ſine cauſâ alia aliqua in corpore latitante ipſum tantum ejus habitum conſumtivi hujus caloris ſedem fixerunt, alius aliquis ſubnatus eſt, quod ſic febrem hanc hecticam appellarunt. Nomen hoc propterea taxat Autor noſter, quia febris illius cauſa ut vocant, proxima non in habitu ſed in venis ventriculi exterioribus, &c. hæreat. Atque hoc jamolim animadvertiſſe videtur alter ille Galenus Sennertus*, qui à modo potius inhærendi, quatenus ſic in ipſo habitu corporis id eſt partibus ſolidis defixus eſt calor ille, quam à ſubjectô, hoc eſt quod non æque partes illæ ſubjectum morbi conſtituant, ſed ex noſtrâ ſententiâ dictæ potius venæ cauſam fotricem continentes, hecticam denominari in doctrinâ ſuâ de febribus docet.

Ad §. 2.

Quæ de intemperie ad nauſeam usque commentati ſunt Galenici, ea ipſis ſpiritibus noſtris applicari debent: Non itaque fictitia aliqua qualitas, cauſa febrilis caloris eſt, vel quidditativè eundem conſtituit, ſed ipſe exacerbatus Archæus. Fateri illud veterum nonnuli ſunt coacti tum febrilem illam intemperiem ſuſcitari agnoverunt, & foveri ab accenſo vel in humoribus vel in ſpiritibus calore. Inde ſupra febrium memorata diſtinctio ſuborta eſt, ac ſi in febribus κατὰ σχέσιν calor febrilis inhærens partibus ab incendiô humorum vel ſpirituum foveatur, dum interea hecticæ ſine illô caloris humorum ac ſpirituum fomite in ſolo corporis habitu ſubſiſtant. Sed hoc eſt, quod ex ipſô etiam Sennertô taxavimus jam ante; qui haud obſcurè l. 3. de febr. c. 1. ab accenſis ſpiritibus colliquativas haſce æque ac reliquas febres fomentari concedit.

Huc etiam Autoris noſtri definitio facit, qua ille excandeſcentiam & inflammationem Archei vitalis quidditatem hujus febris conſtituere edocet. De cauſa occaſionali, qua ad excandeſcentiam adigitur Archæus ad §. 3. uberior commentandi occaſio ſe offert. Hic ſaltem hecticæ febris ſubjectum porrò explicat nec cor ſedem primam eſſe ſed ventriculum docet. Galeni ejusdem aſſeclæ ſubjectum illud, corporis habitum eſſe ſtatuerunt. Cum verò paulò antè monſtratum fuerit, errare eos inſigniter quoque hac in parte, hecticæ etiam cum reliquis febribus conveniat in eo omnes illas ſc. ab inflammatis ſpiritibus accendi, neceſſe eſt, ut unà cum iis eandem quoque habeant ſedem, hæc verò ex edictô Galeni ipſum cor eſt vitæ ſedes. Hinc illud removet Autor noſter, nec cor ſed ipſum potius ventriculum mali hujus mineras continere, quod etiam veritati maximè congruum eſt.

Ad §. 13.

Diſputant inter ſe Autores, an ſine ephemerâ hectica poſſit incipere, hoc eſt, an hectica illa intemperies in corporis habitum induci poſſit ſine prævia ſpirituum accenſione. In contrariam partem, quæ ad adverſantium turbâ proferri ſolent, fruſtra iſta omnia dici, cum Sennertô noſtrô dicimus. Hectica enim febris non niſi excandeſcentia Archei eſt, imò à perſervantiâ, ***continuâ***, ***diara*** expreſſo nomine rectè cum Autore noſtro vocari meretur. Febris verò hæc ortum ducit ex pertinaci excrementô circa ventriculum, quod continuò lædit ventriculi concoctionem. Prima quod in digeſtione commiſſum eſt vitium non corrigi in reliquis, Medicorum axioma eſt. Si itaque chylus corruptus fuit in ventriculô, non niſi pravus inde generabitur ſanguis, qui dum partibus aſſimilari debet, ineptus eſt ad hunc uſum, unde illarum concidentia & aridura ſubſequitur. Corrumpitur autem vitiaturque chylus in digeſtionum limine à lento illô calore, continuo tamen, qui ſuſcitatur, dum adverſus illa excrementa viſcida ac pertinacia inſurgit Archæus & excandeſcit, unde partes ventriculi in conſenſum tractæ chylum nidoroſo (qualis etiam in aliis febribus eſt cum appetitus depravatione) inficiunt calore, fermentum etiam ſtomachale debilitant, & potiſſimum genuinum illud humidum radicale lympham ſc. exhauriunt, ut dilui ſatis nequeat chylus ſuoque vehiculo ὄχημα τῆς τροφῆς ita vocavit Hippocrates) orbetur. Quo pertinaciora autem ſunt excrementa, eo magis ad continuum calorem excitant ſpiritus noſtros, atque ii tunc unà cum ſanguine, cui calor excedens eſt impreſſus, in partibus hecticam efficiunt ariduram, quatenus nobilis ille humor lympha vivificô ſuô influxu partes omnes humectans, (unde etiam ros ab irrorando Thaumaturgo illi

illi Anatomico Bilſio vocatur) exſiccatur. Et hæc febris hecticæ genuina cauſa eſt.

Ad §. 4.

Diverſos febris hecticæ gradus poſuerunt veteres, quos non tantùm à dierum numerô ſeu tempore, ſed ipſius diſpoſitionis ac intemperiei qualitate metiri ſoliti ſunt, ita ut principium hecticæ curatu non adeò difficile ſit, ſecundus gradus autem difficultatem jamjam pareat, quemadmodum tertius ſub quô ſc. ut loquitur Autor noſter, diu longoque tempore Archæum noſtrum exercuit, fixa & permanens hectica planè incurabilis eſt, eò quod humidum radicale abſumtum exſiccatumque ſit, partesque ſimilares abſumtæ refici non poſſint. Sed hæc dum ita docet veterum Schola, accuſatur jure meritò quod ignoraverit eſſentiam, locum & ſedem hecticæ febris, neſcivit ſic viſcida ac tenacia excrementa in ſtomachô continuum hunc Archæi calorem excitare & ab hoc humidum illud roris noſtri, ut nos nunc eplicamus, abſumi cum partium aridurâ & exſiccatione. Priorem illam excrementorum viſciditatem per mercurium rubeum dulcem ſequenti §. extirpare docet Autor noſter.

Ad §. 5.

Cùm hecticæ febris quidditas in eô potiſſimum conſiſtat, ut læſâ concoctione ventriculi pravus inde generetur chylus, omnino danda opera eſt enixè, ut excrementa illa viſcida, quæ concoctionem lædunt, ejiciantur ac exſtirpentur radicitus; ſic enim inſtauratur ventriculi vigor, reſtituiturque priſtino muneri, ritè rectèque aquoſas lymphas ſeparat, unde novum generatur humidum ut vocant, quod deinde per lymphatica vaſa ad partes diſtributum radicitus ſe eis inſinuat & ſiccitates emendat. Eum in finem mercurium rubeum dulcem commendat Autor, de quô tamen cum & nos in præcedentibus (cap. ſc: 13.) pluribus egerimus, eò lectorem remittimus. Hoc ſaltim adhuc moneri hic debet; ſub initium morbi alia etiam catharctica in uſum venire, cum enim pertinaciſſima ſint excrementa illa fortiori membranarum ventriculi vellicatione eò facilius eliminari poſſint.

Ad §. 6.

In animadverſionibus noſtris ad cap. 29. de phthiſi naturam explicavimus mirificæ concharum ſobolis. Dictumque ibi eſt inſigne in iis cardiacum remedium latitare, potiſſimum verò ab eorum lumine humidum radicare ſeu vitæ humorem inſigniter reſtaurari. Atque illud eſt quod brevibus hic repetimus; omnia illa arcana, quæ vel ex rore aut ejus proventu quocunque (citato autem loco eandem margaritarum geneſin eſſe dictum fuit) originem ducunt

cunt cryſtalli ſc: roris dulces, mannæ ſaccharum ſolubile,&c. omnis corporis noſtri ariduras & hecticas colliquationes reſtaurant. Quemadmodum enim illa in macrocoſmo rorido ſuo effluxu cuncta vivificant, ita non minus noſtro in corpore partes viventes humectant, defectumque laudati humidi noſtri, quod lympham vocamus, egregiè reſtaurant. Hoc loco efficaciſſimum aliquod margaritarum butyrum denuò commendat Autor. ſuprà enim citato capite parari illud docuit beneficio mercurialis eſſentiæ, nunc aliud in uſum vocat menſtruum, acetum videlicet antimoniale. Ex antimoniô illud per retortam deſtillari quanquam non largo proventu notum eſt, illud vero commune acetum multis modis antecedit, eò quod potiores menſtruorum virtutes obtineat, quemadmodum etiam ex ipſô antimoniô egregiam tincturam & ☿ dulce extrahit. De reliquo in ipſô proceſſu quod moneam, vix habeo, per reiteratam enim cohobationem ac diſſolutionem is abſolvitur.

Ad §. 7.

Particularia remedia, quæ quodammodo conferunt in hecticæ curatione paulò antè citato cap. de Phthiſi videri poſſunt, hic enim non minus locum habent. Veriſſimum autem eſt quod balneum aquæ tepidæ, in quo ut ex Galeni methodo medendi videre eſt, miram diligentiam adhibuerunt veteres, parum ſolatii ſit repoſitum. Partes enim externas humectant quidem non æque internas & quæ illa humectatio eſt, quæ tamdiu tantum permanet, quamdiu aquæ inſideas, mox deinde eadem ſuperveniente ſiccitate. A poſteriori ſaltem hæc inſtituitur curatio, in quo paſſim errare ſolet Medicorum vulgus. Sic & lacticinia confirmatæ febri hecticæ parum adferunt Commodi, neque enim cauſam tollunt. Impura autem corpora quo magis nutriuntur, eò magis lædi effatum Hippocratis eſt. Subtiliſſimum tamen nitri florem cum cremore lactis dulciſſimo ſubactum, inque rore majali depurato diſſolutum profuiſſe inſigniter hecticis obſervatum à nobis eſt. Atque ſic laboribus hiſce animadverſionum finis imponitur. Quantum hiſce præſtiterit deſideratiſſimus noſter Præceptor D.D. Lange b. m. prolixè ſatis in præfatione elocutus ſum. De meô quantum in hac appentice addiderim, videbit Lector & æqui bonique conſulet. Nunc vero quid amplius ſupereſt, quam ut finem faciamus. Quemadmodum vero nullus dubito, ſi fata ſupereſſe permiſiſſent CL. noſtrum Langium, pio cum voto Autoris Fabri, quod concluſio ejus operis habet, concluſum fuiſſe, ita non minus & ego eo cum fine, reſtituto tamen integræ lectioni, ut mea undiquaque hinc conſtet integritas.

Con-

CONCLUSIO HUJUS OPERIS.

Habes amice Lector, quicquid de morbis humanis dici poteſt, & ne mireris ſi Galeni & Hippocratis ſententiam & opinionem non ſequar, amicus enim Galenus & Hippocrates, ſed magis amica veritas; & ut ex Hippocrate ipſo didici in diſquiſitione rerum phyſicarum, plus ponderis habere rationem quàm authoritatem, ſecutus ſum hac in parte rationem meram & ipſam veritatem, quam didici ex anatomiâ ipſâ rerum omnium: ne me quæſo exiſtimes vanum & ſuperbum hominem, cum Galenum & Hippocratem, divinos quaſi Medicinæ autores & artis noſtræ proceres, erroris & inſcitiæ, ut ita dicam, inſimulem & accuſem, cum cauſas morborum non noverint, nec eorum curationes. Seculum eorum virorum, etſi oculatorum & Doctorum, fuit tamen ſeculum tenebrarum & ignorantiæ: ſeculum verò noſtrum eſt ſeculum lucis & gratiæ. Spiritus Sanctus, à quo procedit omne donum ſcientiæ, jam nobis Chriſtianis plus ſpirat quam hominibus antiquis paganis & Deum non credentibus. Deum enim non noverunt antiqui & perinde naturam, ejus opus, noſcere & intelligere non potuerunt. Quocirca non mirandum eſt ſi jam præſenti hoc in ſeculô eorum errores & tenebræ manifeſtentur. Deus enim non patitur amplius veritatem ipſam deliteſcere & ut ipſe veritas eſt & lumen & ſe ipſum veris Chriſtianis manifeſtat, ſic & veritatem & ejus lumen non diutius deliteſcere patitur, non enim erant digni antiqui autores tanto Spiritus Sancti dono, ut naturam ipſam noſcerent, cum ejus autorem vilipenderent & ipſum glorificare nollent.

Si quid ego ſupra ipſos luminis habeam, illud non ex me eſt ſed ex Deo ſolo, qui me vas indignum elegit, ut annunciem hominibus veritatem, quæ in lumine naturæ ſe manifeſtat, & quæ tot ſeculis occulta & in tenebris ſepulta remanſit. Reges, Principes & hujuſce mundi moderatores omnes admonitos velim, ut verita-

tem hanc ampleĉtantur & ipſam docere cogant in Scholis ipſis, ne doĉtrina vetus & antiqua ut tenebris involuta & falſitate ipſis noceat amplius. Si enim Philoſophia & Medicina falſis dignitatibus delibutæ doceri pergantur, non ſolum populus ſed & reges & principes populorum multum nocumenti inde percipient, quod ſi ægrotent, non ritè & ut decet, curabuntur, ſed in ipſos graſſabitur morbus & dura in ipſos cudetur hæc faba, & mors ſubſequetur immatura: proſpiciant ergo Reges & Principes tanto malo, cui remedium afferre non eſt posſibile, niſi Philoſophia & Medicina univerſaliter corrigantur & aliter doceantur, & id fieri poteſt autoritate Regum & Principum, nam ſi expectetur communis hac in re Philoſophorum & Medicorum ſenſus & animus, id non continget unquam, quia quot capita tot ſenſus, nec omnibus arridet diſquiſitio veritatis, magis illis placet antiquus error, quam nova & recens veritas; adeò illis arrident & placent præmanſæ offæ. Quâ ratione fieri potuisſet, inquiant ipſi, ut tot homines tanto genio & ingenio præditi hanc veritatem non animadverterint & ſic ſoli genio & ingenio inferiori manifeſtata ſit: vanitatem & omnia vanitas, quod tibi veritas videtur, merum eſt ſomnium & à melancholia ortum, & verum ſpectrum, vel ſpiraculum, quo deluſus & faſcinatus es. Quæ tibi in mentem obveniunt & occurrunt Apollinis ipſius oraculum exiſtimas & reliqua cuncta meris tenebris involuta & falſitatis involucris obtecta prædicas, collige ſenſus & noſce te ipſum, homo es & proinde mendax, ſicque quæ vera exiſtimemus, pura mendacia experientur reliqui: Sic in me inſurgent ſuperciliosorum nonnulli, quibus tutò & conſultò reſpondeo, me per quindecim annos animo voluiſſe, quod jam in lucem editurus ſum, & oſtendiſſe multis amicorum, an probarent vel quid de novitate iſtâ cenſerent, probarunt nonnulli, alii verò improbarunt, coarctius tamen vicit me veritas ipſa rerum omnium fortisſima, quam ubique cernens & expertus cogor hoc opus in lucem edere. Faveant qui veritatem amant, reliquos non moror.

LAUS DEO.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

ABſtinentia magnorum morborum medicina. 186.
Aceti præſtantia & neceſſitas in chimia. 60. ſq.
Acidum mercuriale quid, ejusq; præparatio. 501.
Actiones partium quomodo fiant. 158.
Aer calidus & frigidus calido inſito cur noceat. 205. elementorum omnium fundamentum. 576. ſeq. an inficiatur in peſte. 577. non ſolum ventilationem ſanguinis præſtat. ibid. aeris ſal occultus vitæ cibus dicitur. 689. inde ♎us Helmontio ſunt ſalini. ibid.
Aeſtas unde. 564. 582. ſeq.
Agaricum quid. 14. vires. ibid.
Alcali quid. 36. alcalia quæ dicantur. 82.
Alcalium volatiliſatio. 179. volatilium vires. 559. acida & amara immutant. 658.
Alcohol quid. 82.
Alimenti corruptio quid efficiat. 3. 5. 19. alimentum partium quomodo depravatur. 204. ſeq.
Alopecia quid. 270.
Alumen vulnerarium. 160.
Ambræ pulveriſatio. 61. Eſſentiæ præparatio & vires. 494. 503 ſeq.
Amuleta an & quomodo proſint. 597.
Angina. 285. 293. atrociſſimus morbus. 294. curatio ibid.
Animi pathemata lypothymiæ cauſa. 337.
Animi & corporis compaſſio unde. 138.
Anodynum ſummum. 29.
Antimonium quid? 139. ſolis exaltat Tracturam. ibid. divinæ virtutes. 142. flores 198. vires 279. eſſentia. ibid. ſulphur quid. 589. cinnabaris. 589. 154. diaphoretici præparatio. 681.
Antipathiarum ratio. 10.
Antipleuriticum ſpecificum. 326.
Anus ejusque morbi. 478. 480. curatio. 484.

Aphtæ quid. 275. unde. 275. ſeq. quomodo curandæ. 248. 254. ſq.
Apoplexia. 80. 83. ſubjectum & cauſæ. 81. 86. ſeq. curatio. 81. 82. 94. 95. ſq. materiale ſemper ex ventriculo. 96.
Appetitus præternaturalis triplex. 378. naturalis ſedes. 380. quomodo fiat. ibid.
Aqua cosmetica. 392.
diaphoretica. 38.
fortis. 36.
Philoſophorum quid. 61.
ſtomachalis. 356.
Aquæ ophtalmicæ. 225.
Mercurialis. 488. ſq.
Arcanum Corallinum. 434. Paracelſi præparatio. ibid. quid & quomodo præparandum. 546. 559. ſeq. quomodo adhibendum. 558. unicum podagræ remedium. 559. 614. febrifugum. 652.
Arcanum quid notet in Philoſophia Hermetica. 558.
Archeus quid. 7. 8. 659. 679. ubique præſidet. 549. omnium morborum faber. 553. 675. 678.
Argentum optimum cephalicum. 117. Eſſentia. 107. 117. ſq. Præparatio. 197.
Aromatiſatio. 340.
Arſenici correctio. 526. ſummum ad ulcera remedium. ibid. vires & præparatio. 629.
Arthritis. 545. 548. 555. variorum ſententiæ examinantur. 550. cauſæ. 554. vaga ſcorbutica. ibid. ejus dolorem chimici ſecundum excrementa metiuntur. 556. ſeq.
Aſcites. vid. Hydrops.
Aſthma. 197. curatio. 304.
Aſtra nullos producunt morbos. 580. ſeq.
Atrophia. 389. an differat à cachexia. 390. curatio. 392.
Auditus læſiones. 247. unde. 252. ſq. curatio. 248. 254. ſq.
Auris deſcriptio. 41. dolor. 40. morbi. 245. ſeq. auris duplex eſt. 247. ſtructuræ ratio. 248. cur facile lædi diſposſit. ibid.
Auri ſudoriferi præparatio. 17. ad omnes morbos arcanum ſalutatur. 601. vires, & potabilis præparatio. 602.
Aves cur nullam habeant veſicam urinariam. 412.
Azoth quid. 61.

B.

Balbuties. 154. 283. cauſæ. 155. 156. ſq. literæ quas exprimere non posſunt. ibid. malum nativum incurabile. 157. 289. curatio. 155. 159. ſq.
Balneorum uſum ſemper præcedant ſudorifera. 131. aquæ tepidæ quantum profit in hectica. 699.
Balſamum ſulphuris. 21. 26. 47. 48.
paralyticum. 125. 132.
Batrachus vid. Ranula Linguæ.

Be-

Bezoar minerale regium quid, 135. vires. ibid.
Bezoardica mineralia omnia parandi modus. 139.
Bezoardicum minerale magnificum, 286, 296.
generale. 329. 333.
Bilis utraque non datur in corpore 27. 63. 70. ſeq. 657. an excrementitius humor. 373. 405. 408. ſeq. non choleræ cauſa. ibid. aſini non habent bilem. 406. veſiculæ biliariæ morbi. 405. 408. Helmontii ſententia. 413. ſine bile nullum animal vivit. 414. effervescit cum acido. 688.
Borrax. 534. 539.
Bufo exſiccatus. 251. magni uſus eſt. 594. præparatio. ibid. amuleti ratio. 598.
Bulimus, 377. quid & unde. 379. curatio. 377. 381. 382.
Butyrum antimonii cur aëri expoſitum liqueſcat. 140. Butyri fuligo ubi profit. 120.

C.

CAchexia quid. 389. cauſæ & ſigna. 391. curatio. 392.
Caducus. vide Epilepſia.
Calaminthæ vires. 197.
Calcinatio quid. 190. duplex. 191. humorum in corpore unde & ubi fiat. ibid.
Calculus veſicæ biliariæ. 405. generatio calculorum. 407. 415. ſq. non ab occulta qualitate. 416. terra & aqua quomodo concurrant. 417. curatio. 420.
Calculus renum. 486. 487. ſeq.
Calculus veſicæ. 490. generatio. 494. Signa diagnoſtica. 496.
Caligo oculorum 231. quomodo à glaucomate differat. 236.
Calor nativus debilis quid noceat. 102. efferatus non ſemper producit febres. 192.
Calx viva. 325.
Camphoræ vires 37. 502. Eſſentia & oleum. 197.
Capita mortua quomodo iterum animari poſſint 175.
Capitis dolor. vide Cephalalgia.
Capitis gravedo unde. 90.
Carcinomata 518. 256. exulceratorum & non exulceratorum ſigna. ibid. 525. unde ita nominentur. ibid. 261.
Cardialgia 353. unde ita dicatur. 354. Infantibus cur familiaris. ibid. curatio. 353. 355.
Caro quadruplex in corpore. 99.
Carus quid 119. cauſæ & curatio. 120. Signa prognoſtica, 122.
Caſſia. 502.
Catalepſis 119. cauſæ 120. 122. an ſemper Venæſectio conveniat. ibid.
Cataracta. vid. Suffuſio.

Catharrus ſuffocativus quid. 92. ſæpius cum apoplexia conjungitur. ib. ejus natura. 208.
Catharrus in genere. 199. 200. ſeq. pro communi morborum cauſa habetur. 201. ubi generentur. 203. curatio. 200. 209.
Cephalalgia. 3. 4. 7. ſeq. non ab intemperie provenit. ibid. curatio. ibid. differentia. 6. pertinacior quomodo curanda. 19. inveterata unde 20. 22. externa an tuto adhibenda. 24.
Cephalea quid. 7.
Cerebri temperatura. 70. duos tantum habet ventriculos. 84. eorum officium. ibid. quo modo ſpiritus depuret. 87. cur dicatur Olympus. 88. cum ventriculo conſenſus. 95.
Chimiæ præſtantia. 596. 649.
Chiragra. 545. 589.
Cholera an recte ita dicatatur. 369. unde oriatur. 370. ſq. quomodo curanda. 377. colores excrementorum varii non â bile proveniunt. 373.
Chylificatio. 343. depravatæ cauſæ. 345.
Ciborum varietas. 445.
Cinnabaris ☿ii 154. 589.
Cinnamomum. 348. 369. ejus aqua. 529.
Circulatio ſanguinis. 538. 550. finem habet duplicem. 89. eſt ſuavis fermentatio. 551.
Colica. 451. ſq. in tenuibus inteſtinis cur periculoſior. ibid. Maligna. 454. ulceratio inteſtinorum an etiam poſſit eſſe cauſa. ibid. ſpuria quid. 456. curatio. ibid.
Coloris ſanguinis diverſitas unde. 32. quid denotet. ibid. cutis venuſtus & ſqvalidus unde. 392.
Colorum fœditates unde & quomodo curandæ. 282.
Coma quid. 119. ejus cauſæ. 120. ſq. eſt duplex. 122.
Condylomata. 270. ani. 479. 482. 485.
Confartare quid. 177. Galenus ignoravit. ibid.
Contraria an contrariis curanda. 276.
Convulſio. vid. Spaſmus.
Convulſio canina quid. 133. 136. ejus ſubjectum & cauſæ. 135. 137. ſeq. an differat ab oris tortura. 136. curatio. 135. 137. ſeq.
Coralliorum ſudorificorum præparatio. 17. vires. 601.
Corallatum paracelſi quid. 614.
Cortices citri. 355.
Coryza vid. Gravedo.
Coſmeticum egregium. 37.
Croci metallorum præparatio. 114. eſt duplex. ibid.
Crocus martis. 506. ejus Eſſentia. ibid. 510.
Cura palliativa. 27.

Defi-

D.

DEfinitiones medicæ. 167. unde petendæ. 173.
Delirium duplex. 113. ſine febre vid. Mehancholiam.
Dentium nutrimentum quale. 29. ſeq. vitia. 274. unde proveniant. ib.
Diabetes. 505. 506.
Diaphoretica. 17. ſolare & joviale quid. ibid.
Diarrhœa. 462. unde oriatur. 463. 464. ſeq.
Difficilia quæ in medicina. 103.
Digeſtio. 299. in corpore tot, quod partes. ibid. 669.
Digeſtiva quid. 441.
Diuretica. 105. ex quo fiat. ibid.
Dyſenteria. 462. unde proveniat. 464. curatio. 466. ſq.
Dyſuria. 505. 509. curatio. 510.
Dolor capitis. vid. Cephalalgia.
Dolor dentium. 27. à propriis excrementis. 28. 32. curatio. 28. 33.
Dolor aurium quid. 40. cauſæ. 40. 44. curatio. 41. 46. 47.
inteſtinorum. vid. Inteſtina.
nephriticus. 486. 487. ſq.

E.

EBrietas. 274. ſq. quantum ventriculo noceat. 352.
Electuarium ſtomachicum. 353.
Elephantiaſis quid. 610.
Elixir Arabicum quid. 289.
antipeſtilentiale. 690.
Elleborus duplex. 59. ſeq. ejus extractum. 53. 59. 61.
Emetica omnium febrium arcanum. 652. 674. adhibendi methodus. 636. 656.
Emeticum 134. 138. ſeq. ejus vires. 135. 176. cum Mercurio vitæ convenit. 138. adhibendi modus. 145. 177.
Emplaſtrum ad tumores Malignos. 252.
ad hernias. 510. 515. ſq.
Magneticum in quartana. 670.
ad ſchirrum lienis. 667. 674.
Empyema. 319. 324. ſq. ſemper pleuritidem ſuppuratam ſequitur. 320. 324. curatio 320. 324. ſq.
Epilepſia. 161. variæ appellationes. 166. omnes ætates corripit. 164. ejus natura Veteribus fuit ignota. ibid. idiopathica & ſympathica quid. 168. ejus cauſæ. 162. 169. ſeq. comparatur cum ebrietate. 171. motus depravatus cur. 172. paroxysmi cur indies ingraveſcant. 173. 175. an malum incurabile. 176. curatio. 163. 175. ſq.
Epilepſia uteri. 533. 543. ſq.
Epiphora quid. 232. 240. cauſæ & curatio. ibid. quomodo differat ab ophthalmia. 241.
Epithema in dolore capitis. 27.

Eroſio ventriculi. 349. cauſæ. 351. curatio. 352. 355.
Errhinum in dolore capitis. 6. quomodo adhibendum. 18.
Eſſentiæ dupliciter fiunt. 35. ſeq.
Eſſentia ſuccini. 592. 599.
-- viperarum. 612.
-- Solis & Lunæ. 178.
-- Martis. 197. 436. ſeq. 540.
-- Mercurii. 383. 387. ſeq. 394. 400. 613.
-- Ambræ. 494. 504. 539.
-- Vitrioli. 540.
Exanthemata in febribus malignis unde. 686. eorum color malignitatis gradum indicat. 687. animata cur. 315.
Excrementa omnium dolorum cauſa. 4. 16. 30. 40. frigida & humida in cerebro unde. 111. in præcordiis collectio. 207. ſeq. tot ſunt, quot partes in corpore. 209. 669. Mercurialia quæ. 271. ſeq. ſicca & arida in phthyſi. 315. alvi in calculum converſa. 449. eadem eſt ratio ac alimentorum. 553. frigida quomodo malignitatem inducant. 686.

F.

F*Aciei* vitia. 266. 269. ſeq. ſingularem habet cutim. 270. dignitas. 269. interiorum index. 273. ſeq. curatio. 281.
Facultas quid dogmaticis. 149. expultrix quid. 266.
Febris unde 40. 41. 46. 63. ſeq. 631. cauſa an ſtercoris Tinctura liquida. 64. cur non ſemper conjunctam habeat phrenitidem. 70. apoplexiæ ſuperveniens. 81. in capite orta, quomodo totum corpus invadere poſſit. 112. requiſita ad ejus generationem. 192. omnes à principio fermentationis dependent. 638. ejus ſpecies quot. 639. malè per calorem præternaturalem deſcribitur. ibid. horror & frigus unde, 641. 642. 648. calor unde. 643. differentia inter continuas & intermittentes, 644. 648. ſeq. utrarumque ratio. 645. 646.
Febris quotidiana. 648. non à pituita, ibid. curatio. 651. 654.
Febris tertiana. 654. 657. paroxyſmorum ratio. 657. 661. non à bile. 658. duplex quid. 660. cur medicina vocanda. 662. curatio. 663. ſq.
Febris quartana. 665. 668. ſedes. 669. cauſæ. 670. paroxyſmorum ratio. 671. dividitur in continuam & intermittentem. 672. curatio difficilis cur. 673. ſq.
Febris continua ſimplex 675. invaſionis ratio. 677. ibid. cur excandeſcentia continua archei. 675. 678. 688. non à ſola putredine. 679. an detur materia febrilis vel in vaſis vel extra vaſa. 675. 678. curatio. 680.

Febris continua maligna. 681. 684. à vermibus. 23. ejus ſolutio per parotides an tuta. 249. purgantia cur noceant. 250. 600. an admittat Veneſectionem. 324. tertianæ typum ſervans exemplum. 685. cum ſopore ac lethargo unde. ibid. Maculæ. 686. curatio. 683. 689. ſequent.
Febris hectica. vide Hectica.
Feces alvi lapideſcentes. 449.
Fermenta diverſa tot diverſos pariunt morbos. 299. ſeq. tot ſunt, quod partes. 669.
Fermentatio quid præſtet. 169. 551. malignæ poteſtas. 170. putrefactio inſeparabiliter illam comitatur. 624.
Fermentum cur dicatur divinum Hippocrati 552. ejus faber ibid.
Fiſtulæ ani. 479. 481. raro curabiles. 484.
Fiſſura ani. 479. ſq.
Flatus. 152. eorum generatio. 323. non ſemper à debiti calore. ibid.
Florum ſulphuris præparatio. 26.
Flores papav. rhead. 325.
Fluor albus. 532. 541. ſeq.
Fluxus inteſtinorum. 460. ſq. curatio. 466. ſq.
-- menſium immodicus. 540.
Frigus. 87. 380. quomodo bulimi cauſa. 379.
Fuligo. 629.

G.

Galenicorum cum chimicis conſenſus. 150.
Gallicorum Medicorum medendi methodus. 294. ſeq. 676. 681.
Gemmæ. 602.
Generatio rerum. 473.
Glaucoma. 210. 211. ſententiæ Veterum & Neotericorum examinantur. 213. ſeq. eſt à vitio humorum oculi. 210. 217. ſeq. ſigna diagnoſtica. 217. curatio. 211. 218. ſq.
Glied-Waſſer. 555.
Gonagra. 545. 549.
Gonorrhæa ſimplex & virulenta. 492. 499. mulieres frequentius infeſtat, quam viros. 532. 542. quomodo à fluore albo differat. ibid.
Grando oculorum quid. 244. curatio ibid.
Gravedo capitis unde. 90.
-- narium. 262. cur reſpirationem difficilem habet conjunctam. ibid.
Gummi ceraſorum. 489.
Gutta roſacea. 267. 273.
Gutturis vitia. 282. ſeq.

H.

Hæmorragia narium unde. 263.
Hæmorragiæ omnes triplicem habent cauſam. 263. curatio. 265.
Hæmorrhoides. 478. ſeq. 482. cœcæ. 483. curatio. 480. 485. ſeq.

Hallucinatio oculorum 231. 237. ſeq.
Hectica. 690. ejus radix. 382. unde ita dicitur. 693. ejus ſubjectum non eſt habitus corporis. 694. eſt excandeſcentia Archei. ibid. Gradus. 695. curatio. ibid.
Hemicrania. 7. curatio. 21. 26.
Herba Paris. 601.
Herniæ ſcroti. 511. 514. ſeq. raro ex fundamento curantur. 517. curatio magnetica. 516.
Hordeolum oculorum. 231. 244. curatio. 245.
Horizon. 35.
Humorum & ſpirituum connexio. 193.
Humorum defluxus ex cerebro negari non poteſt. 204. 206. ſeq. colli partes & pulmones hunc defluxum non percipiunt. ibid. 207.
Humores oculorum ſunt partes continentes. 217. quomodo nutriantur. ib.
Humorum corruptorum effectus. 11. 20. 22.
-- quaternio negatur. 31. 648.
Hyacinthus. 601.
Hydrocephalus. 99. ejus ſubjectum & cauſæ. 101. curatio difficilis cur. 99. ſeq. 102. cur infantes magis corripiat. 102.
Hydrops ejusque ſpecies. 393. quomodo fiat. 394. ſeq. eſt morbus complicatus. 395. hepar non ſemper accuſandum. 397. cur Eucliones in emittenda urina. ib. differentia inter aſcitem & tympanitidem. 398. curatio. 394. 399. ſq.
Hydrops uteri. 520. 530.
Hyems. 564. 582. ſeq.

I.

Icterus ejusque ſpecies. 422. ſeq. nec bilis, nec veſicula biliaria, nec ductus cholodochus accuſari posſunt. 424. ſeq. curatio. 423. 428.
Icteritia alba virginum quid. 428.
Ignis frigidus chimicorum. 112.
Ignis fatuus. 626. ſeq.
Ignis lambens. ibid.
Immutatio humorum. 33.
Imposſibilia natura non admittit. 103.
Impotentia venerea. 492. cauſæ. 498. curatio. 503.
Incontinentia urinæ. 504.
Incubus. 181. cauſæ. 183 ſq. phænomena unde. 184. num vigilantibus æque ac dormientibus accidere posſit. 185. prognoſis. ibid. curatio. 182. 186.
Inflammatio quomodo fiat. 40. 45. ſq. qualis in phrenitide. 68.
Inflammatio jecoris. 382. ſemper habet conjunctam obſtructionem. 384. eſt hecticæ origo. 385. ſigna diagnoſtica. ibid. refrigerantia cur noceant. 386. curatio. 382. 388. ſeq.
Inflammatio ani. 478. 480.
-- renum. 486. ſeq.
-- veſicæ. 492. an ſemper conjunctam habeat febrim. 497.

In-

Inflammatio ſcroti. 511. 513.
-- uteri. 520. 523. ſeq. an VSnem admittat. 524.
Influxus aſtrorum admittendus. 580.
Inſomnia phreniticorum unde. 68.
Intemperies non eſt cauſa doloris. 8.
Intemperantiæ noxa. 151.
Intemperies frigida in calidam mutari poteſt. 433.
Inteſtinorum convolutio non datur. 374. obſtructio. 446. an centrum corporis dici posſint. 447. quomodo fiat. 448.
Inteſtinorum dolor. 451. duplex eſt. 452. curatio. 451. inflammatio. 458. 459. ſeq.
Inteſtinorum ulcus ſeu abſceſſus. 468. quomodo fiat. 469. difficiliter curabilis. 470. ſeq.
Jovis diaphoretici præparatio. 17. 631.
Jovialia optima uterina. 543.
Iſchuria. 505. ſeq.

L.

L*Ac* Virginis. 268. an tuto adhibendum. 280. ſq. veri appellationes & vires. ibid.
Lacticinia hecticis conformatis non proſunt cur. 699.
Lapis Philoſophorum & vera de eo philoſophia. 289. 574. 596. 689.
Laudanum paracelſi. 29. vitioli. 66. ejus præparatio. 78. ſeq.
Lepra faciei. 270.
Lepræ ſpecies. 603. cauſæ, ſigna & curatio. 606. 610. non ab atra bile. 607. putredinem univerſalem præſupponit. ibid. cauſa anodyna, glacialis & mortificans quid. 608. cur morbus contagioſisſimus. 609. eſt duplex 610. cur ægroti non posſint laxari. ibid.
Lethargus 106. quid ſit propriè. 106. 209. ſeq. cauſæ. 106. 110. 686. febris unde. 112. prognoſis. 113. febris an ſtudio concitanda. 115. curatio. 107. 114. ſeq.
Leucoma quid. 236. cauſæ & curatio. 237.
Lienis morbi. 429. excellentia ſingugularis. 430. Saturno ab Helmontio comparatur cur. 431. ejus officium. ibid. unde ſit. 483. fermentum vivificum ſanguini adſpirat. 669. curatio. 434.
Lienis inflammatio. 438. ſeq. curatio. 440.
Lien ventriculum inſtaurat. 584. 671.
Lienteria quid. 462. cum cœliaca non confundenda. ibid. non eſt à levitate inteſtinorum. ib.
Ligna putrida noctu cur luceant. 626.
Linctus nullius uſus in affectibus laryngis. 207.
Lingua cur dicatur nympha. 159. frænulum an barbutiei posſit eſſe cauſa. ibid. ejus vitia unde & quomodo curanda. 281. 286.

286.ſq. dupliciter conſiderari poteſt. 287. ſeq.
Liquor acidus Mercurii. 65.
Liquor ad ſanandas fiſtulas. 484.
Loquela vitia. 156.
Lues venerea. 615. ſeq. Veteribus optime fuit nota. 618. cauſæ. 619. cur dicatur brutum equinum. 621. cur noctu dolores ingraveſcant & quid denotet. 623. quomodo ab arthritite diſtinguenda, ibid. ſymptomatum ratio & invaſionis. 624. ſeq. curatio. 627. ſeq.
Lumbrici inteſtinorum. 471. unde veniant. 472. curatio. 474. ſeq.
Lypothymia. 334. 336. quomodo differat à ſyncope. ibid. cauſæ. 337. curatio. 339. ſeq.

M.

M*Agiſteria* ſicca viſcerum animalium an dentur. 538.
Magnes cur ferrum attrahat. 541.
Mania. 186. aqua ſubmerſi cur non facile ſuffocentur. 194. curatio Dogmaticorum. 195. eſt ſine febre. 192.
Maraſmus omnibus ætatibus communis. 444.
Margaritæ diaphoreticæ. 17. egregia exhibent Medicamenta. 180. quid & unde ſint ac quibus viribus polleant. 317. butyri Margitarum præparatio. 692. 699.
Martialia. 402. limatura cur aperitivum. 539. in quo conſiſtat vis adſtringens croci adſtringentis. ib.
Medendi occaſio ſemper obſervanda. 96.
Medicamenta nobilisſima cur ſæpius non juvant. 16.
Mictio cruenta. 505. 510.
Melancholia. 186. differentia. 189. ſigna diagnoſtica. ib. cor magis afficitur. 189. cauſæ. 187. 190. ſeq. cauſam Galenici ignorarunt. ibid. humor melancholicus unde. 191. curatio. 187. 194. ſq. melancholicus humor Veterum non datur. 668. quomodo admitti posſit. 670.
Memoria. 113.
Menſium obſtructio. 531. 536. fluxus naturalis ratio. 535. an omnis obſtructio citra impraegnationem ſit morboſa. 536. ſymtomata ſupervenientia. 537. ſanguis excretus venenatus eſt. ib. ſanguis hic devoratus lepram producit. 609.
Menſium fluxus immodicus. 540.
Menſtruum ad varias Tincturas. 50.
-- ad metallorum & mineralium Tincturas. 179.
Mercurii vitæ præparatio. 5. 6. 15. ſeq. tutisſimum medicamentum. ib. 23. vires. 158.
-- vitæ bezoardicus. 402.
Mercurialium medicamentorum vires. 36.
Mercurii ſublimati proba. 41.
-- acidus liquor. 65. 77. ſeq.

Mercurius quid propriè ſit 193.
-- dulcis per ſe non datur 104.
-- Eſſentia. 268. 278. 316.
-- antimonii 279.
-- crudus an ſine damno aſſumi poſſit. 475.
-- Philoſophorum. 614.
-- quomodo tanquam medicina fuerit cognitus. 628. Veterum adhibendi modus. ibid.
Meſenterium ejusque morbi 443. ſeq. curatio. 445.
Metallorum generatio. 575. optima dant medicamenta 142.
Meteora cur magis circa loca putrida 626.
Mola quid 519. 527. ſeq. an à ſolô ſemine fœmininô 528. cautelæ in ea expellenda. 529. Signa diagnoſtica. 530.
Morbilli 685.
Morborum differentiæ unde petendæ. 22.
-- contumax quid. ibid.
-- Hungaricus à vermibus. 23. 684.
-- multi falſo pro incurabilibus habentur. 176.
-- aurium eorumque curatio. 245. ſeq.
-- periculoſiſſimi quomodo judicandi. 205.
Morphæa quid. 270.
Moſchi pulveriſatio, 61.
Motus convulſivus. 144.
Muſcarum uſus. 145.
Muſculorum vita. 148. tremor & convulſio unde. ibid.

N.

N*Arcoticorum* adhibendi modus. 28. 38. ſeq.
Narium morbi. 255. unde lædantur. 256. 258. ſeq. duplices ſunt. 256. narium præſtantia & uſus. 258. curatio. 264.
Natura quid & quotuplex. 12.
Nephritis 487. duplex eſt. ibid.
Nervi decuſſatim in partes inſeruntur. 129.
Nihil album quid. 216. 231. vires. ibid. 226. præparatur ut ſaccharum Saturni. 230.
Nitrum præparatum. 76.
Noma quid. 518.
Nubecula oculorum quid. 231. 236. unde proveniat. ibid.
Nutritio partium quomodo fiat. 556.

O.

O*Bſtructio* capitis facile fit. 90.
-- omnium morborum proprietates continet. 395.
Obſtructio Inteſtinorum. vide Inteſtina.
-- renum. 486.

Occultæ qualitates malè à medico aſſeruntur. 176.
Oculorum affectus duplices. 211. cauſæ. 213. phthyſis aut atrophia. 229. affectus externi eorumque curatio, 231. ſeq.
Odor fragrans morbos curat. 348.
Oleum amygdalorum amarorum. 21.
-- aniſi 355.
-- antimonii rubrum. 197. 263.
-- caryophillorum. 37.
-- chamomillæ 355.
-- cur ulceribus noceant. 485.
-- deſtillata aromatica cur odontalgica. 35. 37.
-- fuliginis 630.
-- hyperici 26.
-- juniperi 280. 547. 562.
-- ligni Ebeni. 280.
-- ligni juniperi. 37.
-- ligni ſancti. 37.
-- Mercurii 278. ſeq. dulcificatum. 471.
-- nucleor. perſic. vires, ibid.
-- omnia quid 445.
-- otici præparatio. 255.
-- quomodo rectificanda 37.
-- rubrum ex ſtercore humano, 327.
-- Saturni ad ulcera 263.
-- ſuccini albi. 282. 340.
-- tartari fœtidum. 562.
-- Vitrioli 292. maximam præcipitandi vim habet. 242.
Ophthalmia quomodo differat ab epiphora. 241. quid. 232. 241. cauſæ. ibid. curatio. 242.
Opiata Salomonis 478.
Opii extractio. 39.
Orificium ventriculi Helmontio quid. 66.
Origanum. 37.
Oris vitia. 266.
Orthopnœa. 297. 303. cur non niſi erecto cervice reſpirare poſſint, 304.
Oxycratum. 370.
Ozæna quid. 256. 260. unde fœtor, ibid.

P.

P*Alpebrarum* ſcabies, pruritus, inverſio. 232. 243. curatio. 244.
Palpitatio cordis. 328. differentia & cauſæ. 330. ſeq. curatio, 329. 332. ſeq.
Pancreas ejusque morbi. 443. ſeq.
Paralyſis. 123. gradu ab apoplexia differt. 124. 127. quomodo ab arthritide differt. 126. an benè dicatur debilitas. ibid. eſt duplex. 127. cauſæ. 124. 128. ſeq. an tota ſpinalis medulla lædatur. 129. curatio, 124. 130. ſeq.
Parotides quid, 246. 249. curatio. 250 ſeq.
Partes corporis quomodo lædantur, 415.
Paſſio Iliaca quid. 451. ſeq.

Penis ulcera. 491.
Peripneumonia, 298. 305.
Perſicaria. 280.
Peſtis. 262. 269. à medico non negligenda. 571. ſpiritus fracidus & venenatus quid. 572. cauſa vera eſt animata putredo. 573. dupliciter inficit. ibid. quomodo propagetur. 576. an cœleſtia etiam concurrant in ejus productione. 579. corruptionis cauſa 583. afficiendi ratio. 585. an imaginatione ſolâ etiam contrahi poſſit. 587. præſervatio. 588. ſeq. curatio. 591. ſeq. purgantia cur pernicioſiſſima. 600.
Phlebotomia in febribus an licita. 13. 652.
Phlegmone uteri. 518.
Phrenitis. 62. cauſæ. 64. 67. ſeq. curatio 64. 71. ſeq. ſubjectum. 66. ſeq. ſemper febrem habet conjunctam. 68. ſeq. diuretica an proſint. 74.
Phtyſis ventriculi. 349.
Phtyſis. 309. 312. ſeq. cauſæ. 310. ſeq. ſemper conjunctam habet febrim. 314. an curari ex voto poſſit. 310. Paracelſi ſententia 317. curatio. 316. ſeq.
Pilulæ polychreſtæ. 336. 341. 404.
Piſces cur non mingant. 412.
Pituita non datur in corpore ſecundum Veteres. 27. 31. ſeq. 406. 648.
-- vitrea Veterum. 93.
Pix quid præſtet. 592.
Plantago. 160.
Pleuritis. 219. 321. ſeq. differt pleura & pleuron 322. pleuræ conſideratio. ib. curatio. 320. 324. ſeq.
Podagra. 545. doloſus morbus. 547. cauſæ. 550. 554. non eſt incurabilis. 557.
Polypus narium quid. 256. curatio. 265.
Poſca quid. 375.
Præcipitationis myſterium. 34.
Priapiſmus. 492.
Priapus cervi 306.
Principiorum chimicorum explicatio. 193. 271. conciliatio cum Dogmaticis 272.
Procidentia ani 480. 484. curatio. 486.
Procidentia uteri 534.
Prunella quid. 286. cauſæ 295. ſeq.
Ptarmicum fortius ad vermes. 25.
-- memoriam confortat. 115.
Pulmonum morbi 296. ſpirituum vitalium ſunt officina. 301. an ſolidum quid ſalva vita inhærere poſſit. 303.
Pulvis emeticus vid. *Emeticum*.
Pupillæ vitia 226. binos tantum patitur morbos, 227. dilatatio duplex. 228. diminutio quanta commoda habeat. 229.
Purgantium abuſus damnoſus. 151. in febribus malignis an adhibenda. 250.

Pur-

Purgans externum in colica. 456.
Purgantia quomodo ab evacuantibus differant 316.
Purpura puerperarum. 538.
— omnibus febribus malignis competit. 685.
Putredinem ſemper comitatur delete-ria vis. 111.
— in cadavere eſt à ſpiritu mundi. 679.
— omnium in corpore colorum mater. 687.
— animata omnium ulcerum pathologia. 313.
Putrefactio Philoſophica quid. 388.
— chimicæ potentia. 179.
— eſt omnis generationis principium. 273.
— quotuplex 642. 679. non à calore provenit. ibid. in corde fit. 643. 679.

R.

RAnula linguæ. 283. 290. an gargariſmate curari posſit. 291.
Realgar quid. 526.
Refrigerare quid. 75. 440. Galenicis fuit ignotum. ibid.
Regulus antimonii. 139.
— quid notet ſpagiricis. ibid.
Renes eorumque officium. 397. morbi. 486. ſeq.
Reſina quomodo à philoſophis vocentur. 26.
Reſinarum vires. ibid.
— ſolis. quid. 530.
Reſpirationis ſumma necesſitas. 207.
Rhagades. 479.
Rhabarbarum. 14. vires 502.
Rhexis oculorum. 231. tunicæ corneæ in curabilis. 238.
— curatio. 239.
Riſus Sardonius unde. 136.
Roborare naturam quid propriè ſit. 177.
Roſarum vires. 160.
Roſmarinum. 94.
— Eſſentia. ibid.
— vires. 94.
Rotulæ ſtomachales. 349.
Ructus ventriculi unde. 359.
— quomodo corrigendi. 360. ſeq.
— Helmontii ſententia. ibid.

S.

S*Alium* dulcificatio. 33.
Sal vitri. 239. 233.
— Vitrioli. 524. ſq. ejus præparatio & vires. 428.
— ia metallorum. 108. 118.
— fixa mineralium parandi modus. 139.
— communis virtutes. 153. 688.
— abſynthii. 403.
— ammoniacum. 441.
— Saturni dulcificatio. 471.
— antimonii. 510.
— excrementitia quæ. 545.

Sal

Sal balſamicum in ſanguine quid. 550.
-- centrale. 552. fermentationis faber eſt. ibid.
-- naturæ balſamicum rerum omnium ſubjectum & materia. 574. 596.
-- Urinæ virtutes. 659.
Sanguis obſtructiones facit. 93.
-- ſal volatile ſpecificum. 180.
-- adhibendi cautelæ. ibid.
-- examen chimicum. 271.
-- hirci vires. 306. 328.
-- variorum animalium vires. 591.
Sanguificatio quomodo fiat. 344.
Sanitas quid & in quo conſiſtat. 174.
Saphirus. 601.
Satureja. 38.
Saturnus in corpore quid. 196.
-- ſpleni optime quadrat. 195.
-- Eſſentia. ibid.
-- ſaccharum. 499.
-- ſpiritus. 442.
Scabies. 610.
Scintillæ ex crinibus pectinatis cadentes unde. 627.
Scirrhus lienis. 435. quid ſit. 436. curatio. 435. ſeq.
-- ſæpius febris quartanæ cauſa. 674.
-- uteri. 518. 527. plerumque incurabilis. ibid.
-- & tumor ſcirrhoſus, quomodo differant. 512.
-- ſcroti. 510. 512.
Scrotum. 510. 512. ejus morbi. ibid.
Sermonis vitia. 156.
Serpentaria qualis planta. 280.
Serpentes 601.
-- tum vires. 611.
-- præparatio. ibid.
Singultus. 356. Hippocratis ſententia. ibid. 357. curatio. 356. 359.
Smaragdus. 601.
Solutio continui non immediata doloris cauſa. 4. 9.
Spasmus cynicus. vide Convulſio canina.
Spasmus quid. 143. 146. cauſæ. 144. ſq. 147.
-- non à ſola repletione. ibid. 151.
-- duplex eſt. 147.
-- ſubjectum primarium. 149.
-- flatulentus quid. 151.
-- curatio. 145. 152. ſeq.
Sphacelus cur absque dolore. 9.
Spiritus vitæ quid. 7. 8. 659.
-- -- varia nomina. ibid.
-- -- doloris cauſa. 3. 9. ſeq.
-- -- fit putrefactione. 643.
-- vitrioli philoſophicus. 16. 141.
-- minerales quomodo agant. 35.
-- -- quomodo corrigendi. 499.
-- vini ſumme rectificati appellationes. 339. 35. 543. effectus. 95. Helmontii ſententia. 36. 98.
-- ſalis Tartari vires. 36. 441. præparatio. 179.
-- nitri vires. 36. 369.
-- vitrioli. ibid. eſt antaphrodiſiacus. 499.

Spiritus cephalicus Autoris. 62. præparatio. 98. vires. 106. 404.
-- animalis quomodo fiat. 87.
-- Tartari virtutes. 131.
-- -- coralliati præparatio. 186.
-- -- congulatus. 561.
-- therebinthinæ. 254.
-- urinæ. 131.
-- ceraſorum nigrorum. 155. 160.
-- theriacalis an balbutiei conveveniat. 160.
-- ſignorum 280.
-- Ligni Ebeni. 306.
-- Vitrioli veneris. 344. 346. 369.
-- ſalis ammoniaci Tartariſatus. 437. præparatio. 439. 441.
-- anticolicus Michaelis. 457. 458.
-- excrementitii in corpore unde & quomodo generentur. 553.
-- mundi quid. 558. 679.
-- ſalis. 690.
Splen bovis aperitivum cur. 538.
Stranguria. 505.
Stercora animalium. 225.
-- humanorum aliorumq; examen & vires. 326.
Strangulatio. 91.
Sudorifera vegetabilia quid. 17.
-- qua ratione agant. ibid. 295.
-- magni deſcriptio. 41. 48. eſt panacæa. 51.
-- an conveniant in obſtructionibus. 446.
-- corallorum & perlarum. 656.
Succinum. 592. 599.
Succus lapidificus. 418.
Suffumigium in dolore dentium. 31.
Suffocatio in aqua. 91.
-- hyſterica. 533. 542. ſeq.
Suffuſio. 220. 222. cauſæ. ibid. non à catharro provenit. 223. curatio. ibid.
Sulphur antimonii. 590.
-- commune ibid.
Sympathiæ ratio. 10.
Syncope vide Lypothymia.
Synovia quid. 555.

T.

Tabacum. 304.
Tabes. 309.
-- ventriculi. 349.
Tartarus vitriolatus. 65. duplex. 74.
-- ſudorificus. 561.
Tenebræ oculorum unde. 56. ſeq.
Tetanus. 147.
Thermæ ſpiritu mundi impregnati. 131. duplices. ibid. Neapolitanæ cavernæ 132.
Thoracis vitia. 296.
Thus. 592.
Thymus. 37.
Tinctura Tartari. 165.
-- ad aſthma. 304.
Tinnitus aurium. 90. 247. ſeq.
Topicum medicamentum. 100.
Torpor mentis unde. 170.
Tortura oris duplex. 137.

Tranſpi-

Tranſpirationis inſenſibilis neceſſitas. 92.
Trepanum quotuplex. 20. quomodo applicandum. 20. 25.
Tumor tonſillarum. 283. 291.
-- lienis. 429.
-- ſcroti. 510.
-- indolentes unde. 546.
Tuſſis quid & unde veniat. 302.
Tutia, vide Nihilum album.
Tympanites, vide Hydrops.

U.

VApores Veterum quid. 170.
Variolæ. 685.
Vegetabilia mercurialia quæ. 280.
Venarum ſelectus an locum habeat. 71.
Venæſectio immodica noxia. 151. quomodo celebranda. 298. 514. in febribus nocet. 652. 681.
Venenum glaciale. 93. quomodo agat in corpus 111.
-- omnia in ſe ſui habent antidotum. 527.
-- martiale quid. 540.
-- optima dant medicamenta. 593.
Ventriculus affectus cur caput ſimul afficiat. 14.
-- ſanitatis fons. 58. ſeq.
-- morbi. 341. unde. 345. curatio. 342. 346. ſeq.
-- duplicitet cibos corrumpit. 346.
Ventriculo Helmontius principatum tribuit. 343.
-- fermentum à ſplene accipit. ibid.
-- cur tempore hyberno melius coquat. 380.
-- ſenum quid. 487. ſeq.
Venus nimia. 619.
Vermes ubique in corpore generantur. 22. 25.
-- odontalgiæ cauſa. 30.
Verruca ani. 482.
Vertigo 51. cauſæ. 52. 54. ſeq. ſubjectum 52. curatio. 53. 59. ſeq.
Veſica ejusque partes. 490.
-- morbi. ibid.
-- ulcera cur ferè incurabilia. 496. curatio. 500.
Veterum cum Neotericis conſenſus. 553.
Vinum pro arbore vitæ datum. 381.
-- vires. ibid.
-- dicitur eſſe vitriolatum. 382.
-- in febribus intermittentibus cur proſit, & noceat in continuis. 664.
Viperæ vires. 611.
Vitrioli veneris præparatio. 348.
-- -- vires. 524 fœminis magis competit. 525.
Vitriolum. 160. 445.
-- maximè cum ſulphure convenit. 242.
-- ex quocunque metallo eliciendi modus. ibid.

Vitulinæ carnis in ophtalmia uſus, 242.
Ulcera narium unde. 356. 359. curatio, 264. ſeq.
-- inteſtinorum. 468.
-- renum 486.
-- venerea 493. curatio, 501.
-- cancroſa. 526.
Unguis oculorum. 231. cur ita dicatur, & quomodo differat à panniculo, 239. curatio, ibid.
Vomica, 306. Signa diagnoſtica 307. metallarios cur magis afficiat. 308. curatio. 309.
Vomitoria ex limine Fati revocant 149.
-- adhibendi methodus. 153.
Vomitus 364.
Urina quid 72. unde tam ſubito mutatur. ibid.
-- non eſt merum excrementum 405. 410.
-- Tinctura. 407. 421.
-- an venerem ſtimulet. 411.
Urinæ ictericorum aut aliæ ſaturatius tinctæ cur nullum ſaporem amarum habent. 658.
Uterus ejusque affectus. 517.
-- ulcera 518. 525.
-- hydrops 520.
-- eſt centrum muliebrium morborum. 521.
-- Paracelſi de eo ſententia 522.
-- ſymptomata 531.
-- adſcenſus. 534. 544.
-- prolapſus. ibid.
Vulnera recentia cur non doleant. 9.
Vulneraria egregia 160.
Uva inverſa quid 601.
Uvulæ tumor 284.
-- inflammatio. ibid.
-- varia nomina 292.
-- morborum curatio 293.

Z.

Z*Inziberis* vires. 37.

CHRISTIANI LANGII,

Philoſoph. & Med. Doct. & in Univerſitate Electorali Lipſienſi Prof. Publ. Facult. Med. Senioris, Colleg. Maj. Principp. Colleg. & Decemviri Chimiatri & Practici longè celeberrimi, nunc B.

MISCELLANEA CURIOSA MEDICA,

Annexa diſputatione

DE

MORBILLIS,

Quam Prodromum eſſe voluit

NOVÆ SUÆ PATHOLOGIÆ ANIMATÆ

Itemque de

ELIXIR PROPRIETATIS,
CALCULI HUMANI CURATIONE,
GENUINO ACIDULAS EGRANAS

Salubriter uſurpandi modo

Et

THERMIS CAROLINIS

TRACTATIBUS;

Poſt Autoris obitum conjunctim edita.

FRANCOFURTI,
Sumptibus GEORGI HENR. OEHRLINGI.
M DC LXXXVIII.

Joh. Centurio Macaſius, D.

Benivolo Lectori S. D. P.

QVâ hodie contentione Naturæ Myſtæ in lucem protrahant reconditas almæ illius Matris opes & in uſus humanos, quos præ reliquis præſtat Ars Medicina, de quâ dictum ab Helmontio eſt extra eam, Phyſicam ſine deſtitui, ſummâ cum ægrotorum ſalute convertant, ignotum nemini eſſe poteſt. Sunt autem duæ potiſſimum viæ, quibus ad perfectionis culmen hanc naturæ ſcientiam deducunt ejuſdem ſectatores. Vel enim exercent Anatomen, unde ſubjecti Medicinæ cognitionem hauriunt, cujus tanta neceſſitas eſt, ut non immeritò Anatomiam, *Medicinæ Alphabetum* vocaverit *Montanus*: vel Chymiæ operas tractant. Utrumque ſtudium non tantùm latentes naturæ receſſus detegit, ſed & medendi artem inſtaurat ac perficit. Mundi Epitomen Hominem eſſe, dictum à Sapientibus eſt. Quis autem macrocoſmum in microcoſmo intueri poterit ſine Anatomicâ arte, quæ quibus partibus cohæreat Microcoſmi illud Syſtema, & quæ earum actiones ſint, quas hodie ſex digeſtionum regionibus includunt, unicè docet. Hæc ipſa Anatomiæ cognitio, quàm neceſſaria inſuper ſit ad exercendam laudabiliter Medicinæ praxin pluribus edocuit maximi nominis ille Anatomicus & Medicus Riolanus, cujus inter alia hæc verba ſunt: *In curationibus morborum cæcos reputo, quibus hic Medicinæ oculus non prælucet, velut loquitur Galenus ſimiles iis, qui in lecticâ iter*

iter caci faciunt. Hæc de Anatome. Quantum verò ad naturalis ſcientiæ pariter & Medicinæ perfectionem conferat Spagyrice, is demum ignorabit, qui artem hanc naturæ clavem eſſe ignorat, *Chymia principia habet non logismis parta* (verba laudati Helmontii ſunt in Pharmacop. modern. §.32.) *ſed quæ per naturam ſunt cognita & per ignem conſpicua: præparatq; intellectum ad penetrandum occulta naturæ, ponitq; inveſtigationem in naturâ ulteriorem quam aliæ ſcientiæ omnes ſimul & penetrat usq; ad ultimas profunditates veritatis realis.* Eô ipſo verò dum in prima principia convertit mixtorum craſes, cum virtutum ſeminalium maturatione efficaciſſima etiam medicamenta præparat, verá morborum remedia, ut, ſi ſecundum Galenum in arte Medicâ τεχνότεσαι (hoc eſt peritum artificem fieri) ſit anatomes & Pharmaciæ perfectam habere notitiam, is demum perfecti Medici titulum mereatur, qui Chymica remedia cognita habet, utpote ſine quibus vehementiores morbos fruſtrà tentari & indignum proinde Medici honore eſſe, qui Chymiam penitus ignorat, graviter cenſuit celebratiſſimi nominis Medicus *Matthiolus.* Atque hæc quidem genuina methodus eſt, quæ Medicinæ ſecreta planè revellantur: huic qui inſiſtunt Medicinæ Doctores, omni honoris cultu præ reliquis afficiendi ſunt. Egit illud ſummâ cum laude Nobiliſſimus, Ampliſſimus, Excellentiſſimus atq; Experientiſſimus Vir *D. D. Chriſtian Lang*, quondã Præceptor & Affinis meus deſideratiſſimus, qui cum adhuc ſuperſtes eſſet, & hâc in Academiâ Profeſſorio fungeretur munere, multorum annorum decurſu non tantùm ex Anatomiæ præceptis ſed & ex Spagyriæ theorematibus omnem Medicinam diſcipulis ſuis tradidit, cujus locupletiſſimus veluti index eſt, privatum illud Collegium, quo Pathologiam *CL. Fabri* à Typographicis mendis, quibus referta fuit, prorſus vindicavit, & ſecundum veriores morborum cauſas, ac genuinam curandi methodum explicavit, quod ſuo etiam tempore in lucem prodibit, nunc ejus veluti prodromum Diſputationem de morbillis unà cum diſſertatione de Elixire Proprietatis laudati Autoris huic opuſculo adjunximus. Hâc etiam methodô ante annos aliquot in publicum emittere cæpit *Curioſa hæc Miſcellanea Medica* verè curioſa, in quibus ex Anatomiâ & Chymia ſelectiora Themata propoſuit & publico Eruditorum examini ſubjecit. Horum pleraq; Gymnaſmata, cum non

tantùm Philiatri avidè excepiſſent, ſed Doctiores etiam Viri expetiiſſent, factum eſt, ut pleraq; exemplaria diſtracta penitus fuerint. Quare ne laudabilis hujus curioſitatis ſpecimina intereant prorſus, hoc quicquid eſt laboris in me ſuſcipere & novâ eorum editionem procurare volui. Haud verò opus eſſe autumo, prolixâ commendatione ea exornare, cum ſe ſatis ſuperq; ipſamet jam ante reddiderint commendata, utpote quæ nō ſemel inſtanti petitione efflagitata ſunt ab æquis æſtimatoribus; nec opus eſt *CL.* eorum *Autoris* laudes prolixius efferre, cum vix quiſpiam inter Medicos erit, ad cujus aures celebratiſſimi hujus Chymiatri fama non pervenerit. Præſens etiam aureolum hocce ſcriptum edecumatæ illius eruditionis ac prudentiæ, quæ verò poſt hæc in publicum prodibunt ejus opera, haud vulgata non intermorituri nominis ejus monumenta erunt. Tu interea, benivole Lector, hæc æqui bonique conſule, & reliqua ejus ſcripta, quæ modò promiſimus, expete, facturus illud es, ſi hæc, quæ nunc dedimus, omnibus modis tibi placuiſſe ſignificaveris. Vale.

IN NO-

IN NOMINE SALVATORIS!

I.

Non Vivere.

SED. VALERE. EST VITA.

CReatori ter O.M. ſit gloria & laus perenne ſumma, in Quo *Almam* nunc *Medicinam* ſalvere & alumnam, ſobolemque ejus unicam, SANITATEM, cujus illa pervigilans præſes & cuſtos eſt, jubeo. Lubet nimirum aptiſimâ hâc ordiri ſententiâ, & in texundo *curioſorum* faſciculo primitus tali floſculo uti, qui maximè divino pulchræ valetudinis bono donoque fragrans *Artis tutelaris*, merititſſimam dilaudat nobilitatem, prout ſolemne alioquin eſt *Scriptoribus*, â natura ſeu conſtitutione Rei opus auſpicari. FINIs igitur, quo ſplendet hoc artificium, mihi hoc in propoſito velificabitur, neque is, vel ſolus etiam, dulciſſimum *Medicinæ* nomen perire ſinet. Sed adſcribam quasdam *Majorum* voces in parilem imò ampliorem ſciti hujus intellectum conſpirantes. *Poſſidonius & Panætius*, Sophi à *Tullio* laudatiſſimi, virtutem ſufficere neutiquam ad bene beateque vivendum ſenſerunt, niſi proſpera juxtim valetudo, blandiſſimum illud totius condimentum vitæ, ad nutum ſit præſtò: & ut ſalus interioris hominis vita, ita & vitæ ſalus valetudo ridens. Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ. Pulchra *valetudo regno regalior omni.* Hinc quondam madida convivarum turba canticum tale conſueverat fundere: *O beata Sanitas, te præſente amœnum Gratiis Ver floret, absque te nemo beatus!* Aut, ſi cum ſupplicantibus modos ſociare amas, ſic dicito; *Beatorum antiquiſſima Sanitas in reliquam vitam tecum ſim.* Non enim Heroibus fortitudo eſſe glorioſa, nec jucunda Doctiſſimis poteſt ſapientia, niſi corpore valeant rectè: Ita concordi ſane omnium ore aſſeritur, nihil homini poſſe commodius, nil jucundius utiliusque pariter contingere, quàm ſecundam valetudinis

auram, utpote ſine qua nulla reliquarum rerum, *ut ſic loquar*, eſt voluptas; ſine qua mortalibus cuncta exſiſtunt infructuoſa, imo ipſamet vita. Audi morbis doloribusque graviter implicitos, qui vix nuce vitioſa vitam emere volunt, imo indignantur, *quod protrahat ingratas impia vita moras.* Auſculta *valetudinarium Lipſium*, qui vita ſe frui ſic quaſi per umbram ingemiſcit; & contra revaleſcens à morbo ſe revixiſſe lætatur. Hic profecto Status eſt rerum, ut acerbius ſit ægrotare & aſſidua morborum ferocia diſcruciari, quam extingui, ac plane non vivere. Dic mihi, quid illud ſit, cujus odio faſtidioque nemo unquam fuerit captus? VITA fortaſsè. O erras, & latè aberras; quod ipſum confirmat, animi ad moriendum inconſulta multorum inclinatio, & appetitus, ejusque properatiſſimus amor. SANITATEM hoc *ænigma* indicat, de cujus conſervatione omnes plus quam vehementer laborant, ita ut ſine Medicis nunc vivere mortales vix ac ne vix quidem audeant. Inſita certè nobis eſt noſtræ dilectio Sanitatis, quanto magis erudita illa ejusdem ſollicitudo, & valetudinis afflictæ correctura.

Ergo nihil toto Medicina carius orbe
Eſſe poteſt, hominum quæ levet Arte malum.
Divitiæ cedant & opes, huic cedat & aurum
Cui mens non eadem, non homo, ſed pecus eſt.

II.

INTEMPERIES.

SEMPER. MATERIA. CONSORTE. GAUDET.

SEntentiam hanc ex turba ſeparare, & rationibus ad ſtabiliendam eam paratiſſimis aſſignare volo. Omnium quidem *Medicorum* ductu & auſpiciis contrarium hactenus dictum fuit, quorum tamen collegio nomen meum tam nude aſſociare nolo. Notiſſima autem *in Schola Pathologica* diviſionis eſt fama, qua *intemperies alia ſine materia, & cum materia* rurſus *alia* ſtatuitur. Sane ſi ad ſubtilitatis trutinam hoc diſtinguendi ſtudium examinemus, ſupervacaneum & minus ſolidum, minuſque accuratum illud exiſtere manifeſte palpabimus. Quid etenim, quæſo, eſt *intemperies ſine materia*? Fortean umbra ſine corpore, accidens ſine ſubſtantia & ſubjecto, cui neceſſariò id aliàs inhærere *Dialecticorum leges* dictitant. Patet ergò inevitabiliter, ut temperamentum quodvis, ita etiam intemperiem quamlibet eſſe cum materia, cui tanquam patriæ & ſubjecto ſuo, inſeparabili connexu, ineſſe debet. Verum prodire hic *ſolertiam Plempii* conſpicio, qui litem dirimere hac in cauſa conatur. Per materiam, *inquit ille*, non intelligi ſubjectum, ſeu materia in qua debet, quia ſic omnis intemperies eſſet cum materia, & tanquam accidens ſubjectum ſuum inhabitaret: Sed per *materiam* acci-

accipiendus eſt *humor, qui cauſa ſit efficiens, & qualitatem excedentem fovens.* Atque hac ratiocinandi ſolemnitate celebrata, intemperiem ſine materia definit *Autor*, quod ſit intemperies, quæ citra humoris influxum vel congeſtionem actiones offendit; *Exempla* quoque *intemperierum ſine materia* ipſe proponit, quibus tamen parum vigoris ego, *mea quidem mente*, attribuo, Exiſtimo nempè, penitùs non intereſſe, ſive affluat humor, ſive ab initio ſtatim præſens, ſive etiam leviter ſaltim, ſive vehementer alteratus, ſive parcus, ſeu copioſus ac ſuperfluus ille ſit, modo parti intemperiem conciliare atque efficere valeat. Qua ipſa ratione in propatulo confeſtim eſt, intemperiem calidam, ab æſtuante æſtivo ſole inductam, non eſſe nudam, ſed omnino *materialem*, quoniam, niſi primitus ab hoc Phœbi fervore corporis ejusque partium humores & ſanguis incaleſcant, partes ac viſcera nunquam hac intemperie afficientur: Et ſic quoque de reliquis ſentiendum eſſe doceo. Imo *inanitatem immaterialis intemperiei* ejus *Aſſertores* ſatis evidenter produnt; dum eam haud diu perſiſtere, ſed in materialem citiſſime degenerare, adeoque fugaciſſimam & quaſi momentaneam eſſe, hoc eſt, inchoando finiri (vel, *ut ego interpretor*, vix imaginatione concipi poſſe,) arguunt. Sed planius ubique loqui potius & ſuſpecte ſonantia verba ab omni ſincere informandi intentione ſequeſtrare conducet. Tu modo cœterum, *mi Lector*, doctrinam de Spiritibus influentibus atque de circulatione Sanguinis mente paululum revolve, & mecum ridebis laborioſam vanitatem. Eſt igitur *intemperies ſine materia* & ſine omni humore non-Entium germana Soror, eſtque volubilium nugarum egregiè particeps, & vanitatum vaniſſima Vanitas.

III.

VINI. VITIUM.

TRANSIT. IN. REMEDIUM.

IN *vite* omnium vegetabilium principe eſt flagrantia *vitæ*, abundantia gratiæ, hilaritatis dulcedo, & mirificæ Medicinæ valetudo. OINOC, *ait Athenæus l.* 2. eſt ONHCIC, ingens juvamen & utilitas Vinum. Vinum eſt, quod mentis nubila denubilat, quod tenebras pectoris rumpit, curasque ſolvit ac cor hominis lætificat.

Vino nihil jucundius quicquam eluet,
Vino nihil jucundius quisquam bibit
Hoc continet coagulum convivia,
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium;
Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt,

Sacer & alibilis eſt ille liquor, Νἔκλαρ ὀλύμπου, Lac Senum & Veneris omnino probatiſſimum.

Gignit humores vinum melius meliores,
Dat purum vinum tibi commoda plurima, primum
Confirmat cerebrum, ſtomachum reddit tibi lætum,
Corpus pinguefacit, vitam facit atq; robuſtam.

Verum ut nihil tam Sanctum eſt, quod temporis diuturnitas non corrumpat, atque nil tam omni ex parte beatum, atque ſincerum, quod periculum mutationis ſubire non habeat neceſſum, ita quoque *Vini ſuaviſſimum ſaporem* in *mordacem* deflectere *acorem* & jucundos id mores ſuos ſic penitus exuere quotidie comperimus. Degenerationem igitur hanc Vini, quam *Hebræi* Vini Filium, *Plinius* vitium appellitat, quod plerique *acetum*, quidam *Vinum acre*, alii *cadaver vini*, ſeu *vinum mortuum* (ob corruptum ſcilicet nativum ejus calorem) vel *decreſcens* ſaltim nuncupant, *tranſire in remedium, & aceti nequitiæ virtutem ineſſe magnos ad uſus, ſine quibus vita mitior duci non poteſt, inquit Plinius. l. 23. c. 1 & l. 14. c. 20.* De genuina aceti generatione ac temperamento laxa profecto caſtra dicendi præſto eſſent, ſi ingredi ea nunc ferret lubentia animi; hunc attamen gradum in præſenti adhuc ſuſpendere non diſplicet. Jam duntaxat *hujus vitii virtutes* æſtimabimus Medica lance, & illius efficacia non unum corporis vitium vinci abſque ulla nebula videbimus. *Chymici* autem cumprimis deprædicare norunt utilitatis magnitudinem, quam ipſis abunde *Metallorum Mineraliumque putrefactione & correctione* præſtat *acetum*, quamvè in ſegregatione puri ab impuro, in tollenda ſeu mitiganda mineralium vi corroſivâ, & in fixatione volatilium egregie exhibet. Tota inſuper die & ego experior, quam nobile, quam potens & ſuave *Menſtruum ſit acetum deſtillatum* in extrahendis è *Mineralibus Metalliſque*, quin imo ex ipſomet *auro eſſentiis ac Tincturis*, modo hæc corpora in anteceſſum rite recteque, *hoc eſt*, philoſophice reſolvantur, recludantur, præparentur, quicquid etiam ganniant garriantque ruditatis & ignorantiæ ſententia non immerito condemnati. *Chymicum*, quod dicitur, *Laboratorium* ne nomen iſtud equidem mereatur, ut nihil jam de *Spiritu vini* adjiciam abſente *aceto*, *eoque ſtillatitio*, ſine quo utpote in Alchymia laudatu digni nihil perfici ac confici poteſt, adeo ad omnes ferme *Spagyricorum* operationes aceti præſtantia requiritur. Cœterum Lactucæ balneum commodiſſimum & palato noſtro acceptiſſimum præbet *acetum*, guſtumque & amorem edendi languentem, ſicubi à bile eſt, grata ejus auſteritas approbe ſuſcitat, diſcutiendo protinus faſtidium omne, quum in cibis ut plurimum *ſit acor ipſe jucundus*. *Acetum* porro in æſtu jucundum, & in reſtinguendo febrili ardore ſummopere efficax ſe ſiſtit; adeoque tam magna aceti vis in refrigerando, & ſiti ſedanda eſt, ut rectiſſime hinc *Gellius lib. 17. c. 8.* illud frigorificum nominitaverit. Veneno

ac

ac putredini, præſertim ſi eum alexi-pharmacis conjugium ineat; ex ſententia reſiſtit, eamque tollit & juxtà virium robur potenter fulcit, unde *Ruricolæ Itali* panem aceto intinctum familiariter degluriunt. Habet acetum vim incidendi, diſcutiendique, pollet id etiam facultate detergendi, reprimendi, ſiccandi, penetrandi & aſtringendi, qua ipſa ratione hæmorrhagias, aut alios corporis fluores confeſtim id ſiſtere valeat. Enecat inſuper moleſtos inteſtinorum hoſpites, lumbricos ac quoſcunque vermes, præcipue ſi mixturam *lege artis* cum C. C. U. iſtud faciat, *Extrinſecus* pariter ad vulnera & partium inflammationes, ad inferioris gutturis & muliebris naturæ procidentiam acetum mire eſt proficuum; item vapor aceti bullientis, auribus ſi excipiatur, tinnitus earum atque gravitatem audiendi admodum levat. Proh fidem! quantis virtutibus gaudent ex aceto, vel cum eodem compoſita ac parata Medicamina, id quod *autoritas Diſpenſatoriorum* teſtimoniis probatiſſimis pulchre communit. Faveret mihi opportunè ſatis hîc occaſio, *de Aceto meo Vitriolato* (ubi notandum, aliàs cum Vitrioli indole acetum valde multumque convenire, ſic docente *Celeberrimo Ioanne Schrodero*, *vinculo exoptatæ adfinitatis nuper* mihi *junctiſſimo, in Pharmacop. l. 4. claſ. 2.*) *de aceto Mercuriali cum* Sole aliiſque aliquid ediſſerendi, quarum Medicinarum in deſperatiſſimis etiam caſibus divinas laudes nunquam ſatis decantare potero, verùm omni gloriæ appetitu deſtituto, mihi hâc vice de iis addere nihil potius viſum eſt.

IV.

MEDICUM. DESIDIÆ. ARGUIT.
CRISIS. RELIGIOSA. EXPECTATIO.

DOctrinam *de criſibus* damnare Scopus minimè eſt, neque à corpore Medicinæ vel notitia Medicorum, ſpatia Critica volo ſequeſtrata, quatenus *Criſis* eſt merum & benignum Naturæ opus ac munus; (Licet *Helmont. d. Blaſ. Hum.* §. 6. in infirmitatibus omnem Naturæ conatum eſſe ſymptomaticum non ſine prægnanti cauſa fuerit effatus) ſed hoc duntaxat taxo, ac mihi ſtomacho eſt, quod *Practicorum* nonnulli ſuperſtitioſè *nimis expectando Criſin* ſumma cum ægrotantium (dum iſtas per moras potius dant pabula morbo) pernicie atque turpiſſimâ temporis cum jacturâ interim tam perperam conniveant, ut morbi ampliora incrementa capiant, & hinc periculosè ſæpius ingraveſcant, aut in deterius labantur. Aures potius meas *vox Hippocratica* circumtonat, qua *Filiis Medicinæ* pervigilandum eſſe paternè dictitat: OCCASIO PRÆCEPS, clamat *venerandus Pater*; & hinc ulterius tacitâ mente innuit rem inclinatam ſubitò erigendam eſſe, ne poſtmodum vel planè non, vel difficulter ſiſti queat. Rerum occaſiones, *ait Demoſthenes*, tarditatem noſtram ac ignaviam non expectant; Neque tantum præ-

 ſentis,

ſentis, ſed vigilantis eſſe, *infert Seneca meus*, properantem obſervare occaſionem: Hanc ergò circumſpice, hanc ſi videris, prende, oblatam impigerrimâ manu arripe, & toto impetu, viribusque totis id age, ut iſtis officiis temet opportunè exuas. Omnes horas complectere: Sic fiet, ut minus ex craſtino pendeat, ſi hodiernô manum injeceris. ΓΝΩΘΙ ΚΑΙΡΟΝ, & rapidiſſimam ejus fugam conſideratione ſeriâ intuêre. Pelle moras & plurimam ſalutem omni cunctationi dicito, ô Medice. Hæc demum cogitatio temporis te parcum efficiet, *ire ſemper & nunquam redire horas.*

Sic tempus rapidis volat irreparabile pennis,
Fluminis inque modum lubricus annus abit.
O quam præcipitis volucris rota vertitur horæ,
Nec remeare poteſt, quæ ſemel hora fuit.
Invida res tempus ſua ſe per puncta trucidat,
Se pariter fugiens, ſe pariterque ſequens.
Nempe minus rerum eſt quàm temporis helluo tempus
Seque fluendo parit, ſeque fluendo necat.

Itaque pugnet ſedulò conſilii auxiliique velocitas cum temporis celeritate & venienti vel naſcenti ſtatim morbo dexteritate peritâ ac logicâ occurrere memento, cum minori negotio tolli malum primordio poſſit, dumque adhuc recens eſt, quàm cùm inveteraverit: ſatius ſemper adeò eſt morbi frugem in ſemine comprimere, quàm adultam demetere meſſem. Accuratè hinc *accuratiſſimus* Faber (*Panthym*.T.3. *in arg.*) & ego non malè fortaſſis cum iſto concludimus, Medico incumbere, ut morbos ante Criſin ac ſine Criſi alacriter curet; Pæan ſit Medicus, & quantum fieri poteſt, ocyſſimè finem faciat morbo medelas præbens: Alioquin ſi ſecus agat, ipſius operæ ac miniſterio, aut Medicæ artis auxilio nihil penitus adſcribi poterit. Si etenim *Criſis* in morborum curationibus expectanda, Medicina profectò ſupervacaneum ſeu inutile Magiſterium erit, quia totum medendi negocium *Naturæ, quaſi unicè, non verò Arti, nec ejus Præfecto* hâc ratione committitur. Idcircò languidum illud deſiderium *Criſis*, quum ſæpius ex ignavâ hac cunctatione ſuccedat funeſta vitæ Lyſis, execratur tam Medicinæ Fama, quàm ipſamet Phyſis.

V.

APOPLEXIÆ. CERTO. CURANDÆ.
FUNDAMENTUM.
IN. SALE. VITRIOLI.
TANQUAM. EGREGIO.
EMETICO. CONSISTIT.

Magnam

MAgnam & validiſſimam, imò ut plurimum hactenus interfectivam *ægritudinem* jam produco, ſed magnificæ famæ *remedium* ipſi conſocio, utrumque contemplaturus ſub favore rationum, quas veritatis pretio unicè nundinabor. Idipſum verò dum aggredior, rogo ſingulos officioſiſſimè, qui *in Gratioſa hac arte mihi Patres aut Pares* ſunt, ut placido benevolentiæ ſuæ Favonio conatibus his faveant, atque ſic caveant, ne pulcherrimus curſus contrariis ventis præripiatur. Ad enuntiandam *Vitrioli* gloriam aptisſima laudatione deſcendendi occaſio mihi nunc ſubeſſet, quæ tamen paululum adhuc linquenda, donec commodior aura ejusdem affulgeat. Aſt hoc proloquium de Minerali iſto interim Tu accipe, & acriter tuum huc animum intende: *In vitriolo quarta pars Medicinæ.* Ut enim, *juxta Paracelſum*, ex ligno variæ & elegantes figuræ effingi, & diverſa operationes inſtrumenta queunt confici, ita & *multimoda varii ſed mirandi inque contumacisſimos morbos ſtrenui effectus medicamina* exinde præparare norunt *Spagyricæ Artis Antiſtites.* Quod vero *Apoplexiam* concernit, quæ inter affectuum p.n. Proceres ſupremum ſibi ferme vindicat locum, odia hominum perperàm in me incendere prolixa diſceptatione animi intentio non eſt, num *Galenus*, &, *qui ſub eo meruerunt*, *ipſiusdem Aſſeclæ veram Apoplexiæ cauſſam*, acu, *quod dicitur*, & acie ſeu acumine mentis tetigerint, quatenus ad quartum cerebri ventriculum, & obſtructionem ejus à pituita frigidâ, viſcidâ, craſſaque oriundam totius negotii cardinem transferre illi laborarunt. Non diffiteor ego tam vepricoſam intricatamque hanc doctrinæ obſcuritatem eſſe, ut facile quemvis, ne penitiori indagine ſe in ſalebris hærentem expedire pergat, abſterrere poſſit, crevit attamen ipſa rei difficultate animus, qui ſpinoſa tandem obſtacula hæc, ni fallor, perfregit. Optime autem & vel baſis gratiâ ex *incomparabili Sennerto l. 2. Inſtit. Med. part 3. S. 2. c. 6. apponimus proximam & continentem Apoplexiæ cauſſam*, quæ Spirituum animalium in organis ſenſuum ac motionis eſt defectus. Nunc ergo diſpiciendum, unde cum primis eveniat, & quid obſtet potiſſimum ut Spiritus animales, motus ſenſuumque Parentes, in partes libero influxu divertere nequeant. Ampliſſimam certè adverſariorum catervam hic ſpectito, ſed ego militari cingulo non exornatus jam pugnare recuſo. Militent potius hoc bellum in tuam gratiam *Hoffmannus*, *Helmontius & Faber*, quorum meditationes de hujus affectus indole & cauſſa apud me omnino in autoritate ſunt. Expromam cuſtodite *Triumvirorum* mentem & eam verborum compendio aſtringam, imo nec ego ἀσύμβολος hic abibo. *Doctiſſimus Hoffmannus l. 3. Inſtit. Med. c. 91.* apoplexiam cum ſideratione & affulguratione comparat, à vehementi ictu ejusque inflictu ſic nominatam: Homo etenim iſto fulmine tactus, non aliter quam victima ad aram proſtrata, atq; unico percuſſa ictu, ſubitò concidit, deſtitutus omnibus ſenſibus tam internis, quam externis, privatusq; pariter omni motu cum univerſi corporis reſolutione. Cauſſam proximam *Ipſe* agno-

ſcit

ſcit unicam, nempe obſtructionem, & locum affectum præcipue *in ipſa totius cerebri ſubſtantia*(& ejus ſanguiductibus) interdum etiam extra cerebrum, in vaſis videlicet ſoporalibus & jugularibus deſignat: Materia enim ejus potiſſimum nil aliud eſt, quam ſanguis, isque ut-plurimum quantitate potius peccans, quam qualitate, in quâ tamen ſi vitium aliquod deliteſcat, craſſities erit. Patitur ergò, *ait Hoffmannus*, *totum cerebri corpus* in apoplectica miſeria, *non autem tantum origo nervorum*: propter illud vero internorum ſenſuum & facultatum principum læſio adeſt. Hactenus *Hoffmanni* accuratio, quam excipiat *Faber, Galliæ Splendor clariſſimus.* Sic circiter ille: Nunquam, *inquit*, *Panchym*, *Vol. 3. l. 3. c.* 7. quartus cerebri ventriculus in apoplexia repletus pituitâ fuit inventus, quemadmodum ſincere id teſtantur ii, qui apoplecticos defunctos curioſa diſſectione aperuerunt, & hoc cerebri antrum omni omnino humore vacuum compererunt. Verum *viſcera* potius *interiora* replentur, & *canales* obſtipantur, quibus ſanguinis diſtributio ac *commercium Spirituum vitalium animaliumque* inter partes ſuperiores ac inferiores datur promoveturque; unde, intercluſo & humoribus craſſis, viſcoſis, glutinoſisque præcluſo hoc commercio ſeu via, dum partes ſupremæ à Spirituum vitalium acceſſu, (cujus beneficio inſuper ſpirituum animalium generatio alias perpetua eſt) dumque inferiores ab influxu ſpirituum animalium propter factam ſic oppitulationem foveri atque ſic easdem radiis ſuis vitalibus illuminare nequeunt, ſtatim apoplexia exoritur, & moritur æger, niſi citò citiſſime via illa expediatur, ac libera ab illis humoribus excrementitiis, quæ obſtructionem iſtam pariunt, rurſum fiat, ut apertis denuo meatibus redire Spiritus, & cum iis negotium vitale poſſit. Quomodo autem ab illiusmodi humoribus progignatur apoplexia, *Faber* itidem clare mentem ſuam exponit: *Excrementa* alimenti, *pergit*, pedetentim ſenſimque ex cruditabus præſertim congeruntur ac coacervantur, donec *vel copia ſua aut tenacitate* vaſa jugularia ſive colli, ſive ipſius potiſſimum cerebri repleant, & ſic communionem Spirituum vitalium cum cerebro intercipiant. Quid quod eadem excrementa polleant quoque *vi frigida ac narcotica*, ceu *glaciali veneno*, unde apoplectici *ſtertunt* tanquam ſopore altiſſimo affecti, & extremum halitum jam exploſuri. Unde confeſtim perceptu non difficile eſt, cur *ſuperveniens apoplexiæ febris optima*, nempe frigus illud apoplecticum accedente febrili fervore ſolvitur atque potenti manu exterminatur. Hinc quoque in promtu eſt cauſa, quare *calida omnia & tenuia*, vel valde attenuantia, (uti ſunt *Spiritus & aqua apoplecticæ pretioſæ, quinta eſſentia Matth. Spiritus cephal. meus &c.*) in hoc affectu tam præſtans auxilium afferant. Hæc ſeligere ex fæcundo *Fabri* theſauro fuit lubitum; *Helmontii* vero documenta in ipſo curandi negotio citabimus & hæc dumtaxat ex iisdem in anteceſſum adſcribimus, quæ, collata accuratioris examinis lance ſi perpendantur, haud in contrarias partes iturire videbuntur, *Mucilago*

(ſeu

(ſeu tenacitas humorum) putrida, dicit *Helmont. â ſed. Anim. ad morb.* §. 11. *fortius* (in maſſa ſanguinea & vaſis, quæ eam continent) *inſurgens, apoplexiam* (obſtruendo) *ſuſcitat*; alibi inquit ipſe: *Impuritatum collegia vim narcoticam habent*, & hinc (*ita equidem conjicio*) repentinam motus ſenſuumque omnium ruinam, & occaſum efficiunt. Hic ſane non ſine flagitio, *ut ego quoque hanc pauliſper ingrediar* arenam, prætermitteretur *circulatio ſanguinis* & nobiliſſimus ejusdem uſus, cujus *enormi impedimento*, (ſive ſanguinis iſte motus in ipſa cerebri ſubſtantia, ſive in venis arteriisque jugularibus ac carotidibus ſive etiam in ipſo pectore cohibeatur,) *apoplecticum hoc malum* hactenus aſſignavi, imò & aſſignabo, dum mirifice gyratus â Natura Spiritus in corpore circumfluet, atque hos ipſos ſic reget artus. *Hæc eſt mea ſententia* quam niſi veram, & cum præmiſſis jam intimitus convenire deprehenderis, crimen læſæ veritatis non effugiam. Cœterum ſi unquam benevola & gratioſa actio eſt *medendi promtitudo ejusque feſtinatiſſima celeritas*, certe in hoc caſu eſt. Conſilium ſub die naſci debet, *ait Seneca meus. ep.* 71. & hoc quoque tardum eſt nimis, ſub manu, *quod ajunt*, ſub manu naſcatur. Res utique cunctando hic non reſtituitur, ut neque deliberandum diu, ubi periculum in mora, niſi machinas poſt bellum afferreret mortuo propinare pharmacum quis velit. Calidum conſilium ſibi Apoplexia poſcit: *Tu ô Medice*, citò hoc cedò, quia, *loquente ſic Helmontio*, intra ipſum vitæ nidum apoplexia ſedet, *l. ſub cit.* §. 12. Experientiæ meæ hiſtoriam, *Lector optime* ſi tranſeunte ſaltim oculo eam perlegere non aſpernaris, lubentiſſimè appendam. Non ita pridem Cygnéæ accerſitus ad *auctioris fortunæ Ruſticum*, ſicuti etjam paulo ante ad *ſalutariæ cuſtodiæ Miniſtrum*, (quorum hic quadrageſimum annum, ille ſexageſimum jam compleverat) ambos apoplectico ſtupore attonitos, & hinc ceu truncos torpentibus membris, ſtertentia præter murmura, undiquaque immobiles conſpiciebam, ſtatimque tum memoriam ſubibat *Helmontii & Fabri* dicterium, quo candidè aſſeverant, *ſecretum curandæ apoplexiæ*, præſertim ſi recens, *certiſſimum in vomitoriis* conſiſtere, præſertim verò iis, quæ cerebrum benignè expurgant & deſubito. Quum verè arctiſſime ſtrictos invicem ac mordicus compreſſos dentes in apoplecticis hiſce, ut ferme in omnibus illi ſolent, coarctari, deprehenderem, lignea ſpathula eos quodammodo disjungere & *ſalis vitrioli albiſſ.* (quod appoſite Emeticorum Manna appellatur & alpha) *drachmam ſemiſſem, in aqua ſalviæ, fl. Til. ceras nigr. &c.* ſolutam, (cui aliquid *Elix. vitæ Matth.* addidi, ut ſpirituoſa exhalatio cumprimis in vomitione ad cerebri adyta citius pervenire poſſet) leniter cauteque in fauces quaſi jam emortuorum inſtillare jubebam; Abſortâ jam penitus portiuncula, & circiter ſemihorulæ ſpatio retentâ vix effari poſſum, quam feliciter ſuperiorem alvum, *ut verbis Comici utar*, aliquoties ſine omni difficultate dejecerint, & quam copioſam ſordidamque humorum viſcidorum colluviem

viem egeſſerint. *Apoplectici mei, ita* ut recuperata paulo poſt loquela, ſicque reſtitutis ſenſibus, & aliquali primitus partium motiuncula, tanquam ex profundiſſimo ſopore, qui proximus rêvera hic mortis conſanguineus erat, expergiſcerentur, atque ê pectore quaſi trahentes vocem, attritas & graviter ſibi labefactatas vires conquererentur. Exhauſto igitur *adhuc ſemel* jam laudato ſalubritatis cum additione *olei amyg. dulc.* poculo, adhibitisque poſtmodum *ſpecificis* quibusdam *antapoplecticis ac corroborantibus*, item ſuaviter *purgantibus* & immiſſis quoque *clyſteribus* intra octiduum cum admiratione Aſtantium, quibus in ipſo fati limine jam ſtare *illi deſperato lapſu corruti* videbantur, cum bonâ ac priſtinâ valetudine in gratiam ita redierunt, ut ne tantillum apoplexiæ, aut hanc aliâs conſequentis paralyſis veſtigium amplius & adhuc uſque appareat. Memorabilis, *me Deus Fidius*, & ſummam excellentiam ſpirans iſtius medicaminis ſeu *Salis vitrioli* effectus! Quod proinde omnino digniſſimum proclamo, ut tanquam ſubitaneos morbos præſentiſſime domans *Æſculapio Medicorum Patri* unâ cum *Gallo* animalium vigilantiſſimo, cum *Angue* iſto prudentiæ hieroglyphico & *Barbâ*, experientiæ notâ impoſterum *ſymbolico ſenſu* pariter ſacrum ſtatuatnr. Hactenus ego hinc ſine comite iſto in publicum prodire religionem duxi, ſed ſemper *aliquid hujus jam celebrati Salis vitrioli* in ſacciperium meum portare mecum ſoleo reconditum, ſciens cunctis in rebus *providentiam* eſſe neceſſariam, præcipue autem in Medico commendabilem, cujus parato auxilio in ſodalitiis nil certè optatiùs exiſtere poteſt: quoties enim in communi vitæ accidit uſu, ut vel *caducus uteri* (cujus furor extra ſe agens apoplexiam gignit, *teſte Helmontio ignot. act, reg.* §. 46.) ut, inquam vel animi dereliquium ac Syncope, item epilepſiæ, vel apoplexiæ horrenda mala inſperatò inſultantia materiam ſummæ perturbationis faciant, quæ omnia *hujus medicamenti vel etiam aliorum convenientium emeticorum* robore, dum natura aggravavata ſic ſtatim exoneratur, tutò & citò eliminari tamen poſſunt. Verum Te expectare jam perſentiſco ſollicitum, in quam cauſam hæc medendi ratio potiſſimum redundet. *Faber primi ſubſellii Profeſſor* nunc eſto, qui egregiè probabilitatem hanc deducit: Per motum illum, (ſeu vomitum) *inquit*, ventriculus & pectus ſurſum deorſumquè commoventur, excrementa viſcoſa & glutinantia, glaciali veneno infecta, protruduntur, atque obſtructio illa ſumma oppidò ſic tollitur: Addo ſcholion meum: cum videlicet vomitus abſque maxima corporis commotione fieri non queat, non illaudata quaſi ſeditione tumultus ſic in corpore toto concitatur, claſſicumque canitur, ſignum pugnæ datur, vocantur in certamen conſopita viſcera, & ita tàm feralis iſte diſcutitur ſomnus, quam natura rapido morbi furore perculſa hoc ipſo motu denuò ad reſiſtendum accenditur, ſanguis veluti congelatus ad miraculum uſquè rurſus attenuatur & ad priſtinum vitalemque circuitum aptus natus redditur. Helmontii verba non incommodè nunc

nunc affigo, & *Lectori* altius ponderanda relinquo: præcedit, *infert ille l. jam all.* §. 40. (ante apoplecticam invaſionem) ſtomachi quædam indiſpoſitio, prout ſane hoc in affectu ſcena in ventriculo peragitur, atquè ens apoplecticum, *ut loquitur introd. diag.* §. 9. in hac Chyliſicationis officina præſens animam quatit; unde *remediis ſtomachicis* repentè oblatis Apoplectici plerumque reſtituuntur. *Dicam ego clarius adhuc*, & meo quoquè ſymbolo hunc Senatum juvabo, unde ventriculo per vomitum commoto, cerebrum ſomno funeſto quaſi ſepultum, rurſus excitetur, & tam citâ celeritate conſentiat. *Nervorum* ut vocant, *Recurrentium*, eorumquè gemellorum, membranis ſat robuſtis obductorum, potentiam & imperium, eorumque originem atque excurſum qui callet, is conſpirandi neceſſitudinem ſtatim in conſpectu habebit ac veritatem pronisſimis ulnis amplectetur. Ex hoc enim nervorum conſortio, atquè propagine, orificium ventriculi ita involvitur ac circumcingitur ut totum quaſi ex nervulorum textura compoſitum videatur: undè non mirum tam exquiſitum hic ſenſum (quia natura thronum appetitus animalis exiſtere ibi voluit) & cum cerebro exactiſſimum ſubeſſe conſenſum. Verum quò plura hic affero, eò etiam plura ad afferendum ſe offerunt, quapropter retrahere calamum præſtabit, utpote quem tantæ controverſiæ imparem ingenuè judico.

VI.

IN. LOTIO. SUPPRESSO. MIRA. PURGANTIUM. EFFICACIA.

EXempla magis, quam præcepta *in Medicinæ Magiſterio* prodeſſe, fermè affirmavero, quorum *annotationibus* fideli manu impreſſis Medici minus carere poſſunt, quam cynoſuræ auxilio illi, qui moderantur

——— *æquoreæ cærula ſceptra plagæ.*

Enim ex functione viſus, & animadverſione oculatâ Experientiæ præcipuum momentum conſtat, & in hiſtoriis iis, harumque candida recenſione vera certitudo Artis latitat, quæ tantam apiſcitur ita firmitudinem, ut hinc experimentis Medendique uſui luculenta ſuccreſcat autoritas, atque cum emolumento fiduciæ affatim Comitata fides. Proinde ſequar & ego, *Obſervationum Scriptores* atque ad exemplum eorundem me conabor effingere, etiamſi tam exactè hanc virtutis effigiem, quæ mea infirmitas eſt, vix aſſequuturum me ſciam. Mitto ſed ambages, promiſſis nunc parere animatus. Non ita pronuper Διογένης, qui per integrum utique quatriduum ſuppreſſione laboraverat urinæ, Vir mox atque mox quadrageſimum ætatis annum completurus, Plethoricus alioquin & laudata corporis conſtitutione præditus, ſed clinicus propter inſignem ex vehementi ob fartim

collectam urinam diſtenſione dolorem atque continui pervigilii laborem factus, auxilium meum efflagitabat: Tum ego celebratâ in cauſam inveſtigatione ab infarcturâ *tenaciſſimæ pituitæ* cervicem veſicæ oppilantis dependere, cum omnium reliquarum cauſarum hanc urinæ remoram alioquin parientium ſuſpicio abeſſet, concludens, *fomenta & cataplaſmata ex herb. emollientibus* & lotium cientibus, *item linimenta & ungu nempe ol. cappar. Chamem. Scorpion terebinthin &c.* ut adhiberentur præcepi, & quum in diuturnâ lotii retentione *diuretica* ſtatim non convenire, ne diſtenſio veſicæ & dolor, invitato ſic temerè ulterioris ſeri affluxu, exaſperetur, jam memoriter recordarer, afflictuſque *à cathetere & chirurgicis præſidiis* penitus abhorreret, *emollientem*, ſed ſtimulo ſuo non carentem *clyſterem* præſcripſi, quo infuſo & paulo poſt rurſum profuſo tanta quoque urinæ cum viſcidâ pituitâ junctæ copiâ ſine omni difficultate effluebat, ut aſtantes in admirationem ob tam ſubitaneam exoptati effectus felicitatem raperentur: atque ſic ex ſententiâ priſtino ſanitatis favori reſtitutus aperto hoc aquæductu fuit, neque has urinæ anguſtias ultrà amplius ſenſit, uſus præſertim inſuper medicamentis placidè alvum alleviantibus. Eo autem temporis ipſo ſpatio *hiſtoria in Perſico itinerario à Nobil. Oleario* notata in mentem redibat mihi, ubi refert. *Perſarum Regem* mulierculis quibuſdam *Cinædicis* demandaſſe, ut ad *Procerum ſuorum Primatem*, quem in oculis habebat, citò ſe conferrent, & coram ipſo in conclavi ſingulæ alvum dejicerent. Quid illæ? parent nempe & Magnatem adeunt: Jam jam verò ſe accincturis ad exhauriendum mandatum dicit *Dynaſtes:* Bene eſt, agite & peragite, quod vobis *à Domino meo* impoſitum, ſed ita ut ne latum unguem à præcepto deflectatis, verum ſtrictiſſimè illud expediatis; quæcunque enim veſtrûm juxta latices funder, & cum alvi fæcibus veſicam unà ſolvet, illa indubitatò jugulabitur. Perſentiſcentes *Turpiculæ* iſtæ impoſſibilitatem ſervandæ conditionis, ventrem ſcilicet haut reddi poſſe, niſi in ſimul veſicæ libertas accedat, ſtatim diſceſſerunt, & *Regi* callidam *Intimi ſui* inſtantiam non celarunt, qui huic etiam clementiſſimum dedit applauſum. Unde argumentationem ulterius ſic inſtituere mihi placuit, *purgantia*, licet per accidens, vim habere diureticam & lotium certò certiſſimè pellendi efficaciam. Cum autem *cathartica* oretenus ſumta non extemplò ſollicitare alvum queant, *clyſmatis* medium eligere lubitum fuit, utpote cujus beneficio intra quadrantem horæ, imò adhuc ocyus patiens voti ſui compos fieri poteſt. Nuperrimè etiam *puerperis non unis* de dolorificâ lotii ſuppreſſione anxiè querentibus *per alvum ſuaviter laxantia* (enemata enim ut plurimum admittere negat hominum quorundam ſuperſtitioſus timor, quod ejuſmodi Medicinam uſurpantes Libitinæ victimas evadere putent) item & cumprimis retenta lochia ac ſecundinas propulſantia ſaccatum humorem ex voto pariter citavi & ita hanc difficultatem plenè ſuſtuli. Vide *Mi Lector*, quid partium præſtet vicinia ac conſenſus, & quam non ineptum ſit, ſtimulato & reſoluto podi-

cis

cis Sphinctere vel ſuſcitata Matricis expultrice, illum quoque compreſſorem muſculum, quo cervix veſicæ donata eſt, reſerari poſſe; habent enim hæ partes inevitabilem inter ſe conſanguinitatem, præcipuè quod de eadem membrana ac *nervoſo genere* manifeſto participent. Sunt adeoque inteſtinum rectum ſuntque uterus & veſica quaſi *commembra*, & hinc à Plinio membrorum convenientia, ſeu conſenſus pulchrè admodum *Naturæ Collegium* vocatur. Ergò *de obſtruentia* & quæ vias impeditas ſolvunt meritò in *Armamentario Medico* ſummi penduntur, quemadmodum *Panda ſeu Pantica* DEA à S.P.Q.R. maxima in veneratione habita fuit, ſic dicta, quod pandat & aperiendo Pacis fores communi bono materne faveat. Tolle ſic in corpore *obſtructiones viſcerum*, & patulas ad ſacrarium ſanitatis, quæ revera nil aliud eſt, quam aurea *Pax corporis*, portas cum gloriæ tuæ incremento reddes.

VII.

AMISSÆ. SANITATIS. DICTIO. INDIGNA. EST. ACCURATO. MEDICO.

QUotidianam ſic loquendi aſſiduitatem *Medicorum Bibliothecæ* nobis undique oſtendunt, ita ut *hac phraſi* nil publicum ac proculcatum magis deprehendamus. Verùm num repudianda hæc contrita ſit appellatio, jam diſpicere conabor. Perſtringit *Seneca* eos qui verborum cavillationem multum temporis ſibi eripere patiuntur, & taxat *ille* captioſas diſputationes, quippe quæ acumen irritum evidenter exercent. Patrocinans hic quoque aſſurgit conſuetudo, cui, ut largiri plurimum ſolet *Doctiorum Corona*, ita etiam *verba ſicuti nummos* valere communis Magiſtra ſæpiſſimè dictitat. Pariter hanc ipſam ſic fandi formulam in *uſum Medici ſermonis* veniſſe concedo quidem, attamen id fieri ſignificanter & propriè, penitùs pernegare mihi allubeſcit. Effato fidem ac favorem quærere nunc præſtabit. Magna tam ſanitatis, quàm ægritudinis eſt latitudo. Sanum autem *Sophiater* haud immeritò vocat non id ſolummodò, quod pancraticè & athleticè ſe habet, ſed illud ipſum inſimul, quod quodammodò etiam & qualiter-cunque valet, modò non prorſum ab actionibus naturalibus ferietur, & patientiæ grabatulo ſit affixum. Ex adverſo *ægrum* non juxta *vulgare vaniloquium* eſt accipiendum, quaſi in ejusmodi ſubjecto omnis planiſſimè abſit ſanitas, aut in quo ne tantillum ſanitatis amplius ſuperſit. Niſi etenim aliquid ſanitatis aut virium ſeu virtutis naturalis reſtaret, hoc eſt, niſi Natura, (*ut doctè docet doctiſſimus Hoffmannus Inſt. Med l.1.c.2.§.9.*) adhuc contra hoſtilitatem morbi ageret ac pugnaret, omnem operam & induſtriam Medicus fruſtra impenderet, imò ipſiſſima moriendi neceſſitas ac vera mortis imago præſto eſſet. Adeò, *meâ quidem ſententiâ*, amiſſa, ſeu penitus abſentanea ſanitas

cum morte pari ſignificatus paſſu ambulat, & proinde amittere ſanitatem (accuratè loquendo) idem profectò eſſet, ac vitam deponere. Turbari poteſt ſanitas corpore vivente, ſed non exturbari; adeoque *Æſculapio* pariter tam impoſſibile eſt reſtituere ſanitatem deperditam, ademtas quàm reddere animas. Ergo Sapientum doctrina & Ratio, commendatu ſemper digniſſima, ſuadet, ut indubitato credamus, perpetuò aliquid ſubeſſe ſanitatis & calidum nativum adhuc exiſtere, vel quodammodò ſaltim activum, quamdiu vitalis munimenti flabella ſpirant, etiamſi corpus ardua imbecillitate jam prematur. Certè vitalis flamma penitus extincta recuperandi deſperationem non injuria incutit, & deperditus Naturæ calor ſeu ſanitas ex toto amiſſa reſtitui nunquam poteſt. Benè *Helmontius d. vict. rat.* §. 25. *ait:* Quicquid vitale ſemel periit, non redit iterum à privatione. Tunc igitur Medicina non magis valet, quàm Præficarum nœniæ ad excitandos mortuos. Commodiuſculè hic nobis iterum *Helmontius* occurrit, qui non ſine peculiari meditatione Naturam, vitam, ſanitatem & calidum innatum uno ſimilique ſenſu accipit, atque hæc ipſa junctim pro morborum Medicatrice principe declarat. Prudentior verò Medicus & elegantioris doctrinæ dulcedo quem delectat, de *labefactatâ & vitiatâ ſanitate*, ut eam priſtinæ gratiæ quamprimum reſtituat, ſollicitus erit potius, quam ut *ſuſpecta periphraſi* diſcentium animos ſuſpendat. Definitionem ſanitatis ſuæ trutinæ imponat, & veritatis luce, quid morbus ſit, facilè ſerenabitur: *Quid ergo ſanitas*? Eſt nempè potentia naturales actiones ritè obeundi. *Ergò morbus erit* ſtatus, naturales actiones ægrè & cum difficultate præſtandi, non verò penitùs amiſſa potentia naturaliter agendi. Sed de hiſce nunc ſatis.

VIII.

TITULO. ANIMÆ. MEDICÆ. FELICITER, TEMPERAMENTUM. INSIGNITUR.

PRonunciatum hoc pro vero equidem non recipient *ſeverioris frontis Philoſophi*, ſed tanquam abſonum & à ſono rationis alienum ab ipſis culpabitur. Verum acutam *Hoffmanni* eruditionem haud male fortaſſis defendendam cenſemus, quæ hoc dicterio non ſine pondere fert ſenſum præ ſe luculentiſſimum. *Pergameno* familiare admodum eſt, *temperamentum* ſalutare *ſubſtantiam* (puta non ſimpliciter ſed facultatum) *& formam pariter ſubſtantialem*, quod mores animi notoriè corporis conſequi temperaturam ſoleant. Hæc ſic dicendi ratio convenit penitus cum ſententia *Hoffmanni* (*Inſtit. Med. l.* 2. *c.* 4. §. 1. *& c.* 152. *§.* 12.) quâ ſepè ſæpiùs temperamentum nuncupat *animam Medicam*. Ut autem cuivis liberè philoſophari lubentiſſimè permittimus; ſic quoque eadem libertas Medicorum choro conceſſa eſto, qui foro ſuo callide uti conſimiliter calent. Veritatis ergò ſplendore

dore dictum hoc oppidò lucet, ſi *habitum non Philoſophicum, ſed Medicum* hic devenerari haud faſtidiat delicatioris doctrinæ Procus. Pulchrè hinc *Hoffmannus* mentem ſuam enucleat, *dum inquit*, temperamentum eſſe formam in materiam, videlicet immerſam, quæ tam-diu pro inſtrumento corpus uſurpat, quam diu Spiritus vitæ ducitur, vitiato autem corpore, perdurare id ipſum non poteſt: Unde καταχρηςικῶς à Medico *temperamentum* dicitur *anima*, non quod in rei veritate ſit anima, ſed quod *temperie ſervata, ſervetur anima* & vivendi beneficium ſic protrahatur. Nempe alia ratione à *Philoſophis* conſiderantur animæ Facultates, & alia longe à *Medicinæ Doctoribus*: illi ſcire tantùm, hic verò agere & operari diſcupiunt. Neque *Medici* tam circa Facultates, quæ non læduntur, quam circa inſtrumenta, quibus ad obeundas functiones utuntur illæ, verſantur: obunntur autem hæ ipſæ fermè & potiſſimum temperamento. *Petrus Johan. Faber*, vir acutiſſimus (*Panchym. lib* 1. *c*. 43.) ſuum quoque ad noſtrum ſic aggregat aſſenſum, dum exemplo caſtratorum animantium alterato temperamento alterari quoque & immutari functiones animæ ſentientis, ac vergetantis præclarè docet. Addere & mihi inſuper placet, *hunc tropum in Medicina* ſtare utili talo poſſe. Dicam duntaxat *Craſin ſeu temperamentum Medicæ artis eſſe Baſin ac fundamentum*: adeo exacta *temperamentorum* in hoc vel illo ſubjecto ac homine *notitia*, Medico eſt neceſſaria, ut ſine illa omnis curatio perperam & ruditer inſtituatur. Dicam quoque *cum Helmontio*, (*in Pharm. & diſpenſ. modern*. §. 34) *Craſin eſſe remediorum nucleum*, quem qui non frangit, conjecturalis artis infamiam *gratioſiſſima Hygeia* inuret, & impoſtoris ad inſtar eam excercebit. Sed intelligenti ſatis, non intelligenti autem plusquam nimis dictum eſt temperamentum eſſe animam Medicam.

IX.

PHTHISICUM. PECTUS. SINE. TUSSI. VITÆ. TERMINUM. ANNUNTIAT.

Breviſſimus hic ero, & anſam id ipſum perpendendi magis explicitè proponam. Vocatus non ita pridem ad perfectæ Phthiſis hoſpitium, ſeu dirâ præcordiorum ſuppuratione emaciatum Virum, in quo ita jam valetudo extrita erat, ut ſola cutis viduata carnibus tegeret oſſa, inquiſitionem debitam in originem, ut moris eſt; tantumque progreſſum morbi ac reliquas circumſtantias egi, tum ſtatim, (ut de amore edendi bibendique jam penitus compreſſo, de mœſtis ſuſpiriis, de rauco murmure & faucium ſpiraculis ſtridulum ſonantibus, de oculis item in cavernas contruſis, de alienato collapſi vultus horrore nil dicam) *planiſſima ceſſatio Tuſſis*, quæ anteà feroci ac vehementiſſimo pulſu vitale antrum concuſſerat, nudam ſpem incerti boni nomen eſſe, imò jamjam *hujus Phthiſici* ægerrimè ſpiritum

tum ducentis, animam cogitare de diſceſſu,& ex putri ruentique ædificio ſuo mox proſilituram aut ſi mavis, jam in thoracis thoro & olla mortem deliteſcere tacitè mihi inſuſurrabat. *Duo* igitur deſubitò hic *notanda* ſuccreſcunt, quorum *primum* eſt *Tuſſim Phthiſicam non protinus eſſe arcendam atque ſublevandam*, quia aggravans ac male-collecta materia in aula vitali cum interitu totius certiſſimo remanet, atque ſic præcluſa reſpirandi porticu neceſſariò vita eliditur. *Alterum* eſt, quod reſponſionem poſcit, *unde* ſcilicet hæ tuſſiendi ferales feriæ Phthiſico in extremis agente contingant? *Humidum radicale & calor nativus* jam fermè confectus virium vaciva reddit organa, ut ad obeundas functiones ea ſic evadant evidenter inepta. Cumprimis tamen conſideratio atque inveſtigatio ad *tuſſim* flectenda eſt, quæ cum nihil aliud ſit, quàm vehementior *motus* Naturæ benevolentia ad propulſandam materiæ excrementitiæ noxam moleſtiamque ſuſcitatus, & *motio omnis* præſertim voluntaria in corpore noſtro dependeat à *Muſculorum* ſervitio, patet confeſtim, unde fatigati pectoris funeſta requies potiſſimum accidat. Nempè exareſcunt penitus & veluti ſuccenſis ignibus torrefacti deprehenduntur, unà cum reliquis partibus ad ſummam maciem perductis, *Muſculi pectorales*; ita ut exſucci thoracem nec attollere aut dilatare, neque etiam adducere rurſum ac conſtringere eum ſufficienter valeant. Aſt ſciſcitabitur hìc fortè quiſpiam, quid Medico tunc agendum? An ſatius, *ut in proverbio eſt*, ulcus non attingere, & ejusmodi *vivum ſceletum* penitus deſerere? Salus omni quærenda malo; & hinc ego incumbere *Medicis* omninò arbitror, etiamſi videant, ac certis indiciorum argumentis colligant, graviorem eſſe morbum, quàm ut Artis naturæque officio tolli poſſit, haut negligere munus gratioſi Therapeutæ, & omnia potius experiri, atque ſic expectare, num fortaſſis Natura in centrum ſuum reduci, ac temporis eventu vires redintegrari queant: Sic enim cum nihil omiſerit, quod ad logicum curandi inſtitutum pertinet, ſi ſucceſſum cura non habeat, & ad nutum intentionis non fluat, apud prudentiores facilè excuſabitur. Atque ſic partes ſuas præclarè exequetur Medicus, ſi Phthiſico Medicinam efflagitanti *antiphthiſica*, inter quæ *Gas Sulphuris Helmontii & aqua urticæ minoris* exquiſitam obtinent efficaciam, item *expectorantia & corroborantia* exhibeat. Vel ad minimum *Medicus* hoc in caſu *Mitio* ſit, hoc eſt, mitigantia, *humectantia ac lenientia* alia tàm internè, quàm extrinſecus præſcribat. Obiter etiam hic adſcribere placet, quod *Helmontius in mag. ferm. imp. maſ. ſem.* §. 16. non ſine rationis fundamento ediſſerit, morborum ſanationes *odoribus* egregiè perfici, quoniam robur Maſculum, ac rerum vires confertim ex illis ſcaturiunt, & quoniam *odor*, ut *in mag. opor.* §. 1. inquit, multarum ſpecierum finis ultimatus tàm in condimentis, quàm pharmacis exiſtit: Nil enim felicius, *pergit ille* §. 10. operatur ad ſanandum, quàm quod per ſui transmutationem penitiſſimè intrat, & proximè unitur illi, quod curari debet. *Tu* jam hujus diſciplinæ arcana ſapienter in rem conferas,

ac

ac *penetrantem odoramentorum fragrantiam Phthiſicis* ſummum ſolamen afferre ſcias. Tandem hac occaſione non immeritò *ſuffituum & evaporationum* ex præſcripto Artis ritè parandarum, ſi eas inſpirando naribus vel potius hiante ore aſſiduò ægri, in pectus decumbentes, excipiant, mentionem honorificè ago; has enim oppidò proficuas & præſens emolumentum præſtantes in *curatione tabidorum* deprehendi. Verùm de nobiliſſimo hoc medendi modo medioque *cum bono Deo & die* alibi olim.

X.

HUMECTANS. REFRIGERIUM. PODAGRICORUM. ESTO. DESIDERIUM.

NOmen *Arthritidis* generale eſſe novimus, quod ſecundum ſedis affectæ oras ac terminos ſuas ſpecies enititur, atque locales quasdam diſtinctiones conſtituit, uti ſunt *chiragra*, quæ officioſiſſimos illos corporis noſtri cuſtodes ac operarios, manus puta cum brachiis, crudeliter affligit; *genugra*, quæ iſtas Miſericordiæ aras, ad quas ſupplices ſupinas manus protendere ſolent, ſeu Genua ac poplites inimicè depopulatur; tandemque *Podagra*, quæ pedum columnas totum alioquin corporis ædificium ſine ulla oneris injuria ſuſtentantes miſerrimis modis afficit, diſtorquet atque excruciat. Easmet autem *differentias* ego *neutiquam pro eſſentialibus* vendito, quoniam omnis artuum hic tumultus ab unius ejusdemque cauſæ promanat ſcaturigine, ac culpa, nimirum ab excremento illo communi ſeu ſalſuginoſo, quod *Cl. Hoffmannus l. 2. Inſt. M. c.* 143. §. 7. ſerum ſeu aquam, cui plurimæ exhalationes terreæ, unde ſalſedo & manifeſta acredo, ſunt permiſtæ; *Peritiſſimus Faber Panchym. tom.* 3. *l* 3. *c.* 1. Sal excrementitium, à ſale balſamico ſeparatum; *Nob. Helmontius in Volupt. Vivend. Morb.* §. 14. Spiritum vitæ fermentali & artubus hoſtili aciditate indutum; *Meritiſſ. Sennertus tract. d. arthrit. c.* 2 *aliique.* Tartarum ſeu liquorem Tartareum ſignificanter admodum ac nominibus implicitè conſentientibus modò rectè explanentur ea, appellitant. Hoc etenim excrementum ſi ad articulorum (quâ voculâ non tàm connexio oſſis cum oſſe *ſecundum Hoffmannum l. all. l.* 3. *c.* 107. §. 1. quàm omne illud, quod ad conſtitutionem articuli conducit, hoc eſt, nervoſum genus, Muſculorum tendines, & membranoſa ligamenta articulos obvolventia ſunt intelligenda) exquiſitiſſimo ſenſu præditos fines perveniat, & illapſus humor noxius ibi decumbat, nonniſi vehementer flagrantes lancinationes, atque diſtentendo cruciatus acerbiſſimos ſuſcitare poteſt. Atque iſta doloris atrocitas tamdiu mordet ac furit, tamdiu pungit ac urit, quamdiu ſal iſtud abundat, & vigorem ſuum obtinet, donec debitorum Medicaminum gratioſa ſalubritas & Naturæ benig-

nitas materiæ peccantis reſolutionem digeſtionemque abſolverit. Compendioſè præmiſsâ hâc *pathologia* attendendum eſſe pariter *diſcrimen* arbitror illius *podagræ, quæ incipit & adhuc in fieri eſt*; atque iſtius quæ jam *facta & perfecta*, quæve nodoſa, & monſtrum petroſum, ut loquitur *Helmont loco nuper cit.* §. 4. exiſtit. De utroque gradu Podagræ tam imô, quàm ſupremo adhuc venuſta quædam ſpargere lubet. Veriſſimum autem eſt, quod de nuperis novitiiſque, qui in Arthritico hoc Gymnaſio prima duntaxat ſtipendia facere aut mereri incipiunt, *Optimus morum Præceptor Seneca epiſt.* 53. pronunciat: *Pedes*, inquit, *dolent & articuli punctiunculas ſentiunt, adhuc diſſimulamus aut talum nos extorſiſſe dicentes, aut in exercitatione aliqua laboraſſe. Dubio & incipiente morbo*, pergit ille, *quæritur nomen, qui talaria* (partes circa talos) *cepit intendere*, (tumoribus augere) *& utroſque pedes dextros fecit*, (hoc eſt, diſtorſit; artus enim in diverſum articulis exeuntibus hîc torquentur.) *Neceſſe tandem eſt fateri Podagram.* Literati Gloria ſeculi & feliciſſimus *Senecæ* Interpres, *Lipſius l. all.* certa hæc eſſe, & in amicis quibusdam ſe vidiſſe conteſtatur, qui Podagræ ſolvi-lumbæ nomen vel audire ſaltim penitus abhorruerunt. Graphicè hinc ad mentem *mei Senecæ* canit *Lucianus*:

Nam quisque ſe paſcit his mendaciis
Quaſi alibi læſus aut curvatus ſit gradus:
Et ſic amicis dictitans cauſam premit.
Ubi verò & alterum dolebis jam pedem
Flens ingemiſcis, at ego hoc unum dixero
Hoc illud eſt, hoc Podagra, nolis an velis.

Hodiè autem *roſeo* ut plurimum *tibiali* (ſeu Eryſipelatis deſignatione) hanc pedum artuumque capturam velare ac celare ſatagunt podagricæ ſectæ candidati, & hac diſſimulationis larvâ utuntur tamdiu, donec dolorum, ardorum, nodorumque incrementa fictæ infirmitatis ſcenam ferre diutius nequeant, & inceſſus tremulus ſeu pedes deterrimè valentes veritatem rei ſpontè detegant. Tum demum Podagricæ diſciplinæ artus ſuos, (*veteris ramalia fagi*) ſe nuncupaſſe, tanquam in equuleo produnt, & una cum hujus ordinis tribuno atque veteranis iſtum Morborum principem, *ut Helmontii verbis utar*, adamantinum habere ingenium, extorti membris fractique, cognoſcunt. Adesdum jam *Medice* ejulantem Podagroſorum Familiam adſpice? Ecquid polliceris? Audi quid *vates Pelignus*?

Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram.

Auſculta quid ipſamet *apud Lucianum* ὀβριμόθυμος Θεά:

Ego autem his omnibus plorare impero,
Et facientibus hæc atque irritantibus me
Soleo occurrere multo iracundior.

Iu

Iis verò, qui cogitant nihil adverſum mihi,
Benignam adhibeo mentem, facilisque fio.

Ita profectò eſſe cum *universâ Medentum Coronâ* doleo, & lubenter confi-teor, indomitum indomabilemque, præſertim ſi inveteraverit, eſſe hujuſdem mali impetum, unde plerisque etiam *Podagræ dicatis* ferme nunc conſuetiſſi-mum eſt, in *Paroxiſmi* furore interſtitionem cum Medicina pauliſper inire. Quid ergo?

Adjuvet ipſe Deus, morboque valentior omni
Occupet auxilium!

Verum enimverò quamvis & ego non diſſentiam, nihil tunc movendum eſſe, ne exacerbetur magis calamitas, attamen ſocordiæ characterem inureret *Medico* planiſſima in ſubminiſtrandis medicaminibus ceſſatio, ſiquidem virium tutela & Auxiliatoris titulus quam maximè eum vigilare moneat. Quid hac in parte præſtandum eſſe autumem, aut quid ego præſtiterim hactenus, eo luben-tius proponam, quô majorem commiſerationem præ cæteris mereri *Podagricos* & hinc *à Medico* omnem ſuccurrendi ſolertiam impenſiùs expetere ſciam. Ad *tria* potiſſimum ego oculos mentis flectere ſoleo, conſiderans *tyrannidis triplicem vehementiam*, quâ Podagra ſubditorum ſuorum vires nervosque frangere ac de-paſcere conſuevit. Quum enim *juxta Lucianum* Podagra ſit 1. Βασαναϛραγάλη, 2. Σφυροπρησιπύρα, & 3. Ἄγρυπνος, hoc eſt, *talitorquula, malleoloflammicrema, & inſomnis*; ſtatim apparet, quibus præſidiis & conſiliis armatus *Medicus* huc acce-dere debeat. Nimirum *dolor, calor, & exulans ſopor* iſta ſunt tintinnabula, quæ in conclavibus Podagricorum dependent, & Medicorum dexteritatem ſollici-tant. De *calore*, quô æſtuant Podagrici notanter *Lucianus*:

Viſceribusque in ipſis ignitum diſcurrit malum
Vorticibus flammarum carnem ignis more depaſcens
Veluti crater plenus Ætnei ignis.

Quis hîc non protinus auctor erit, ut reſtinguatur flamma, ne virium por-tiuncula, &, quod reſtat adhuc, oleum vitæ radicale penitus conſumatur. Quod *dolorem* concernit, quô differuntur pedibus laborantes, quàm incredibilis ille ſit, certè in confeſſo eſt; adeò namq; & *tam vehementia* ſæpiuſculè iſta ſunt *crucia-menta*, ut intus quaſi canes arrodere & lancinare videantur; prout *dolores maximi* in corporis potiſſimum *macerrimis partibus*, nervis ſcilicet, membranis articulis-que, aut quicquid aliud exile eſt, conſiſtunt, & ibi acerrimè ſæviunt, cum in arcto vitium conceperint hæc membra. Atqui *bono Medico* incumbet, ne *Po-dager* dolore penitus tabeſcat, quibus fieri poteſt Medicamentorum blanditiis obſtinatam Podagræ indolem, ac ferociam expugnare, demulcere, mitiga-re. Tandem hîc præſtò eſt *aſſidua illa doloris comes vigilia*, quoniam Podagrica

ægritudo non tantum ſomno privat patientes ; verum etiam nec vigilare quidem ſine inſigni dolore patitur. Vigiliarum autem pertinax diuturnitas quid noceat, ejus contrarium oppidò ſignificabit , ſicuti ſemper contraria juxta ſe poſita magis eluceſcere ſolent: Itaque *encomium ſomni* pervigiliorum nequitiam pronis ſic rationibus vituperabit. Somnus dolorum dulce eſt lenimentum ac tutiſſimum perfugium; *Somnus* hunc leonem domat ; neque ullus eſt tam ſævus languentium dolor , qui *ſomno* non ſopiatur. Hæc eſt Helena illa, quæ verum legitimumque Nepenthes ſeu dolorum oblivionem propinat. In *ſomno* magna pars ſanitatis ac roboris conſiſtit. *Somnus* recreatio eſt corporum , virium redintegratio, laborum Medicus , & valetudinis probator. *Somnus* in ægrotis rediture ſanitatis eſt argumentum , præſagiumque , imò ſæpiusculè cauſſa : quia hujus beneficio inſenſibiliter ſuperflui , ac mordentes humores concoquuntur atque conſumuntur nec non materia morbi ſic ſuperatur & diſſipatur. Hinc rectè *Orpheus* ſomnum ſalutat *Regem felicium Deorum ac mortalium omnium.*

Somne, quies rerum placidiſſime ſomne Deorum,
Tuque ô domitor ſomne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ.

Jam *Tibi* liceat culpare *vigilias* in Podagra nimias , id quod præſtabis facilimè, ſi decenter jam dicta invertas. Sed inſomniam potius levare & *allicere ſomnum* præſtabit, quam verbis querelarum plenis complere chartam. Ergò hactenus ego vocatus, ut Podagricos quosdam dictis factisque juvarem meis, quid facerem? Undique confirmatum & nodoſum deprehendebam affectum, qui altas jamdudum radices fixerat , & proinde confeſtim recordabar, nullis Medicamentorum artificiis inveteratam podagram vel *Apollinem ipſum* expugnare valere. Non tamen animum deſpondebam penitùs, ſed haut raro etiam *oſculo iram finiri* meditabar. Suaviter nempè *humectantia* & blandè *refrigerantia, emulſionemque ex amygdal. dulc. ac* 4. *ſemin. frig. & papav. alb. cum* ▽. *fragor. papav. rhead. endiv. Cichor. Lactuc. acetoſ. taraxic. &c.* additis *Mag. Ebor. Ocul. Cancr. Corall. Perlar, Lap. Bezoar orient.* (confortandi ſcopum perpendens) paratam ſedulo uſurpandam ego commendabam. Vix fando exprimere poſſum, quàm citò aliquoties epoti Medicaminis hâc virtute & ſalubritatis hoc poculo *tam calor & dolor* memorabile quantum remiſerint , quam *analepticus* ſopor exoptata viciſſitudine hinc ſucceſſerit , ita ut præter aliquem languorem & corporis imbecillitatem Podagrici mei gratias laudesque Deo ſe debere , quâdam cum mentis hilaritate pronunciarent , & paucos poſt dies rurſum deambularent. Et quod magis adhuc miratu dignum , tophi & nodi pedetentim pariter, relictis duntaxat rugis veſtigiiſque ſulcatis, decreſcebant. Mecum hic planiſſimè

faciunt

faciunt *verba Excell. Schröderi*, dum amygdalas dulces, emulſionem cumprimis earum acrimoniam humorum lenire, & propterea dolores & vigilias hinc oriundas demulcere, adeoque vi pollere anodyna non minus rectè quam veriſſimè perhibet *pharmacop. l. 4. pag. m. 13.* Prænominata Medicamina ſic *intrinſecus* adhibui; *extrinſecus* verò præter alia *Patientiæ unguenta*, ut vocantur, vel *epithemata* à ſecuro & magis penetranti effectu pretioſius uti ſemper judicavi, ita & hac vice deprehendendi, quod ex rubedine terræ ſtygiæ & gelida Saturni nive præparare didici. Hoc ipſum enim remedium æſtum non inducit, nec ita ignem adjicit igni, ſed nec repellit maleficam materiam à circumferentia ad vitalis nobilitatis centrum: hæc, inquam, Medicinæ inunctio potentiſſimè lapidoſos tumores emollit, dolores deſubito mirificèque lenit, cutis ſpiracula aperit, & per inſenſibilem tranſpirationem cauſæ tandem malitiam diſcutit. Obſervavi quoque *acida & acidula* cuncta Podagricos acceſſus ſtimulare & ſali illi excrementitio non leve incrementum afferre, quapropter, ut iſtiusmodi ſaporis ſuſpectam aſperitatem, tanquam Sirenum ſcopulos fugerent clientes, ſtudioſe fui hortatus. Denique multum plurimumque levaminis quoque prandium abſtemium, hoc eſt, *vini abſtinentia, & moderate vivendi ratio* in articulari hoc morbo commodant, ita ut compertum fuerit, quoſdam iſta articulorum tortura occupatos ad ſimplicem Menſam & pauperes cibos convaluiſſe redactos. Aſt raro in hoc articulo Arcticularii dicto audientes ſe præbent, ſed palato ſuo potius morem gerunt & poſtmodum podagrici rigoris legibus patienter ſe ſubjiciunt. **Sie eſſen und trincken/ was ihnen ſchmäcket und wann ſie wollen/ und leiden hernach auch nicht unbillich/ was ſie ſollen.** Ideoque illud exhortantium Agite & iſtam Podagricis ingratam vocem, Cavete, hac vice non expirabo, verum cum *Seneca meo* ſic ſentiam: *Non poſſum ſcire, an ei profuturus ſim, quem admoneo; illud attamen ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero.* Sed Podagricæ religionis aures offendere nolo ulterius, & quæ de legitima incipientis & recentis podagræ cura inſuper adjicere omnino operæ eſſet pretium, aliorſum potius eſto reſervatum. Superfluere jam mea indoles non amat.

XI.

FICTUM. QUARTANÆ. SCANDALUM. MEDICINA. QUOTIDIE. DEVINCIT.

PRoverbiale crotalum ſic tinnit: *Hydrops, Quartana Medicorum ſcandala plana.* Languorem aquoſum ego jam dimitto & *luem quartanam* tantum unà cum *ejusdem cura* in disquiſitionem induco, de utroque autem affectu præfabor procul abeſſe à vero Medico omnem penitus deſperationem debere, quæ nihil

 aliud

aliud eſt, quam ſumma & ſordida conſilii paupertas. Neque tam atrox & tam formidoloſus eſt circuitus hic quadrimi affectus, quam *à pleriſque* atrô colore horribilique penicillo delineatur, ac proinde *dira Saturni Filia*, *ſeu Furiarum quarta* appellatur. Bono animo potius eſſe meticuloſos jubeo, quoniam hanc febrim ſanandi difficultates vincere ac perrumpere omnino chymiater potis eſt. Solenne autem imo & juſtum eſt, ut curationi præponatur cauſarum inveſtigatio, quam ego quoque ſed breviſſimis ex *Politiſſimi Fabri Panchymico* (*T.* 1. *l.* 3. *c.* 8. depromam: *excrementum*, inquit circiter ille, *quod producitur in renibus, ſplene & in hypochondriis*) qua voce ventriculum & circumplexos inteſtinorum orbes una cum meſenterio atque ejusdem infinitis chyliſugarum propaginibus rectiſſimè ſubaudiri poſſe baſi anatomica fretus exiſtimo) *materialiter atque occaſionaliter quartanam producit. Harum namque partium Archæus* (ſeu facultas inſita) *ab excrementis iis, quæ ut plurimum viſcoſa, tenacia &* contumacia ſunt, *laceſſitus irritatusque excandeſcit, & calorem ſuum valdopere adauget, ut dicta excrementa hujus robore conſumat aut expellat: cum vero eadem propter viſcoſam tenacitatem, quam habent, expellere ſtatim nequeat, tunc ad refocillandas vires, in antecedente pugna imminutas quieſcit ab inſtituto hoc labore per duos integros dies*, & quarto hoſtem antea impugnatum, ſeu excrementum illud, denuo aggreditur, donec tandem repetitis illis aggreſſionibus, quas alioquin cum Græcis vocamus paroxymos, intentionis ſuæ compos factus fuerit, & penitus materiam morbificam propulſarit. Atque dum præclariſſimi *Autoris* ſententiam exoſculor, condenſam protinus adverſariorum aciem cerno, quorum tamen inſultus ſic ſentiendi ac ſtatuendi conſtantiam non franget. Experientia me confortat, quæ per vomitoria, catarctica & clyſteres remotis viſcoſis ac pertinacibus iſtis excrementis in prædictis viſceribus, præſertim vero in extorum lacuna ſeu primis viis redundantibus quartanæ ſcandalum facilimo negotio proſcribi fideliter me hactenus docuit. Verum qui evacuantia quævis hunc effectum progignere ſub ſumit, is decumano naſo egregie infatuabitur. Credat mihi, *Benevolus Lector*, nec ad vomendum, vel *exempli gratia*, hic valere digitum aut pennam in fauces immiſſam, *vel olivarum oleum* neque ad reſolvendam alvum *Mannam*, vel *Syr. Roſ. Solut.* vel *pilulas alioquin uſitatas*, neque *enemata vulgaria* vetulis ac tonſoribus nota, ſed longe præſtantioribus medelis natura à ſortitudine hac ſalvanda erit: nempe ſi morbos fieri curabiles quispiam deſiderat, ad Alchymiæ aſylum ipſi recurrendum eſt, & me ſponſore, habebit medicamenta in eosdem valentiſſima. Proteſtor, quod hoc in caſu ſolertiæ meæ ne hilum, arrogantiæ gratia, adſcribere ſim animatus, nihilo tamen minus quum ad obſervationes tanquam ad exempla, & ideas candidioris notæ Medici mentis oculos referre ſoleant, ego quoque ſinceritatis meæ ſymbolum bono publico diſpenſare non erube-

erubeſcam. *Biennium* ferme eſt; cum Mulier Medica, (quam vulgo obſtetricem nominabant) opem meam ſollicitaret, ut triennali quartana afflictæ conſilio meo ſubvenirem. Verum vellicabat ſtatim gratificandi promtitudinem id, quod in ore omnium: *quartanam* videlicet eſſe *in juvenibus viam, in ſenibus mortem.* Ita hic ætatem fatigatam, & naturam à ſenio oppreſſam deprehendebam, quia plusquam ſeptuagenaria adeoque capularis anicula erat. Vincebat attamen ſenilis hoc infirmitatis obſtaculum proximo inſerviendi fervor, qui ad ferendum auxilium in hoc propemodum deſperato caſu potenter me invitabat, ac urgebat. Vin ut depingam tibi ægrotantis mulierculæ vultum & habitum: En me officioſum. Siſto tibi vetulam ſupra Sceletum torridam, & ſummam ad maciem perfectiſſime deductam. Adeo nil corpuſculum hoc niſi exuſtas atque ſiccatas ſanguine venas, nil niſi lumina retro exeſis genis fugientia artusque lurida cute obtectos aſpicienti, & præmorientem pulſum tangenti offerebat. Oſſa & pellis nuda erat, & pellucebat, *ut cum Comico loquar*, tanquam lucerna Punica. De viribus fere jam funeratis nil dicam: extibiata nempe erat anicula & elumbis, virtutis caſus & deliquia virium ibi conclamata, & naturæ languor jam jam ferialis. Quid ego, *cras puto funus erit*, apud me inquiebam. Sed recordans ſuis cuncta nihilominus corporis mala leniri remediis, confeſtim ego verebar, ignobili iſto ſed plusquam hodie trito effato me expedire: Nullus jam remedio locus eſt. Medicas itaque ad incitas quaſi redactæ quartanariæ manus admovebam, & præ Medicamentis reliquis ad *Clyſmatis* ſubſidium ſtatim provocabam, cumque ingredientibus aliis *Tincturæ meæ vitrioli Balſamicæ drachmas duas* immiſceri (cujus loco *acetum Mercuriale cum Sole* feliciter etiam ſubſtituto) curabam. Immiſſum bis fuit enema, & expectationi probe reſpondit eventus ex voto ſecundus. Nempe quæ utrumque quaſi pedem in cymba Charontis habebat, & quæ in extremis jam agebat, ex morbo hoc diuturno ac gravi omninomode emerſit, & ad jucunditatem ſane vivendi, revocatis denuo viribus, plene rediit. Nauſeam Lectori movere fuſa enarratione fœdæ materiei acquieſco, quam beneficium Medicaminis inferius infuſi facta alvi libertate, ſat copioſe eduxit. Erat illa nihil aliud, quam viſcida & tenaciſſima pituita, Spermati Ranarum conſimilima. Parili modo non paucos alios utriusque ſexus hujus præſidii efficacia à quartana hac ardoris & algoris carnificina liberos cito præſtiti, ita ut in quibusdam quartus vel quintus Paroxyſmus locum ac tempus ſuum occupare non potuerit. Eundem quoque effectum *emeticis ſpagyrico labore paratis*, item *purgantibus* præcipue vero *pilulis meis catholicis tam Martialibus quam Antimonialibus* quarum tres vel quinque porrigere ſoleo, non injuria adſcribere teneor, quoniam toties expertus ſcio, quid valeant hæc remedia, & quam ſtrenue iſtum hoſtilem excrementi pituitoſi viſciditatem aggrediantur

atque

atque reſolvant. Neque hoc ipſo *ſpecificis antiquariis* injuriam facere intendo: Sed potius mortalium prædicatione ea condigna eſſe ſincere exiſtimo: quemadmodum omnia ſuo bono conſtare ſolent, Hinc contra quartanam à præſtantiæ ſuæ fama commendo *olei piperis ſtill. guttas tres vel quatuor cum extracto gentianæ datas*, *item ſalis harmoniaci flores*, *ſive ter ſublimatum illud cum extracto ſcolopendrii*, *vel centaurii minoris*, *item Spiritum nitric. Sulph. paratum*, *Spiritum etiam Vitrioli Martis & Veneris in aqua gentianæ & theriacali exhibitum*, & *quæ ſunt hujusmodi alia* robuſtæ virtutis Medicamina. Extrinſecus ad pulſus *ſalviæ rutæ & burſæ paſtoris herbas*, *cum aceto* utiliter applicari & ego quoque concedo, imò ſummopere laudo. Ergo nec canities amplius, ſtante horum remediorum vigore, incurſum quartanæ pertimeſcit, & reſtitutionis beneficium ea in ſimul cum viridiori ætate, obſervandis rite obſervatis, cum experientiæ applauſu commune habet.

XII.

CALCULUS IN ARTERIIS.

ULvam in corpore *lapidicinam* animantia alere & humanam ſortem potiſſimum graviſſimis *calculi* tormentis ita excruciari, ut moriendi ſolamen intolerabilis quærat dolor, tam late notum eſt quam quod latiſſime. Imprimis verò & magis conſuete *renum* latebras complere, atque in *urinæ* urna naſci crudelis rigidusque hic lapidis fœtus ſolet. Deinde etiam & aliquando aliis partibus corporis hanc lapideſcentiam, *ut cum Helmont loquar*, contingere æque certiſſimum eſt, ita ut in cerebro, pulmonibus, jecore, fellis capſula ſplene, utero &c. ſolertiores medici ſæpiuſcule calculos repererint. Quod ipſum ut veri ſimilitudinem non excedit, ita ego confeſtim hic quoque ſubſiſterem, niſi *Tulpius ſub cit. l.* calculum in arteriis, ſeſe excepto, neminem adhuc inveniſſe aſſeruiſſet, cujus Viri in conſcribendis & illuſtrandis rarioribus ſedulitas me monet, ut ſilentii ſpatio velare religionem ducam, quod ego, biennium jam eſt, *tum temporis Anatomiæ Profeſſor* manibus palpavi & oculis obſervavi. Cadaver olitoris, quem temeraria bigamia capite damnaverat, ſolenni publicæquè diſſectioni tum mihi conceſſum parile rarum oſtendendi copiam oppido mihi fecit. dum in *demonſtratione pulmonum*, *tam in arteriæ venoſæ*, *quam venæ arterioſæ* nonnullis ramulis partim jam ſolidè durati, partim adhuc aſpera ſcabritudine, quaſi, *ut ſic dicam*, tartariſati lapilli obviam mihi ferebantur, adeò, ut cum admiratione ſpectatorum clare hinc inde eosdem

oſtendere

oſtendere poſſum. Et quamvis *hortulanus iſte* ſalax admodum & vivax, dum in vivis eſſet, omninò erat, nihilominus nullus dubito, quin ſuo tempore niſi Atropos carnificis enſe vitale filum diſcidiſſet, deſperati cordis affectus & ſymptomata graviſſima exinde propullulare potuiſſent, quæ poſtmodum, *ut ego quidem exiſtimo*, nullis medicaminum Heroibus quispiam, imò nec ipſius Experientiæ Filius expugnare valuiſſet. Atque hanc ipſam quoque obſervationem ac curioſitatis exemplum adhuc magis credibile facit Medicus à ſumma ſolertia celebris, *Epiphanius Ferdinandus hiſt. Med.* 48. qui aſthmaticum & aſſiduâ tuſſi afflictum cum periculo ſuffocationis calculum ſeu lapidem ad Fabæ magnitudinem, coloris cineritii, aſperum durumque multâcum ſanguinis ſpumoſi copia ſed & funeſto eventu tuſſiendo excreviſſe notavit. Hæc profecto ſaxa qui ſpuunt ad ſaxea claustra ſepulchri plantis pennigeris currunt.

XIII.

EX. SANITATE, SANITAS. SANUM. UTIQUE, DICTERIUM.

PRotophiloſophus, quid hoc effato innuat, oſtendere potius, quam eloqui fuſè maluit. Theoriam nempè, & exactam Sanitatis ſcientiam ipſe depoſcit, aut præſupponit, antequam ad exercitium Artis, ſeu Praxin ipſam acceſſus fiat. Senſus itaque *Peripateticorum Principis* non habitu philoſophico, ſed *Medico* talis eſt; Ex ſanitate & ſingulis ejus minimisquè maxumisque circumſtantiis, quas in regulas primò convertendas eſſe docet, in animo Medici conceptis poſteà feliciori ſucceſſu proſpicitur *Sanitati*, ita ut ſi *præſens adhuc illius favor*, medicâ ſcientiâ ex fundamento inſtructus, conſervare eum, ſin verò *haud ſerenus*, rurſum *ex voto micantem* reddere oppido calleat. Tanta enim accuratè cognitæ baſis eſt efficacia, ut intentio *curationis* robuſto rationis & experientiæ fulcro firmatæ feliciter exinde, & veluti ſpontè proveniat. Agnita ergò *ſanitatis* arcana *morborum notitiam* veluti manu porrigunt, quoniam contrariorum parilis eademque eſt ratio: Νοσογνωςικὴ verò ἐπιςήμη fores ad dextram medendi facilitatem cum ipſius applauſu veritatis reſerat. Attamen *Theoriæ ſtudium* dum hic nomino ac commnndo ſemper memorem eſſe *iſtius* quod Venerandus Senex inculcat, Medicinæ Conſecraneum diſcupio: O. ΒΙΟΣ. ΒΡΑΧΥΣ. Η. ΔΕ. ΤΕΧΝΗ. ΜΑΚΡΗ. Hinc caveat, ne oblitus rerum ac operis inter verba, eorumque tortura ſeneſcat. Plane non laudatur *opera*; niſi exiſtat *Opus*.

XIV.

COR. VITÆ. REGINA.

METropolis mihi & Camera noſtri corporis præſtabiliſſima COR, cordi nunc erit, cujus *vocula* pro *mente*, à quâ omnis ſermocinatio fingitur, non rarò accipi ſolet: undè pateſcit continuò, cur *tria ſe corda* gerere *Ennius Scipionis Africani amicus* fuerit gloriatus: Nempè *triplicem linguam* callebat ad unguem, & ita ſe *copiâ cordis*, ſeu dono ſapientiæ largiter pollere ſignificabat. Atque hâc ipsâ etiam ratione vocantur *Cordioſiſſimi* plurimarum linguarum qui gnari ſunt. Imò *Cor* ſedes ac ſymbolum eſt multarum rerum, amoris ſcil. & delectationis, Dominii, & *omnium animi affectionum*. Hinc eleganter admodum Cor aut dolore, aut lætitiâ ſalire ac fluctuare dicitur aliquando, quemadmodum *Comicus hac phraſica notatione*, quamvis jocularitèr & ridiculè utitur: *Cor lienoſum*, inquit, *habeo jam dudum ſalit*, hoc eſt, lienis naturam & turgeſcendi potentiam obtinens. Hinc *mare* etiam *cor hominis* appellatur, quod paſſionum mirâ, fluctivaque deſideriorum ac cogitationum varietate, veluti æſtu oceani agitatur, in quo ipſa mens & liberum arbitrium *Navis* eſt. Cor, *inquam*, Animæ palatium, & fons voluntatis eſt, eſtque conſilii, ac rerum agendarum certiſſima radix: unde *Protophiloſophus* appoſitè ſatis *animum in corde*, ubi potiſſimum tactûs deliteſcere docet principium, ſicut in telâ araneam eſſe perhibet, quæ acutiſſimum hujus ſenſus vigorem habet. Præterea *cor* frequenter *Bulla Pectoris* nominatur, & Bulla cordis notorium eſt hieroglyphicum. Arcano enim ſignificatu cor denotat hinc conſilium, quoniam *bulla* ἀπὸ τῆς βουλῆς ſeu conſilio dicitur: Eſt quippe cor conſilii index ac monitor ſolertiſſimus. Verum ne plus operæ in acceſſorio, quàm ipſo propoſito ſumam, addere impoſterum ſatius erit, quod magis ad parandam fact farinam. Mea Tu Muſa,

Da mediam Lunam, Solem ſimul & canis iram. Graphicum certè *ænigma*, quo indigitatur non tantum res ipſa, ſeu vitale CORDIS medidullium, verum etiam ac præcipuè ejusdẽ celſiſſimæ dotes. Audies *paulò poſt*, quàm oleum vitæ, ſeu *Humidum Radicale*, & quam *calidi nativi* vitale incendium hic *Luna ac Solis* exprimat typus, ut de *facultate iraſcibili* per canis irã & rictum *ſubintelligenda*, cujus domicilium unà cum *omnibus Animi affectibus* in corde eſt, jam nihil amplius dicã. Quadrat huc pucherrimè, quod aliquando me legiſſe memini, Eremitã quendã à Cœleſti ſanctiſſimoque Numine devotò poſtulaſſe deſiderio, ut inſpiraret ipſi divinitus, quodnam *Donum* ſibi diſcupiat, quô gratiam ac æternam beatitudinem promereri indubitato poſſet; tunc ab *atro Spiritu Orci* verſipelle reſponſum ei datum, Munus hoc conſtare *trium compagine partium, nimirum Lunâ falcatâ, Solis circulo, & quarta Rota parte.* Explico: Videlicet Luna ſemicorniculata literam majuſculam C. refert, circulus Solis literam O. & quarta rotæ partio, R. Tu junge ſis hanc literarum trigam, & habebis *Donum illud ſeu COR*, cujus

piam

piam humilitatem ſibi depoſcit Exorabilis DEUS. Sed *Tehologiæ venerandis Patribus* trado myſticum ſenſum ac meditationes ſacras, quas exinde queunt oppidò elicere. Ego verò hinc *Vitæ elenchum* & phyſicum conficere annitar ratiocinium. Tribus *jam ſuprà* Philoſophiam meam indicavi, quàm fuſius quodammodo declaratam nunc dabo. Ideoque *Luna*, illa Solis æmula, purpura cœli, diei adjutrix & ſplendida noctis Lucerna ſeu Oculus exſurgat, tanquam *primum Cordis elementum*, & noſtro propoſito benigne nunc faveat. En anſpicato adeſt Lunare jubar quod tamen in præſenti non inſpiciam, quatenus modo Phœbe noſtra naſcens, ſeu novella, vel ut *elegantius dicam*, à menſtruâ pauperie rurſus ditata & quatenus mox denuò vetula, ſeneſcens, decreſcens aut penitùs moriens reciproca viciſſitudine exiſtit.

Gyrata more vertagi, Domi raro
Præſens apud ſe rarius; furit toto
Mutanda menſe: Semper ipſa nunquam ipſa:
Laſcivit hauſto pota Fratris argento.

Nec ſollicitè certam incertis vultibus vertiginem *Nobilis Planetæ* jam ſcrutabor,

Dum Luna frenat omnia,
Mutabilisq; mutat,
Volubilisq; volvitur
Secumq; volvit orbem.

Sed propterea nunc devenerari hoc ſidus mihi conſtitutum eſt, quod *Humidis dominetur* illud & ita præſtantiſſimi celebretur beneficii origo. Hinc rectè *Ptolomæus* aſſerit *Lunam Fœmininam*, quod in ejus natura *humiditas* excedat, quodve *corpora humectando vegetandoq;* potenter reficiat ſereniſſima aquarum hæc domina & roris larga aſtrorum Regina. Regnat ſanè quam evidentiſſimè *in cordis globo* hæc rerum omnium mater & Gratioſa nutrix *Luna*, per quam non ineptè intelligo hic *Radicale humidum*, *virtutem balſamumq; vivendi* corporibus manifeſtè omninò infundens. Ut itaq; *Luna* ratione *humiditatis ſuæ radicalis* calorem cœleſtem ac vitalem *à Sole* rerum cunctarum Patre Patronoq; deſcendentem in ſinu ſuo accipit, eumq; unit, ac humiditati ſuæ naturali jungit, ut hinc rerum prodeat calidum innatum, & quod à *Lunæ* tanquam Genitalis luminis influxu & radiis per elementa omnia diſpergitur, mixtisq; ad conſervationem communicatur; ita quoq; *in cœli hoc compendio, ſeu Corde comparatum*, ubi non tantum *roſcida humidi primigenii Luna*, ut jam dictum, viget, verùm etiam *Sol ſeu calidi innati*, quod blandiſſimè complectitur, *fulgor* ſplendidiſſimè micat. Egregiè per quam Solaris lampas & ſplendidiſſimũ illud mundi aſtrum *Cor cœli* audit, ſicuti ex adverſo *Corporis Sol* appellari Cor noſtrum ſolet. Sol, *inquam*, actione efficaciſſimus & vitæ benigniſſimus dator liberaliter calorem ſublunaribus commu-

 nicat,

nicat, & vivificantibus radiis ſuis maſcule ea animat, fovet atq; illuſtrat. Non diſſimiliter *Cor*, *ſacer ille nativi focus caloris* per omnes corporis partes vitales vivificasque flammas officioſiſſime ſpargit. Jam quivis pronâ concluſione poterit argumentari, *Cor* reverâ *vitæ thronum* ac genuinam ejus eſſe ſcaturiginem; quod *inſtrumenta animæ*, *ſeu humidum primigenium ac calidum nativum radicaliter* inibi reſideant, omnesq; corporis functiones inde regimen adipiſcantur. Tandem quid per *quartam Rotæ partem* ſignificari poſſit, confeſtim quoq; aperiam. Quemadmodum ergo *rota* eſt ſine motu res ferme inutilis, ita profectò niſi Cor (hinc â *currendo* forſan ac perpetuâ agitatione ſic denominatû, & naturâ *muſculoſum* ab aliis dictum) aſſiduo moveatur & *ſanguis* humidi radicalis, innatique calidi, hoc eſt vitalitatis vigore illuminatus *beneficio continuæ circulationis* per omnia corporis climita diſpenſetur, vitæ inevitabilis extinctio præſtò eſt, & viſcus hoc ne meretur quidem in munitiſſima pectoris arce tam honorificû locum. Deliteſcit ergò ſub hoc ſymbulo *circumrotandi ſeu circulandi ſanguinis myſterium*, cujus auſpicium cordi meritò *artis medicæ* attribuunt *Oracula*. Unde actutum quoq; evadit planum, quare *Cor naſcentibus* in utero *primum formetur* & *noviſſime moriatur*; quia cum incunabulis & nativitate cordis vita incipit, & fatiſcente illo rurſum exſpirat illa ac deſinit. Advortas quoq; oblata hac opportunitate, ad contemplationis iſtius enucleationem exactè facere, quod *apud Cobeleth. c. 12. 6.* Seniles ærumnas depingentem legimus. Quid igitur *Regum* exiſtimas *Sapientiſſimum* per *Conquaſſationem Rotæ ad puteum* innuere. Si *interpretem* tua *me* facilitas non reſpuit, ſuccincto ſtylo nodum hunc ſolvam. Puteus nempe eſt univerſa corporis noſtri machina: Cor autem inſtar *Rotæ* ſe habet, cujus perenni motione ſpiritus in homine reciprocantur, & ſanguis ex venarum canalibus hauſtus per arteriarum tubos ſpargitur, & ex his rurſum venis redditur, ex iisdem denuo arteriis inſinuatur, atq; ſic in infinitû, beneficio aſſiduo fluxus, refluxus & influxus, quem *Moderni ſanguinis vivificam circulationem* titulo digniſſimo vocant. Quemadmodum autem *rota confracta* & quaſſa circumagi non poteſt, ita corde *ut ſic dicam*, conquaſſato, & pereuntibus ejusdem radicibus (*Plautina hæc phraſis eſt*,) ſyſtole ac diaſtole ceſſat, atq; ſic ſanguinis circumrotatio ſeu circulatio ad vitam maxime neceſſaria tollitur. Unde liquet dilucidè ſatis, *antiquitus* quoq; doctrinam *de circulatione ſanguinis* fuiſſe abſq; ulla controverſia cognitam. Atquè his rationum ſcintillis *Lemmati meo* præclaram lucem acceſſiſſe nullus diffido.

XV.

DEFICIENS. SITIS. IN. FEBRIBUS. MALIGNIS. MEDICUM. VIGILARE. JUBET.

Fami-

FAmiliare *febrilis æſtus ſymptoma eſt ſitis*, inexhauſta ſæpè & vehementiſſimè urgens, ad quam ſedandam compeſcendamque *Medici Iulebos potu tempeſtivos* cumprimis commendare ſolent, atque iis vel *confortantia*, vel cum his etiam *ſpecifica* (v.g. *in Variolis Morbillisque expellentia, in peſte aut malignitate alexipharmaca, in Pleuritide antipleuritica & ſic porrò*) artificiosè permiſcere callent. Miraris ergò cur infauſtam ſitis abſentiam malignitate viſceribus ſparsâ pronunciem, cum alioquin præſentem illam omnibus mediis explere ac febrile incendium reſtinguere vulgò conentur *Medicinæ Præfecti*. Videlicet peſſimum exindè præſagium hauriunt *Sophiatri*, & ſummam *caloris nativi infirmitatem* vel proximè inſtantem ejus *extinctionem*, adeoque *Naturam impensè defatigatam* malignitati vitalia atrociter nimis impugnanti mox victas manus porrecturam eſſe tum præſumunt. Ut autem *ſitis languens*, ita & *bibendi abſtinentia in febribus malignis* non placet, unde *ſaniores Medici* decumbentem exhortantur potiùs, ut *abſque etiam ſiti* ac invitâ gulâ paulò frequentius accipiat pocula, & commodâ dilutione vim malignitatis ita quoque obtundat. Deſiderium ſitis autem callidè admodum accendere ac ſuſcitare, ignaviamque caloris oppido emendare nôrunt *experientiæ fidiſſimo robore inſtructi Medici*, dum cumprimis & potiſſimum vini potionem concedunt, & ab ejus hauſtu febrientem, ut vulgaris hactenus obtinuit ſuperſtitionis vanitas, & Pandelitia quorundam Catonum ſententia conſtituit, non penitùs arcent. Adeò is demum *Peritiſſimi Medici titulum* meretur, qui veluti in animo conſcriptum habet, quid amet aut quid reſpuat Natura, cujus officioſum (non tam Miniſtrum quam) Sacerdotem jure merito illum ſalutat Veterum ſapientia.

XVI.

PALPITATIONE CORDIS. AFFECTI. HAUD. FACILE. INEBRIANTUR.

AD telam hanc pertexendam pleno actutum me conferam gradu. Manus conſerere autem *cum CL. Hoffmanno. l.3. inſt. Med. c.84.* ſuperſedeo num *diſtinguendi* neceſſitatem ſibi *palpitatio*, *ac tremor cordis* tantoperè expetant, quoniam ut ego quidem exiſtimo, quæſtio hæc potiſſimùm *à Medicinæ Practicis*

——— dependio
Non æſtimatur uno.

Quorſum tragœdiæ igitur in nugis. Sat erit dixiſſe, cordis tremorem eſſe palpitationem leviorem, *ipſo id concedente Hoffmanno*, ſicuti ex adverſo palpitationem, adjecto epitheto, vehementem cordis tremorem, & talem non rarò, qui ab aſtantibus etiam poteſt andiri; cujus rei obſervationem *CL. Tulpius l.2.*

Med. Obſ.25. recenſet, in quodam Pharmacopolæ miniſtro verberantis cordis ictus præ foribus & conclavis diſtinctè percipi potuiſſe. Imò, quem *Philologorum* fugit palpitationis ac tremoris nomina promiſcuè ſæpius uſurpari. Quas verò ob cauſas Cor ludicram, *ut cum Plautino Euclione loquar*, facere artem, hoc eſt, palpitare ac micare cogatur, officium has declarandi *in inſtit. Med. l. 2. par. 3. ſ. 2. c. 2.* eruditè implet *deſideratiſſimus Præceptor Dan. Sennertus*, qui conſulatur. *Hoffmannus loc.* jam all. c. 83. conſimili fermè intellectu, & proindè rectè ſanguinem vaporoſum craſſumque unde *flatuum* moleſtia haud difficulter redundet, hujus effectus rumore traducit. Dum enim Spiritus vitales cum flatibus commiſcentur, & propter craſſitiem expugnari protinus aut evaneſcere non poſſunt, jam dictis ſpiritibus tanta vis infertur, ut Cordis parenchyma hinc impetuosè in latera diſtrahatur, atque moleſta ejus pulſatio proptereà facile ſuccedat. Eandem ægritudinis calamitatem, *teſte hoc Autore*, aquæ etiam copia in clauſurâ cordis ſeu pericardio contenta parit, utpote quæ liberum cordis motum & ſic conſequenter debitam fuliginum tranſpirationem impedit. *Helmontius in Retent. p. 495.* quotidianas & aſſiduas cordis palpitationes ex calculis in hoc ipſo vitali viſcere & *Tulpius l. jam all.* in arteria verſus renes deſcendente enatis aliquando proveniſſe obſervarunt. *Petr. Ioh. Faber* in genere obſtructionem accuſat, atque cor palpitare ſeu morum cordis ordinarium aſſuetumque interrumpi *vol. 3. Panchym. lib. 3 c. 6.* dicit, cum ſcilicet ſpiritus vitæ libero greſſu permeare aut penetrare totam cordis ſubſtantiam nequeunt. Cumprimis autem *vaporum malignorum* mentionem *ſagaciſſimus iſte Medicus* facit, qui ex inferioribus corporis partibus, nempe ventriculo, jecore, liene, meſenterio, matrice *&c.* prodeuntes, & cor directè petentes, tremulam hanc ſobolem enituntur, cujus cauſæ famam omnium robuſtiſſimam & magis vulgarem, *meo quidem animo*, firmiter pronuntio. Quum ergò vera & appropriata affectus hujus remedia maximam partem ſint penetrantia, generoſa, atque, *medico ut termino utar*, ſpirituoſa, quò celerrimè cordi afflicto ſuppetias ferre, & ampliorem quaſi manum, quoniam tum ſpiritus naturalis ad depellandum hoſtem flatulentum impar, accire valeant, non immeritò hic inquiritur, num mentis calor his medicaminibus (ſicuti vino aliàs id fieri ſolet) obrui queat? *Helmontius d. aur. vital p. m. 578. col. 1.* appoſite reſpondet his verbis: Qui cordis palpitationem aliquantisper tolerant, licet affatim multum meracioris vini hauſerint, attamen non facile inebriantur: Propter urgentem namque neceſſitatem citiſſime ſpiritus vini in cor & arterias, ſpiritum ad virium reſtaurationem indicans, attrahitur, ſubitoq; in ſpiritum vitalem (à fermento cordis effectivo ſeu, ut ego interpretor, à Facultate inſitâ, aut calido potius nativo) formatur. Non inebriat tunc epotum vinum, *inquit*, quod ejuſdem ſpiritus (factâ immutatione) non amplius ſit peregrinus, (ſeu

crudus)

crudus) ſed in cor aſſumtus domeſticus (& naturæ amicabilis) factus. Effatum ſane veritati tam conſonum, quàm quod veriſſimum. Imò non tantum in palpitatione cordis; verùm *in quâvis etiam ſollicitudine mentis, mœrore, angore, ac inſigniori triſtitiâ*, *quâ* ſpiritus vitales vehementer exhauriuntur, & cor ardente quaſi ſpiculâ perfoditur, ſenſus mero, ſeu liquore alio vertiginante, etiamſi copioſe ingurgitetur, non tam citò vincuntur, ſed corroborationis ſolamen diſcruciato cordi potius ita miniſtratur, id quod *enarratione aliquot obſervationum familiarium* oppidò fulcire poſſem, niſi omninò certus, *Lectoris* me applauſum vel ſponte jam impetraſſe.

XVII.

ANGUILLA,
COENARUM, HELENA.

NOtum ex *Arbitro* mihi, piſcatorem, niſi eam impoſuerit hamis eſcam, quam appetituros eſſe ſciverit piſciculos, ſine ſpe prædæ in ſcopulo morari. Ego ſectari *Anguillam* iſta arundine animatus, non dubito pulcherrimum hunc & in alimentum hominibus omninô idoneum *piſcem* me adepturum, modo Tuæ, *Mi Lector*, benevolentiæ facilitas annuat auſis. Sed projectam ſpem recipio, & ſponte calamo hærens *ſapidiſſimum aquæ ſpolium* oſtendo pariter atque id *Tibi* in cœnam paraturus officioſâ manu offero. *Tu* ſi lubet libato valdè laudatam *gulæ Proceribus* guſtationem, *prout, juxta Satyrici mentem*, nemo invitus audit, cum ſumere cibum cogitur. Ideoque cœnæ hujus dictator Eſurio jam advenio, non Saturio, *ut Comicus jocatur*, & proinde nullâ me ratione abſterreri patiar *adagiale iſtud delirium:* A. PISCIBUS. ABSTINETO. tanquam à ſuſpectiſſimæ notæ edulio; pertimeſcebant enim *Syri*, ut fabellam de *Venere* in piſcem mutata jam ſilentio prætercam, ne, ſi veſcerentur amnigenis, venter aut quoddam aliud membrum aquea ſuperfluitate hinc intumeſceret, *ſubtiliſſimo Scaligero ſic annotante.* Non probo igitur hanc indiſtinctè ſic loquendi audaciam, quæ neque à bono *Patrefamiliâs* neque à *perito morborum Artifice*, qua formula Medicum *Suetonius* ſalutat, unquã comprobata fuit, nec impoſterum adhuc laudabitur. *Veteribus* piſces, (qui proinde vel ſoli titulo *obſonii* per excellentiam inſigniebantur) in deliciis ſummoperè erant, imò non pauci ex iis tantummodò hos *aquarum incolas* comedebant, carnes verò aſpernabantur, quod illi tanquam humidiores molliores & frigidiores communi judicio ad digerendum faciliores haberentur. Proinde *Nero* fortaſſis reti aureo & purpureo cœcoque nexis funibus prædari illam hoſpitibus gratam ſalivam ſolitus erat. Piſcium autoritas adeò inſuper magni æſtimata fuit *ab Antiquitate*, ut properreà eos cœleſti lumi-

ne

ne radiare, & Aſtrorum ſplendore condecoratos eſſe *ab eâdem* religioſa doctrina traditum legamus. Verùm quamvis mortalium utilitati Omnipotens rerum Conditor fermè animantia cuncta, ſive jam illa ſub undis lateant & ludant, ſive remigio alarum per aera ſe vectent, ſive tellus eadem alat, condiderit, atque ſic omne vivens ſuſtentationi ſervitioque hominum providiſſimè deſtinarit: *Discrimina* attamen ut ubique & in quacunque re non immerito amplectimur, ita quoq; in *electione* eſculentorum & ſic conſequenter *piſcium*, quorum alii omninò magis ſalutares aliis, & multi quoque nocentiores concoctuque magis difficiles exiſtunt, ea ipſa quam maximè erunt tam ponderanda, quam animadvertenda. Sic *paluſtres* ob cœnoſam excrementorum colluviem, qua ſcatent, rectè rejiciuntur. Sic illi piſces, qui lentam duritiem habent, tanquam exitioſi à *Diætæ Imperatoribus*, ne à recte vivendi Sceptro deficiant ſubditi, optimo decreto improbantur. Ita & hoc ſenſu dicteria illa foveo, quæ huc uſque manent celebria:

Piſcis nequam eſt, niſi recens; *vel*
Poſt tres ſæpe dies vileſcit piſcis & hoſtes;

Et quot ſunt ejuſcemodi cautelæ aliæ, jam non commemorandæ. Quid ergò de *Anguilla*? Meus eſt hic piſcis, & hinc intrepidè dico, me piſcem ex ſententia nactum, qui ne corrumpatur à malivolentia Oſoris ſui, nunc cautio erit. *CL. Ionſtonius Id. Med. Pr. lib. 1. art. 2. punct* 2. ſuſpectum characterem huic convivantium delicio imprimit, dum illud pulmonis inflammationem inferre pro indubitato habet. Ex adverſo *Experientiſſimus Helmontius poteſtat. Medic* § 37. *ex melle & rore*, (fortaſſis ſummam ſalubritatem ſic indicaturus) *anguillas naſci* commemorat, & *Celeberrimus Faber in Panchym. vol* 2. *l.* 4 *c.* 14. *Sect.* 5. rectiſſimè ſentit, dum anguillam optimi eſſe ſaporis & pingueſcere valdè aſſerit; unde etiam *Hecticis* & ita quoque *Phthiſicis*, vires extremè delibatas habentibus, ſummum alimentum præbere aſſerit propter viſcoſam, tenacem ac primigeniam humiditatem qua turget: Et hujus ipſius beneficio fieri *infert Protophyſicus ille*, ut calori cuncta vincenti hecticoque ſummopere reſiſtatur, atque ſal in ejuſmodi corporibus acredine ſua urgens, ſeu humidum devorans compeſcatur, reprimatur, mutetur. Atque huic ſententiæ clarè micantem facem præfert *Bernhard. de Lavinhetha, in explic. Art. Lullian. p m.* 590. qui humidum radicale per nutrimentale humidum, *inquit*, propriè vivere, quoniam ſine materia, quæ evenit ex humectante nutrimento, non haberet, ex quo viveret. Sed hac laudis amplitudine meritò cæteris anteponitur *anguilla*. Quis jam hoc pabulum invideat *Sano*, ſi *feſſo ægroque* illud abſque hæſitantia porrigatur ac commendetur, ſua luce profectò lucet, in hecticis & tabe conſumtis, ut omnium viſcerum, ita & ventriculi ſegne

ſegne miniſterium eſſe: quanto magis hæc offa ejuſmodi ſtomacho, cui adhuc ſolidæ ſtant robore vires, erit concedenda, & ad conſervandum naturalem ſuccum anguillæ ſuavitas benè valenti optanda. Itaque *rigor* ille mihi non arridet, quem in *Diæta* ſæpius abſque omni neceſſitate *Medicorum multi* adhibere conſueverunt. Laudare & egomet normam *modicè victitandi* ſoleo, modumque in rebus eſſe, ac temperantiam ſemper utiliſſimam ſcio; ſed & credo, quod expeditius omnino humectans *Anguillæ mollities*, quàm *bubula* digeratur *durities*. Hac nihilominus lege cibum hunc invidiæ capacem appono, ut in præſentia *Liberi Patris* (intelligin') aſſa potius quam elixa Anguilla palato exhibeatur,

Toſtaque poſt tractam Gloria prima cutem.

Evadat; ut, inquam, inter aſſandum caro hujus ferculi aromatum aſpergine, cum *lauri vel Salviæ foliorum* additione magis gratioſa & ſalubris reddatur, atque *quod bene notandum*, ex ſanis limpidis, fluviatilibuſque aquis petatur. Taceo jam *aquam anguillarum deſtillatam* Phthiſicis hecticiſque ſummâ cum utilitate exhiberi & magnum alioquin piſcium in Medicinâ uſum eſſe, id quod *aliâ occaſione* fuſius à me demonſtrabitur. Verùm nunc ego *anguillam meam* confeſtim in ventrem abſcondo, atque menſam hâc vice, parvo ſed baſilico victu dimittens Naturam, tollo.

XIIX.

ROSA. HYSTERICIS. EXOSA.

Conf. Timæi à Güldenklee Cas. Medicin. XVII. Lib. 4.

Florum hanc Reginam non immeritò floridis & honorificentiſſimis verbis proſequuntur, quibus ejuſdem præſtabilis & multijuga efficacia percelebris virtus eſt perſpecta. Unde numeroſa hinc inde encomia leguntur, quæ Roſæ oſtrum & florum hunc florem tanto virtutum exercitu circumſcriptum egregiis honeſtamentis oppido condecorant. Atque ut delicatiſſimus undique hic floſculus eſt, ita & delicati ſermonis formulæ proſtant, quas hic apponere vel animi cauſa non tædet. Roſa ergo ſalutatur *Plantarum ſplendor, cura Deorum, telluris ornamentum & riſus florum ocellus, pratorum purpura, hortorum ſtella, ac pulchritudo corruſcans,*

Roſa flos, odorque Divum
Hominum roſa eſt voluptas:
Decus ille Gratiarum
Florente amoris hora.

Pulchricoma roſa inter flores revera eſt pyropus, odorum Sapphirus, Aprilis oculus, Veris aurora & Phœnix, atque ipſius pompa Naturæ. De hac autem floſculorum Domina, quæ acceptiſſimo contuitu ſuo ſpectitantes mirificè allectat, & ſumma

ma odoris ſuavitate mortales recreat, dixi, *mulieribus hyſtericis* plerumque inviſam eſſe, & *uterinas paſſiones* eam continuo exacerbare. Admiratu profecto dignum, & proinde quoque intimius perveſtigatu non indignum eſt illud, quod aliàs vitalia exhilarat, quodve cor & cerebrum potenter corroborat, matricis ſtrangulatum, & vitæ quaſi eclipſin accerſere. Quam præſtans & nobile benè-fragrantium ſit nomen, quippè quæ contactu immediato, quem cum ſpiritibus vitalibus, *Helmontio teſte* ſervant, viribus maſculum robur largiuntur, quotidiana praxis conteſtari poteſt. Quicquid ſit, nihilominus plerumque mulieres averſari *Roſarum fragrantiam, earumque aquam & Spiritum deſtillatum imò odorifera quævis* tota die experimur. Cauſſas inquiris? Harum explanatione Te curioſum non fraudabo. Uterus certè dæmonium eſt partis, *ut ſic dicam*, & quod de aulica vita dicitur, nullibi quàm in eadem, atrociora eſſe virtutum vitiorumque certamina, id quoque ad hanc generationis officinam referre poſſum. Uti etenim (*verba ſunt eruditiſſimi Fabri Panchym. Tom.3.l.3. cap.1.*) in utero plurimum eſt virtutis, ita quoque plurimum vitii in hôc viſcere ſubeſt, adeo ut ſuffragante ratione matrix jure nominitetur *centrum* veluti omnium affectuum muliebrium. Vulgatum jam eſt, matricem *juxta ſententiam Archiphiloſophi eſſe ζῶον ἐν ζώῳ* & proinde duelli anſam ac defectionis inibi materiam nullo non tempore promtiſſimam. Nunquam inquietudine exſatiatur matrix, & ex peculiaribus cauſis copioſè tam ferocis ſeditionis inde momenta pendent. Præcipuum eſt, quod recordationi tuæ, *mi Lector*, commendo, uterum exiſtere receptaculum ac ſentinam excrementorum omnium, quæ in corpore fœmineo oboriri poſſunt. Eſt namque hîc ſexus circa verenda maximè πολύαιμος & id quidem ob ſummè neceſſariam in hac natura progenerandæ ſobolis perennitatem. Jam quivis facile valebit colligere, humoris abundantiam & hinc conſequentem ejus remoram promtè corruptionem, ac putredinem inducere poſſe; putredinem vero & corruptelam exiſtere fœcundam vaporum, exhalationumque genitricem, quæ utique tota ſubſtantia, & quaſi occulta virulentia contrariæ, quid ſæpe funeſti mœroris præſtent, pluſquàm abunde nobis conſtat ex diaphragmatis periculoſa compreſſione, & ejuſdem immobilitate, ita ut quaſi manibus vitale emporium conſtringi ipſis videatur, pulmo aere præcludatur & beneficium reſpirandi inhibeatur, adeoque fluxus & effluxus vivifici ſanguinis impediatur: Unde totius corporis refrigerium reſpirationis induciæ, pulſus periculoſa requies, & ſymptomata certè immania. Hæc de utero; jam ad odores. Compendioſè me expediam, & verba, ut tibi ſatisfaciam, CL. *Hoffmanni* (*inſt.med.l.2.cap.117.§.20.*) ſubminiſtrabo: odoratis *inquit*, offenditur mulier, quia turbant iſta tantum & movent

vapo-

vapores, non verò promovent, prout omnis aliàs odor ad ſuperiora tendit ac ducit: fœtida verò & narium peſtes diſcutiunt, expelluntque vaporum familiam, quoniam eorum ſubſtantia longè eſt craſſior, eſtque magis oleaginoſa, magiſque adhærens, & durabilior, ac proinde efficacior violentiorque. Approbè hinc ſuccreſcit cavendi canon, ne corpore materiâ & humoribus putridis corruptiſque, unde non niſi peſſimi characteris evaporationes ſcaturire queunt, nimis ſcatente, odoramenta familiarius accipiamus, quod prædictas ob cauſas cerebrum & cor irritatis fuliginum crabronibus gravius aggraventur, ac affligantur. Addo commodè tandem hiſtoriam, ut notatu dignam, ſic oppido huc facientem: Illuſtris familiæ virgo in lectum foliis roſarum conſperſum æſtivo æſtu levando dum conceſſerat, dormiſcere ſtatim incepit, atque ſic penitus omnino obdormivit, facta ſcilicet ferali matricis adverſus vitalia ſic rebellione. Relatorem hujus obſervationis Experientiſſ. Dn. D. Mengeringium habeo, qui eam ab Excellentiſſ. Dn. D. Scheffero Phyſico Hallenſ. reverâ ſic exactam comperit.

XIX.

MENSES CIENTIA. LAC. MINIME. AUGENT.

Opprobrio Muliercularum non paucæ propemodum *Medicis* vertunt, quod *Lactis defectui* conclamato, imo vel in fieri adhuc conſtituto vix aut difficulter conſulere valeant, quo in negotio functionem decidendi quidem hac vice non implebo; ſunt enim & veritatis radices amaræ, attamen & meo quali quali Symbolo vel in anteceſſum famam meam expedire non hærebo. Tu modo recipias *Sambuci fl. exſiccatorum Manipulum* unum & blandè decoquas *in lacte vaccino*, idipſumque decoctum porrigas ejuſmodi nutrici, atque ſic meum experieris candorem, & albo calculo candidum probabis experimentum. Imo, ni fallor diaphoretica & ſudorifica ſingula, præſertim blanda ſi illa ſint, effectum hunc præſtabunt. Dum vero hujus difficultatis muro alii ſedulitatis ſuæ admovent ſcalas, ex iiſdem in foveam abſurditatis non pauci graviter prolabuntur, *Medicamentis lac augentibus* & fontem corporis illum humani generis educatorem ſanctiſſimum replentibus, *vires è diametro oppoſitas* attribuendo. Adi, ſis, *vel exempli cauſa*, operoſum *Tabernæ montani* volumen, & Temet adſtipulatorem promtè me habiturum non deſpero. Sic docere & dictare illum *Lib. 1. Herbar c. 16.* videbis, *Anemones* folia eorumque cum cauliculis decoctum *Lac muliebre* potenter augere, & paulo poſt: idipſum *muliebria quoque*

juſta præſtare. Incautam vide doctrinam, quam incautius adhuc continuare pergit, dum *Fœniculo*, *Aniſo*, *Anetho*, *Paſtinacæ ſativæ*, *ſoncho & centum aliis* præter virtutem lacti augmen commodandi, (id quod etiam verum) qualitates inſuper menſtrua provocandi, partum facilitandi, lochia & ſecundinas propulſandi adſcribit. Inſpice jam fundamenta & ratiocinia Medica; ſciſcitare, ſi lubet, quid *Practicorum* ſibi monita velint, & à medendi methodo hoc documentum eſſe remotiſſimum experieris. Contentionis funem jam trahere haud lubitum eſt, num immediate *à chylo materia* lactis promanet, an verò *ab ipſa ſanguinis* maſſa: quidquid ſit, noxius certe & importunus eſt iſte ſanguinis diſceſſus, quoniam *penuria lactis* exinde indubitato magis exoritur; quemadmodum quivis id colligere poteſt facilimè, hujus diſciplinæ Tincturâ vel perfunctoriè adſperſus. Quid quod à ſolertioribus & valde vigilantibus *Medicis* ſeria ſanciatur cautela, *ne bona nutrix toto lactationis tempore menſtruetur*, vel ut temerè purgationis menſtruæ fluorem ſibi adſciſcere ſtudioſiſſimâ curâ vitet, ſed potius ſuaviter *blandeque calefacientibus ac humectantibus* pro conſequenda intentione utatur. Quod ergo *lactis copiam ſuppeditandi* vires poſſidet, id *nequaquam menſes aperire*, ſed potius fluxiones cohibere & vim adſtrictoriam habere, ut rectiſſimè docet *CL. Schröderus de cryſtallo, fl. amarinthi &c.* debet: quum ex adverſo pudendum quod ciet ſanguinem, tantum abſit ut lactis præbeat abundantiam, ut potius illud quam manifeſtiſſimè imminuat ac veluti manu rapaci ſuffuretur., ſicuti idipſum *v. g. in rad. Armoraciæ patet*, teſte jam celebrato *Schrödero*. Tu οὐράνιον ὅσον ſi aberrare vereris hoc ita eſſe, ut candidè dixi, Tibi in mentem dubitare non veniat.

XX.

MAMMARUM. ET. UTERI. CONSENSUS. CORDI. UNICE. TRIBUENDUS.

FAmoſus, inque *Anatomicorum* ferme omnium ore celebratiſſimus ille *venarum Epigaſtricarum atque ex hypogaſtrio adſcendentium* ſub muſculis in abdominis regione rectis concurſus & *Anaſtomoſis*, cui *mammarum cum matrice intimam amicitiam conſenſumque* veluti religioſo ſtatuto aſſignant, præſertim ſi blandiente tactu palpentur illæ, ac ſæpiùs retractentur manu, unde protinus flagrans coëundi aviditas & ad ultimum perfectæ voluptatis votum properandi deſiderium notoriè exoriri ſolet. Verùm enim verò ut ego *has venas ad nutritionem prædictorum muſculorum* fabrefactas *cum Varolio* arbitror, neque perpetuò earum combinationem inveniri credo ac ſcio, ita quoq; longè aliam ob cauſam *ex attrectatione mammil-*

mamillarum in arvo muliebri libidinis proluvium ſuſcitari ſtatuo, quam incertæ & levidenſis Anaſtomoſεως illius ratione. Nimirum res ardens *eſt natura dilectionis*, penetrantibus populat quæ viſcera flammis, quæve arcanos penitus graſſatur in artus. Oritur *ſecreta cordis in aula libido*, & verſatur in hoc viſcere illa, quod ſagitta ſua transfigere ſolet *cæcutiens Veneris natus*. Ineſt in pectore *amor*, unde eleganter etiam *voluptas cogitationum idea ac præcordiorum* ſalutatur *idolum*. Ecquid *libido?* Eſt flamma ſc. paſſionis urgentiſſimæ, vehementiſſimæ violentiſſimæque. Recte *Romuli* hic *nepotum diſſertiſſimus* ſenſit omnibus ex animi affectionibus nullam *amore* eſſe enormiorem, quoniam non raro mortales ad inſaniam & furorem uſque hoc libidinis pruritu avertuntur: Quum ergò *iſtius quoque animi pathematis* tanta ſit poteſtas, ut ſubitò ad corpus tranſire queat, mirum non eſt, tumentes æſtuantis cupidinis fluctus amatoria manu *ſollicitatis pupillis ad uterum tanquam partem ſenſatiſſimam* pervenire atquè hinc illum incaleſcere. Quæ etenim aperto ad deſiderium ſinu non repugnans ſe protervius & per laſciviam contrectari indulget, ea ſaporem abſolutæ libidinis pleniùs deguſtare geſtit, & ſolidum carnis oblectamentum, matrice ad patientiam parata, optat, ſperat, expectat. Imò nec mammarum petulanti contactu vel oppreſſiunculis tantum ad libidinem inflammatur ſequior ſexus, verùm quacunque partium etiam titillatione, laſcivia collabellandi actione, verbis imò prætextatis, devirginatisque & quæ ſunt alia interioris voluptatis incitamenta ardeſcit. Ideoque quod *horridulum hoc Microcoſmi promontorium cum Valle genitali* tantopere conſentiat conſpiretque, *ad mentis affectus* potiſſimum referre & *Helmontium in jur. Duum vir.* §. 42. Venerem animæ ſenſitivæ officium notanter dixiſſe, memento.

XXI.

NUTRITIO. ET. VITA. CONSIMILI. SENSU. ACCIPI. POSSUNT.

Errotis antiquiſſimi radices in anteceſſum veniunt evellendæ, antequam fidem concluſo huic facere aggrediar. Ante ſecula nempe receptum fuit religioſiſſimum illud *diſcrimen inter Facultatem Naturalem, & inter Vitalem*; inter *Naturam ſeu nutritionem*, ac ſimul inter *Vitam*. Atque huic functionem diverſitati diſtinctos quoque *Spiritus* & diſtinctos pariter *canales*, ſeu conceptacula aſſignare ſudarunt *Majores noſtri*, ita ut Nutricationis provinciam *Spirituum Naturalium* in parenchymate epatis natorum, atque in venarum vaſis ſtabulantium ſatellitio ſtipatam ſtiterint, *Vitalem* verò Auctoritatem *ſanguinis ſpiritusque arterioſi* beneficio animati ſeriò aſſeverarint hactenus. Aſt *Hoffmannus* & cum ipſodem Ego veluti admantino vinculo Vitam atque nutritionem eſſe combinatas arbitramur, non ſecus ac *proverbiali eloquio* marem fœmellamque conjugalis thori conſortes unum exiſtere corpus perhibetur. Quamdiu itaque ver-

ſatur in corpore anima, & quamdiu vivificum ducimus Spiritum, tamdiu etiam nutrimur; & ê contrario quamdiu nutrimur, tamdiu vita quoque fruimur: Sive jam nutrito illa ſit plena & perfecta, ſive aliqualis & medioxuma, ſive mala quoque & valde exigua. Adeò namque univerſa ceſſatio nutritionis prorſus abſurda, prorſusque aliena eſt à vivendi beneficio, ut abſurdius nil vel ab eô, qui non amplius in poteſtate mentis eſt, proferri poſſit. Nutrimentum eſt vitæ blandimentum, imò columna ejus ac fundamentum. Βιός βίῳ δεόμενος ὐκ ἐςὶ βιός. Vita quippe ut in calore conſiſtit, ita caloris derivatio mediante ſanguine quem incolit, perennatur: Neuter verò, hoc eſt, neque calor, nec ſanguis aliquod vitæ miniſterium præſtare poteſt, niſi hæc liquoris purpura perpetuo motu rotata corporeæ ſubſtantiæ apponatur, niſi, inquam, alimenti portiunculæ per meatus naturæ incorporentur, & in vitalem mucilaginem, ut verba *Helmontii* mea faciam, ſenſim aſſiduoque mutentur, niſique per nutritionem fiat partium (qualis qualis etiam illa ſit) continua refocillatio. A Spiritu vitali ut appoſitè monet *affabrè Doctus Faber t. 3. Panchym. l. 2.* eſt vitæ cauſſa ac diuturnitas; ubi igitur vita & Spiritus adſunt, ibi quoque perennes fontes reſtaurandi Spiritus, qui certe latitant unicè in alimentis, quæ omnia ſpiritibus ſcatent. A ſcriptu dignum præterea exiſtimo, quod *Poëtarum primas* modulatur & rectiſſimè ad aliquem aut vitâ indignum, aut minimè vitalem accommodari poteſt:

Nec DEUS hunc Menſa, Dea nec dignata cubili eſt:

Quam *ligatam* ego *lineam* ſic interpretor: indignus ille à Diis vitâ, & hac ratione etiam ipſo nutrimento, tanquam vitæ ſuſtentaculo, quod per cibi ſomnique curriculum currit, habendus eſt: Nutrire autem ſomnum æque ac cibum memoiter jam novimus, quorum huic, & ſic quoque Menſæ *Genius*, lecto verò, per quem ſomnus indigitatur, *Juno* præeſſe dicitur. Quid, quod inſuper *vita pro victu* ſeu nutritione notæ crebræque ſignificationis ſit ſubſtitutio: ſicut etiam Τὸ *veſci* ſæpiuſcule idem denotare ac *vivendi* verbum novimus. Cæterum, qua ratione nutriendi & vivificandi dona inſimul ſpargantur, pauciſſimis nunc monebo. Nimirum ut omnes corporis partes vivunt, ita quoque omnibus *vitale nutrimentum* hoc eſt, *ſanguis ultimam in cordis atrio perfectionem,* quam natura per gradus molitur, *nactus* tàm debetur, quam communicatur. Hinc ipſæmet Venæ etiam vitali redundant Spiritu, & quemadmodum arteriæ per totam corporis regionem diſſeminantur: ita quoque eædem perpetuo ſibi copulatos venarum tubulos obtinent, adeo ut nulla in toto corporis ambitu arteria azygos reperiatur. Ergo quum *arteriarum* cum venis mutuum frequens & familiare per univerſum corpus & omnes ejusdem plagas ſit contubernium, atque anaſtomoſis, non difficulter eluceſcet *Spiritibus vitalibus* quibus undique tam *in venarum quam arteriarum* vaſculis ditatur & exaltatur ſanguis,

guis, *nutriendi hoc munus* eſſet aſſignandum. Ideoquè ut *harum Facultatum bigam* ſuperſtitioſè impoſterum diſtinguere ſuperſedebo: Ita quoque vitam & nutritionem arcto ſignificatu colligatas defendam. Opponenti *Plempio, ingenioſiſſimo alioquin Medico Fundam. Med. l. 2. c. 4.* vivens primo inſtanti, quo vitam accipit, vivere quidem, nec tamen nutriri, reſpondeo, *inſtantiam* hanc nihil penitus concludere. Verum equidem eſſe ſcio, quod nutritio ſit conſumti inſtauratio, ſed *literatiſſimo Auctori* in aurem juxta inſuſurro, *auctionem & accretionem* jam ſubeſſe in Embryone, qui unà cum vitæ exordio partium ſuarum incrementa capeſſit. Aſt *auctionem ſine nutritione*, confiteri *Phyſicorum nemo* affirmabit unquam. Sicut etiam ipſe *Plempius loco jam citato* eos nequicquam efficere, qui *nutritionem & accretionem* realiter volunt diſtinctas, conceptis verbis notavit. Atque ſic omnimodis credo, neminem diſſenſu ſuo hoc ipſum incertum dubiumque, veluti rem ſatis exploratam, facturum.

XXII.

P O L L I C I.

TOTA. INNITITUR. MANUS.

MAnum, *Mi Lector*, amicè porrigo Tibi, hac quidem non medium digitum ſed portionem ſeu ramum manantem ab ea nobiliſſimum, nudum tamen, *hoc eſt* abſque elegantiarum annulis oſtendo Pollicis nempe & ejus pollentiæ encomio has lineas dicabo, quibus utroque etiam, *quod dicitur*, pollice ut faveas, non tàm rogo, quàm polliceor mihi. Sed gradum hic ſiſtere jubes, ut quid *per utrumque pollicem* nunc mihi velim, *Tibi* exponam *Lyrici* videlicet hæc phraſis eſt, dum L. 1. Ep. 18. canit.

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Ubi *utroq; pollice* idem eſt ac vehementer impenſeq; laudibus aliquid extollere. Antiquitus autem in Pollice *favoris* ſacrarium erat, ac *ſtudii animiq; promtitudinis* ſignificatio ſolemniſſima; ſicuti nec minus in hoc ipſo digito *odii & minarum* indicina delireſcit, prout *geſtus ejusdem* ſeu accommodatio agitur, de qua jam pauxilla *Criticorum Geruſia* ſcriptum nobis reliquit, *pollicem eos premere, qui benevolentiam declarare* intendunt: *Convertere vero illum ac ſubrigere*, qui minus favent, ſeu deſignare invidiam mentemq; infeſtam volunt. Contra *Excellentiſſimus Buchnerus in Theſ. Fab auct.* placide ſe reducit ab opinione iſta, & erudita diductione contrarium obtinere potius ſtudet, atq; hinc *pollice preſſo odium*; *ſubrecto autem favendi animum* monſtrari docet. Fateor ſane pro defendendo hoc ratiocinio ibidem quadrare emendationem τȣ̃ *premere* ut verbum promere pro illo citius ſit ſubſtituendum, & quæ ſunt aureola alia *loco nunc laudato* deprehendenda. Ambitione contra ſentiendi iniquus eſſe nolo, ſed tantum non reticebo, quod me ſuper hujus aſſerti veritate ſollicitat. Tranſibo nempe in mores *Italorum*, quos toties totiesque *ſubrecto pollice*, unguem inſuper hujus cum furore mentis ad-

morſi-

morſicando, *Vatinianum odium* nunciare, atq; ſic adverſarios de funeſta vindicta certiores reddere, iſtam quoq; terrarum plagam undiquaq; tum perluſtrans, his oculis vidi. Et hoc eſt *couverterepollicem*, puta, primum ſeu extremum hujus digiti articulum quantum poſſibile retorquendo & internam ejus ſuperficiem inimico palam opponendo oſtendere. Ex adverſo *compreſſionem faventiæ ſignum* præbere rationum multitudine non exigam, ſed ad converſationem dumtaxat provocabo, in qua, ludendo partim etiam fortunæ miram viciſſitudinem hic ſpectando tempus extrahere ſolent dierum fures Amici. Ubi præfecto frequentiori hoc alloquio fide amicitiæ ſodales jocari invicem audies, præſertim ſi quem ſiniſtræ ſortis pertinacia in luſorio hoc certamine nummis emungat: *Comprime ſodes pollicem*, halte mir den Daumen/ *hoc eſt*, meliora mihi omnia apprecator, fave, vel etiam conſilio tuo infortunatum adjuva, *ut ego quidem interpretor*. Sed Medicum me eſſe memini, ideoq; parca manu Philologica hæc tetigiſſe ſufficiat. Hujus autem digiti memoriam hic non celebro, ut attactu ejus lienoſis mederi velim, quod dextri pedis ſui pollice *Regem Pyrrhrum* præſtitiſſe referunt, ſed hoc dumtaxat exin vel promte colliges mecum *ſine Pollice* manum neutiquam artificem, ſed inertem eſſe, atq; planiſſime inermem, Αντίχειρ audit *Graiis* magnus primusq; hic digitus, quod unus ſit inſtar cæterorum omnium, quodq; ſolus tantũ virtute valeat ac poteſtate polleat, quantum reliqui quatuor, tanquam commilitones ipſius, quorum princeps revera eſt ille: vel quod ſit altera quædam manus *Pollex*, quippe quo demto amiſſoque futura ſit manus manca & deterrimus ejusdem aut nullus propemodum uſus. *Philologis* namque quotidianam eſt, in compoſitione hac præponendi voculâ ἀντὶ denotare æqualitatem, imò etiam commodi ſeu utilitatis ſingularitatem. Ex *Philologico* apiario hoc mellis deguſtãdum adhuc affero, quod delectabit *Lectoris* forſan palatum. Inter maxime infamia nimirum ſupplicia, atq; ignominias utriusq; pollicis præciſio recenſebatur, qua Virorum fortitudo quaſi effœminabatur ac miſerè caſtrabatur: unde non ineptè poſtmodum pollice exciſos, indeq; animoſa cordis virtute carentes ac timidos vocitabant *Poletruncos*, *Italico verô idiomate Poltroni*, *& Gallico Poltrons*: Hoc ſenſu ſcil. *manu tota innitur Pollici* non tanquam fundamento, ſed tanquam *actionis anteſignano*. *Ex Anatomicorum camerâ* nihil occurrit peculiaris, quod de ſtructura pollicis depromam ſive enim τρικόνδυλον, tanti momenti vix eſſe arbitror, ut operosè litem hic dirimere laborem. Hoc tantum habeto *Tibi*. Metacarpium vel palma quatuor oſſibus conſtat, atq; ut cæteri digiti oſſiculorum trigâ gaudet pollex, quorum ultimum immediatè ſtatim affigitur carpo, Quibus verò duobus tantum oſſibus armatum eſſe placet pollicem, illi quinque mera carpii tribuunt craticulæ, & reliqua naturæ Naturanti, cujus ſapientia ut benedicta, ita quoque imperſcrutabilis eſt. Tandem cum tantam eſſe *Pollicis præſtantiam* & tam illuſtrem *officii uſumq*, ejus excellentiam ſatis ſatisq; intellexerimus, *chirurgorũ*

latera

latera hic fodienda operæ exiſtmo pretium, ne protinus *in curatione ſauciati aut ulcere obſeſſi pollicis* ſuperveniente, uti ſæpiuſculè ob incuriam & imperitiem manu operantium id fieri experimur, gangrænâ ad ferrum temere recurrant, ac utiliſſimam mechanicamq; corporis partem (*non enim ut chelæ recreſcunt digiti*) abſcindant, lanienamq; exerceant, ſed prius omnia tentent, & cummis *Lumen chymicum* accendant, ut cœcutientes verè efficacia medicamina, quæ in intimis naturæ thalamis latitant, conſpicere queant. O quantis affluere *Medicinam* divitiis tunc demum ſtupebunt, & quàm curatu facillima, licet feriſſima ulcera compescient, quorum tamen multa pro *Telephiis* ſeu immedicabilibus adhuc cum ignominia Artis habentur ab iſtis. Quum vero Chirurgi noſtri vel in ipſis elementis chymicis ut plurimum hoſpites eſſe ſoleant, & invalidi tantæ Lucis aciem ferre non poſſint, Conſiliarius ſum, ut ad *Hermetis nepotes* confugiant & arma repugnandi, famamq; ſuam tuendi ab ipſis ſollicita prece ambiant. Ego, quamvis Oracula non canam, tamen ad omnia promtitudinem meam promitto, qui medelas in gangrænam & deſperata inverataq; ulcera valdopere valentes poſſideo, *uti ſunt Balſamus aluminis.* Balſam, Sulphuris travmaticus Fabri, *Tinct. Vitriol. balſamica, Acetum, Mercurial cum auro &c.* quibus certè exoleta & contumaciſſima ulcera levi negotio percurare auxilium petentes, medicamenta iſta parata iis ſuppeditando, hactenus docui. Quin imò & felicem illum, qui dextrè noverit *oleum Cinamom. deſtill.* adhibere: Sane is conclamatam quoq; gangrænam & Sphacelum indubitatâ felicitate non proſcribere non valebit. Nec rationem denego petenti. Eſt nempe ſpacelus extinctio calidi nativi in hoc vel illo membro: Aſt tu reputa, quantus *in hoc oleo* caloris fulgor & vigor. Socer meus deſideratiſſimus D.D. *Paulus Macaſius*, candidæ celebritatis Medicus virtutem hupræſidii multis comprobavit experimentis, Sed nolo in hujus effati aſſertionem plura profundere verba; ſi cui optime hoc placuerit, eidem & fecero optimè.

XXIII.

M E L.

FERCULUM, HYGEIÆ. SACRUM

SÆpè inter magna non poni, cujusdam eximiæ magnitudinis argumentum eſt: Atque ut popularis aura præſtantias rerum æſtimare nnſcit, ita *nobiliſſimam Mellis dulcedinem* pretio ſuo quidem exiſtere vilem experimur, quæ tamen *Medicorum Choro* perchara, & virtute ſua omnino tanta eſt, ut mellitis illa verborum mereatur globulis, & flore Sacchari delicatiſſimo ſeu papavere quaſi ac ſeſamo conſperſis dictis honorari. Quem itaque *Alma Medicina* præſtabile *hoc Apis nectar* ſibi concupiſcat, quod jamdudum *à laudatis* ſit laudatiſſimum; quidni etiam mihi nunc licuerit concupiſcere iſtud, & magnificæ hanc rei ſpe-

nciem ad chartam vocare, ut famam cœleſtis doni, quod revera inter *Medicinalia utrimenta* familiam ducit, quamvis officio levidenſis calami, largo tamen affectu, concelebrem. Sed noli, amabo, à me mulſum thymumq; mellis, aut Hybleo melle dulciorem ſermonis contextum hic expectare; noli nitida, & velut ex Gratiarum hortulis delibata, inque hanc dulcorem eleganter fluentia verba *Tibi* jam promittere, prout alioquin cum rebus delicatis delicatum quoque eloquium pulchrè convenit, ſed æqui conſule meæ hanc Muſæ infirmitatem atque inopiam, quæ ipſa

Contenta eſt caſula, unica feneſtra,
Menſa paupere ruſtico Salino,

Si mihi cum *Vate* jocari permiſſum. Plus igitur ſignificabo, quam facunde ediſſeram. Verum quæ *Mellis nativitas*, nunc quæris? Res tam magna naſci exigua de radice aut conſtare parvò vix poteſt, ſed ſublimiorem ortum utiq; ſibi jucundiſſimum hoc pennigerarum artificum *gummi* vendicabit. Accipe ſis *honorificas compellationes*, quæ ſcaturiginis ſplendorem ceu digito monſtrant. *Quid quæſo Mel?* Divinæ ſapientiæ ſymbolum (hinc *Priſci* in Deorum ſacrificiis mel uſurpabant, ejus naturam nulli corruptioni obnoxiam ſic judicantes) ſuaviſſimus cœli ſudor, dulcis ſiderum ſaliva, cœleſtis Manna Deorum Lacrumæ, an lautitiæ, ſanitatis ſuavium, Medicinæ delicium ætherium bonum ſeu aeris ſe purgantis ſuccus qui è cœlo quaſi depluere videtur. Mel, *inquit Helmont. d. infant. nutr. ad vit. long.* Roris gloriam continet cum extracto ſeu balſamo florum Mel, *dicit alius* aërii roris eſt perfectiſſima portio & eſſentia, eſt ſuccus ſubtiliſſimus eſt dulciſſimus liquor & nectar ſaluberrimum. En habes ea, paſſim *Authores* de Mellis nomine Quæ verba tingunt ſeſamo

Dulcique plena melle.

Apes igitur ſunt œconomi atq; diligentiſſimi collectores *roſcidæ hujus roſinæ*, quã ex ſucco cœleſti vel fœcunda cœli plaga cadenti, atque ex argenteo roris, (quẽ dulcis Sacchari eſſe divitem per ignem edoctus *Helmont. d. imag ferment. impragn. Maſſ. ſem. §.* 33. monet) imbre, teneris herbis gratiſſimo,

Primum, Aurora novo cum ſpargit lumine terras,

Super florum arborumq; folia gemmularum ad inſtar decumbentem ſugunt & tam ore arripiunt, quam pedibus, quos duros proinde ac ſcabroſos habent, ut cœleſte illud gluten fortius adhæreat, & facilius à rorilego exercitu ad cerea regna aſportari poſſit, ubi tandem Mellificium abſolvitur, facta ſcilicet in tuguriolis iſtis digeſtione atq; purificatione mellis debita. *Subtiliſſimus Faber* ad tractatũ de aere refert *Panchym. vol.* 1. *l.* 3. *c.* 6. Mellis doctrinam, quod ab aere (ſeu rore hinc proveniente) dependeat, & poſtea ab operoſa apum induſtria collectum in mirabili cellularum ædificio reponatur. Mel *pergit circiter ille*, non apum opus eſt, ſed *verum totius naturæ beneficium* nec cœli ſolius, vel elementorum ne-

nec ſolius aeris nec aquæ nec terræ ſolius, ſed omnium ſimul hoc negotium eſt. Prodit autem in lucem verno potiſiſimum tempore, ubi floret ac viget *tota Natura*, dum ſol arborum & plantarum poros aperit, terræque focum naturalem ſuſcitat, ut humidum radicale ex centro terræ ſubtiliores ſui partes ad cœlum uſq; ſublimare poſſit; Prodit imò etiam mel confertim vigente canicula ac Leone, quorum aſtrorum virtute Solis calor multiplicatur magis & aëris ardor ſtrenue provocatur; Unde ſane rudimenta Mellis à Solis & aſtrorum luminibus luculenter impræg nantur ac digeruntur, fotuque noctis tepito ſub frigidoque ſuccedente nec non humida lunæ influentia mirificè coagulantur in ſubſtantiam hanc glutinoſam & in viſciditatem dulciſſimam excoquuntur, quæ ſuper terram quævè ſuper arborum herbarumque crines ſpargitur ac veluti ſeminatur poſtmodum. *Eruditiſſimus Hoffmanus l. 5. Inſt. Med. c.* 14. §. 1. Nobile Mellis condimentum apertiſiſime ad plantas pertinere docet, quod ſit opificium apum ex floribus herbarum congeſtum. *Magni Pergameni* mentē ſi aſpiciamus, eum à neutrâ adeo parte ſpectitabimus deflectere, dum *naturam mellis* deſcribens, id ſeparatum quid tam à plantis, quam animantibus eſſe, ſed ejusdem potius cum *rore*, illo cœleſti fructu, generis mel cenſendum docet. *Mea quidem ſententia* eum à via veri aberrare non arbitror, qui in generatione mellis præcipuas *ætheri*, quasdam nonnullis, iisque nobilioribus odoriferisq; & plantis deniq; *Apiculis* mellis confectioni ultimā manū imponentibus quasdam tribuit, adeoq; prædictas ſententias combinat. Ultra forſitan petes, quænam *optimi mellis* certiſſima nota? Citrino colore mel refulgens laudo & fragrantiâ ſuâ naribus blandiens, ſicuti *juxta Helmont.* Saporum internuntii ac genitores ſemper ſunt Odores; laudo, inquam, quod linguam, prædulci accredine ſuâ ſuaviterq; pungenti ſale (unde etiam *Vi purgatrice* pollet dum eandem ob cauſam expultricem incitat ad expediendas fæces, quem effectum *ex Collactaneis meis Chariſſimus* ſecundare ſuevit ſuperbitâ, cereviſiâ cujus beneficio ſal iſtud citius reſolvitur, & ſic naturæ hoc requiſitum acceleratur) delectat, & quod tenaci ſubſtantia lineam quaſi fluendo ducit; non verò quod minus fluit, & quaſi ſaccharum concreſcit; Mel enim quam maximè terreum eſſe hoc pondus intimat. Notandum hic veluti obiter, quæ de *ſapore mellis ſingulari* profert *cit. l. 3. de fin.* Mel. *inquit*, quantumvis ſit dulciſſimum, ſuo tamen proprio ſaporis genere, non comparatione cum aliis, dulce eſſe ſentitur. Parili ſenſu *Quintil. l. 1. c. 10* Mellis inimitabilem humunæ rationi ſaporem appellitat. Decantabo tandem virtutum eminentiam, quâ itriumphat *Benedictum hoc nectar*. Pene cœleſtes & elementares, inprimis vero roborativas & nutritivas Mel habere virtutes *Faber l. jam cit.* præclara aſſertione innuit. Conſentit quoque *mens Helmontii*, dum ita circiter eam exprimit. Mellis edulium innocuum eſt, neq; putreſcit (collige hâc occaſione rationem, cur Antiquitas corpora defunctorum ante ſepulturam

mellis unguine delibata reddiderit, & cur hodie adhuc arborum partus ſimili modo vel hac dulcedine mellis, non ſecus ac ſalis etiam ſalſedine corpora à putredine præſervari ſolent, diu incorrupti efficiantur: nempe *Salnaturæ* inibi abundat, unde *Chymicorum non pauci* verum Philoſophorum menſtruum exin parare aſſudarunt, neq; etiam ceſpitaſſent, modo minerale gremium, non verò vegetabilem in plantis aut animalem matricem in apibus hoc Naturæ ſal. nactum fuiſſet:) nec coagulatur, neque digeſtioni contumax, (h. e. coctu difficile) ut neque malignitatis particeps vel inductæ vitioſæ impreſſionis heres, ſed ſemper ſibi æquale & conſtans Naturæ exiſtit familiariſſimum, &c. Adeò non ſolùm voluptati eſt & fauces delicatè obdulcat, unde vocula mellis receptiſſimo uſu *blandiendi formulis* quoque inſervit, verum etiam multum emolumenti ac ſalutis præſtat. Ferunt omninò, quibus mellis frequentior uſus iis diutius vivendi beneficium produci; & contrà qui acidis delectantur nimium, brevioris vitæ compotes evadere. *Pollio* interroganti *Auguſto*, quonam potiſſimum medio centeſimum excedens ætatis annum animi illum vigorem ac corporis cuſtodiviſſet? Reſpondit *Oleo fortis intrinſecus mulſo*. Eſt autem *mulſum* potionis ſpecies, mixtura vini mellisq; præparata & contemperata. *Sic de Pythagoricis, ut & Cyrnis populis inſulæ Corſicæ incolis* traditur aſſiduo mellis cibo eosdem uſos eſſe, unde etiam bene valentes ac longævi extiterunt. Mel enim eſt ejusmodi *cibus Medicinalis*, qualem vix reperies aut habebis alibi. Certè ſi omnia rara ſunt præclara, id quoq; in Mellis dulcedine rarum ac proinde præclarum eſt, quod inſimul & unà operà palatum delectet, quodve ſuaviter, præſertim ſobrie ſumtum, corpus nutriat atque à moribus præſervare illud, ut eos jam præſentes averruncare rurſum valeat. Imprimis autem plurimum præſtat in *Senecta & Senectutis hecticâ* melle familiariter paſcit, tam enim adjuvat vivacitatem, quam ſenſus tuetur integros. Mel enim algidis de corporibus, præſertim terra,

Cum canet nivibus, cum ſpargitur alba pruinis
Et ſtant marmoreo flumina vincta gelu,

Propinatum in optimum ſanguinem convertitur, & proinde *Senum veluti Scipio* in exiſtimatione habetur favi pura medulla. Caveant tamen, qui melle veſci conſueverunt, *panem ſecalitium* ut ſimul adjungant, quoniam *lumbrici* & inſecta ita progignuntur, id quod conjectura haut fallaci comprehendere licet ex autopſia, dum injecto in vas mellis fruſto hujus panis in *formicas* id tranſit. Caveant quoque *calidioris naturæ* mortales, ne quotidie hanc & natura ſua *juxta Galenum* calidam apum rapinam uſurpent, quoniam illa bileſcere & contrarius ſapor, nempè amator, inde oriri ſolet. Atque ſic etiam *aut ſine felle mel* datur ut roſarum decor nunquam ſine Spinarum injuria. Subſume jam, apes cur pungant? Ubi cunque ſcil. dulce, ibi & amarum. Sed *Rhetorum* facundiæ trado pul-

pulcherrimum ſenſum, qui ex latebris hiſce alioquin erumperé poteſt. Cæterum de *virtute balſamica* quem obtinet mellis indoles, nemo dubitabit vulnera & ulcera hujus beneficio facili negotio curari: Efficaciam enim egregie detergendi poſſidet, & *attenuandi* pariter laudibus claret; unde in *reſerandis viſcerum obſtructionibus* exoptatiſſima ejus eſt utilitas, cujus *operationis cauſam* jam *ſuprà* in deductione ſaporis annotavi. Hinc alia quoq; cautela ſubnaſcitur, qua monetur, ne *Catarrho ex materia tenui laborantes aut phthiſici* nimio mellis amore capiantur quod magis magisque adhuc materia peccans ſic tenuetur ac ad majorem perniciem fluxio concitetur potius. Catalogum denique *remediorum*, quæ cum ſive etiam ex melle parari ſolent ex *Diſpenſatoriis & Pharmacopœi* Lector ſollicitare poterit, ubi ſingula compendii facta ex voto reperiet. Atque hæc effari de *Melle* mihi hactenus melli fuit, nunc autem deſino, ne ſatietatem aut faſtidium continua mellis progignat conſuetudo.

XXIV.

PECCAT. UTERQUE, ET. QUI. MERCURIUM. E. RE. MEDICA. PROSCRIBIT. ET. QUI EUNDEM. PORRIGIT. CRUDUM.

VEnerabile & Myſticum nomen *Mercurium* eſſe *Ægyptios ſcriptores* ſequutus nunc aſſero, utpote cui omnia inventa & eorum famam deberi religioſo cultu exiſtimabant. Ita *Pythagoras & Plato* ex ſtatuis, columnis ſimulacriſque *Mercurii in Ægypto*, quæ doctrinis erant plena, & proinde formis efficta variis, cognitiones ſcientiarum addidicerunt, & quicquid ad meliorandam vitam faceret activam, fæcundo Mercurii genio addixerunt unanimi voto Majorum plerique Mercurius ergo ut à *J. Cæſare l. 6. de Bell. Gall.* viarum atq; itinerum omnium dux ſalutatur, ita & impoſterum cum hoc Comite familiariſſima nobis intercedet converſatio. Verum, ut ut etiam elegantiſſimus de Mercurio *ex Antiquitatis* profundo oceano contextus jam ſuppetere & qua ratione Mercurio Duce *Chymici* fauſtiſſimos faciant progreſſus in ſua peregrinatione, lucidisſimis ratiociniis perputari pòsſit, alia & commodius oblata tamen occaſione potius ejusdem negotii recordabimur, nunc *Mercurii Virgam* pauliſper contemplabor, & huic poſtea themati non inepte fortaſſis eam applicabo. Hanc ſane non ſine prægnanti cauſa non ſolum animas ducere, & ſomnum ciere, ſed & affectis etiam corporibus ope medica adeſſe & veſtigia firmare docuerunt. *Veteres* Accidit imò propius ad hunc ſenſum quod Mercurium *virgam, geminis incinctam anguibus* gerere pingant, eum publici regno commercium facere, atque jus per limen vitæ ac mortis utrumque habere aſſeverantes, Vis *Erudite Lector*, ut tecum

clarius agam. Serpentes, angues, viperæque, & venenum tibi & medicamen pariter certo certiſſimè exhibent. Crudarũ indolem ſi reſpicias, non vires ſed virus hinc & diram einde Tibi promitto mortem: ſi præparandi induſtriam adhibeas, de egregio alexipharmaco ac remedio utique Bezoardico hinc animitus Tibi gratulare. Conſimilimo comparatum eſt modo cum Mercurio. Vitam & mortem, ſanitatem ac morbos, toxicum ac Medicamentum, virtutem atque vitium, opulentiam ac penuriam, honorum & ludibrium, obſequium & contumaciam palam oſtendit, ſefortunatus ille & prudens, qui perita Hoſpitem hunc manuis excipit, tractat atq; contrectat. Colligere igitur nunc licet, cur mihi diſpliceat uterq; tam qui indifferent er & in cruda etiam ſubſtantia Mercuriũ eſſe propinandũ ganniunt, quã & iſti, qui tam admirandæ virtutis, qua cætera cuncta antecellit metalla, donum, è Republica Apollinari propellere protinus protinusque geſtiunt. Hi ſcilicet divini & maximi beneficii contemtores ſordidiſſimos ſe præſtant: Illi vero funeſtæ temeritati evidentiſſime ſuum ſe nuncupaſſe ſtudium monſtrant, dum ab omni ſuſpicioni venenum aut noxæ Mercurium pronunciant liberum, & ita in ſubſtantia tenellis etiam ac nutricibus eundem propinare non erubeſcunt. Appoſitum ſane eſt effatum *Mei D. D. Auguſti Hauptmanni profunda peritia & Excellentiſſimi Chymiatri*, quo poſteriori claſſi addictos puerum ſtatim cum balneo ejicere, priores verè eundem cum ſordibus ſuis iterum involvere *in epiſtolio quodam ad me dato* docte ediſſerit. Nolo autem rationes utriusque partis jam referre, quas tamen, ſi non nemo cognoſcere aveat, in *B. Sennerti tract. d. Conſ. & diſſ. Chym. item in Unzero tr. de Mercurio Rulandi progymnaſm. Alchym. qu.* 48. *Riverio & aliis quam multis ibidem citatis* conſpiciendas cupido Lectori trado, atque relinquo. Valeant illi, qui cogitationes ſuas de regno caliginis non eruere valeant, ut etiam vel apert is valvis introſpicere nequeant veritatis viridarium. Benedicimus hinc non immerito Almæ Chymiæ, cujus celebri ſplendore nocturnas & denſiſſimas tenebras oppido ſuperant ejus fidiſſimi Cultores. Ab hoc ſole & nos ſuſcipiemus omnem in Medicina nitorem atque gratiſſimam gratiam hauriemus, quam per cunctas terrarum plagas confertiſſimè mortalibus ſpargit. Hodierno ævo nimirum Artis Medicæ patres ac Filii tam deteſtabilem ignaviæ conſuetudinem non admittunt, neque judicio ſuo tam derelicti ſunt, ut abjiciant ſtatim & damnent, quod noxia aut venenata qualitate ac malignitate quadam præditum eſt. Sic nec iſti inficias eunt, Mercurio quasdam inhærere nocendi poteſtates, veluti id manifeſtè ex inunctionibus, ſuffumigiis & alio haud opportune adhibito mercurii uſu videre licet; ſed nec ignorant illi, minime eas eſſe penitus incorrigibiles, quin potius tales, quæ adminiculo diſciplinæ ſpagyricæ ſaluberrimam & ad præſtantiſſimos effectus aptam natam emendationem adſumunt. Cogita Tu quæſo qui Mercurium & ex

eo

eo confecta Medicamina peſte pejus fugienda cenſes, quam nudas & inermes elumbeſque Officinas Medicas proſtare certum ſit, ſi ſpeciebus cunctis, ex corrupto naturæ curſu contractâ maligna qualitate pollentibus, indifferenter nuntius ſit mittendus: Sane nec Catarctica, quæ magnam ibi tamen faciunt paginam, tunc in pharmacopolio toleranda. Tuum igitur ſtatim ſtante pede erit reſipiſcere, & cum grano Salis impoſterum ſentire. Ex adverſo pariter in porrigendo Mercurio cautiſſimi etiam ſint Medici, cùm corpori diſpoſitionem pravam is facilè queat imprimere, imò vel ſolo contactu etiam ſtupefacere ſenſum: quapropter *Meritiſſimus Sennertus l. cit. ut & lib. 3. Med. Pract. part. 2. c. 5.* monitum non contemnendum ſubminiſtrat, ne ad uſum Mercurii vivi tam promtè deveniamus, etiam ſi compertum ſit, in deſperatis caſibus eum contuliſſe non raro (attamen haut ſine periculo vel incommodo alio, *mea quidem ſententia*) mirum quantum, & laudabilem proinde efficaciam reliquiſſe: Niſi etenim ſumma urgeat neceſſitas, (qua ratione Mercurium ſcilicet in Paſſione iliaca uſurpat non infeliciter *Helmontius*, qua de curatione olim ſuo loco) ſique aliis remediis curandi negotium queas expediri, argento vivo neutiquam eſſe utendum monet circumſpectiſſima ſollicitudo *B. Sennerti.* Magni hujus Viri dicto nihil omnino refragatur *Excellentiſſimus Faber part 3. Panchym. l. 3. cap, 6.* & ita inquit: Sunt qui crudo utuntur Mercurio, quod egomet non probo, quoniam cruditas illa mineralis in Mercurio ulceroſa eſt, nimiſque acris & mordax, unde ventriculo lethalis & funeſta: tollendam verò illam docet cruditatem mineralem minerali igne, qui in ſalibus mineralibus deliteſcit ac reperitur, ex quibus conſtat Mercurius ſublimatus dulcis &c. Hinc unicuique noſtrum oppidò notorium quoque eſt, quàm argentum vivum omnia metalla perforet; quàm exceda cuncta; & dirâ tabe promanans (ut loquitur *Simon Majolus in dieb. Canicu. Colloq.* 19. perrumpat vaſa. Cur quæſo ſcientes ac volentes errorem admitteremus) inexcuſabilem, & iter ad præcipitium certiſſimum clientibus noſtris ſterneremus, ubi ſine difficultate tutò agendi exoptatiſſima datur copia. Crede Tu mihi, mi Candide Lector, nec in Medicina pariter ſine ſecuritate quicquam jucundum eſſe & commendabile nihil, Ideoque cùm ſine periculo Mercurius currens adeoque cruda ejus ſubſtantia minimè porrigatur, Helmontii (in *tract. d. verb. & lap. p. m.* 459. prudentiam exoſculor, & id quod circa controverſiam tutò fieri poteſt, fideli affectu approbo. Accipe ſis Mercurium vivum, & macera eum in aqua communi vel alio liquore, qui epotus v. g. necandos & abigendos lumbricos aſcarideſque eandem virtutem offert, quam Mercurius in ſubſtantia adſumtus. Vel ſi validiorem hinc deſideras operationem, facito ut vel ſemel in aqua bulliat Mercurius. Tuto autem (præſertim ſi loco aquæ comm. ſubſtituas menſtrua Bezoardica & alterandi vim habentia, uti ſunt:

infuſum ☿ii vivi.

Aq.

Aq. Angelic. aut card. Bened. C. C. tenellorum item aq. cinam. diaborrag. citri fumar. galegæ, ſalviæ. ſambuc. ſcordii, Scorzon. fl. Til. &c. & in ejuſmodi aqua deſtillata, electio enim penes te erit, diluatur *Mercurius*, aqua verò ab aſtro Mercuriali ſic imprægnata poſtmodùm cum *Syr.* aliquo convenienti, *verbi grat. acetos citr. vel citr. compoſ. aut fl Tunic. &c.* miſceatur ac propinetur) ejusmodi præbetur potio, quod ne minimum quidem de Mercurio vivo aqua illa in ſe ſorbeat aut ad ſui naturam, juxta *Helmontium*, convertere queat. Sed ſciſcitaberis unde hujus efficaciæ communio? Aqua ſcilicet à Mercurio vivo proprietatem tantùm, non verò ſubſtantiam petit mutuam; ſic pergit *Helmontius*, unica unſcâ argenti vivi millies poterit menſuram aquæ inficere & tamen in priſtino pondere atque proprietate priſtina permanere. Argentum nempe vivum agit in aquam, eique imprimit ſui characterem, ſuumque, ut ſic dicam, odorem, in quo vis Medica deliteſcit, communicat, ſine ulla tamen ſui amiſſione ponderis. Ergo mercurium vivum in ſubſtantiæ ſuæ ſuſpecta cruditate devorandum dare caveto; & impoſterum à nobis exſpecta,— Mercurius quomodo per examina chymica tentandus, & exercendus antequam ex eo prodeant tot ſalubritatis & virtutum ſpecimina, totque contra omnes fermè morbos glorioſæ victoriæ & nunquam ſatis celebrandi triumphi. Sed unicum adhuc reſtare mihi nunc videtur, quod pariter paucis, ſed claris abſolvendum duco: Unde amabo, iſtæ nocendi proprietates in cruda Mercurii vivi ſubſtantia? Num à *Galeno* reſolutionem quæſiti ſummè ardui expectas, quem ne vidiſſe quidem Mercurium teſtatur *Helmontius*? Num ex *principiis Peripateticis* ratiocinandi veritatem hauriendam putas? Sed ne te remorer, ad *Veros Chymicos* te remitto, qui ſanè *cathedram naturæ* vera occupant, & nucleum medullamque ejus accuratiſſimè beneficio Vulcani luminis agnoſcunt. In familiari colloquio, quod mihi cum *Viro Naturæ Conſultiſſimo D. A. Hauptmanno* intercedere ſolet, tandem eò concluſi noſtri direximus determinationem, Mercurium hanc Facultatem officiendi non obtinere ratione naturæ venenatæ, ſed potius reſpectu ſuæ originis, quam habet. Ita autem in mentem tunc nobis deſcendebat, quod *Magnus Faber l. 4. Panchym cap. 3.* de Mercurii nativitate annotavit: origem autem ſuam ex Aqua (& quidem, quod ego addo, radicaliter) habere Mercurium dicit, ac proinde nihil aliud eſſe illum, quàm humidum, viſcoſumque aeris & aquæ leviter coctum leviterque digeſtum ac Spiritibus Mercurii planetæ imprægnatum corpus, quibus id determinatur ad argentū vivum *&c.* Quum ergo ex nulla aliâ, quàm hac ipſa natura, materia ac ratione omnem humiditatem tam afflictim

amet

amet Mercurius, (quem Solius ſemper aquæ Filium pulcrè nominat *Helmont. prog meteor* §.11.) & tanquam vi quâdam magneticâ humores in corpore convocet, continuoque moveat & ex ſimilitudine quaſi attrahere geſtiat, ſiquidem ipſius metalli vita, augmentum & conſervatio in humiditate conſiſtat, fieri decrevimus, ut propter confertim hinc factam humorum collectionem (vides unde poſt ſumtum Mercurium currentem aſſidua ſalivatio!) atque inordinatam commotionem (cum quibus ſeroſa Salſedo & inpuritates quævis ad corrodendum & exulcerandum natæ non affluere non ſolent (concitentur poſtea tantæ ſymptomatum gravitates atque eventus demum manifeſtò ferales. Qui verò *lege artis Spagyricæ* Mercurium feroci hâc vitâ ſuâ privare noverit, is ad ſalutem humanam contra omnes humorum ac viſcerum putredines corruptiones obſtructionesque valentiſſima Medicamina procurabit. Tu, *Lector Colendiſſime*, noſter *Palæmon* eſto, atque da nobis judicii tui ſinceritatem, ut impoſterum alacriori paſſu campos Mercurii percurrere valeamus.

XXV.

MERCURIUS. SUBLIMATUS. ACCURATISSIME. EXPLORANDUS, ANTEQUAM. MEDICAMENTA; EXIN. PARENTUR.

Hodie *Miſochymicorum* ſenſus etiam ſentire & agnoſcere conſentiunt, imo eorundem corda amplecti tandem, & linguæ fateri adiguntur, ex *Mercurio Sublimato*, tàm varia, quàm ſummè præſtabilia confici poſſe remedia, proinde non minùs rectè quàm neceſſariò in *pharmacopoliis* proſtare illa debere, qualia videlicet ſunt *Mercurius vitæ*, ☿ *dulcis, Bezoardicum minerale ſimplex*, *item, Bez.* ☉*re*, ☽, ♃*le*, ♂*le &c.* Panegyrin autem horum medicaminum jam inſtituere animus non eſt, quamvis virtus eorumdem præſentanea ac nobiliſſima depoſceret omninò, vel mereretur potiùs, ut in laudes tantorum præſidiorum excurreret pauliſper officioſi calami facilitas, & ob quam cauſam excellentibus iſta vocaminibus hiſce affecta ſint, deprædicaret: Sic enim *Mercurius vitæ* nobili titulo inſignitus eſt, quod omnium vomitoriorum & purgantium ſit efficaciſſimus, quod deſperatiſſimos chronicosque morbos citò & tutò amoliatur, atque ſic ab interitu vitam potenter vindicet: Ita ☿ *dulcis* tàm propter efficaciæ ſuæ dulcedinem, quàm acredinis ſuæ corroſivæ ſvavem correctionem dulci nomine triumphat. Gratias habeant gratioſo huic medicamini Venereæ militiæ ranci equites, qui hujus virtute à fœdiſſima ruinâ ac miſeriâ ex voto liberari poſſunt; *& ſic porrò*: Sed dabitur forſan dicendi optatior olim hâc de re occaſio, Ut ut verò *diverſa* & non pauca *medicamenta ex Mercurio Sublimato*

aut beneficio ejus præparentur, quæ in contumaciſſimos acutiſſimosque morbos maximè ſtrenua ſunt, tamen vel cruentis lacrumis deplorandum, ea ex *publicis officinis* à Medicô nec tutò ſemper peti, nec ſine periculo præſcribi poſſe, cujus rei cauſam uti jam, vel conſcientiâ meâ id jubente, non reticebo, ita ſanè Autor eſſem, ut ſine *præſentia Experti Chymiatri* pharmacopœum nunc celebrata Medicamenta diſpenſare aut præparare Magiſtratus, utpote *cui ſalus publica ſuprema Lex eſſe debet* nunquam indulgeret. Cordati Medici id unà mecum diffiteri nequeunt, ſæpiùs accidere, ut v.g. exhibito *Mercurio vitæ aut dulci* graviſſima protinus ſuccedant ſymptomata, ut dato *Bezoardico Minerali ſimplici, vel etiam Solari, &c.* non ſudor & inſenſibilis tranſpiratio, ſed vomendi aut toties alvum dejiciendi labor non ſine jactura vitæ & mortis timore ſubſequatur, adeoque ſic febrilis malignitas à circumferentiâ ad centrum vitale perperam cum periculoſiſſima virium rapinâ reducatur, ut de ſuſpectiſſima humorum corruptorum commotione ſic factâ jam nihil adjiciam. Non igitur ſine ratione meum hoc animum diffundit, & proinde non immeritò recordor, quod *Senecæ ep:* 74. mihi oportunè hic ſuggerit: Inter ſuſpecta, *ait ille*, malè vivitur; Quisquis ſe multùm fortuitis dedit, ingentem ſibi materiam perturbationis & inexplicabilem fecit. Sed redeo ad propoſitum. Ita quidem eſt, quod jam dictorum medicamentorum *certus præparandi exiſtat modus*, qui in omnibus etiam ac cunctis *officinis* unus idemque obſervari debet, prout longo jam temporis ſpatio ab *Experientiſſimis Medicis Chymicisq;* is quoque comprobatus fuit, ubi *Pharmacopolas Noſtrates, Viros hîc Lipſiæ Integerrimos*, minimè ſtatim accuſatos volo, quaſi peritiam eorum & ſolertiam hoc in caſu deſiderem, id quod jam mihi in mentem non venit; verùm hoc eſt, quod me angit & exſtimulat, ut Boni publici ſtudioſus linguam amplius comprimere nequeam. Videlicet *Mercurium Sublimatum* omnes noſtrâ manu præparare neutiquam aut rariſſime profectò parare conſvevimus, ſed eundem *ab Aromatariis ſeu pantopolis* indifferenter nobis comparamus, atque ſic ad compoſitionem aut præparationem hactenus nominatorum medicamentorum, nullâ diffidentiâ freti, illum adhibemus. Ergò ut impoſterum decenter ſapiant, qui hactenus *ſine exploratione Mercurium Sublimatum* mercati ſunt, illius *diſcrimen* ſubjicere prius nunc placet, quo *alium facio verum & genuinum*, hoc eſt, cum *ſale nitri & vitriolo* præparatum; alium verò *ſpurium, adulterinum & peſſimum*. Tanta enim hodierno ævo malitia eſt mortalium, ut levidenſis lucelli causâ merces illas vitiare & corrumpere non vereantur, minimè reputantes, quantam peſtem hoc flagitio iſti perpetrent. Quomodo itaque *Mercurius Sublimatus* adulterari ſoleat, miſſis ambagibus nunc proponam. Temeratur nimirum & adulteratur cum *arſenico*, utpote cum quo tàm faciliori negotio conjungitur, quàm leviori etiam pretio

ac labore ſublimari parárique, ſed & in majori copiâ ſic impetrari poteſt. Verum enim verò palam ante oculos eſt omnium, quàm dirum & ſtygium Minerale, quàm ſtrenuum virus, quàm noxioſiſſimum toxicum, ac ſummè peſtiferum, quamvè totâ naturâ deleterium & reverâ ἀρσένικον, ſeu maſculum, hoc eſt, validiſſimum venenum ſit *Arſenicum*, adeò ut non tantùm hominum pectora citò populetur, & eorum vitale lumen ocyſſimè perimat, verùm & cunctis omnibusque animalibus (quorum tamen nonnulla propter peculiarem corporis conſtitutionem veneno infeſtari aliàs non ſolent, ſicuti, cicutam, quæ hominibus eſt pernicioſiſſima omninò, variis animalibus in deliciis eſſe, eaque ſturnos familiariter veſci, anates item bubones ac ſerpentes deglutire &c. pernovimus) ſit indubitatò θανάσιμον atque funeſtum. Imò tanta eſt *Arſenico* venenata acerbitas, ut in univerſo & rerum omnium triplici regno non detur ſecundum, quod magis præſentem ac penetrantem vim exterminii exitiique hoc ipſo Minerali poſſideat. Neque tantùm peculiari aſtro maliguas, & virulentiſſimas qualitates habet, ſed & feraliter adurentes & cauſticas obtinet, quibus operatur illud veluti ignis contra naturam: ùt enim in naturæ puro latet ignis naturæ, ſic & in impuris excrementisque naturæ deliteſcit & viget ignis contra naturam, *teſte Cl. Fabro panchym. l. 4. c. 45.* vel ùt *ego* interpretor, æſtus lethalis hîc adeſt, viſcera rerum omnium devorans, & ad feſtinatam deſtructionem datus, unde *arſenicum* non ineptè forſan nominavero *mortem quandam viſibilem*, & vitalis ſpiraculi hoſtem infenſiſſimum, crudeliſſimum. Expende hîc quæſo quisquis mellitiſſimum vitæ floſculum, ſanitatem curandam à Deo Medicinæ Unico Creatore & Genio Tuo accepiſti, quàm officioſisſimè, ut cum *Sidon. Apollinari l. 2 ep. 12.* loquar, ſic occidere clientes tuos poſſis, ſi *Mercurium ſublimatum Arſenicalem* ad labores præparandorum Medicaminum incautè adbibeas, & hinc confecta remedia in auxilii tui deſideria anhelantibus porrigas. Ubi pariter ſciendum Tibi commodo, in ☿ *vitæ* & omnium maximè in ☿ *dulci*, negotium præſentiſſimo periculo non carere, utpote in quorum præparationibus, arcanis quaſi medullis inſita arſenico virulentia minimè frangitur, ſiquidem in proceſſu faciendi ☿ *dulcem* planè nihil (*ſi adulteratus ſcilicet ſit arſenico Mercurius Sublimatus*) de *nitro* admiſceatur, cujus alioquin beneficio venenata rerum rabies ac qualitas oppidò adimi peſſundarique ſolet, vel ſaltim demulceri mirumque in modum mitigari poteſt. Unde poſtmodùm concludendi ratio in facili, quam ob cauſam ſæpè ſæpiſſimè poſt exhibitum conceſſumque à Medico ☿*ium vitæ ac dulcem* tàm inſperata & triſtia, tàm atrocia & graviſſima lethiferaque ſymptomata ortum ſuum habeant, quæ in notitiam manifeſtè acſepti veneni ducunt, uti ſunt totius capitis, labiorum & linguæ, (ut in oris fornice etiam contineri illa nequeat,) enormis intumeſcentia, mandibularum ac faucium inſignes eroſiones, perpetuæ ſalivationes, continuæ ſputationes, dentiũ & un-

& unguium prolapſus, pilorum effluvium, ſtomachi acutiſſimus angor, palpitatio ac tremor cordis, ſingultus & vomitus fœtidus, imò ſi in tempore malignitati omnibus nervis non reſiſtatur, ſyncope tragica, & repentina inevitabilisq; tandem miſerè moriendi neceſſitas. Exempla certè non deficerent, ſed uberararet hinc potius in pectore meo copioſa indignandi materies, niſi jam potius mihi ſit viſum, tacendi magis quam dicendi de odioſiſſimo themate officium implere. Ergò alibi potius in vituperationem tàm pernicioſæ incuriæ præcordia mea ebulliant. Unicum tamen cordis penetralia angit, quòd propterea tàm ſicco pede haud præterire poſſum. Nempe nefanda temeritas ita quoſdam ex Chirurgis obſedit, ut minimè erubeſcant aut religionem ducant, promiſcuè omnibus ac ſingulis porrigere *pilulas Mercuriales*, etiamſi toties videant, quam ſiniſtrum & miſerrimum eventum pariant, etiamſi, inquam, experiantur ſæpiſſimè, exin caput, linguam, labia inſigniter intumeſcere, ingentem ſalivationem cum ſuffocationis periculo protinus ſuccedere, dentes omnimodè vacillare, ſummamque paulò poſt putredinem & intolerabilem hinc fœtorem conſequi, ita ut gingivæ etiam fruſtillatim procidant; quis non manifeſtò protinus conſpicit, quantas calamitates vel ex proæreſi ſic cudant gigantum fraterculi, qui nihilominus rudem plebeculam perſvadere audent, ejusmodi medicamenta hâc ratione operationem ſuam exſerere & debere & ſolere, O dignas Beſtias, qui quotidie his pilulis veſci cogantur atque hoc paſtu ſaginentur, ut ſapere tandem propria jacturâ ac propriis cruciatibus plebeculæ ruditati parcere diſcant. Profectò ſi unquam ac uſquam in *tabernis medicamentariis* ſollicitiſſima providentia & vigilans prudentia expoſcitur, circa *medicamenta Mercurialia* utiq; illa à Rei Medicæ Ephoris ſanctè obſervanda. Quin imò tàm juſtum quam ſalutare ſeriâ mente exiſtimo, ut impoſterum juramento Sacramentoque, quod dicere *Pharmacopæi* tenentur, conceptis verbis inſeratur atque ſic caveatur, ne unquam ab illis ☿ *Sublimatus* aliunde comparetur, priusquam diligenti eum & accuratâ legitimaque exploratione, an verus ac genuinus (hoc eſt) *num cum nitro ac vitriolo ſublimatus ſit*, comprobaverint. Hoc igitur opus & hic labor. Sed absque ulla hæſitatione ego *hunc examinandi modum* in publicum proferam, pro cujus bono omnia mea me debere non ignoro, ſiquidem nihil magis *cum Seneca meo* judicem meum, quàm cujus mihi cum publico commodo eſt conſortium. Vera autem *veri Mercurii ſublimati* probatio (quam hactenus cum *Excellentiſſimo Chymico Dn. D. Hauptmanno, Amico meo intimo*, expromere tanquam ſecretam noluimus; nunc verò majuſculis aureolisque literis omnium officinarum frontiſpicio inſcribendam, pharmacorumque tam Magiſtris, quàm miniſtris ſeriâ lege inculcandam ſincero unanimique decreto cenſemus,) celebratur, ſi *vel unica ſtilla olei Tartari per deliquium facti* ſæpius dictæ materię aſpergatur, vel ſi perfunctoriè aut levi ſaltim cõtactu *oleum iſtud* huc perveniat, ſtatim cõtingere

gere hinc videbis coloris, quem alias habet candidiſſimum, ſubitaneam mutationem, qui in croceum protinus ſeu citrinum (vitriolum namque ſic ſtatim ſe prodit propter repugnantiam, quam cum *Tartaro* habet perpetuam) vertitur: quo facto, res utique ſalva eſt, & *Mercurius ſublimatus* certitudinem genuinæ nativitatis ſuæ ita oſtendit, ut ad præparationes Medicamentorum hinc prodeuntium bona fide & cum ſecuritatis indubitato indicio adhiberi queat. Sin vero inſtillato hoc *Oleo Mercurius ſublimatus* fuſcum atrumvè colorem protinus adſciſcat, tunc *è phlegethonteis paludibus* hunc eſſe oriundum, & proinde ex agro medico omnimodè proſcribendum ad Garamantasque relegandum potius tu certò certiſſimè judicato. Latet hîc namque lupus ferociſſimus ſub niveâ pellicula, latitat peſtilentiſſimus anguis ſub hâc plantâ, & tegitur ſub iſto pallio tabes omnibus numeris pernicioſiſſima. Atque hâc ratione ſatisfeci conſcientiæ meæ, quæ jubet, ut juxta tenorem amoris in proximum operam dare communi bono, & ad juvare ſingulos ad ultimum usque finem vitæ non deſinam: Sicuti hujus rei non ita pridem experimentum faciendo in pantopolio quodam deprehendebam adulterati hujus arſenici pondo quaſi centenarium, quod etiam, factâ à me ſincerâ admonitione, iſtius officinæ Poſſeſſor falſimoniam agnoſçens ſtatim remiſit poſtea; unde venèrat. Verùm audio quosdam nihilominus adverſis contendere verbis, rem adeo periculoſam, ut hactenus dictum, non eſſe, nec tanti timoris capacem, cum *Arſenicum* ipſum beneficio Spagyricæ ſolertiæ emendationem per fixationem admittat, & ita virtutem ſalubritatis adipiſcatur, ut tuto & jucundè tàm internè, quàm extrinſecus, tanquam efficaciſſimum alexipharmacum, contra omnia contagia & venenatos morbos, contra ipſiſſimam peſtilitatem, (in quâ vel tantum pro periapto ſeu amuleto appenſum, uti hoc *Paracelſi Xenechton* teſtatur, fluenti malignitati validè reſiſtit) item, contra ulcera inveterata, maligna ac deſperata, contraque cancrum, lepram, & carcinomata, ut remedium victoriæ plenum, feliciter uſurpari poſteà poſſit. Quid reſpondeam nunc ego, adverſus ſolem loqui nequaquam animatus? Ita dubio procul eſt, nihil in hoc mundi Palatio tam malum atque malignum, cui non quippiam boni ſit adjunctum. Spinas removere ſcilicet labora & roſam habebis, quæ pungendo nequaquam infeſtabit, ſed potius per ſuſpiria narium Spiritibus tuum cerebrum delectantibus fragrabit. Tolle amurcam & olei ſuavitas tuas oppido demulcebit fauces. Virus, quod dicitur, in cortice eſt, hanc detrahe: Virtus autem in intimis latens medullis certiſſimè deprehendetur. Sic conſimiliter Chymicis organis *arſenicum* divexa, ab impuritatibus vindica ritè putrefactum, in principia id ſua redigito, putrefactum diligenter coque in ſal nitidiſſimum album vel rubrum, & ita nullus dubitato (*ut Experientiſſimus Faber Panchym. l. 4. c. 45.* hoc conceptis monitis ingerit nobis) ex re venenatiſſimâ Te

nacturum Medicamen, quod infinitarum eſt virtutum ac proprietatum ſummis præconiis digniſſimarum. Sed ô quam non cuivis contingit adire Corinthum! *O quam pauci* vel non adeo multi *ex Peritiſſimorum etiam Chymicorum Corona*! *O quam nulli ex pharmacopœorum & Unguentariorum turba ad hoc ſcientiæ pervenerunt faſtigium.* His ita ſe habentibus non dubito amplius, te in una mecum porticu fore impoſterum, & à me ſupra candido animo communicatæ cautelæ promto greſſu acceſſurum. Negotium emendandi Arſenicalem malignitatem ſolicitudine anxiâ, decumano labore & periculo maximè confertum propter penetrantiſſimum & vitæ penetralia interimere properantem hujus mineralis fumum luculenter conſpiciet quivis, modo adeat, & legat *Fabrum Chymicum noſtro ſeculo maximum* de præparanda Arſenici quinta eſſentia *in Myrothecio Spagyr. l 3. c. 16.* Modo inquam *Fr. Baſ. Valentinum* in ſeiner Wiederhohlung des groſſen Steins der Uhralten. *Cap. d. Arſenico* admittere non recuſet: die Schlange / *inquit Reverendusiſte Chymicus*, des Erdreichs kan das Arſenicum wol in ihrer Vereinigung des Feuers binden / aber doch nicht gar bezwingen / damit eine Medicin auß ihm für Menſchen und Vieh werden kan. *Et paulò poſt:* Drum ſoll mich Arſenicum niemand loben noch ſchelten / er habe denn ein Pfund von mir auff einmal meines Leibes vor Hunger gefreſſen : Hat er dafür eine Artzney zu Sicherung ſeines Lebens &c. Item Ich Arſenicum ſage alſo zum Beſchluſſe von mir ſelbſten / daß meine rechte Bereitung zufinden gantz ſchwerlich ſey / meine Würckung überauß mächtig / in der Erfahrung geſpüret / und der Gebrauch denen Unwiſſenden gefährlich / wer meiner Umgang haben kan / der gehe zu meinen anverwandten Freunden / &c. *Itidem is ipſe in Rhythmis pergit:*

Mein Name heiſſet Hüttenrauch
Und bin ein gifftiger böſer Schmauch.

Pariliter ſtudioſè notandi ſunt *verſiculi ſequentes* nil niſi candida monita ſpirantes:

Da aber ich verlier die Gifft /
Durch Kunſt und rechte Handgriff /
So kan ich Menſch und Vieh curiren /
Auß böſen Kranckheiten offtmal führen.
Doch bereit mich recht und habe gut Acht /
Daß du hälſt mit mir gute Macht /
Sonſt bin ich Gifft und bleibe Gifft /
Der dir das Hertz im Leib abſticht.

Sed neque Helmontius debito dignitatis loco hic fraudandus, qui notanter in *Pharmacop. & Diſpenſ. modern.* §. 51. 52. inquit & fideliter juxtim monet, Arſenicum & Auripigmentum, quamvis (per colliquationem cum ſale nitro mediante ignis

te ignis

re ignis operatione, ut *idem docet d. complex. & miſtion. Elem figm.* §.10.) fixari & dulcorari poſſint, nunquam tamen intra eſſe aſſumenda, prout ab aliis alioquin ſecus conſuaſum fuit: Foriſecus autem fixata hæc mineralia valere, & quamplurima ulcerum genera ſanare, eorumque venena, ſi ipſamet prius ſubacta ſint, necare ac edomare is pergit. Verum ſic *Hieran* num fecerim, agnoſcat Homo, pars illa ſub ſole creationis divinæ nobilisſima, cujus gratia Artium gratioſiſſima operari tam elegantia quam optima docet.

XXVI.

MENTIRIS. UT. MEDICUS. PROVERBIUM. EST. INGRATITUDINIS. COENO. INQUINATUM.

VErba meliora quæſo, mi *Petrarcha*, qui tanta contumelia *Amicos Filiosq; ſalutiferæ humanitatis* ſic verberare non vereris! Neque placebit cuipiam maligna hæc obtrectandi formula, quin potius ab omni honeſtatis ſtudioſo vitium hoc ſummæ ingratitudinis reum judicabitur, quà tellus nil pejus nihilque deteſtabilius ſuſtinet. Nolo autem charitatis beneficia, quæ tota die à *Medicis* officioſiſſimè præſtantur, prolixius hîc dilaudare, ut hinc argumenta refellendi *maleſanum proverbium* mihi comparem, ſed partes has potius relinquam iis, qui medicinæ benignitatem experti de *Medicis* non niſi præclarè ſentire aut dicere poſſunt. Effabor nunc unicè, dictioni huic in uſum prodeunti reverà adſtitiſſe *Genitam Manam*, ut inde non mirum, quod improbo voto ea ſit nata, atque à bonis hinc non injuria etiam damnata. In anteceſſum autem à lolio ſegregabimus triticum & valido dictionis flabro grana à paleis diſcernemus, hoc eſt, à *Medicaſtris & Impoſtoribus* Medicos docta ſolidaque peritia præſtantes, utpote inter quos nimium atque pernimium, imò immane quantum intereſſe quis ſponte non videt? Ergo *Circumforaneos & infames iſtos ſanitatis latrones* hîc ſiſto, in quos loquendi ſilices projiciat, & Saxa ſpuat cum *Petrarcha* vel unusquisque, qui impudentiſſimè vel maximo plebeculæ credentis cum diſcrimine mentiri eos jam pernovit. *Hos*, veritate applaudente, hos dicas ab imis unguibus ad ſummum usque verticem è mendaciis conſtare totos. *Hos* credas mera mendacia & fabulas venundare in maxima damna potentiſſimas. *Horum* & dicta & facta jamdudum infamavit illa mentiendi maleferiata aſſuetudo, quam nemo non clariſſimè perſpicit, niſi *mundus iſte, qui* ſtudioſè *vult decipi.* *Hi*, inquam, ſunt, qui nobiliſſimam Medicinæ ſcientiam tàm nefariè mentiuntur, & ſic mentiendo ſanos in morbum, ægros in mortem, toties totiesque præcipitant. Atque cum manifeſtisſimè ſic peremerint, nequisſimam imperitiam phaleratis menda-

mendaciis & ſummâ loquacitate tegunt, culpam fuiſſe aut ægroti, aut aſtantium, vel ipſius etiam naturæ. Interim dum mortem manibus ſuis adſeitam ſic colorarunt, infamiam nonnihil averterunt, culpam tranſtulerunt & ſuſpiciones ſuſcitarunt, nihilominus (vel *Magiſtratu*, eſſe hos canes pabulo dignos, *approbante*, ô dolor ô damnum!) inania verba, inanem ſpem & nil niſi peſtes æternis miſerorum cruciatibus vendere pergunt, atque pro prudenti conſilio fortunæ temeritatem ex ſententia uſurpant. Cumprimis autem Potentiſſima hæc nebulonum veſpillonumque factio dolis mendaciisque armata deprehenditur demùm, dum orationis ventoſiſſima vanitate ægritudinum ſigna ex cœnoſa matula notare & morborum circumſtantias ſingulas ſive etiam abſcondita quævis ex nuda lotii inſpectione non erubeſcunt aperire:

Ohe quam rumpunt horum mendacia fibras
Incurvantq; trabes, ut tabulata ruant.

Sic corvi hi crocitant, & tot cadavera petunt, nec ſummam illam Reipublicæ perniciem, nec Numinis divini iram reputantes. Non minus rectè quàm veriſſimè hinc infirmus ad vitæ ſuæ carnificem: *Tu mederis? me teris profectò & ſceleratè mentiris.* Secus cordatiores Medici, & mente eminentiori pollentes, qui docta prudentia ſeu conſiliorum cautela graviter utendo mentiri poterunt nunquam. Cavendi regula hîc opportunè nobis ſuccreſcit quam ſi pectoris ſcrinio familiariter ſibi Medicus imprimet, mendacii nullâ ratione accuſabitur, CAUTE PRONUNCIARE ET PRÆNUNTIARE MEMENTO, QUISQUIS PARARE GLORIAM MEDICINÆ STUDES. Hoc eſt, neque ſperare nimium, neque deſperare protinus decumbentes jubeant Medicinam factitantes. Atque ſic certiſſimam mortis inſtantiam bonus cautusque Medicus nullo tempore prædicet, ſed ſuo ſatis officio faciet, ſi periculi gravitatem non ſiluerit. Neque etiam ſalutis rediturae certitudinem ac pacis quaſi jam conciliatæ ſecuritatem promittet, cum mentis noſtræ caliginem lateat, quid ſerus veſper vehat. Sed ſufficit & hîc dixiſſe, bonam ſpem revaleſcendi affulgere, cum perpetua tamen adjectione iſtius NISI. Quod enim vero ſimile eſt, illud non ſtatim eſt veriſſimum; quoniam experientia fideliter teſtatur, multa veniſſe non expectata, & quàm plurima vel nunquam ſperata comparuiſſe. Melius eſt meliora ſperare, quàm abſque ulla fiducia deſpondere animum. Multa intervenire poſſunt, quibus viciniſſimum periculum vel propius ad motum, aut ſubſiſtat, aut deſinat, aut tranſeat. Forſitan erit, *inquit Seneca*, fortaſſe non erit. Interim adhuc non eſt, gratiora propone &, (ut meum quoque adjiciam ſymbolum) loquere mulſa, juva ac vel extrema etiam auxilia adhibe. Nihil tàm certum eſt, ex his, quæ timentur ut non certius ſit, & formidata quandoque ſubſidere & ſperata decipere. Semper *Medicus* hinc perpendat, partem ſecuritatis eſſe,

eſſe, non ex profeſſo eventus certitudinem petere atque hoc modo *in medio tutiſſimus ibit.* Cæterum non diſſuadendum Medico, ut perſonam aliquando ſumat, quam ponere pro genio rei aut temporis rurſum ſubitò poteſt. Hinc ora in lætius (perita tamen vigilantia ſemper præſente) opportunè ſæpius finget, & horridas imminentis tempeſtatis nubes velo ſilentii fructuosè obducet, adeoque ea omnia præſtabit, quæ honeſta ſimulatio, & ad excogitandum aliàs ſtrenuè ingenioſa commodat. Commendo igitur minutas innocentesque ſimulatiunculas *Medico* quoque & periculorum cauta tegimina probo, vel ad minimum hoc in puncto Medicus :

Dumtaxat taceat; nam diſſimulare tacendo
Maxima plerumq; eſt ſapientia : vivere neſcit,
Ut benè vulgus ait, qui neſcit diſſimulare.

Gentium Imperator qui diſſimulare neſcit, imperare profectò neſcit. Medicus, ægrotantium Rector, qui diſſimulare penitus ignorat, is ſapienter quoque clientes ſuos regere nec valet, nec callet. Idem cavendi dicterium obſecro in *Diagnoſi* callida obſervatione veneretur Medicus, ne præcipitantiam erroris matrem eſſe, vel cum opprobrio ſæpiuscule, experiri cogatur. Atque ſic mea eſt ratio, meumque ita induco animum.

XXVII.

PLANTIS.
NON. COMPETIT. SEXUS.

NEmini non conſtat *à Philoſophis naturalibus plerisq;* ſtirpium familiæ *ſexum* affingi ita, ut diſtinctionem ejus non in animantibus tantummodò, ſed etiam *in vegetabilibus* exactè conſpicuam impensè defendant, & in quibusdam principium generationis activum atq; rurſus in nonnullis paſſivum ſubeſſe, probent: Unde poſtmodum *v.g Abrotani, Mercurialis, Pœoniæ, Bryoniæ, Tiliæ, &c.* maris & fœmellæ mentio vulgatiſſima. Verum an verè ac propriè, eſt profectò, quod ego penitus non admitto. Planta etenim unaquæque ex ſe ipsâ concipit & parit, non verò ex congreſſu vel communione ſeminis ſpeciem ſuam perpetuat, Evoco autem in hanc arenam cumprimis *potiorem ſexus conditionem*, quâ refertur ille *ad partes & certas definitasq; earum conformationes*, veluti id in univerſo animantium genere plusquam in aprico eſt. Facito jam comparationem ad plantas. O quam excogitatus ſine rationis baſi herbarum ſexus! ſed *analogia* fortaſſis tibi & hiſpida, nigraque hirſutaque forma lævitati, aut candori aut glabritiei quorundam vegetabilium oppoſita in comprobando arridet? Infirma hæc concludendi formula eſt imò *analogi nihil*, quod plantis circa ſexum vel

verè, vel opinione liceret aſſignare, hic ſubeſt. Recordatione hinc digna *Helmontii verba* eſſe cenſeo, dum *in pharmacop. & diſpenſator modern. §. 4.* appoſite dicit, malè herbas in ſexus diſtingui, quoniam hæc vocula generationem duntaxat reſpicit, non verò operationem aut objectorum parium relationem. Cogniti ſunt, *inquit ille*, Creatori noſtro fines, qui, ubicumque ſexuum notis non opus fuit ad generandum, eaſdem in operando etiam poſthabuit. Si ergo duorum ſimplicium unum altero ſit fortius aut aſperius, id ſanè non ſexum denotat, ſed gradum &c. Placet hæc mihi ſententia ſexus titulum plantis, *accuratè loquendo*, neutiquam convenire, neque maritationem herbis, niſi *per ſolam metaphoram*, quæ voces à genuina ac propria ſignificatione ad minus propriam transferuntur, accommodari debere; ſicuti eadem quoque ratione herbas pubere, comas cum ſpargere incipiunt, dicimus, atque adeò ipſis juventutem ſenectutemque tribuimus. Hinc ita loquendi abuſus, *ut ego quidem opinor*, originem traxit ab eorum doctrina, qui *ſexum ad temperamentorum differentias* potiſſimum ſtatuerunt referendum. Atque ſicuti mares temperatura calidiore & magis ſicca, Fœmellæ verò humidiore & frigidiore, habito naturali reſpectu & complexionum proportione, pollent, ita in vegetabili regno hanc ipſam ſimilitudinis virtutem locum obtinere appropriatum decreverunt, *quos cepit ſtirpium colendarum ſolertia*; unde ab *ipſis* factum poſtea, ut herbæ, quibus melior inſita ferociorque virtus, quævè à viribus magis inſignes, nomine etiam & dignitatis potioris ſeu maſculi ſexus, quæ autem inferioris virtutis deprehendebantur, ſub ſequiori ſexu fuerint comprehenſæ, quemadmodum vel in trivialibus etiam tritum eſt, maſculum ſeu virile id vocari, quod forte, quod animoſum, quodve egregium ac virium eximia ubertate luculentius conſpicuum eſt: muliebre vero ac fœmininum dici quod enervatum, infirmum & molle exiſtit, ita ut viri ac mulieris vocula non ſemper ſit ſexus ſed ſæpiuſcule etiam virtutis, dignitatiſque aut imbecellitatis & vitii convitiique nomen, qua de re fuſius & elegantius illi, quos Latinæ linguæ ſapientia mulcet. Rectiſſimè igitur *Helmontius*, propriè loqui deſiderans, *ſexum herbarum ſcenicum*, & ego *tropicum nuncupamus*.

XXVIII.

VEGETABILE.
EX VIVI. CORPORE. HOMINIS.
PROGERMINANS.

ITa eſt; ſapientes firmiter hærent *veritati*, neque quicquam effingere ſolent, ne ſapientiæ, (qua voce veritatis aut notitiam aut affectum *veri profeſſores* innuunt) obicem ſic poſuiſſe videantur. Scilicet cunctis, quibus ſapientiæ ſtudium

dium in deliciis eſt, *veritas nuda & aperta perq; evidentiam ſenſûs ſtabilita* ita cordi
eſſe debet, ut nullo modo approbent, ſed repræhendant potius fabularum nu-
gas. Certisſimum namque eſt januam *veri* evidenter pollui figmentorum lar-
vis, & tenebrarum ſic offundi caligines iis, qui ad coruſcantem bonæ mentis
conſcendere thronum laborant. Pectoris ſui ſacello *Medicorum quoq; corona*
profundè hoc infixum ſibi habeat monitum, quo & illa damnare inanes rerum
fallentium ac frivolas conjecturas, quæ nimirum ad nihil utiles & nulli ſubnixæ
ſunt fundamento, ſanctè tenetur. Ardua meditari pariter & operari debent
Medicinam facientes, & penitus contemtui habere potius *diliræ mollia fila lyræ*, ut
Poëtæ verba faciam nunc mea. Neutiquam me fugit, in *Medicinæ pandectis* multa
ſæpè adnotari, quæ nec nocent ignoranti, neque ſcientem etiam juvant: imo &
latè obvium eſt, quamplurima in *hiſtoriis & Annalibus Rem medicam concernentibus*
reperiri, quæ neque, ſi adſint, emolumentum ullum afferunt, neque, ſi abſint, ul-
lum detrimentum etiam generare queunt. Lubens ſuperſederem certè *hiſtoriam*
nunc enarrare, quæ *titulum ac frontiſpicium hujus thematis* aſſerere multo conatu
nititur, niſi conſtaret mihi, hanc ipſam, quomodocunque etiam cum ea ſit com-
paratum, ſine noxâ ad minimum *Lectores* ſuos decipere, ea planè, nî fallor, ratio-
ne, qua *præſtigiatorum acetabula ac calculi* jucundè deludunt, in quibus vel ipſa fal-
lacia delectat. Atque hac ipſa etiam lege *jam ediſſerendam hiſtoriam* non ita pri-
dem communicavit mihi *edecumatæ eruditionis ac præſtantiſſimæ peritiæ Chymiater*
Lubertus Erbenius, quam *verbotenus* etiam, prout *ipſam ſuâ manu conſcripſit* (*Auto-*
graphum namque his oculis vidi,) *Medicus Hiſpanus*, hic adponam, & curioſæ Le-
ctoris cenſuræ iſtam *ſine omni exceptione proteſtandi verbotenus* ſubjiciam:

Doctor Johannes de Gonzalo Medicus Philippi Quarti, Regis Hiſpaniæ, Clariſſimæ
Domus Burgundiæ Familiæ, in Complutenſi Academiæ Doctoratus gradu condecoratus
& Proto-Medicus Exercituum Hiſpaniæ, Luberto Erbenio Regiæ Maj. Poloniæ meritiſſimo
Medico, pariterq; Eximio Philoſopho, Viro deniq; ſummo ingenio & præclarâ eruditionis
laude condecorato.

Omnes homines (*inquit Ariſtot.*) *naturaliter ſcire deſiderant, præſertim Docti*
Viri ob id deſiderant à me ſcire caſum & hiſtoriam, quam breviter referam. Contigit in
oppido, Orea dicto, in Saguntina diœceſi, quod quidam paſtor qui herbabat, (ſapit nem-
pe phraſis Hiſpanum idioma) *oves ſupra quandam arborem, Spinum Endinum, di-*
ctam, & in os ventriculi multæ ſpinæ ingreſſæ fuerunt, & per duos annos & menſes tres ab-
ſconditæ: In eâdem parte factus fuit tumor, qui in ſuppurationem terminatus fuit, cum
Chirurgus illum aperuiſſet, intus invenit multam ramorum quantitatem cum radicibus,
poſtea per quatuor annos duravit, & per illum decubitum continuò multi rami exeuntes
tempore veris & autumni cum ſuis foliis viridibus. Accidit huic Paſtori, quod cecidit ab
alto hoc tempore & capite vulneratus à Chirurgo malè curatus periit. Ego ſciens

 mor-

mortuum fuiſſe, Anatomiam feci, & inveni intus ramum iſtum in muſculis internis: Nam alii inter longum tempus partim à naturâ, partim à multis eradicati fuerunt. Contigit hoc Anno 1634. *Doctor Johannes de Gonzalo.* Fideliter ſic renunciavi *hiſtoriam* ſeriò & ſub religione ejus conſcriptam, nihilque diſſimulato ſtylo hanc ipſam nunc expoſui. Non dicam tamen mendacio protinus infamem hiſtoriam eſſe quæ laborantem in ſectatione veri animum ad vanæ credulitatis ludibrium adſtringat, quum opportunè hic velificari ac tueri admodum narratæ hiſtoriæ fidem felices *macrocoſmi & microcoſmo* conſanguinitates queant præſertim ſi membra Univerſi ſingula ſenſum & conſenſum contactum ac convenientiam quandam (*ut Helmont. d. vac. naturæ* §. 13. *loquitur*) *Sympatheticam atq; Magneticam* habere reputemus. Adeò ſciunt *rerum naturalium fidi interpretes*, quam famigeratum ſit illud Naturæ collegium; quanta ejus undique cognatio, concentus & conjunctio, & quam inter ſe ſingula commune & firmiſſimè concatenatum habeant vinculum. Sic *lapideſcentiam vivam*, quam *Megacoſmus* alit, pariter in *microcoſmo* undique deprehendimus, cujus calamitas laborantes, præſertim in renibus, diu noctuque intolerabili cruciatu fatigat. Ita in *Microcoſmo æque ac in Macrocoſmo vermium & putidorum inſectorum* catervas concipi nihil in Medicina tritius. Sic *Mercurium vivum* ex ulcere vetuſto in muliere quâdam prodiiſſe, non ita dudum inaudivi. Non impoſſibile autem puto Mercurium in corpore noſtro generari poſſe, aut reſuſcitari, ſiquidem *Salis redundantia*, quæ in multis præſtò corporibus, ad hunc effectum pollens ſatis ſit; cumprimis ſi *Martiales Medicinæ* in copia & frequenter aſſumantur, aut ſi ☿ *dulci* corpus familiariter expurgetur, aut *ſi iſte, vel* ☿ *etiam ſublimatus* ulceribus adhibeatur, ſicuti notatu dignum adprobè eſt, quod *Dominic. Panarolus in faſcic.* 1. *arcanorum ſuorum* refert de cadavere meretricis diſſecto, in cujus cerebro, ac ſuper aures intus tres argenti vivi globuli fuêre inventi, dum ſcilicet illa vivens ſublimato pro abſtergenda & colenda facie aſſiduo uſa &c. Sed prioris hiſtoriæ ratio ac veritas accuratiori lance *ſuo à me tempore* ponderabitur. Verum an *frutices ac* ſpinæ per violentiam & cum vulneratione carnoſarum partium ac viſcerum vivo corpori infixæ cum pleno naturæ indultu radices inibi gignere, iiſque ſic hærere ac quotannis revireſcere poſſint, evidenter in lubrico ſtare pronuncio. Quid enim reſpondemus *acriter contrà inſtantibus*, obſervationem hanc penitùs *naturæ præſcripto repugnare*, quæ aſſiduè operando progredi & opus ſuum vel pedetentim etiam polire atque perficere ſolet? Quid *Helmontio d. nat. contrar. neſc.* §. 1. reſponſi dare poterimus, qui naturam, *ingentem illam ſalutis matrem* neſcire, imò admittere voto ſuo infeſta atq; contraria *quivè* §. 38. Eandem omne contrarium & quicquid unitatem turbat horrere omninò atque naturam morborum medicatricem bonitate ſuâ ſuperare ſemper, diſerte commemorat?

Quo-

Quomodo obviam quæſo, ibimus *Ferdinando Epiphanio.* (*hiſt. Med.32.*) naturam admirandas ſibi in medicando excogitare aut præparare vias dictanti? Quid *acutiſſimo Fabro* (*Panchym. lib 4. cap 7.*) reponemus, qui naturam perpetuò ad perfectionem & puritatis (ſanitatisque) culmen anhelare monet? Quid verborum referemus *Petro Gaſſendo* (*in lib.10. Laert. de Phyſ. Epicur. Animadv.*) qui naturam neceſſitate adactam præclara & mira opera patrare notat. Quid *omnibus ſanioris Medicinæ Patribus* dicemus, qui ad cœlos usque *benevolæ naturæ auxilium* non immeritò ſublimant; qui *ſagacia naturæ induſtriæ tentamenta* eſſe rationis invicto & ſolido experientiæ fulcro fulti perhibent, prout natura ſemper, quando nihil adjumenti impetrare poteſt *ab Arte*, ſuppetias afferre præſentiſſimas officioſo conatu ſolet. *Fides quidem notatæ hiſtoriæ ſit penes Autorem, cujus famæ celebritas ætatem integra eſto*; quum tamen illa *à Majeſtate rationis & ſinceritate operationum Chirurgicarum* quàm longiſſimè ſit averſa, duntaxat noſtræ hoc in negotio ſententiæ adjiciemus ſummarium. Scilicet *hiſtoria iſta* naturæ indolem omnimodò excedit, utpote quæ conſimiles abſurditates moliri, iisque ſegniter indulgere nunquam conſvevit. Etenim familiariter noſtrûm cuique eſt notum, quàm operoſam *natura* ſe præſtet, ſi vel *minutiſſima feſtuca* cutem aut carnem infeſtet; quam vehementer *Archeus* vel cum indignatione contra peregrinum hoſpitem pugnet, donec per ſuppurationem illum propulſarit; imò vel inflammationem quoque propterea ſuſcitat ac gangrænam quoque ipſam, ut voti ſui ſic compos fieri atque ab iſta moleſtiâ ſe liberare poſſit. Sed concludo & edico, *exempla & obſervationes in Arte Medica* quidem plurimi eſſe momenti, ſed illa tamen cum ratione conjungendas. Recordare etiam *in Medicina obſervari tantum, quæ ἐπὶ τὸ πολὺ contingere ſolent*; *non verò ea quæ rara ſunt. Nam quæ rara ſunt, artis noſtræ neutiquam ſunt, neque ullo modo ad eam pertinent*: Ergo rectius inter prodigia, inter portenta & monſtra, interque opera Naturæ inſolentia ejusmodi obſervationes ac hiſtoriæ referuntur, utpote quas cum ordinariis ejus ac ſolemnibus minime decet confundere. Sed tantum nunc ſufficiat; qvum ipſa veritas ſuo ſtatim ſe lumine illuſtret abundè & tanta, tamque ignea ſit ejus vis, ut ab invitis etiam prorumpat pectoribus.

XXIX.

SUDORIFICUM. MAXUMUM.
P. J. FABRI.
MEDICAMEN. EST. REVERA. MAXUMUM. ET. MAXUME. TUTUM.

Sacra paraturus *Jovi Maxumo*, non ignoro, Diis debere nil niſi eximium offerri atque divinum. Favet hîc autem de ſubitô mihi antiquitas, quæ iſtius Numinis aras venerari cultu condigno me docet. Veteres olim *Argento* videlicet *vivo* aſſolebant *ſummo* ſacrificare *Jovi*, (*Plaut. A. 1. Moſtell. S. 3, 84.*) quem ritum ut myſtico ſenſu admodum pollere comprobabo, ita & eundem haud inepto forſan imitamine amplecti jam potero. Ad unguem, quod dicitur, *Hermeticæ diſciplinæ Conſiliarii* commonſtrabunt, quàm oppidò ipſi *Jovem* ſibi *Mercurio* queant mereri. Recte igitur ſic halat Altare noſtrum, quo præeunte fumo *à Jove juvandi* patrocinium ac poteſtatem gratioſa *Hygeia* ex voto impetrare poteſt. Hujus libamenti utilitatem inſignem *Spagyricorum* nobis exponet ſolertia, inter quos tanquam Præſulem *Petrum Joannem Fabrum* colimus non immeritò. Diſces, *mi Lector*, ex *Jove metallo* deſideratum fructum elici vix poſſe, niſi *Mercurium* adhibeas, *ut ſic loquar*, interpretem, atque ſua munera quaſi immolantem. Hinc adpoſitè omninò *Mercurius* Deorum audit nuntius, & propterea ſic ſalutatur, quod totius ſit *Naturæ negotiator*, ac veluti Mercator, ita docente *Fabro vol 1. panchym. l 1 c 8.* Imò quod magis huc quadrat, notatu dignum eſt utique quod *Idem l. 2 loc. all. c. 48* effatur, nihil ſine Mercurio nimirum & vivere & mori, *h. e.* ad generationem & corruptionem adduci poſſe. Quum hactenus ergò virtutes ac viſcera hujus quaſi *ſacrificalis aut devoti metalli*, *Mercurii nempe tam currentis*, *quàm ſublimati* ſolitâ nobis conſideratione introſpeximus, viam hanc ultra currere eò lubentius pergo, quô itineris illius emolumentum evidentiùs eſt magnum. *Faber* jam celebratus ex *Jove & Mercurio utroque* nobiliſſimum dictitat fabricare medicamentum, quod quadranti titulo plerumque *ſudorificum Jovis ſeu maximum* is vocitare conſvevit. Quum igitur dictum Medicamentum hinc quoque præparetur, illos ſtatim, qui nihil unquam in chymiâ experti ſunt, quive ab expertis nihil pariter unqvam didicerunt, incertâ mentis volutatione angi conſpicimus, num ſuſpecta *Mercurii* proprietas & *ſtanni* minus tuta cruditas chymicâ ope invicem facientes mixturam tam laudabile ſecurè uſurpandi medicamenti nomen producere valeant. Poſſem hîc pulcris arbitrari argumentis, quam multis & inſignibus *ſtannum* (licet tàm cruditate ſuâ, quàm impuritate id naturaliter ſcateat) viribus ad evincendos

omnes

omnes fermè morbos idoneis, ſit adornatum, (quâ occaſione *de antihectico Po-*
terii, quod itidem ex *ſtanno* conficitur, quodve *Ampliſſimæ famæ Chymiater D. D.*
Johannes Michaelis in quotidiano pariter ac feliciſſimo uſu habet, adjicere aliquid
brevitatis amantes nunc ſuperſedemus,) ſi incluſus hic metallicus ritè eruatur.
& longâ multaque coctione ab excrementi cortice vindicetur *Spiritus*, poſtmo-
dumque in ſalem fuſibilem penetrantem convertatur, teſte *Fabro vol. 2. Panchym.*
l. 4. c. 27. Poſſem imò non pauca adhuc de nobilitate *Mercurii* & illuſtribus
ejusdem meritis proferre, niſi conſtitutum eſſet jam celebrare potius *modo nun-*
cupati ſudoriferi efficaciſſimam magnitudinem. Mordere ac pungere ſcio quàm
plurimos quidem, quod *modum & rationem hoc medicamentum conficiendi* non
usque quaque claris expreſſerit notis *Autor*, (*vol. 3. Panchym. p. m. 481. & 741.* ubi
proceſſum hoc remedium parandi invenire licebit) neque tenori ad literam adſcri-
pto eadem reſpondeat, præſertim dum pondus *Nitri* in uno loco penitus omi-
ſit, in alio ancipitem planè ejus mentionem fecit. Sed quid *venerandum Fabrum*
tàm torvè aſpectatis, ô *Buccones*, qui ruſtico paſſu in ſecreta hæc irrumpere pro-
tinus diſcupitis; Quid Ejus exagitatis Liberalitatem, quodammodo tamen,
& non ſine prægnanti cauſſa in ſinu poſitam? Sat profectò is dixit *ſapientibus*
atq; veris Chymiæ conſectaneis, qui uti nil eſſe callent tàm difficile, quin ulterius
quærendo queat inveſtigari; ita *laudatæ Medicinæ præparatio* ipſis ex votò etiam,
atque cum optatâ promtitudine affabrè ſuccedit. Verum transmiſſis hiſce in
declarationem debitam nunc inducemus pauliſper, *an uſus hujusdem Medicami-*
nis tàm ſignatâ in certam fidem ſecuritate polleat? Fateor non adeo proclivem ex-
plicatum habere quæſtionem propoſitam, neque articulos deſideratæ ſecurita-
tis tàm eſſe in propatulo, niſi fulgetrum *ſpagirici ignis* contemplantium tangat
animos. Neque diffiteor, primitus id medicamenti & compoſitionem ejus
ſuperficietenus mihi, quemadmodum pariter *Experientiſſimo Dn. D. Hauptman-*
no, *Amico meo conjunctiſſimo* conſiderantibus non parum ſuſpicionis ſuccreviſſe,
quod *ſudorificum Joviale* hoc nimis crudum primo intuitu viſum fuerit, & pro-
inde tàm *ſagaci chymicæ Artis Antiſtiti* neutiquam adſcribendum, quandoqui-
dem in omni crudo ſemper pernicioſa latitat impuritas: Quin imò vel Jovem
lapidem dejerare ſum paratus, niſi vel milleſimus, etiam ex haud levi peritiâ con-
ſpicuis *chymicis*, hæſitaverit, utrum jam ſæpè nominatum remedium intra cor-
pus tutò aſſumere liceat. Etenim ſi mentis aciem ad *Mercurium vivum* flecta-
mus, alibi jam ſuis argumentis decretum fuit, eum nocivis qualitatibus, (licet
iis non tàm evidenter ac derepentè deleteriis) omninò non carere, utut etiam
ipſe purgetur ac purificetur, vel utut ab ipſa auri ſubſtantiâ ſæpius ſæpiusque
deſtillando cohibeatur, quæ purgatio ejus omnium (quas noſmet novimus
quidem), eſt optima atque ſingulari honore obſervanda. Si porrò ad acu-
leum

leum, quod dicitur, admoveatur *Mercurius ſublimatus*, longè majora, (ut ſuo jam quoque loco id perputavimus) ſuſpicandi veneni occurrent veſtigia, ut non immeritò quis ambiguum faciat judicandi duellum, quid exinde ſperandum. Sanè ex hoc *utriusque Mercurii conjugio*, quod nulla peculiaris correctio præcedit, aut deſtillatio aſſidua commendat, non niſi infauſti effectus ſobolem non nemo ſtatim præſumet: Neque ſibi perſuadere quis poterit in *præparatione hujus ſudorifici* corrigendo totam ſupplere hic paginam *nitrum*, & quidem in cruda nudaque etiam ſubſtantia ſua adhibitum: unde profectò ſub tegmine veritatis ſpecioſe quis ratiocinari poſſet, corporum venenatorum *correctionem* hic penitus ſe videre nullam, aut effatu vix dignam, quin potius *Mercurium currentem ſic naturam Mercurii ſublimati* induere, & vim deleteriam manifeſtè ita adaugeri concludet. Hoſtibus ergò & Lavernis hujus pulveris auxilio ſudandum citius, quàm ut experimenta perículoſa obtrudantur Amicis. Verum enim vero ut egomet ſeriò ſummarum rerum perfunctoriè & levi adſpectu ſeu populari trutinâ factam æſtimationem taxo, atque à *Cordato Chymico* quàm maximè alienam eſſe aſſero, ita rem longè aliter ſe habere, modò exactiori Artificis ſtaterâ negotium præparationis perpendatur, jure meritoque pronunciatum nunc eo, adeò ut *Excellentiſſimi & ſupra laudem noſtram poſiti Fabri* candor, deque Apollinari Republicâ bene merenti ſtudium inculpato flore hic quoque vigeat. Sed ne clariſſimam diem in climate Chymico obſcurarum nebularum diutius premat caligo, dilucidâ ratione tradam, *Sudorificum hoc* & enitere maximâ virtutum præſtantiâ, & conſimiliter gloria ſecuritatis eſſe ſpectatum atque toties probatum, modò *Mercurius ſublimatus* ſit genuino modo, ſalibusque debitis paratus, nec arſenicali virulentia contaminatus, id quod conceptiſſimis verbis ac ſeverâ cautela *Faber Vol. 3. Panchym p m. 527.* docens Emetici Regalis compoſitionem, quoque admonuit. Adesdum igitur *Adverſarie* & aures tuas arrige, quibus forſan omnino præclara inſtillabo. Nota ſi lubet, atque quàm optimè nota, hoc medicamentum, etiamſi ad præparationem ejus *Mercurius tam vivus, quam ſublimatus* accerſantur, *nil* quicquam *de iisdem corporaliter* participare, ſiquidem in adjectione *aquæ communis* non *vivus* tantummodò *Mercurius* illicò cum *Jove per amalgamationem* ſe rurſum uniat, verum iſte etiam, qui in *Mercurio ſublimato* deliteſcit, protinus reviviſcit, redivivus poſteà tanquam ſimilis ſui ſimilem & fratrem frater quærit, amicabilique ſtatum ſodalitio cum eodem ſe conglutinat: *Salia* verò *ſua*, quibus tanquam alienis plumis *Mercurius ſublimatus* erat circum amictus, in aquâ relinquit, quæ etiam ſic in aquâ derelicta & ab eadem abſorpta una cum *ſtanno reſoluto* odorem tantummodo vel ſaporem quendam *de utroque Mercurio* communicatum obtinent, ita ut nihil periculi aut detrimenti exinde pertimeſcendum:

nudus

nudus namque ſapor odorque iſte facili poſtea negotio per virtutem *nitri*, in quo totam naturæ virtutem latitare triumphant *Chymiæ Proceres*, vel ejuſdem potius ſpiritus deſtillationis beneficio prodeuntes (qui ignem vitæ effectiſſimè deferunt, quo ipſum turgere nitrum & hinc *ignem congelatum* pulcrè vocari rectè dicitur *à Fabro vol. 2. Panchym. l. 4. cap. 40.*) emendationem admittit, & ſaluberrimi inde medicaminis titulum ſibi *Sudorificum iſtud* conciliare poteſt. Reviviſcere autem *Mercurium* qui *in ſublimato* hæret, jam dixi, ubi ſciendum, revivificationem illam peculiari nobilitatam eſſe proventu, ac ſingulari ditatam compendii dote, quoties enim hic labor reperitur, toties hoc fœnoris laboranti ſuggeritur, ut nullum amplius recentem *Mercurium vivum* addere habeat opus, quoniam is ſemper mediante *Mercurio ſublimato*, cujus adjectio inevitabiliter renovari debet, ſufficiens, imò vel in auctiori etiam pondere ſic recuperatur, quemadmodum *Solertiſſimus naturæ ſcrutator Dn. D. Hauptmannus* in aliquibus præparationibus, cumprimis verò in noviſſima perſpicuè id obſervavit, ubi cumprimum Unciæ ſex *Mercurii vivi* erant præſtò, poſteà in quantitate dupla oppidò eum reperit. Deinde firmiſſimo certiſſimoque conſtat inſuper fulcro, *de Mercurio ſive vivo illo, ſive ſublimato* planè nihil materialiter aut corporaliter *ſudorificum hoc Joviale* in ſe comprehendere, ſed *potentialem* tantum *fragrantiam* quandam ac *virtualem redolentiam* habere, quam tamen *nitri ſpiritus ignei ſulphureiq;* edomitam affatim reddiderunt, id quod ex *Clariſſimi Autoris* cautela ſingulari conſilio appoſita & in quavis præparatione probè obſervandâ præclarè eluceſcit. Sedulò enim *Faber* hujus remedii fabros adhortatur, ut ſtudioſiſſimè caveant, ne in effuſione aquæ, quæ celebrata jam ebullitione per *inclinationem*, ut loqvuntur leges Artis devenerantes, inſtitui debet, aliquid *Mercurii vivi*, qui in fundo retortæ deprehenditur, unà effundatur, cujus acceſſus alioquin, ut admonitione hâc factâ id tacitè innuit *Autor*, diſpendium corpori noſtro inferre poſſet. Hiſce accuratâ lance libratis de *ſalutari hujus ſudorifici uſu* omnes jam proſcribamus ceſpitationes, & bona fide credamus, id medicamenti dignum omninò eſſe, ut imi ſubſellii ornatu afficiatur, & in officinis clariori loco condecoretur. Neque ſipario ſilentii velabo, quod in iteratâ hujus *ſudorifici* confectione CL. *Hauptmanno* contigit, dum ſcilicet ex unciis ſex *Jovis* vix duæ ipſi remanſerunt: unde profectò concluſu non difficile, quam compendioſo levique labore medicamentum hoc in Joviali ſua majeſtate, natura atque ſubſtantia augeri & ita in excellentiorem adhuc gradum adduci poſſit, ſi ejus nimirum extractio non medio aquæ communis, *ſed Mercurialis, ſeu Mercurio univerſali*, aut ut Philoſophicè magis dicam, *Philoſophorum*, utpote qui metalla ex fundamento attenuat ac reſolvit, inſtituatur. Verum ſic rurſus ſalivam *curioſo Lectori* moveo, dum denuò ea ingero, quæ

ad modum præparationis pertinent. Is autem ut ſuâ luce claret & perito ſpagyrico nullam difficultatem parit, ita ſcintillas quasdam, quas obtegere allubuit *Autori*, detegere etiam nolo, ſed potius in voluntate *Celeberrimi Inventoris* adquieſcere volo, qui præparandi proceſſum nonnihil ita abditum eſſe, & manum, *ut eſt in proverbio*, continere ſub pallio conſtituit, ſciens arcanis publicum vix exiſtere ſatis aptum. Ergo quod nobis concredidit *Fabri Panchymica ſinceritas*, ſumet is omninò, ubi poſuit, ut cum *Plauto* loquar. Noſtrum eſt acceptas grates referre *Fabro Chymicorum Principi* & dignis meritorum erga Rem Medicam amplitudinem vehere encomiis, ne eadem ulla unquam deleat oblivio. Ut itaque *ſudorificum Fabri maximum* nullatenus in crimen nocendi poterit vocari, ita potius mirificas & ſummas in Medicina, hoc eſt, *Bezoardicas, diaphoreticas, antifebriles, antipleuriticas, cordiales, confortantes, antihyſtericas, deobſtruentes, & quæ ſunt alia, virtutes*, quarum laudes feſtinata & tumultuaria hâc ſcriptione atterere religionem duco, perſpicuè *id ad grana 8. 10. vel* 12. *imò usque ad* ℈j. datam declarare experientiâ quotidianâ, exemplisque minime fallentibus hactenus fui edoctus. Neque reticendum hîc duco hujus Medicinæ excellentiſſimam & indubitatam efficaciam *in citò propulſandis variolis & morbillis, iisque probè curandis*, quam ego hâc ipſa tempeſtate, qua non ſine contagione, & contagioſa propagatione familiariter hic inde graſſari illa exanthemata deprehendimus, eventu ſucceſſuque felici, *DEO benedicente*, in clientibus meis hoc affectu tentatis fui expertus. Hæc dum ita dixi, & cauſam iſtius *Sudorifici maximi* dum ediſſerere jam ſtudui, fortè fortunâ recordor *Zeuxidis Pictoris* ſua ætate ſummi, de quo *Plin. l. 35. c.* 10. refert, *Puerum uvas ferentem* graphico eum artificio pinxiſſe ad quas cum advolarent aves, eâdem ingenuitate operi iratum proceſſiſſe atque dixiſſe; uvas melius quàm puerum pinxi, nam ſi & hunc conſumaſſem, aves timere omninò eum debuerant. Liceat nunc pace tuâ, *mi Lector*, id accommodare. Ex *nobiliſſimis Fabri inventis* unum rudi penicillo ſic delineavi, ſed ita, nî fallor, expreſſi tamen, ut ipſi etiam *Oſores Chymiæ* laudatum Medicamentum tanquam aviculæ uvam ſapidiſſimam nunc concupiſcant, atque vano hinc ſcommate non amplius rodant ac fugiant ſpagyrica arte ingenioque excogitatas remediorum præſtantias. Utinam & impoſterum *venerandam Fabri iconem* ita vivis delineare coloribus, & divinæ indolis, quâ egregiè pollet, imaginem ad votum conſummatâ opera expedire valeret hic calamus, ut ad conſpectum *tanti ſideris* contremiſcere impoſterum rabioſi quoque diſcerent moloſſi.

XXX.

IN. SALE.
RERUM. ROBUR. VITALE.

DUcam hîc quoque liberâ manu ſtylum, & gravioris doctrinæ monumento meum *gratioſæ arti* ulterius declarabo cultum. Addet, confido, vires faciemque alma cumprimis *Pyrotechnia*, quæ errantibus iter, etiamſi ſilentium mediæ *& Miſochymico* ſolo perperuæ noctis occurrentium lumen vix polliceatur candido ductu non aperire non ſolet. Inſpiciamus ergo penitiori mentis oculo *venerabilem* SALIS *præſtantiam*, & deliteſcere in *Eo multijugam ſalutem* confitebimur omnes, quibus vel tantillum *ſalis* adhuc in pectore ſubeſt. Verum ut ad ſcopum intentionis propius deſcendere poſſim, in *ſalis encomium* ſine cunctatione vocabo *Ingenioſiſſimum* primitus *Fabrum*, qui inter ſingulares Naturæ theſauros illud omninò numerandum eſſe *per totam Panchymicam & ſcripta aureola cætera* præclaro ratiocinio demonſtrat. Congeram hinc ego ſplendidas ſententiarum gemmas, & dicta meditationesque *laudati jam Hermetis* cedro quam maximè dignas in medium tantâ proponam cura, ut nobiliſſimo themati vel ſponte ſinceram quivis adhibere fiduciam queat. Ante omnia autem *Vulcani Lumen* accendat induſtria, quo inviſibile naturæ centrum, ipſumque elementorum concernere nucleum ac totius macrocoſmi virtutem valeamus. Hoc flagrante igne confeſtim animadvertemus *Naturam* nihil aliud eſſe quàm *Spiritum Lucis* ab ipſo *Luminum Benedictiſſimo Benedicentiſſimoque Patre* creatum primis aquis incubantem & confuſa in his tanquam in chaos rerum omnium ſemina de potentia in actum educentem. Hic ipſe igitur *Spiritus Luminis* quum vera & corporalis ſit ſubſtantia, utpote cui corpora quoque omnia fabricanda veniunt, altiſſimæ omninò indaginis & inquiſitionis eſt, quale nimirum corpus is ſibi vendicet. *Alchymiam* qui ignorant, illi profectò ne umbram hujus ſcientiæ poſſident, illisque utique impalpabilis pariter atque inviſibilis eſt hic luminis ſpiritus, cujus *corpus* in corporibus cunctis ſpirituali etiam ac velut inviſibili modo latitat. Provocamus ergo ad peritiſſimos *Artis Chymicæ Myſtas* qui eâ, quâ effectiſsime pollent, dexteritate omne quod in corpore viſibili, inviſibile ac ſpirituale exiſtit, viſibile atque tangibile oppido reddere, hoc eſt, corpora ita attenuare callent, ut *lumen ſeu ſol naturæ internus* in centro ſui occultus evidenter clarere ac lucere poſsit. Hoc ipſum naturæ corpus (quod proinde *Plato* nec ineptè nec impiè Deo amicum & *Homerus* divinum nuncuparunt) eſt *celſiſſima illa* SALIS *creatura*, quæ in centro & meditullio cujuscunque rei creatæ abſcondita eſt. Hoc *Sal centrale* rerum omnium, *inquit ſapientiſſimus Faber*, eſt verum naturæ corpus

& veluti regium ejus palatium, quod igneum, fixum & incremabile eſt, quodve ſic ad immortalitatem informatum veneramur, & incorruptibilitatis intemerataeque ſemper virtutis beneficio donatum cum tripudio norunt *Hermetici Magiſterii Antiſtites.* Dixi ſubſtantiam eſſe incorruptibilem: Atque rem ita ſe habere manifeſto experimento patet in omnibus quæ comburuntur, incinerantur que: *in cineribus* enim delitеſcit *Sal*, quod labore improbo per varias lotiones puriſſima, nitidiſſima, ac limpidiſſima ſubſtantia, hoc eſt, ab omnibus terreis & inutilibus ſpurcitiis repurgata evadit, & omne, licet violentiſſimum, ignis martyrium absque ulla ſui deperditione contemnit ac tolerat. En tibi hîc Terram virginem & *ſiccum radicale* ſeu Fundamentum totius naturæ, quo exacte cognito cognoſcere *univerſam quoq; naturam*, & ad totius naturalis ſapientiæ culmen pervenire poſſumus. *SAL*, inquam, eſt *ſiccum illud radicale* ac vitale, principium corporificationis, ut cum Fabro loquar, in ſe habens, quod verum *calido ſeu ſulphuri innato* (ſubſtantiæ illi igne vivifico plenæ & principium motus in ſe continenti) ut & *Mercurio ſeu humido primigenio*, quo ſulphur ſeu ignis vitæ tanquam ſpecifico fomento nutritur, acceptiſſimum thronum præbet. In hoc ipſo eſt indiſſolubilis nodus ac vinculum, imo totius naturæ incorruptibile gluten, cujus invictiſſimo robore calidum & humidum vitale, ad generationem, nutritionem, conſervationem ac perdurationem omnium mixtorum tenaciſſime concatenata atque unita adhærent. Vah! quam appoſitè *ſal* appellatur *Naturæ balſamum*, quod omnibus à natura mixtis deprehendimus immiſtum, ut ea hujus beneficio à putredine atque corruptione præſerventur; unde etiam *naturæ theſaurus ejusq; fons uberrimus* & *borreum bonorum* rectiſſime inſuper *ſal* dicitur. Quid ſi cum *CL. Fabro* inſuper *ſalem* vocitemus naturæ admirabilem clavem, utpote ſine qua natura ipſa minimè gentium eſt Natura, quum nullo pacto ſic operari & aperire interanea ſeu energias ſuas poſſit. Adeo *ſal* demum & *ejus ſpiritus* ſeu *nectareus hujusdem vapor* ſubminiſtrat veram baſim ac principium mixtionis, generationis, nutritionis & conſervationis: Is eſt *cauſſa efficiens omnium energiarum*, quæ in univerſo telluris globo reperiuntur: is eſt, qui omnium virtutum proprietatumque ſub matrice terræ reconditarum fundamenta pandit: Is omninò eſt, quo abſente aut deficiente ſterileſcit omnis terræ tractus, & virtus vegetans omnimode perit; quemadmodum comuni & agreſti experientia id habere notiſſimum poſſumus, quæ terram redivivâ pingvedine denuo animari ac beneficium renovatæ fertilitatis ſuſcipere teſtatur, ſi in eâ diſpergantur cineres, & debito illa lætamine gnaviter ſaturetur. Atque hujus effectus cauſſa ſtatim in propatulo eſt: Latet etenim tam in cineribus, quam fimo *ſal* copioſiſſimum, quòd per putrefactionem naturalem diſſolutum ſpiritus ſuos confertim emittit, qui terram

poſtea

poſtea fœcundare oppidò, & exhilarare valent. Tota die id ipſum obſervare queunt nemoroſa & alia horrida loca incolentes, ubi agros campoſque ſuos non perperam ſuſcepta conſuetudine incendere, & vel minutiſſima etiam germina funditus in favillas redigere videbunt colonos, adeo ut ſic deflagrata rura nunquam florentium propaginum recedente cultu renovatum iri hinc ſibi non nemo perſuadere poſſit; quum tamen paulo poſt multò lætiori ac uberiori proventu, longeque ſpectatiori proceritate ejusdem ſpeciei frutices, gramina, plantæ ac ſegetes propullulare ſoleant: cujus notabilis etiam incrementi gratia hunc cremandi laborem ruricolæ iſti ſuſcipiunt. Vides ergò, ni planè cœcutias, cauſam exuberantiæ omninò redundare in cineres, quorum cortices ſeu quisquilias ſi aut naturæ ſolertia, aut artis laborioſa indoles rejiciat, *fœcundi ſalis medullas* facili negotio deguſtare vel quivis poterit. Verùm quid tum ultrà valeat iſta *ſalis* puritas, pariter non reticebo: Videlicet *ſal iſtud probe exſiccatum* de novo congenitâ ſibi & magnetica potentia ſeu virtute *ſal naturæ* quam avidiſſimè ac confertiſſimè attrahit, & ita in ſemetipſo multiplicationem ſui egregiè concelebrat, ut myſterium perpetuæ generationis, nutritionis ac conſervationis efficaciſſimè ſic exſerere poſſit. Sane magnum conſimiliter de *baſi reſuſcitationis & reſurrectionis typo* hîc nobis offertur ediſſerendi argumentum, quod tamen ſapientioribus libra magis accurata perpendendum relinquimus noſtræ infirmitatis memores; imo & ſcientes præterimus, ne porci & elegantioris doctrinæ ſordidi contemtores hinc apiſcantur anſam contra tam nobile punctum temere grunniendi. Hoc tantum adjicere tamen nunc lubet, quod vel ipſa veritate jubente, cujus vis ignea ubique ſe prodit & emicat, penitus ſilentii nube obvolvendum eſſe neutiquam cenſeo. *Viri* nimirum *veſtigia naturæ preſſo aſſiduoq; inſequentes pede* eo felicitatis devenire queunt, ut ex *cujusvis vegetabilis ſale* ſumma puritate ditato, aut ſpagyrica peritia exquiſitè præparato *cinere* pro animi lubidine in vitris idoneis, ſi lenisſimum ſaltim caloris gradum admoveant, *vegetabilia hinc decenti imagine aſſurgentia* ob oculos ponere, & ita ſpectatores ſuos egregio miroque ſpectaculo oblectare extempore valeant; quæ tamen ſublato calore in priſtinam ſalis aut cineris formam continuò redeunt. Imo ſi ſal vel cinis plantæ in terram quoque projiciatur, certisſimum eſt, *docente Fabro*, idem mixtum ſpecificum & eandem plantam hinc exſurrecturam. Declaravimus ſic atque comprobavimus pauliſper, quomodo *ſalis* nomen *in agro* ſit celebratisſimum, & quomodo *in campo naturæ* ineffabilem laudis dignitatem illud posſideat. Profectò infinita protinus argumenta inſuper obviam nobis venire conſpicimus, quæ magno laudum exercitu præſentem materiam circumſcribunt, ſi vel *ſalinum* & *ſalis* tantummodò *communis uſum* intueri non tædeat. Jubes, *mi Lector*, ut ad *Aras* ſtatim provocemus, & hinc conjiciamus

præcellentem ſalis exiſtimationem? Notanter Tu ſtatim hîc *vatem* cantare percipies:

> *Salſa para, qui grata paras dare munera nobis,*
> *Munera ſalſa placent, nec niſi ſalſa placent.*

Adeo mactandis victimis molam ſalſam inſpergere ſacrificantes tenebantur, & hoſtia non niſi ſale condita juxta *S. S. codicem Lev. 2, 13. & Marc. 9, 50.* offerri ſolebat. Ut cibus etenim, ſic pariter ſacrificium ſine ſale inſipidum penitus & exanime æſtimabatur. Neque neſcimus hunc ſacrificii ſalem myſticum eſſe tanquam incorruptæ ſymbolum integritatis & ita ſali naturali magnum autoritatis pondus accedere. Salvatoris namque ut Sponſoris noſtri obedientia noſtro præſtita loco ejusque Spiritus efficacia eſt reverà ſal noſtrum,& vitale omninò noſtræ ſalutis robur, quo ita condimur, ut accepti evadamus & ſapiamus ſummo cœleſtique Patri: qui inſulſi alioquin relicti in peccatis noſtris putreſceremus, & ad periculum, neceſſitatemque abjectionis æternæ fœteremus; quod ipſum tamen arcanum *venerandis ſanctæ ſcripturæ Patribus* ex profeſſo perputatum referimus, aut pertractandum relinquimus. Vin, ulterius ut progrediamur ad *menſam & culinam*? Audies hic confeſtim, *ſalem* vocitari *quoddam Menſæ Numem* ſeu *magnam quandam ejus animam*, ſine qua profanum, imò & infauſtum creditur omne convivium: Hoc enim condimento non guſtatui ſolum ſuavitas, atque ex ſuavitate voluptas appetitui accreſcit, verum hinc etiam Stomacho laudata ſuboritur concoctio, tum in membra atque viſcera cuncta ex debita concoctione digeſtio, quin imò & corpori univerſo robuſta accedit ſanitas atque exoptata firmitudo; admirari inde noli, quod *ſal condimentum* jucundiſſimum, quodve *condimentum condimentorum omnium & fons ſeu origo eorundem* ſolemni pronuntiato ſalutetur, quoniam ratio ex prædictis jam in proclivi & propterea fuſius non determinanda. Tandem adjicere nobis incumbit præcipuè quantam ſal autoritatem & quam incredibilem excellentiam in Medicina obtineat, quoniam, juxta Symboli noſtri tenorem, IN. SALE. SALUS. MEDICA. & princeps, vel *ut ſic loquar*, vitale feliciter medendi robur. *Peritiſſimi Fabri* apud me major hic quoque vis & gravitas eſt, quam omnium Autorum, cujus effatu digniſſima verba non ſollicitare jam non poſſum. In ſale, *inquit Chir. Spagyr c 8:* conſenſu omnium *Ægyptiorum Arabumq;* latent omnia ſecreta & vitæ conſervatio (quum ſit balſamum homogeneum & ſimile noſtro interiori, quo vivimus ac conſervamur) & morborum omnium curatio, actionum & facultatum cunctarum vigor, (ſine ſale enim nihil perfectum) fertilitas vegetantium, ſplendor ac radii lapidum pretioſorum, rerumque omnium tam vegetabilium, tam animalium, quàm mineralium perfectiones atque proprietates ab unico ſalis ſpiritu dependent. At quoniam multi ſunt ſales, illique

diverſi generis & proprietatis, diverſi etiam erunt & multi eorundem ſalium Spiritus, diverſas quoque proprietates, nihilominus potiſſimas habentes. Quisquis igitur *certi alicujus ſalis Spiritus extractionem, nec non fixationem & dulcificationem perfectè ſciet, is ad ſummum Naturæ perveniet arcanum.* Et in *Panchym. vol.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *itidem* ſolares de ſale flores ſpargit, in quo gloriari *Alchymiam*, & Medicinam omnium morborum curatricem deprehendi dicit, ſi videlicet *ex ſummè repurgato ſale* (quem in *palad. Spag c.* 7. nitidum, pellucidum & clarum, cryſtalli propemodum ſimilem, gratiſſimoque odore ac flagrantiſſimo ſapore præditum requirit) virtute Artis, id quod levi negotio fieri poſſe innuit, *admirandus liquor, Mercurii nomine* inſignitus, eliciatur, iſteque rurſus continuo igne congeletur, & *pura auri ſubſtantia* inprægnetur vel *Anima ſolis* exornetur atque ſic maturo & fixo *auri ſulphure* coaguletur. Verum enim vero de *ſale hoc Philoſophorum & vero Chymicorum ſole ac triumpho* dum illa ediſſero, nimis ſublimia loquor, & hoc ipſo ultra mediocritatis meæ terminos utique evagor. Sed forſan ſic beati ſatis, ſatisque prudentes videbimur, ſi *Fratrem illum ſalis Chymici*, hoc eſt, *ſal commune & alia huic confinia ſalia*, quæ ex triplici rerum regno ſecundum artis normam elicere ſolemus, nosmet familiarius interim noverimus, præſertim ſi non tantum ſalia à cineribus ſuis diligenter ſegregare, verum ſubſtantiam quoque vivificam ex ipſo horum ſalium corpore, quæ demum vera ſalis præparatio nominari meretur, extrahere, ſuoque proprio igne debito modo calcinare ac purificare ſtudioſiſſimam operam navemus. Neque vitio hinc mihi vertent aut in pejorem partem interpretabuntur pharmacopolæ, & illiterata deſtillatorum turba, ſi veritatis amore captus hîc oggeram ipſis *aquas vulgato more* (videlicet non è ſuccis artificioſâ ſolertiâ) *deſtillatas* & *Syrupos* non paucos, parum imo minime efficaces, nulliusque facultatis participes in officinis, tanquam cadavera mera, proſtare, ita ut Medicamenta illa, quippe quæ ipſa corruptioni ac putredini adhuc obnoxia ſunt, nocumenta potius afferant, quam ut intentionem ac operam Medicorum felici eventu fortunent. Ratio hujus querimoniæ confeſtim in aprico eſt: quia *vitale robur his Medicamentis* manifeſtiſſime deeſt: Qui etenim *medicamenta*, quæcunque etiam ſint illa, *ſuo ac congenito ſale* (Eſſentiale vocant Neoterici) juxta arcanum & veris tantummodo *Chymiatris* notum præparandi modum condire ac nobilitare neſcit, is genuinam verè præſtantium remediorum confectionem etiam plenè planeque magno cum ægrotantium detrimento ignorat. Neque ſufficit protinus ex hoc vel illo ſubjecto per incinerationem aut calcinationem & factam poſtmodum ſolutionem atque coagulationem vulgariter receptam callere *ſalis eductionem*, ſed neceſſum omnino eſt ut *ſal illud à lixivioſo, tanquam nauſeabundo, ſapore* cum ſingulari in-

duſtria

duſtria gnaviter liberetur, ipſique jucundus dulcor & cryſtallinus claror artificioſo labore inducatur, quo beneficio impetrato certe medicamina omnia ad ſummum conſummatæ efficaciæ ac perennitatis faſtigium facilimo negotio perduci queunt. Imo ſic illos quoque deſerere neutiquam cogetur Medicus, qui Medicaminum nomen & odorem ſaporemque nativo aut malè concepto odio horrent, quum medio ſalium rite paratorum (quorum ſpecifica & huic vel illi morbo conveniens electio *penes Sophiatrum* eſſe debet) atque *v. g.* cum juſculo quodam, decenter tamen obſervata doſi, vel eduliis aliis commixtorum curandi ſolertia, inſcio ſic ægroto, abſolvi feliciſſimè poſſit. Cœterum nec immeritò *Meritiſſimus Faber Spiritum* cujuscunque, præſertim vero mineralis, *ſalis* philoſophica ratione factum inſignibus præconiis extollit. Sic enim iſte, *in Chir. ſpag. l. all.* ſolus, *inquit*, ſalis Spiritus eſt cauſa conſervationis rerum omnium, & dum ipſe integer manet, permanet & mixtum integrum, & à corruptionis vitio liberum: ſi verò corrumpatur, corrumpitur & mixtum. Itaque dum Spiritus ſalis integer & incorruptus advenit alicui parti ad corruptionem ruenti tunc temporis Spiritus illius partis ſimili roboratur Spiritu, qui impedit corruptionem balſami naturalis illius partis propter vitales Spiritus, quibus turget & abundat, &c. *Dn. D. Auguſtus Hauptman, nunquam ſine intimo affectu mihi nominandus & ego* peculiarem naturæque conformem *Spiritus minerales deſtillandi modum* habentes *ex ſalis Marini v. g. libris tribus libras duas & ſemiſſem optimi Spiritus ſeu olei* potius, quod ſumme aureum colorem (ſicuti etiam in hâc ipſa deſtillatione *ſulphur ſalis* approbè una adſcendit, & in ſuo Spiritu vel aëre etiam accedente poſtmodum facile diſſolvitur) oſtendit, *absq; ulla ſuſpecta adjectione* tota die elicere valemus, qui profecto Spiritus mirum quantum diſtat ab illo communi Spiritu Salis in pharmacopoliis & officinis aliis venum eunte. Verum admirabiles & catholicas hujus Spiritus vires, & qua ratione *ſal fixum* eo ipſo edomari clarificarique ex deſiderio poſſit lubens non attingo, quum me omnino haud fugiat, *majeſtatem Chymicam* minuere illum, qui arcana temere revelat. Vides itaque, *Lector Benevole*, patentibus oculis, *ſal* revera *eſſe omnium rerum vitale robur*, adeò ut in ſale gaudeat terra, floreant montium anfractus, vigeat medicina, vireat ſanitas, placeat Ara, ſapiat menſa, ſed & cumprimis tota Hermeticorum militia ſub vexillo Salis triumphet, & Medicorum chorus cum Eadem ſincero tripudio exultet.

XXXI. ME-

XXXI.

MEDICINA. NON. UTI.

OPTIMA. SÆPE. EST. MEDICINA.

FElix materia eſt, ſuadere otium, *inquit Symmach, l. 6. Ep. 61.* ſcimusque pariter efficaciſſimum laboris remedium & feſſis dulciſſimam eſſe *quietem.* Medico utique hæc advertenda ſententia, cui incumbere ſeriò aſſerimus, ut patientibus, præſertim Medicinæ impatientibus, morem gerat, atque à continuato medicamentorum uſu quandoque indulgentiam concedat, ne pocula Pœonia aſſiduò videntes atque exhaurire coacti, vel ipſam valetudinem imò & vitam protinus faſtidiant. Ideoque hîc etiam cum rerum Naturâ deliberandum Medico, quæ ipſi oppido inſinuabit, ſe & diem feciſſe & noctem, labores ſcilicet atque eorum intervalla ac ſolutiones. Sic proprium eſt ægri, præcipuè nauſeantis, nil diu pati & mutationibus viciſſitudinibusq; uti, ut remediis, utque ſolatiis. Adſtipulamur quidem *Senecæ noſtro*, qui notanter *Ep. 78.* Æger, *ait*, voluntatem habeat ſe adjuvandi & patiendi omne tormentum: Alioquin miſerrimum eſt, cum animum moriendi projecerit, non habere vivendi. Sciendum tamen in recreationem adhiberi ejusmodi nonnunquam *inducias*, quibus non rarò contumacia morbi & callidè fraudari, & datâ hâc remiſſione ſæpius natura velut collectô ſpiritu melior acriorque inſurgere ſolet. Certiſſimum namque eſt, non minùs naturam, ut rectè infert *Epiphanius Ferdinandus hiſt. Med. 55.* quàm ipſum morbum ex multiplici & frequentiſſimo medicamentorum uſu mirum quantum defatigari, ut *CL Hoffmannus* non immeritò hîc audiendus, dum vix inveniri poſſe remedium aſſerit, quod citra noxam quandam μεγάλως ſeu magnificè profit, ac generosâ efficaciâ morbi adverſetur violentiæ; adeò *viribus*, hoc eſt, calido innato ac radicali humido inſignia *medicamenta, quæ medicamenta*, ſemper vim facere affatim oſtendunt *Viri in Medicinâ præcellentes:* Unde collectu non difficile, cur *catharctica & clyſteres*, cur *emetica*, cur *bezoardica, alexipharmaca & potentia ſudorifera*, curve *hæmorrhoides aut menſes provocantia & quæ ſunt alia* non levidenſem ſæpè laſſitudinem vel infirmitatem potiùs inducant? Nimirum impoſſibile Nos exiſtimamus, impura, inutilia ac vitioſa ita è corpore noſtrô ſequeſtrari poſſe, quin non inſimul aliquid puri atque de laudabili & utili vitæ ſuccô, quem ipſa commixtum (prout ſemper ſunt bona mixta malis) habent, egrediatur, ſicuti id vivâ ratione conjicere licet ex *Venæſectione*, ubi cum impurô ſanguine purus neceſſariò quoque emittitur. *Senſus* itaque *noſtri effati* eſt talis: *Locô remedii quandoq; eſt nullum penitus agere remedium* (habes hîc Evangelium, quò ægrotis vix acceptius eſſe aliud poteſt) ſed

Naturæ aliquam concedere remiſſionem ac ferias, quæ interdum ab indeſinenter inculcatis remediis videtur non parum affligi: Contrà verò conquieſcens natura mirificè recreatur, & viribus ſuis veluti denuò per quietem concentratis validius, tanquam ſuopte Marte, ac propterea feliciùs morbum ſuperat. Annectere hâc occaſione *vel obiter* lubet cautelarum hûc quadrantem bigam, quarum prima eſt: *Ne acerbius ipſo morbo porrigatur præſidium*, neve ad vulgarem morbum inſolentes & periculis pejores quærantur protinus medicinæ: Multos etenim intempeſtivè obtruſam medicaminum commendationem in graviores præcipitaſſe morbos pernovimus, & proinde nihil periculoſum magis, ac pernicioſum eſſe, quam immaturam credimus medicinam. Hinc *legem Platonis* pectoribus ſuis inſcriptam habeant Medici, qua ſancivit, morbos, qui ſine magno ſunt periculo, non eſſe irritandos purgantibus, aut (quod egomet addo) vehementioribus medicamentis aliis: Quantò magis vel unusquisque ſibi perſuadebit, bene-valentibus remediorum inculcationem ſæpiusculè funeſtam eſſe. Altera regula eſto; *abſtinendum ſtatim ab iis medicamentis*, quorum Virtus fruſtrà adhibetur, & quæ nullam planè incolumitatem præſtant: Imò & caveamus ſedulò, ne adſueſcat natura uno medicamento, eandem ſemper, quod dicitur, cantare cantilenam, vel unum idemque remedium præbere, ſed recordemur potius alia quotidiè atque alia, eaque magis efficacia eſſe omninò præſcribenda, quum naturam quoque varietas oblectet valdoperè atque reficiat.

XXXII.

SPECIFICUM. CEPHALICUM.

MIRE. SECUNDAT. PARTUM.

MEdicinam, quam inter eminentiora artificia primas ſuſtinere nemo unquam dubitabit, *Experientia* omninò peperit, atque concepit *obſervatio*: *Ratio* autem formavit & probè educavit illam; quinimò beneficium utriusque quotidianis augmentis ipſam egregiè adhuc locupletare pergit. Notum adeo eſt cunctis *uſum*, qui omnium Magiſtrorum præcepta citra controverſiam ſuperat, *in hâc Arte* ſibi pleraque mancipare & ſingula, quæ hic ipſe non comprobat, tanquam infirma ſolemniter dijudicari. *Uſus* itaque eſt, *artem* qui facit, & *Experientia* omnibus agibilium magiſtris ſummopere eſt neceſſaria, atque *Medicorum* quidem tam propria, ut inde titulum venerationis acceperint ſingularem, & *Experientiſſimi* juncto conſenſu omnium honorificè audiant. Expertus & Ego hactenus, quam hunc vel illum morbum curandi ſcientia *facilius*

per

per exempla tradatur, quàm multa plurimaque *rerum ſucceſſu* hîc comperiamur, quàm conſilium futuri ex præterito opportunè ſcaturiat, & quam ad nobiliſſimum effectum *caſu* ſæpius deveniatur, aut fortunâ miræ medicaminum virtutes cognoſci ſoleant, non poſſum non, quin ulterius bono publico ſerere ſic annitar. Indubium autem eſt, ut *unius rei multi* atque per multi poſſunt eſſe *uſus aut commoda*, ſic unius quoque alteriusvè *medicamenti virtutem ac operationem* non eſſe protinus unicam duntaxat, ſed *tergeminam ac multiplicem*, etiamſi ſolis ſplendor animi noſtri obtegatur nebulis, atque nox tegat atra diem. Ita de *Specificô Cephalicô Hartmanni* (cujus *Reparatorem* deprædicamus *Ingenioſiſſimum illum Naturæ Hermetem D. D. Joannem Michaelis, Decanum noſtratem & Collegam meum Colendiſſimum*, utpote qui hanc Medicinam multis aliis, iisque præſtantiſſimis ingredientibus amplificè cumulavit) notoriè jam, vel ex ipſo nominis frontiſpiciô tritum nſt, quod præcipuè *contra omnes cunctosq; morbos, qui ſacrum Pallados pallatium infeſtant*, (uti ſunt apoplexia, Vertigo, Cephalalgia &c.) imprimis tamen adverſus *epilepſiam* , (unde à *Celeberrimo illo trium Imperatorum Æſculapio, Cratone* EPILEPSIÆ MAGNES graphicè dictum) quam radicaliter tollit, infallibili poteſtate exiſtat confirmatum: Nihilominus tamen *vigore baſis*, videlicet *Cinnabaris Antimonii*, quâ conſtat laudatum præſidium, non difficili ſubſumtione argumentari debuimus pariter ac potuimus, illud inſuper *energiâ diaphoreticâ & cordiali, imo analepticâ catholicâ indubitato pollere, unde in febribus catarrhalibus; malignis & acutis aliis*, item *in morbillis, pleuritide, eryſipelate*, præſertim capitis, & ſic porrò *ſpecificum hoc cephalicum*, juxta cum appropriatis aliis evidenti cum fructu uſurpari poſſe non tam conjecimus, quàm affatim nos experti fuimus. Atque hanc ipſam ob cauſam *naſutulos quosdam* exſibilamus intrepidè ſtatim, qui neſcio an ob imperitiam naturæ mineralis, an ob nimiam ſapientiam, quæ ſanioribus ſtultitia eſt, *hujus de ſanitatis ac vitæ tutelâ emeritiſſimi Medicaminis majeſtatem* atro calculo notare non erubeſcunt. Verùm ex quò capite nos ariolati ſimus hoc medicamenti vim potenter juxtim *accelarandi partum* obtinere, jam ſciſcitaberis *mi Lector*. Juvat profectò *felices in Medicinâ eventus* recenſere, atque ab iisdem ſedulò ponderare facta. Annus bis quinus eſt, & quod excurrit, cùm, Medicinam factitandi causâ in oppidi cujusdam vicinium accerſitus, deſtinata ibi ſacra frequentarem quoque, atque, dum ſacerdos vota ſuſcipiebat pro ſalute ægrotantium, inſimul perciperem, inter alios quartâ jam die mulieri undiquaque difficili ac deſperato, utpote tot graviſſimis ſymptomatibus, præcipuè tamen epilepticis inſultibus ſtipato, afflictæ puerperio ſuprema appropinquare, deſubito hoſpitium Ego repetii, officio Medici magis conforme reputans, ſi precum devotioni cumprimis auxiliares ſociare manus is contenderet. Quum verò remedia appropriato robore *difficultatem partûs* levan-

levantia tum mihi haud ſubeſſent, nec tam citâ etiam celeritate eorum compos fieri poſſem, præ cæteris *ſpecificum cephalicum*, tanquam *antiepilepticum officioſiſſimum* ſeligere, & *ad ſcrup. j.* in extremis fermè, propter inſignes præſertim convulſiones, agenti mulierculæ ſtatim cum hauſtu vini propinandum transmittere placuit. Dictum ac factum, atque tantâ cum proſperitate *id medicaminis* bina intra horæ ſpatium vice adhibitum, ut non tantùm ceſſaret penitus *comitialis ærumna*, verùm etiam paulò poſt *à fœtus jam mortui funeſtô pondere* ex ſententiâ liberaretur, atque ſic in limine fati jam hærens ad jucunditatem vivendi, præter omnem omninò adſtantium opinionem, rediret, felix poſtmodum παιδοτόκος denuò aliquoties facta. Charum profectò atque acceptiſſimum ut mihi hoc erat *Experimentum*, ita & poſthac fortunato ſemper cum ſucceſſu *ſpecificô iſtô cephalicô*, (ut & *oleo ſuccini*, aut *Tinct. Lunæ* &c.) unà cum aliis huic ſcopo conſecratis, in *quavis pariendi difficultate* uſus ſum. Et quamvis *argumentum ab experientiâ* magis ligare videatur, ac ſenſum propter rationem aut ejus defectum derelinquere intellectus quædam ſit imbecillitas, adeoque haud opus, ut prolixiori ſtudio inveſtigetur *cauſa*, nihilominus tamen tàm inops hic effectus non erit, ut ratiocinandi virtus *& indago cauſæ* illum penitus deſtituat. Nervus autem & ſanguis, *ut ſic loquar*, enarratæ jam operationis dubiô ſine conſiſtit in *corroboratione facultatis animalis*, quæ ad procurandam *pariundi facilitatem ac felicitatem* tam neceſſaria eſt, quàm animoſa ipſius parturientis contentio: Hæc enim ſi deficiat, laborioſus & feralis ut plurimum partus fieri ſolet. *Specificum* itaque *cephalicum* ut cerebri nervoſique generis vires præſtantiſſimè inſtaurat; ſic quoque omni dubiô procul tàm univerſæ *muſculorum* familiæ, quàm *illis quoq;, quos abdominis climati dicatos* deprehendimus, exoptatus vigor hinc accedit, ut *valida alvi compreſſio* ſic redintegrari, & oppidò reſuſcitata *expultrix* functioni ſuæ non ſatisfacere denuò non poſſit. Hinc parili opera colligas rogo, cur *vinum malvaticum aut generoſum aliud*, cur *aqua & oleum cinnamomi* vel *aq. meliſſ. cum V.* item *Carfunc. cordial. Sax aq. vit. mulier.* aut ejusmodi refectiva alia magnum parturientibus præbeant adjumentum: Certè prout ſemper cogitandum *Medicis* de *virium augmento ac patrocinio*, ita confeſtim claret, aut congenitam *parturientis infirmitatem* ſic emendari oppido, & naturam hinc valida confortatione velut perfundi, quo fortior iſta ſubire impoſitum onus poſſit, aut ſpiritus à nimio partus angore defatigatos & quaſi famelicos, *juxta Poterianam phraſin*, hoc nectareo ſubſidio recreari & ita exhilarari membra exhauſta, ut conſopitos conatus de novo auſpicentur puerperæ, atque ex voto demum eosdem abſolvant. Sed fortaſſe hac occaſione ὀξυτόκια φάρμακα expectas alia, quæ ſicco pede prætereunda vix cenſebis. Commodabo his ego deſideriis tuis, & quæ *Duces Sanitatis* hoc in caſu cumprimis laudare ſolent,

ſolent, brevibus notis enuntiabo. Verum inhærere *ſuperſtitioſis hîc vanitatibus, aut idololatriæ reliquiis* nolo, licet curioſa non pauca ex *Vetuſtate* depromta circa *puerperis ritus* adſcribi jam poſſent. Ergo morem *matronis Romanis* ſolemnem tranſire ſtatim jubemus, quæ Lupercis nudis per urbem furioſe diſcurrentibus ad avertendam *δυϛοκίαν* feriendas ſcuticis porrigebant manus; & præſtigiis omninò adſcribimus illam ſchedularum alligationem de Evangelio circa collum parientis; imò non minus ſollicitudinem deridemus anicularum, quæ ad impetrandam partus facilitatem gravidis religiosè præcipiunt, ut ex ventrali ſuo, ſeu ſupparo equam avenâ, vel pabulo veſci permittant: Mittimus, *inquam*, hujuſcemodi fabulas, & ex præſcripto potius gratioſæ artis remedia hêic parare atque ſecreta Ejus in rem conferre aggredimur. *Præſupponimus* autem mulieri propinquam, *ut Plautus loquitur*, partitudinem certô appetere, imo partum *tempusque pariundi* jam propè inſtare: *præſupponimus* porrò adſtrictam & induratis fecibus diſtentam *alvum*, quæ magnam pariendi difficultatem non raro arceſſit, *clyſteribus emollientibus* decenter exoneratam, quo meatus verendus ſine omni obſtaculo ad faciliorem fœtus excluſionem patentior reddi queat: *præſupponimus* etiam λοχαῖον δίφρον ſeu *Sellam* huic negotio ſingulariter adaptatam jam adeſſe, in quâ parturientem convenienti poſitu reclinare *obſtetrix* noverit: imò *præſupponimus* omnia quæ ad *fanum Lucinæ* requiri ſolent; atque ſi ita his præſuppoſitis nihilominus evenire conſpiciamus, ut minus ex ſententia ſuſceptus ſuccedat *puerperii labor*, non immeritò medicinæ auxilia tunc neutiquam ſusque deque habenda penſabimus omnes. Primum igitur locum teneat *auctoritas Hippocratica*, quam *ex ſect. 5. aphor. 49.* in uſum jam noſtrum vindicabimus. *Ptarmicum* autem ſeu *Sternutatorium* ibidem expreſſis commendat, ita tamen ut immiſſo eodem (quod *ex pulv. hell nigr. fol. nicot. ſem. nigell ſinap. pip. alb.* vel quod mihi & *Clariſſ. D. D. Hauptmanno* ſingulare eſt, *ex arcano Aluminis* parari poteſt) os & nares ſtudioſè obturentur, quo ſpiritus ad inferiora deſcendens violentiorem præſtare impetum ac concuſſionem poſſit. Obiter hinc etiam conjicias licet, cur juxta *Plin l. 7. c. 6.* à coitu ſternutaſſe ſit abortivum. Recordamur data hâc opportunitate, quod humana neceſſitas *motum* omninò in cunctis actionibus ſibi depoſtulet, quodve *ſine motu* nihil fieri, nihilque etiam perire poſſit, imò quod nulla ars nec mutatio ulla *ſine motu* exiſtat: in qua ipſa meditatione ſuccurrit deſubito nobis, *vomitoria* proinde magnum beneficium ſuggerere cum ſontica *difficultate parturientibus*: quum enim *vomitus* ſemper inſigni cum abdominis compreſſione fieri ſoleant atque univerſum corpus tunc impetuosè concutiatur, utplurimum quoque & quaſi inſenſibiliter fœtus ad auras inſimul expellitur, non ſecus ac in *deſperato calculi caſu* emetica, *Poterio*, illo multipotente Chymico, *docente* (*Cent. 3.*

obſ. Med. cap. 74.) mira præſtare obſervatum fuit: Ad aſſequendam autem jam laudatam intentionem illa *Emeticorum* ſidera *Mercurium vitæ* (qui hâc in parte etiam implet *agnominis ſui menſuram*, & quantum *vitæ* ſtudeat, non ſine miraculo hic pariter demonſtrat) ac Sal Vitriol. idque ad ſummam cumprimis puritatem perductum *in Aq. Artemiſ. Puleg Matricar.* vel alio convenienti vehiculo admodum feliciter adhiberi ſolet. Offero hâc Tibi occaſione, *Lector ſincere*, nitido fulgore radiantem gemmam *ex Ant. Gunth. Billichio* (*obſ. & paradox. Chymiatr. lib. 2. cap. 14.*) qui *Mercurium vitæ* non tantùm vitali auxilio potentem pulchrè aſſerit, utpote qui immania rebelliaque monſtra indubitato debellare, atque, ubi reliqua omnia ſuccubuerint, vel ſolus ab hoſte palmam referre valet: verum peculiari etiam teſtimonio *ratiocinium veſtrum* confirmat. Quin etiam, *inquit is ipſe*, mulierculis periculoſiſſimè parturientibus *feliciſſimè obſtetricantem vide Mercurium vitæ*; & quum debitos puerperio dolores (die Wehen) *crudelis Lucina* negaret, jamque ferè triduum irritis conatibus matrem fœtumque defatigaſſet, ut tenui filo amborum res penderet, imo, omnium opinione, conclamatum utrinque videretur: in hoc diſcrimine non deſeruit me *Pulvis familiariſſimus*, ſed *ponduſculo ſiliquæ*, cum *vini* momento propinatus effecit, *fortunante Deo*, intra horulam, ut pro juſtis funebribus Soteria uſu venirent, & pro Parentalibus celebrarentur natalitia, *&c.* Sed ad præſidia vim bonitatis *ſpecificam* contra difficilem partum obtinentia me accingo, & ex *Helmont. Aſtr. neceſſ. non inclin. §. 49.* non ignobile medicamen ſtatim produco. Novi, *inquit ille*, remedium, quo ſumto & epoto fœtus, per diem & horas ſtans in partu, mox intra horæ quadrantem fuit editus: hoc autem remedium conſiſtit *in jecore & felle anguillæ* ſiccatis inque pulverem redactis. *Sturmius* inſignem *de Roſa Jerichunteâ* librum conſcripſit, quam tempore partus in calicem vini immittunt obſtetrices, atque hinc ad facilitatem ejus ſaluberrimum ſibi poculum promittunt. Cœterum Medicamenta in δυςοκίαν ſtrenua famigerato effectu ſiſtunt *Anthera lil. alb. Folia Lunariæ veræ, Artemiſ. Puleg. Matricariæ, Fl. theri*, atque hinc paratæ cumprimis *aquæ Syrup. extracta, Eſſentiæ*, & alia, item *Exc. ſabinæ ac Dictamn. alb. Eſſent. ſem. Milii Sol. Aq.* artemiſiæ compoſita ſyrupus de artemiſiâ compoſitus, pulv. ad partum Auguſtanorum, *Tali leporis aut cervæ vel* exin confecta Magiſteria, *Fec. rad. bryon. Troch. de Myrrha, Spiritus & pulvis ſecundin. Ampliſſimi D. D. Joan. Michaelis, Tinctura Croci &c.* quorum debita doſis, quorumve ingenioſa commixtio ac præſcriptio ſecundum circumſtantias & earum varietates dextrè inſtituta ſit penes peritum Medicum. Suppeteret jam quoque commoditas aliquid effandi de *Lucina Meâ* (ſic nempe *pulverem*, qui efficaciſſimum jam dicti laboris remedium præbet, vocitare ſoleo) niſi verecundia hîc ſuas potius partes fortiter jam ſubiret, quæ propriam laudem mani-

manifeſtæ turpitudinis arguere conſuevit. Imò veriſsimum eſt, *quod ajunt*, Philomelas usque in perniciem proprii cantus dulcedine delectari. Mea igitur deprædicare jam nolo. Hoc duntaxat adjicere *de hâc Lucina mea* modeſtè allubeſcit, quod inter *ingredientia* principem locum occupans tangit. Videlicet originem ſuam id repetit à Nobiliſsimô *ſalium* ſtemmate, & ſingularibus dotibus nobilitatum ab univerſo *Spagyricorum* choro colitur, præcipuè quod metallorum mineraliumque contumacem ariditatem pulcrè edomare atque hanc liquidiſsimam reddere valeat. Sanè pariſsima felicitate in humani corporis fabricâ *hoc ipſum Sal* meatus valde obſtructos potenter reſerare, humores viſcidos præſentiſsima efficaciâ fundere aut colliquare, & ſingulari planè beneficio miſeriæ difficilis partus, facta alluvione quadam, conſulere potis eſt. Porrigere autem hanc *Lucinam meam ad drach. ſem.* cum liquore convenienti, & poſtulante neceſſitatis caſu doſin ejus iterare, imo etiam ad expulſionem ſecundinarum ac lochiorum retentorum cum præſentaneo fructu hactenus conſvevi. Ex hoc *innominati ſalis* encomio & hinc facto ratiocinio conjecturæ eſt in proclivi, cur in caſu neceſſitatis etiam *ſola mariti urina* à parturiente epota expertum pariter atque optimum contra difficultatem partus remedium ſubminiſtret. Atque ſic (vel ex hoc capite) in excrementis quoque arcana deliteſcere quamplurima præſtabili conſtat experientia, quam proindè non immerito conſtanti pergimus exoſculari affectu.

XXXIII.

IN. CAPITE. MORTVO. VITRIOLI. NOBILISSIMORVM. MEDICAMINVM. EST. MEDVLLA.

SCitè fabulatos eſſe reminiſcor Veteres, *Lynceum* tam illuſtrem acutiſſimamque luminum habuiſſe aciem, ut, quæ ſub altis etiam recondita terris, viſus ſui excellentiâ, evidenter comprehendere, adeoque non tantum ultra parietem etiam videre, verum tellurem quoque ipſam laudata hâc perſpicaciâ penetrare potuerit, unde *auri argentique imo metallorum ac mineralium omnium inventionem* ipſi quoque cumprimis adſcribere conſtituerunt. Subjiciat hâc anſa *Vulcanus* ad ſcribendum meo nunc animo calamoque meo calorem, quo *Almæ Chymiæ*, revera *Magna quæ docuit matris penetrare receſſus*, hunc laudis characterem competere cuivis dilucide ob oculos ponam. *Hæc* namque eſt, cui tanta videndi, vel viſum potius noſtrum acuendi eſt virtus, ut etiam terræ viſcera, imo res denſiſſimas vel ſpontè queamus penetrare, *Chymia*, inquam, eſt, quæ perluſtrandum nobis inviſibile *centrum naturæ*, ipſam-

ipſamq; *elementorum medullam ac nucleum* ad ſatietatem usq; deguſtandum, quæ undiquaque *fragrantiſſimam verè vitalis Philoſophiæ Roſam* ex voto odorandam, & ſuaviſſimos *naturalis harmoniæ hymnos* auribus pro lubitu hauriendos atque *reconditiſſima quævis* adeò *Mundi arcana*, vel manibus palpanda abundiſſimè omninò præſtat. *Chymia* ſane eſt acutiſſima illa *luminis Naturæ* indagatrix, quæ obſcuriſſimis rebus ſplendorem undique coruſcantem affert, quæ ſublimiora totius naturæ miracula pulcre explicat, atque ejusdem clauſtra effectiſſimè reſerat. *Viri vera & arcana chymiæ doctrinâ* imbuti ſunt in rei veritate *Lyncei illi*, qui clariſſime omnia rerum naturalium myſteria cernunt, & *Lynceis oculis* cuncta acutiſsime contemplantur. Aquilæ in nubibus, *quod Græci dicunt*, verè ſunt *Spagyrici*: vident, imò pervident omnia, & quicquid venantur, oppido illicapiunt. His theſauri ſunt eruditionis reconditæ & interioris ſcientiæ ſacraria, in quibus rerum eſſentiæ accurata ſolertiâ ita perpenduntur, ut in lucem conſpectumque omnium omnia approbè adducantur, *hoc eſt*, purum ab impuro, à nucleo cortex, ſol oriens ab opacâ nocte ac tenebris, atque contrarium à contrario feliciter omninò ſegregetur. Ex adverſo quàm in meridiana luce hîc tanquam noctuæ cœcutiant *Hermeticæ diſciplinæ oſores ac inſcitiæ luto conſperſi*, vel exinde continuo liquet, quod cujusvis materiæ remanentiam, quam *caput mortuum*, *ſeu terram damnatam* (adeo enim incendio conſumta ab *imperitis* judicatur, ut nil niſi terra arida ac ſterilis relicta ipſis videatur) *deſtillatorum vulgus* appellitat, perperam projicere ſoleant. Cumprimis vero indignanti perfodiendum ſtylo, quod *caput mortuum Vitrioli*, poſt ſpiritus & olei exinde deſtillationem à non paucis quoque Chymicis, *ſi Diis placet*, ad tinctores, cerdones pelliones atque fullones, quaſi ad alia & nobiliora inutile dimittatur, quum tamen ſub hoc ſepulcro non cadaver, aut caput mortuum, ſed generoſiſsimum pignus & Phœbus naturæ ſplendidiſſimus ſit reconditus, non ſecus ac in putri vagina ferreus enſis, atque in viliſſimo ſæpiuſcule humo radians auri maſſa latere ſolet. Attende ſi lubet, aut ſi ſapis, *dicta pulcherrima*, quæ ad carmen naturali quadam comitate exſurgens redegit *M. Chriſtophorus Hornius*, Hermeticæ venuſtatis ſpiritu ubertim afflatus Vates, (*in Hortul. Medico Hipp. Spagyr. Hermetico, poetico part. poſter. Lib. XXV.*) & Roſæ Poeoniæ Minerali, ſeu Bolo aut *terræ Vitrioli balſamicæ* ac theriacali conſecravit;

Eſt quia CHALCANTHUM, putredinis hoſtis iniqua;
Præbuit id Medicis pharmaca grata Viris.
SPIRITUS ex illo flamma in ſublime levatur:
Vim SOLAREM aliquam Spiritus iſte tenet.

Ventri-

Ventriculo hic multum confert acore ſalutis,
Tartareum humorem diſſecat, igne necat.
Sed non ſat tutò ſemper conceditur uſus:
Aura auræ huic ardens Arſenicalis ineſt:
Quæ ſenſim extinguit pulmonum aboletq; vigorem:
Et vitæ rorem paſcitur ingenitum.
Ergo ex CHALCANTHO *tibi* TERRA *paranda per artem*
Quæ SOLIS *Medici balſama vera ferat:*
Uſu ea Tuta *ſatis fuerit: namq; omne per ignem,*
Arſenici exhalans excoquitur vitium.
Nil pariet damni: quia vis lethalis ab illâ,
Tabifico erodens dente, remota fuit.
Hæc jucunda ſatis fuerit: nil ſpirat odoris:
Grata gulæ, & Stomacho grata ſapore ſatis.
Hæc præſtans nobis, SOLARIS TERRA *Medela eſt,*
Qui facti è terrâ, terra lutumq; ſumus.
Hæc nitro Sulphureo furibunda turgida flatu
Diſcutit; & quævis Tartarea attenuat.
Omne quod obſtructum eſt, aperit: tum corrigit omne
Corruptum: exſiccans omne ſupervacuum.
Excitat igniculum nativi acuitq; vigoris:
Vim vitæ exſtimulat; Temperieq; beat.
Ventriculum atq; alias SOLARI ROBORE *partes*
Firmat; & occulto corda madore rigat.
Hæc inhibet fluxus: Alienum aboletq; Calorem:
Sudore & lotio quæq; maligna fugat.
Ulcera, pruritum ſcabiem, ſerpiginis æſtus:
Internamq; luem vi medicante levat.
Usq; adeo nobis præſtans HÆC TERRA *medela eſt,*
Qui facti è terra, terra lutumq; ſumus.

Quem non alliciat *metrum hoc* ſplendore verborum nitidiſſimo illuſtratum? Quem non intimitus permulceat *hoc ratiocinium* eximiis ſententiis, quaſi Luminibus quibusdam & belle micantibus ſtellis, egregiè conſpicuum? Adeo omnia ad perpendiculum *veræ Sophiæ* conſtructa hîc deprehendimus, atque graphica omnino, ponderisque magni effata ineſſe ibi cum admiratione conſpicimus. Dicas, *niſi Momus es*, te in florem utique Nectaris, in medullam mellis dulciſſimam, atque in bellaria Attica incidiſſe. Genio indulgeamus igitur & fruamur commodè adductis deliciis. Nemo autem *Chymiatrorum* diſſenſu ſuo

incer-

incertum hoc, veluti rem præclarè exploratam, faciet, quod voce hâc ſuâ veritati exactè accommodata expreſſit ſapidiſſimi *Carminis Autor.* Juvabo hinc egomet meo Symbolo jam laudatum quoque *tenorem*, & perſpicuè ſingulas ejus particulas actutum explanare allaborabo. Graphicè *Poeta* noſter PUTREDINEM vocat INIQUAM; Revera enim quævis in corpore noſtro *humorum putredo ac corruptio* iniqua, hoc eſt, inimica atque perniciofa eſt, ſiquidem palæſtra cruditatum ac fermentum ebullitionis, ut cum *Helmontio* dicam, hoc eſt, vera *febrium omnium* radix & fermentans ferocia ſub eâ deliteſcat; Sane *Fermentum hoc vitioſum*, quod ab *Helmontio mortale* vocatur, univerſam *in morbis* ſcenam ſub excrementitiorum humorum (vel ut *Poterio* placet, *Tartari lutoſi*) larva ac eorum *corruptione ſeu putredine* evidenter ludit, adeo ut humores etiam laudabili charactere notati ſic inquinentur, iique per malignum *vitioſi fermenti* connubium magis magisque corrumpantur, imo decens puri ab impuro, utilisque ab inutili ſeparatio non absque inſigni pernicie, conſpicuè impediatur. Hujus igitur *putredinis ſtrenuum hoſtem* quaſi panegyricè ſalutat *Chalcanthum* ſeu *Vitriolum* dignus Apolline Vates, atque Catholicam omnibus ferme aut plerisque morbis medendi energiam præclarè in acido hoc minerali, ſeu acero montano demonſtrat, juxtaque non minus recte quam veriſſimè dictum eſſe tacitè ſic declarat, *in Vitriolo quartam*, hoc eſt, *maximam Medicinæ partem* latitare, & exinde quàm plurima, eaque gratiſſima pharmaca beneficio Artis præparari poſſe. Serica verba hunc ſenſum oppido illuſtrantia porrigit *Nobiliſſ. Raymund. Mindererus* (*in diſquiſ. Jatrochym. de Chalcantho cap. 2. p. m. 15.*) quæ ingerere hîc omnino quadrabit: Habes hîc *gemmam illam pretioſam, inquit ille*, quam Deus tantis dotibus ornatam locupletavit, ut *Smaragdos Sapphirosq́*., ſi non æſtimatione vel exiſtimatione excedat, ſaltem viribus ac operationis efficacia ſuperet, vel ad minimum æquipollentia ſuæ facultatis adæquet, in quam ſummus rerum Moderator *omnium medicamentorum nervum* videtur collocaſſe, eamque ex adytis ineffabilis miſericordiæ ac omnipotentiæ ſuæ theſauris depromtam mortalibus tanto bono fruituris dono dediſſe, cum *nullus ſit in rerum natura morbus ſublunaris*, cui non ex *Vitriolo* efficax & competens remedium parari ac utiliter depromi queat, &c. Edicam paucis quoque genuinum modum, quo *Vitriolum* reſiſtat adverſeturque *putredini*, eamque potenter edomare valeat: *Hermeticæ ſcientiæ addictis* egregiè notum, quàm præſtabilis *præcipitandi* facultas reſideat in *vitriolo*, id quod abunde patet in præparatione Philoſophica *calcis Sol. & Magiſteriorum omnium*: quum itaque *putredo* illa humorum nihil aliud ſit quam fermentum vitioſum, quod totam corporis noſtri Oeconomiam turbat, ideoque facili concluſo argumentari licebit, vitriolum, ea poteſtate, qua natura tenus pollet, fermentum putrilaginoſum efficaciter etiam præcipitare, atque hac ratione humorum

morum furorem elanguēſcere præſtat, quò Natura libertatis ſuæ, hoc eſt, fermento vitali reſtituta ab hâc impedimentorum gravedine ſe vindicare queat: Diſces hinc, *curioſe Lector*, quid ſit *refrigerare*, aut refrigerantia adhibere, quidve ſit ferventes & in fermento conſtitutos humores demulcere, vel, ut *Poterius* loquitur, iratos ſpiritus, (unde fervor & æſtus in Microcoſmo) compeſcere; quid, *inquam*, ſit *Confortare* naturam laborantem, & qui ſunt alii ejusmodi *Artis noſtræ* termini. In aprico itaque jam erit, cur aura ſeu *Spiritus Vitrioli* vim refrigerandi atque corroborandi habeat; imo elicies hinc quoque, ſi ſapis, arcanam ſed veram Morbos cognoſcendi atque curandi doctrinam ac proinde memineris, ſummam eſſe ſapientiam, diſſentire ab errantibus, atque ſtudia imperitæ multitudinis in tempore, cujus ſolius avaritiam Doctorum omnium commendat autoritas, deſerere. Porrò *Spiritus Vitrioli* quomodo fiat, & quod ille beneficio Vulcani ſeu flammæ ſub certo regimine & gradibus ejusdem exactè obſervatis impetrari poſſit, tam notum hoc ſeculo eſt, ut carbonarios id etiam non fugiat. Veruntamen *peculiaris* (nauſeamus enim vulgaria) hunc, & omnem alium *ex Salibus Spiritum parandi modus* ex indefeſſo pyrotechniæ cultu *Excell. D. D. Hauptmanno ac mihi* innotuit, cujus beneficio *v. g.* ex *Vitriol.* ad albedinem calcinati *libris XV. optimi Spiritus & olei* ad minimùm *libras X.* elicere callemus, ita ut *caput mortuum* atri coloris tenebras revera referat, atque levius pluma, *quod dicitur*, exiſtat. Hæc ipſa igitur deſtillandi ratio ut pretioſa ſanè ac Naturæ conformis eſt, ita hanc quoque poteris comprehendere, modo *radiorum ſolarium* mirandam efficaciam acie philoſophicâ contemplari, atque naturam eorundem decenter imitari non ſusque deque habeas: qua de re ſapienti ſatis. Memorabile inſuper, imo aurea nota dignum eſt, quod de ſpiritu Vitrioli *Hornius* addit, illum *vim ſolarem aliquam* obtinere. Veri Chymici venerabuntur hanc omnino vocem, atque hinc non tantum ſplendorem ſummæ in Medicina virtutis, qua pulchrè præſtat hæc Vitrioli aura, agnoſcent, verùm *Chryſopœiæ* quamvis culpatam vulgò, inculpatam tamen certitudinem etiam confirmabunt, id quod vel familiaris tantum *Spiritus Vitrioli & Calcis Lunæ* congreſſus, ſi ille decenter inſtituatur, egregia fide conteſtabitur, atque ſic ſincera auri, beneficio Alchymicæ transmutationis impetrati, veſtigia incredulis palam, etiamſi absque lucro, oſtendet. Sed pergimus cum Vate *Spiritus Vitrioli* decantare præconia, atque comprobamus, eundem ſalutis multum plurimumque *ventriculo* conferre, qui ut *acida atq; eſurina* omnia inſigniter amat, in quorum familia *Spiritus Vitrioli* ſublimem occupat ſedem, ita quoque *appetitum languentem* excellenter reparat, ac *ventriculo* potens ſtabilimentum ejusque *fermento* ſingulare robur conciliat. Deinde *Tartaream humorum* mucilaginem ac ſaburram fœcalem mire *ſpiritus ille* diſſolvit atque ſic ejusdem impetum virtute penetrandi, quam habet, veluti necat, *hoc eſt*, generosè

coercet ac evincit. Unde in propatulo ſtatim, cur viſcera novo quaſi robore donet hic ſpiritus, & *cur radices oppilationum* is præſcindat, ac facta hâc attenuatione humorum craſſorum ipſa etiam naturæ emiſſaria ab omni impedimento liberet. Conjicies hinc itidem, virtus *ſpiritus aperitivi Penoti* unde ſcaturiat, utpote qui *ex arcano Vitriol. & Tartar.* conſtat. Verum ut nulla unquam rebus in hâc mortalitate ſincera eſt pulchritudo, ſic *Poeta noſter* haud tutò ſemper *Vitrioli & ejusdem ſpiritus* uſum concedi prudenter monet, ſiquidem *Vitriolum Veneris prolem*, *Veneri* autem *arſenicum* velut proprium eſſe nobis utique non ignotum. Qui itaque *pectoris ægritudines* obtinent, illis tanto magis à *Spiritu & Sale Vitriol.* abſtinendum, quanto certius eſt, utrumque medicamentum ſpecificâ quadam *hoc eſt*, arſenicali, pulmonibus adverſari ac nocivum eſſe, pectus enim valenter hinc ſtringitur & coarctatur, atque propterea pulmonum vigor, utpote qui in libero ac non difficili motu conſiſtit, extinguitur. Quin imo nec immoderatus & quotidianus *Spiritus Vitrioli* uſus à nobis comprobatur, quod rorem vitæ ingenitum, *ſeu humidum radicale* tandem devoret, pro ut omne nimium, & quod naturæ terminos excedit, corpori noſtro eſt infeſtum. Atque his ita enucleatis *Spiritum Vitriol. Phthiſicis*, & qui præcordia habent exulcerata, aut tabe ſunt confecti, neutiquam convenire tu addiſcito. Deinde ſit tibi documento, quo minus haberi ſuſpectus *Vitrioli Spiritus* queat, ut laudatum ſpiritum *ex Vitriolo Martis aut Veneris*, quod malignitate illâ caret, elicere ac ſubſtituere ſtudeas. Verum enim verò ut ad propoſiti ipſius metam nunc quoque deveniamus, dicendum venit ac demonſtrandum nobis, *in capite mortuo Vitrioli* nobiliſſimorum remediorum contineri dulcem omninò *medullam*, imo multivarias ſanitatis opes atque theſauros. *Mindererus* vocat *vitriolum* graphicè perquam *glaciem benedictam:* Ego eadem ratione *caput hoc mortuum* appellavero *benedictum*, quod in ſe arcana, adeoque præclariſſima & *verè benedicta medicamina* habeat, etiamſi jam *ſpiritus*, quem *illa Chymia, in quâ Chymia* deſideratur, *animam* Ejus nuncupat, quum tamen Ea in capite mortuo adhuc reſideat, forti deſtillatione hinc exhauſtus. Itaque de *hoc capite mortuo*, quod *Paracelſo Colcothar* dicitur, notandum eſt, quod illud *à ſalſugine ſua nondum liberatum* ſit *Cauſticum atq; Eſcharoticum* inſigne; adeo iſtud non ſolummodo ad *emplaſtra & unguenta* expetitur, quæ *fœdis ulceribus* repurgandis ſolent adhiberi, verum uſus quoque ejusdem ad *hæmorrhagiam ſiſtendam* pertinet, dum *cruſtas* perniciter inducit. Dictu hinc mirandum quoque *Colcothar* iſtud poſſidet effectum in perſanandâ *Dyſenteriâ*, ſi videlicet hâc afflicti ſuper illud alvum expediant aliquoties, id quod non paucis obſervationibus ſtabilitum candidè mihi communicavit, *D.D. Michaelis famigeratiſſimæ experientiæ Chymiater.* Cauſam vero hujus operationis non difficulter licebit cognoſcere ex jam dictis, præſertim ſi inſuper curioſè perpendamus, *caput mortuum Vitriol.* affuſo liquore aliquo ſtatim efferveſcere, unde *exhalationes vi adſtringendi*

præditæ

prædītæ deſubitò elevantur ac ſedem affectam petentes deſideratam opem evidenter afferunt, ita ut vix opus ſit ad magnetiſmi, aut balſamici cujusdam ſecreti aſylum hîc protinus confugere. Sed longe *nobiliora* utiq; hujus *Capitis mortui compendia* nobis ſunt nota, quorum mentio, aſt ſuccinctè, nunc concelebranda. *Spiritum* nempe *Cephalicum* exinde familiariter elicere conſuevimus, quod remedium uti *apoplexiæ, epilepſiæ ac vertigini*, aliisq; Capitis infirmitatibus potentiſſimè medetur, ita ſummum pariter *corruptionis ac putredinis* præbet *alexipharmacum*, unde non immerito ipſi quoque virtutem *cor ac Spiritus vitales*, imò *viſcera cuncta*, cuicunq; etiam ſint deſtinata facultati illa, *reficiendi* indubitatam adſignamus; quid quod vel ſolâ hujus ſpiritus penetrantiſſimâ efficaciâ *cachexias atq; hydropes* feliciter extirpaverimus. Hunc *Spiritum* qui *Spir. Sulph. Vitriol.* nominare amant à ſemitâ rationis minime deviant, quum hâc de re certos confeſtim nos reddat fidele *odoris viſusq;* teſtimonium. Præterea celebratum, ex hoc *capite mortuo* paratur Medicamentum ac Vomitivum mira potentiâ conſpicuum, quando nimirum ex eodem *ſalſedo* aquæ communis beneficio extrahitur, illique diligenti repurgatione debitus nitor conciliatur, & lege *artis Chymicæ* ad exquiſitæ puritatis culmen deducitur. Eſt ſane hoc Medicamen humorũ ſummè pervicacium *malleus* & morborum proinde pertinaciſſimorũ *ſtrenuus Averruncus*: adeo degeneres in univerſo ſuccos quaſi claſſico quodam ad ſigna convocat, eosq; vomitu accepta nobis celeritate feliciter deplet, atq; ſic radices mali etiam profundiſſimas egregiè educit: Verum cum alibi *hæc ſalis præſtantia* jam fuerit à nobis decantata, pedem plus ultra movemus, ut *melliflua Terræ dulcis ſeu balſamicæ Vitrioli dona* condigno honoris cultu excipere queamus. Per artem igitur quomodo paranda *Terra*, quæ *Solis Medici*, hoc eſt, *Auri* balſama vera ſeu virtutem ejus excellentiſſimam afferat vel adæquet, nunc disquirendum. Modo vulgari *aquâ* ſcil. omnis *in capite mortuo Vitriol.* eluitur (unde *Terra Vitrioli lota Ang Salæ* audit) *ſalſedo*, donec nulla amplius acritudo in eodẽ perſentiſcatur. Ego cum *Amiciſſimo Hauptmanno Meo* acidulas Bacchi inſuper adhibere ſoleo, atq; ſic *cephalicum externum*, cumprimis *odoratu* uſurpandum, mihi comparo, quod *cerebrum crapula* turbatum, itemq; *in febribus calore* maligno obrutum præſenti refectione ſolatur. Conſimiliter quoque *dolores capitis* id lenire & *ſpiritus animales* intimitus recreare toties totiesq; expertus fui. Paravimus hâc ratione nimium cito fortaſſis *laudatam Terram*: ſed edico *Tibi, verbis longè facilius quam factis* hanc ipſam confici poſſe, adeo & ſummam dexteritatem & operoſam ſolertiam ſibi depoſtulat hic *labos*, quem feliciori manuductione Te *Vulcani* officina docebit. In *hâc ipsâ Terra Chirurgi* habent artis ſuæ merita propagandi ſufficientiſſimam ſegetem, cum tam vehementes *hæmorrhagiæ* beneficio illius dextrè forinſecus admotæ celerrime ſedari, quam magna etiam periculoſaq; *vulnera* & deſperata *ulcera* ſingulari ac præſentaneâ ratione curari, atq; ex fundamento conſolidari poſſint. Habent & *Medici* cumprimis hîc quoq; quo ſui nominis famã ampliſſimis modis diffundere queant, quoniã *balſamica hæc Terra Vitr. dulcedo* internè data *balſ. noſtræ naturæ* mirifico mòdo gratiſſima eſt, atq; ea omnia abundè præſtando, quę doctè cõmemoravit *ſupra cõmend. Poëta*, Panacææ titulũ non injuriâ meretur.

In *febribus, pleuritide, artribtide, cephalalgia, phthiſi, colica, hydrope* & multis ægrimoniis aliis præſtantiſſimus hujus Terræ inſuper eſt fructus, imo & in quovis *interno ſanguinis profluvio* atque *viſcerum exulceratione aut apoſtemate* divinus propemodum, & indubitatus ejusdem eſt uſus, id quod de *Tinctura* etiam *Vitrioli Balſamica*, ad pauculas guttulas exhibitâ, intelligendum, utpote cujus efficacia in jam dictis affectibus eſt certiſſima: Sic extrinſecus quoque *Tinctura hac* cum vehiculo debito mixta ſi admoveatur, inveterata, conclamata, atque, ut proverbiali dictione vocantur, *Chironia ulcera ac vulnera* potenter ſanari queunt. Stupendam quoque virtutem & quaſi catholicam illam ſuſtinet hic *Tinctura theſaurus*, ſi cum *clyſteribus* illa injiciatur, de quo ejusdem uſu *ſupra* jam facta mentio fuit. Forſan hic rurſus novum Tibi offero ſcandalum, dum *ex hac Terra Tincturam parandi modum* non ſtatim pleno ore deglutiendum trado. Sufficiat indicaſſe ſaltim duplici hanc *Tincturam* conficiratione: Nos menſtruum dulcacidum, *D. D. Michaelis* autem ſuaviter ardens ad indipiſcendam eam uſurpare ſolemus. De hâc ipſa & nobiliſſimâ *Tinctura* attende rogo, quid *Philoſophi veri* ediſſerant: In hâc, *inquiunt*, terrâ *Vitrioli magna & pertinax Tinctura* deliteſcit, quia vitrum in quo paratur, adeo tingitur, ut nullâ arte ac lixivio, nec affrictu Salis aut cineris repurgari queat, ita in vitrum agit. Illuſtre *Myſterium* ſub hac ſententia abſconditur, quod meminiſſe nobis inculcat, ut ſileamus. Iſtam vero *Tincturam*, ne plane elinguis *Tibi* videar, qui *artificiosa coquendi aſſiduitate* (quæ *igne* duplicato, *interno* ſeu *naturali*, deinde *externo artificialiq́;*, illum ſcilicet juvante & ad agendum proritante perficitur) *cum ſale Vitrioli dulcificato* nitidoque copulari non ignorat, ille experietur *Materiam Vitrioli fixam* humido radicali fixo *auri & argenti* exactè omnino reſpondere; ille, *inquam*, habebit verè divinum Medicamen, Herculis quandam clavam & theriacarum omnium theriacam ſummam, virtutes etiam ipſius auri evidentiſſimè ſuperantem, imò, *Fabro teſte (Pallad. Spag. cap. 14. p. m. 161.)* poſſidebit id, quod eſt in tota arte Spagyrica mirandum arcanum. Nuperrimè nos illud *Vitrioli & à ſuo ſale* nondum liberatum *caput mortuum*, quod luculenta acrimonia adhuc præditum proinde erat, prælaudato illo duplicis ignis ſodalitio ita maceravimus, ut depoſita omni acredine egregiam dulcedinem illud impetravit, unde generoſum Medicinæ ſpecimen & longe nobiliorem, magisque Philoſophicam Tincturam ſeu Elixir ſacrum haud incaſſum nobis pollicemur. Sed in magnis ſic fuiſſe ſat eſto.

XXXIV.

CUM SALVATORE NOSTRO!

§. 1.

Libera manu pulſabimus hanc chartam *Duce Jehovâ Naturaq;* *Duce* hoc iter licet tot difficultatum vepribus aſperum auſpicaturi, abſoluturi.

2. *Deum* qui benedictiſſimus eſt Naturæ autor, non ſine mediis agere, ac proinde *Naturam Sanctiſſimi Numinis ſervam* exiſtere, quam appoſitè ſatis *Helmontius noſter* JUSSUM DEI ſalutat, præſertim *Medici Phyſiciq;* non immeritò recordantur.

3. Ergò *Sophiatrorum* eſſe hinc ſtatim ratiocinamur, ut *Naturam*, cujus liber eſt ampliſſimus ſpatioſisſimusque, alta indefeſſaque indagine ſcrutentur, atque ut viſcera & centrum ejus evolvere ac eruere, nullatenus corticem aut ſuperficiem tantum lambendo, fimbriamq; ſaltim palpando, quod hactenus à plerisque ô quàm operoſa ſuperſtitione & ſuperſtitioſisſima ſed valdè noxia religione factum, imò adhuc quaſi ſolemniter fieri indignamur, omnibus nervis annitantur.

4. Sed miſſis diverticulis circa hoc thema experiri vires noſtras, & quid ad adornandum illud jam facere videbitur, adhibitô *Naturæ lumine* ſolertiùs diſpicere, atque in commune ſic conferre, animi lubentia eſt.

5. Venerandæ *Medicinæ Parentibus*, inter quos tanquam Anteſignanum laudamus *Magnum Hippocratem*, jam olim conſpectiſſimum fuit, *Naturam eſſe ægritudinum* gratioſam *curatricem*; quod ipſum ut certiſſimô ſtat talô, (Naturâ enim non cooperante Medicus cuncta incaſſum molitur, & medicamina, utut Heroicam virtutem obtinentia, fruſtraneâ ſollicitudine tam meditatur, quàm porrigit) ita contrarium eodem certitudinis fundamento ſtabiliri poſſe non deſperamus, eandem quoque *Naturam morborum exiſtere effectricem.*

6. Quod tamen nequaquam eum in finem aſſerimus quaſi benigniſſimam matrem *Naturam* atrocitatis cujusdam aut malevolentiæ incuſaturi, ſed quod impuritatum (ecce morborum occaſiones!) moleſtias pernicioſasque inſidias haud absque incommoditate & corporis noſtri perturbatione viriumque jacturâ exterminare valeat, non ſecus ac *Dynaſtes*, cui ſubditorum cura eſt maxima, non ſine ſuorum clade & quodam patriæ excidio in hoſtem prodire, eumque ſternere ac territorio ſuo fugare; vel *mater* quamvis officioſiſſimè blandiens prolem ſuam à fœdâ porrigine atque pediculorum turmis altius impactis ἀναλγήτως purgare non poteſt; Quid non ipſe *Medicus*, qui *Naturæ eſt Miniſter*, utilitatem ac ſanitatem potius, quam delicias ſpectare, ac proinde ulcera deſperata fortiore ubi opus eſt ac horridiore medela ejulatus aut vociferationes ægri planiſſimè ſusque deque habendo ſanare allaboret.

7. Quo-

7. Quomodo igitur ipſa *Natura* morbos parere conſueverit, exemplo *Morbillorum* nunc oſtendere, & hôc ipsô Naturæ ſinum ex *ſecretiore Philoſophiâ ac Jatroſophiâ* pandere ſumus parati, ita ut hinc vel ſpontè cognitum habere queamus, *Naturam* eſſe omnis motûs omniumque rerum ac propterea etiam morborum radicale principium.

8. Antequam verò *ad morbillorum* geneſin faciamus acceſſum, quædam in anteceſſum præfloranda ſe offerunt.

9. Primùm edicimus nullam nos inter *Morbillos & Variolas* diſcretionem hîc obſervaturos, quod unam eandemque curandi depoſcant methodum, ac præterea tàm morbilli quàm variolæ ſunt eruptiones in eô duntaxat diſcrepantes, quòd vel minus vel magis appareant aut elevatæ exiſtant atque emineant, vel quòd illi ſicciores ſint, hæ verò humore pleniores. Quæ enim ad praxin non conducent, ea conſciô protinus ſilentiô hîc transmittemus.

10. Concluſum autem nobis eſt *Morbillorum* barbaram *vocem* tali ſignificatu in præſentiarum uſurpare, ut ſub hâc denominandi ratione geminam effloreſcentiarum ſpeciem, ſed cum malignitate conjunctam, exprimamus.

11. Unde etiam *morbilli* juxta *Italicum* idioma dicuntur quaſi *parva peſtis*; quod nempè peſti quam proximè tam propter vim contagionis, quàm exquiſitæ malignitatis ſint cognati; dictæ enim *nationi* uſitatum eſt peſtem, vel etiam malignum quemvis fœtorem, quem *morbillos* manifeſtò exhalare novimus, vocitare *il morbo*.

12. Ideoque ſive jam ἐκθύματα vel *morbilli* dicantur quaſi *parvi morbi*, hoc eſt, quaſi minuti carbunculi & anthraces ſeu exanthemata à magnis tumoribus conſpicuè differentes; (non vero quòd minoris momenti exiſtant, ſicuti ex prognoſis declaratione hoc patebit) ſive verò tanquam *parvorum morbi*, quòd juniores ut plurimum iis laborent, perinde nobis erit, quum utrumque etiam veritati evidenter conſonum.

13. *Junioribus* autem ſtatuimus hoc morbi genus magis familiare, non quod adultos & ætate confectos hinc excludere intendamus, (nulli enim hominum generi hodiè parcere ſolent) ſed quod tenellam ætatem conſuetiùs hoc malum infeſtet, ſic conteſtante experientiâ, cui Saniorum nemo etiam refragabitur.

14. Cauſa confeſtim in propatulo eſt; quem etenim fugit *infantes pueroſq;* (menſtruarum enim reliquiarum ſeu impuritatum à maternô ſanguine relictarum vanitatem & phantaſiam, quâ vulgaris opinio triumphat, hîc deridemus, quis enim hanc in adultis præſumat) humidiorem habere temperaturam & carnes, quàm ætates reliquas, ſeu corpora eorum multis ſuperfluisque ſcatere humiditatibus ac impuritatibus, ut hinc non tantum putredines ac corruptiones facilimô negotiô concipiant, ſed & cumprimis ad vermium generationem

præ cœteris ſint proniſſimi, quod ipſum poſtea nobis ad ſtatuminandam animatæ ſeu verminoſæ putredinis deductionem egregiè inſerviet.

15. Ex eadem baſi liquet etiam, cur *ſequior ſexus maſculino* (de firmata ætate hîc loquimur) *morbillis* promptiùs frequentiusq; afficiatur? Nempè conſimiliter ob humidiorem mollioremque corporis conſtitutionem, cujus causâ putredini ac corruptioni mulieres magis, quàm viri, ſunt obnoxiæ, und daß ſie ſüchtiger Art ſind / hoc eſt, quòd luem corruptionis levi de causâ incurrant.

16. Deinde non morabitur nos quæſtio, *an Morbilli quoq; Veteribus fuerint noti*: Tàm rudem namque non æſtimamus venerandam antiquitatem, quippe cui contagiorum indolem & exanthematum eruptionumque naturam ſatis ſuperque perſpectam fuiſſe, ex monumentis eorum & expreſsâ eruptionum mentione, quam paſſim paſſimque fecerunt, abundè colligimus, licet ex profeſſo ſeu peculiariter expliciteq; de morbillorum nomine, quidditate ac curâ non egerint.

17. Ut autem feliciori paſſu progredi in propoſito noſtro queamus, metam conſtituere, ad quam nobis collineandum erit, hoc eſt, *Definitionem morbillorum* in medium producere operæ pretium jam exiſtimamus. Aſt unde depromemus hujus effigiem, tali ſcilicet penicillô talibusque circumſtantiarum coloribus depictam, ut rectà plenisque velis & equis, quod dicitur, ad ſcopum ſeu deſiderium auſpicatò curandi currere atque pervenire queamus.

18. Ex *Dogmaticorum* ſcholâ quid ſperandum, hæc extemplo commonſtrabit definitio: *Morbilli*, concordantibus votis & contritâ conſuetudine inquiunt, *ſunt puſtulæ in cutis extremâ ſuperficie, partibusq; cuti proportione reſpondentibus cum febre continuâ propter peculiarem ſanguinis efferveſcentiam ac ebullitionem à facultate expultrice excitatæ.*

19. Tam importuni autem ac impudentes non erimus, ut *Anteceſſorum* merita pedibus conculcare vel atroci ſtylô perfodere nunc intendamus, ſed veram duntaxat & ad centrum ſeu radicem hujus doctrinæ nos ducentem ſententiam elicere pro virili ſtudebimus, *Priſcos cum Neotericis, Dogmaticosq; cum Hermeticis* officioſa opera, quantum poſſibile quidem, conciliaturi.

20. Adductam igitur *definitionem* quod concernit, num illa plana & perſpicua ſit, numve medentes ex ſententiâ ad praxin perducat, ut *cauſam tam efficientem quam materialem* (ſine quarum accuratiſſima determinatione mancas mutilasq; imò anima ſua carentes morborum definitiones cunctas non immeritò acutiſſimus aſſerit *Sophiater Pe. Joan. Faber*, utpote quibus ignotis ignoratur etiam meditullium effectus, ac proptereà non niſi meris conjecturis atq; ancipiti fortuna curationis negotium innititur) ſine tenebris aut caligine exhibeat, judicent *ſapientiæ nati ac per ignem confirmati Philoſophi*, qui intrepidè ſtatim profitebuntur, niſi quis principia naturalia ſeu rerum generationes radicaliter ac cen-

traliter (*ſic loqui liceat*) ſive ex fundamento perſpectas habeat, impoſſibile eſſe, ut veras morborum cauſas producere, & rationem rationis de iis reddere queat.

21. Primô quidem intuitu *morbillorum* illa deſcriptio ſat lucida & quantivis eſſe pretii videtur, verùm ſi contenta ejus ad amusſim examinare, & adhibita velut conſpicilii acie vel *Naturæ lucernâ* inſpicere velimus, exclamare protinùs cogimur, ô craſſiſſimum corticem, quo rerum nucleus eſt nimioperè involutus; ô denſiſſimam umbram, ſub quâ lumen profundiſſimè abſconditum ac obfuſcatum latitat!

22. Quid enim *puſtularum* ſuperficiem ac formam extrinſecus videre juvat, niſi intrinſecus nobis notæ ſint, niſivè *materiam*, quam comprehendunt tumuli iſti cutanei, (certè tumulum minantes) ac radicem, unde progerminant mali moris hæ efflorеſcentiæ, juxta *Naturæ* leges exponere valeamus?

23. Quid quæſo eſt illa *ſingularis efferveſcentia ac ebullitio ſanguinis*, quæ ſanè tot difficultates, easque bona fide arduas affert, quot literis hic contextus conſtat? Unde tunc *febris* iſta continua, unde ignis ille continua uredine totum corpus inflammans? quomodo amabò tunc illa *facultas* ſe habet, quidnam eſt, quod eam tantoperè irritat, imò quid eſt ipſa facultas? Cujus eſſentiam, & unde illa dependeat, qui ex *vulgaribus* documentis clarere exiſtimant, næ illi effectiſſimè decipiuntur. Hem quantillum eſt, quod ſcimus! O quantum eſt, quod neſcimus! O quàm nihil utique ſciunt illi, qui Autoritatibus tantum freti verbisque magiſtrorum quaſi juratò addicti ſe multum ſcire opinantur.

24. Verum enimverò clauſtra hæc reſerare, & cortices quisquiliasque rejicere ſtatim aggredimur, ut medullam ſeu *centrum* impetrare, ac diſcuſſis nebulis *lumen veræ ſcientiæ ſeu ſolem orientem* ex verò videre poſſimus.

25. Ad illam autem philoſophandi rationem ac rerum penetralia rimandi ſtudium hîc confeſtim provocabimus, quod jam olim Excellentiſſimi nominis ac ſagaciſſimæ felicitatis Chymiater *D Auguſtus Hauptman*, Amicorum meorum ocellus, *& egomet cum ipſo* gnaviter probavimus, atque tot experimentis comprobatum confirmatumque tueri, imò novis inventis fructuoſisque augmentis ulteriùs communire non immeritò adhuc perſeveramus.

26. Quod ipſum rerum eſſentias penitiùs ponderandi ſpecimen prolixè ut repetamus, haud opus eſſe ducimus, ſiquidem compendioſam relationem in Præfatione ad limatiſſimum *de peſte* ſcrutinium Acutiſſimi ac celebratiſſimæ famæ Philoſophi *Athanaſii Kircheri*, qui in literis ad meum *Hauptmannum* datis abdito quodam magnetiſmi latentis raptu (citra ullam enim communicationem præviam tacitè easdem cogitationes quàm longiſſimè diſſiti fovimus) in hanc ſententiam *de vivâ Mortis imagine* ſeu *putredine animatâ* totum ſe, tractum candidè fatetur, ni fallor, dilucidè præſtiterimus, ad quas aureolas *Magni Kircheri* meditationes,

tiones,quarum tenorem cordatus præſertim Medicus habere cordi tenetur,ſollicitos *Lectores* brevitatis ſtudioſi remittimus.

27. Itaque ut ſtante erectôque hôc proſceniô, ipſam *Morbillorum* ſcenam ac dirum ſpectaculum cum accuratâ omnium circumſtantiarum commemoratione, *ſublimioris doctrinæ Filiis* ob oculos ponere jam queamus, vulgarium & ex triviô petitarum opinionum,quas *reconditior Medicina* reſpuit, larvas ſequeſtrando, & omnis obſcuritatis ſiparium fideliter detrahendo *principia Naturæ* in hoc theatrum producemus,quorum ſtudioſa conſideratio deſubitò nobis revelabit ſenſum illius minùs rectè hactenus intellecti, aut malè ſaltim declarati axiomatis; *Unius corruptio eſt alterius generatio.*

28. Rem igitur paulò altiùs inveſtigabimus, pedetentim tamen ac ſucceſſivè gradationem hanc inſtituturi (ad ardua enim atque ſublimiora non ita pronus eſt ac ſine quadam hæſitatione expeditus tranſitus) quô in peniſſima *Naturæ* penetralia nos inſinuare & calamo noſtro *ad Morbillorum ideam* quàm proximè collimare, imò veras licet abſtruſiſſimas eorum *cauſas* (ad cœcas & occultas confugere noſtrô etiam judiciô ignorantiæ aut ignaviæ eſt aſylum) ipſis ſenſibus oculiſque palam conſequendas offerre queamus.

29. Primitùs autem videndum,quid *ebullitio ſanguinis ſeu humorum*,ecquid *peculiaris illa ebullitio*,& in quô tandem cardo expultricis verſetur *Facultatis* atque *incendii febrilis* continuò flagrantis? Hîc pleroſque ſtatim recurrere videbimus tanquam eodem cibô paſtos ad ignem ſeu calorem p. n. in cordis atrio accenſum, quô poſteà per totum corporis habitum delatô humores ac ſanguinem ebullire atque effervescere ſtatuunt, non ſecùs ac liquor in teſtâ Vulcano appoſitâ ferventibus undis ebullire atque exultare conſuevit.

30. Sed quàm minimè apex rei ſic quoque tangatur, & quàm obſcurum per æquè obſcurum adumbretur, nemo non fatebitur nobiſcum, qui *Naturæ* œconomiam penitiùs excutere aſſudat.

31. Ut autem fauſtis auſpiciis ad hæc nos adyta penetrare poſſimus, *Helmontio Comite* primùm ambulabimus, & poſtea progreſſum jucundiſſimo Philoſophi incomparabilis *Kircheri* conſortio juncti continuabimus.

32. Atque dum in contubernium *Helmontii* nos recipere ſic placet, datâ occaſione, quia de abditiſſimâ ignis naturâ ad meliorem prædictæ *ebullitionis atq; febrilis fervoris* dilucidationem aliquid dicendum nobis eſt, (obiter namque in gratiam *Philiatrorum*, ne in *Jatroſophiæ* ſtudio confundantur, hoc monere tenemur) inconſideratos eorũ conatus approbare non poſſumus, qui nobiliſſimam *Phyſices doctrinam* tanquam merum πάρεργον,adeoq; perfunctoriè duntaxat tractantes, ſummi hujus *Philoſophi* nunquam ſatis à *Chymiatrorum coronâ* deprædicandã ſolertiam arrodere ac inſolentibus verbis curioſiſſimum illud inquirendi

ſtudium laceſſere non verentur, quum tamen ne *alphabetum Helmontii*, longè minus reconditiſſimum ineffabilis *Sapientiæ*, qua ſplendidiſſimè monumenta ejus cedrô digna coruſcant, ſenſum, vel etiam quid ſit *verum intellectus lumen* nullatenus intelligant.

33. Magna igitur magnis & magnoperè *de rerum naturalium ſublimiore ſcientiâ meritis Viro* fit injuria, dum ventoſæ gloriandi conſuetudinis inculpantur, aut maledictis aliis calcitrantur.

34. Litem hanc dirimant illi, qui *Phyſices* accuratam cognitionem *totum poſtulare hominem*, & qui nobiliorem rerum naturalium arcana rimandi operam ſui juris potiſſimum *Jatricum Spagyricamq́ Facultatem* facere meminerunt, ut proinde *Phyſices præcepta* nemo rectiùs tradere poſſit, quàm qui nomen ſuum *almæ Medicinæ* nuncupavit.

35. Neutiquam ergò ſua experimenta (citra enim experientiam loqui erubeſcunt *veri Phyſici ac Medici*) crepant cum *Helmontio Sophiatri*, ſed placidè profitentur, & bono publico tot ſumtibus totque periculis, vel ut in proverbio eſt, per Saxa, per ignem partam eruditionem peritiamque conſecrant.

36. Quisquis penſitabit *Helmontium eſſe Philoſophum per ignem* confirmatum, adeoque in defeſſis laboribus exercitatiſſimum, is ſtraminea & craſſa culinaris ignis ſcientiâ tantum fretus tam impudenter tantæ inſcitiæ eum non inſimulabit, *quaſi ignis* naturam vel penitùs non, vel ſaltim minùs rectè agnoverit.

37. Optimè omninò conſtabat *optimo Autori* intricatiſſimam eſſe hanc *de igne doctrinam*, ut propterea incertum eſſe, num *ignis* ſalutari *elementum* (quod notoria & heterogenea ejus impuritas, quæ oculis noſtris offertur, diſſuadere videtur) an verò *ſubſtantia, an qualitas* (tam delicata enim & reconditiſſima hujus entis eſt ſubtilitas ſeu tenuitas) debeat, patheticô ut ſolet pronunciatô aſſeruerit.

38. Hoc tamen non obſtante, tam doctè & tam baſilicè *ignis ſeu abſconditiſſimi rerum Phœbi*, profligata tenebrarum craſſitie, genium expreſſit, ut *Medici* his documentis fulti tam exactam *febrium inflammationumq́* notitiam (ſub hac enim *fermentationis* myſterium latet) hinc haurire, quàm *generoſa medicamenta ignea*, hoc eſt, maſculam penetrandi ac feliciter operandi virtutem habentia invenire, inventaque ex ſententia conficere calleant.

39. Imò *Hermeticæ artis alumni* ex paterna manuductione tam fideliſſimi *Præceptoris*, modò polleant deſiderato intellectus lumine (ſingulari ſapientia adornatiſſimus *Kircherus* ad accuratiorem rerum naturalium perſcrutationem expreſſis talem requirit; quem *DEUS O. M. qui ſolus creavit Medicum*, ſingulari luminis ſui radiô perfudit) oppidò exinde perdiſcere queunt, *ignem* omnibus rebus ac propterea humano etiam corpori ineſſe; *ignem* in centrô rerum ſubeſſe copioſiſſimum, atq; in eodem tam originem ſuam, quàm vigorem habere: item,

ignem

ignem obtinere in cunctis operationibus rationem maſculi, ſicuti fœminæ aquam; *ignem* nihil aliud eſſe, quam animam mundi, ſulphur Naturæ, ac fermentum vivificans; *Ignem Sophorum* humectare, ſicuti aquam ſuam vocitant ſiccam & comburendi vim habentem, quando dicunt unſer Waſſer verbrennet/und unſer Feuer wäſchet / & quæ ſunt hujuscemodi dicteria *ex tripode Apollinis ac ſinu Hermetis* deſumta alia.

40. Quæ omnia utut *vulgo*, qui non niſi involucra rerum æſtimare, & ex aliis omnia exſcribere ſolet, paradoxa & abſurda videantur, veriſſima tamen atq; ad fortunatè medendi cynoſuram cum applauſu Naturæ accommodata *à Chymiatriæ proceribus* deprehenduntur.

41. Sed ut in pulverem ſuum redeat equus noſter, exemplô *fermentationis*, cujus beneficiô tam indoles & poteſtas *ignis*, quàm *morbillorum* quidditas manifeſtiſſima evadet, hæc omnia quàm comprobatiſſima nunc dare aggredimur.

42. Helmontii verò & excellentioris *Pyroſophiæ* olores rogamus, ut *ſolem Naturæ, rationis ac* tot experimentorum fulcris ſtabilitæ *veritatis* conſtanter intimitusque aſpicere non abhorreant, & fortè hinc ſternutabunt, & ab omni ineptiarum mucore ſic liberabuntur.

43. Præſupponimus igitur ante omnia *impuritatum atq; ſuperfluarum ſeu excrementitiarum humiditatum redundantiam*, ſive illa circa primas vias ſtabuletur, ſive jam ipſa ſanguinis maſſa vituperoſo hôc onere aggravata ſit; (utrumque autem ad conſtituendam ferociorem *morbillorum* tempeſtatem requiritur) quarum heterogeneitas ac diverſitas (hanc appoſitè *filiam mortis* vocat *Helmontius noſter*) ſeipſam facilè ad corruptionem ſeu interitum diſponit, ac ſenſim in ataxiam confuſionis ſic properat.

44. Atque dum vitioſi humores ita putreſcere ac inſidioſam *fermentationem* (ſine qua corruptio ac putredo fieri ac eadem tanquam anima ſua carere non poteſt) concipere, atque in agrum vitalem ſe inſerere incipiunt, ad horum appulſum *Natura noſtra ſeu Archeus* (qui nihil aliud eſt, quàm *ſpiritus ſeu ignis vitæ* vel ut magis *Dogmaticè* loquamur, *facultas & robur vitale* omnibus rebus inſitum;) tanquam unicus ſanitatis noſtræ œconomus atque defenſor, confeſtim incandeſcit, & ad furioſam indignationem adigitur, ut impurum à puro cum vehementia ſeparare, atque inimicum ſuum, qui à vitæ communione penitùs alienus eſt, ex vitæ territoriô excludere vel radicitùs exterminare poſſit.

45. Ergò ut *febrilem paroxyſmum* nihil aliud eſſe hinc conjicimus, quàm vehementiorem Naturæ ſeu Archei luctam, irritationem, & efferveſcentiam contra materiam peccantem ac putreſcentem, quam concepto hoc furore & impetuoſiſſima iſta fermentatione attenuare & edomare (hinc intelligere protinùs licet, quid *Dogmaticis* ſit cruda vel turgentia coquere, digerere, & ad maturitatem

perducere, quoniam tam hæc ipſa cruditas quàm ob exorbitantem ſeu valdopere exacerbatum *Archeum* hoſtili fermentô ferociens materia morbifica unum idemque dicunt) conatur, ut benigniorem & puram utilemque ejus partem ab impurâ, malignâ, & hoſtili ſequeſtrare, hanc verò quantocyùs eliminare valeat; ita protinùs exinde concludimus, quod *Natura* à ſaburrâ damnatâ & accumulata ſe vix expedire ſine morbô, hoc eſt, morbificâ ac importunâ fermentationis calamitate queat.

46. Hanc ipſam autem *fermentationem* non ſine magnâ effervеſcentiâ & exæſtuante ſeu immodicè auctô calore partium, ubi illa dominatur, fieri non poſſe, ſtatim etiam explicabitur.

47. Adeoque ut hactenus doctrinam de *ſpiritium* in corpore noſtro *generatione* ſatis obſcuram ac tenebricoſam fuiſſe feriò affirmamus, ita etiam ex accuratâ & *intimiore fermentationis notitia* oppidò illa deduci & nulli non egregiè conſpicua reddi poterit.

48. Ex *ſpagyricis laboribus* notiſſimum eſt, *v. g.* ex ſuccô vegetabili (quisquis ſit) non niſi beneficiô putrefactionis ac *fermentationis ſpiritus ardentes* ſulphureosque elicere, atque ſic ſubtilem ætheriamque quaſi ſubſtantiam à terreſtri & craſsâ portione ſegregare *artifices:* Idem profectò in corporis noſtri œconomiâ contingere tam manifeſtum eſt, quàm quod luculentiſſimum.

49. Ideoque hâc baſi ſuffulti ſtatuimus *circulationem ſanguinis* nihil utique aliud eſte, quàm ſuavem & naturalem *perpetuamq; fermentationem*, cujus ratione *continua fit ſpirituum generatio* atq; conſumtorum reſtauratio, quod ipſum *exemplo muſti*, ex quô per fermentationem ſeu effervеſcentiam generoſum ſpirituoſum fit vinum, quàm præclariſſimè declarari poſſet, niſi hoc ſuo jam lumine ſplenderet. Atque eâdem planè ratione ſeu *fermentationis* mediô in ſanguinis purpura *ſpirituoſam ſubſtantiam* generari *vel ſanguinem ſpirituoſum* fieri nobis habemus perſuaſiſſimum.

50. Ut autem neceſſitas *contrariorum* eſt perennis, ac proinde *naturali*, ſeu quod ſecundum Naturam contingit, opponitur id, quod eſt *prater Naturam*; ſic naturali ac vivificanti fermento contra poſitum eſſe præternaturale, impetuoſum, morbificum, ac mortificans fermentum nemo inficiabitur.

51. Hoc tamen non prætereundum cenſemus, quod *fermentatio* hoſtilis ſit *univerſalis & particularis*, ſicuti etiam, *inflammationem* corporis vel *humorum ebullitionum* tam univerſalem (quæ febris eſſentiam comprehendit) quàm particularem eſſe novimus.

52. Si igitur corpus & ſanguis ſcateat impuris ſuperfluisq; humiditatibus, atque ſpiritus vitæ ſeu Archeus contra eaſdem irritetur, illisq; cum impetu repugnare atq; ex dominiô vitali propulſare aggrediatur, tumultuoſam ac concitatiorem fermentationem hinc ſuccedere ſupra jam docuimus.

53. Ut-

53. Ut vero ulteriùs hoc thema arbitrari pergamus, & fermentationis effectum evidenter commonſtremus, ſeriò dicimus *fermentantes excrementitias humiditates evadere ſpirituoſas*, ac proinde iſtam impuritatem mineram *ſpirituoſas fuligines ſeu excrementitios & peſſimi characteris*, reverâ omninò ardentes, *ſpiritus* confertim exhalare, ac per totum Corporis ambitum hinc diſpenſari adeoque tam *ſpiritus noſtros*, quibus infeſtisſimi ſunt, quàm *partes hos continentes* impenſè ſic ab illis accendi atque inflammari; unde tota maſſa ſanguinea inordinatisſimo poſtmodum motu fluctuat, ebullit, atque impetuoſo magnoque igne, tanquàm intemperantius epotô ſpiritu Vini, ita exæſtuat, ut propterea tamdiu univerſa corporis noſtri fabrica inſigniter flagret, ac cœca caligine involvatur, faucibus ingens fumus evomatur, mens & ratio gravisſimè obtenebrentur, facultates principes veluti inebrientur miſeriſque modis confundantur (*Deliriorum cunas* hîc attendat Lector) & quæ ſunt aliæ horridi hujus certaminis ac furibundæ fermentationis circumſtantiæ, donec materia corrupta & effera fermentatione ſæviens præcipitetur, evincatur, expellatur: Hôc enim triumphô à Natura ſeu facultate impetratô pacata poſtmodum fiunt omnia, ac redeunt vires priſtinæ, quæ antea ab adverſario ſuo quaſi abſtractæ erant & abjuratæ.

54. Infallibili igitur ratiociniô ſic demonſtratum eſſe ducimus, quid ſit ebullitio ſeu efferveſcentia ſanguinis, & unde illa procedat; item quid ſit irritata facultas, & quænam vera febris ſeu febrilis flammæ (quam Hebræi prunam ſeu carbonem ardentem, Hippocrates verò ignem magnum ſonticumque appellarunt) ratio, quæ tamen ſingula cum ad inducendam *morbillorum luem* non ſufficiant, inquirendum nunc ſe offert, *quid ſit ſingularis illa ſanguinis efferveſcentia*, qua vigente tam uberi proventu *puſtulæ* effloreſcunt, & non tantùm univerſam *cutis* ſuperficiem aut circumferentiam occupant, verùm etiam horum exanthematum ſordes *partium viſcerumq; internorum membranas ſeu tunicas* conſimili copia obſidere hac labe infectorum *cadaverum diſſectiones* tota die conteſtabuntur.

55. Quid ſentiamus, fideliter expromere lubet. Nempe per *peculiarem illam ſanguinis ebullitionem* ſeu efferveſcentiam, qua Facultas ſive *Archeus* concitatur ſeu irritatur, intelligimus *excellentiorem putredinem* ſeu malignisſimum eximiæ corruptionis fermentum, quod *Kircherus* animatum ac tota ſubſtantia ſua vitæ noſtræ infenſisſimum conceptis verbis aſſerit, ut ita *morbillos*, ut pote ab infami hac putredine ſcaturiginem ſuam adipiſcentes eſſe *animatam ac innumerorum minutiſſimorumq; vel atomorum ad inſtar inſenſibilium vermiculorum pullulaginem* aſtruere non trepidemus.

56. Quis enim dubitabit ex *animatâ ac verminoſa hâc putredine* per incendium malignantis fermenti (quod individuô ac neceſſariô conſortiô cum graviori putredine ſeu corruptione combinari ſemper ſolet) ejusque impulſum *animatas quoq; exhalationes ſeu verminoſa miaſmata* vel effluvia confeſtim elevari, &

per

per omnia corporis humani climata, præſertim verò ad viſcerum partiumque peripheriam atque ſuperficiem ἀτρόως diſpergi atque deferri, id quod armatus cryſtallinô auxiliô ſeu *ſmicroſcopiô* oculus adeoque oculatiſſima experientia ſeu fides, quæ, *quod videt, credere jubet*, indubitata certitudine confirmare poterit, veluti *Celeberrimus Kircherus in Scrutinio ſuô* exemplis tam ex vegetativæ quàm ſenſitivæ Naturæ regno deductis uberrimè id demonſtravit. Qualis ergò ſeges, talis & exſpectanda meſſis.

57. Imò & mihi aliquoties iteratô experimentô conſtat, *ſanguinem* corruptum ex naribus, nec non humorem putridum apertis puſtulis exſtillantem ac promanantem, item *excrementa alvi* per ſymptomaticam diarrhœam, quæ ægri exterminium plerumque tunc portendit, egeſta in iis, qui *morbillis* affliguntur, verminoſa progenie, quam tamen, niſi *ſmicroſcopii* arcanum adhibeatur, neutiquam conſpicere licet, confertim ſcatere, utut ἄπιστον non paucis hoc videatur, quos, ut veritatem profundiùs inpoſterum quoque explorare ſatagant, amicè monemus, & propterea ad *experimentalem phyſicam* quam miranda utique ac ſtupenda detegere deprehendent, officiosè remittimus.

58. Suprà ediximus honô fine *Naturam morbos parere*, & acerrimam contra vitioſos humores luctam inſtituere, ut eosdem expugnare ac removere ſic poſſit: Sic *verminoſam hanc putredinem* moliri pariter non ſine intentionis benignitate videtur *Natura*, dum cauſam morbificam & pesſimi moris excrementa alis ac pedibus veluti inſtruere ſic tentat, quò citiùs aufugere illa & ex viridario vitæ extirpari queant; (es machet die Natur der Kranckheit gleichſam Flügel und Füſſe/ damit ſie deſto eylfertiger in die Flucht zubringen ſeyn möchte/) licet ob enormem hanc putredinem *Natura ſeu Archeus* periculoſisſimam utique luctam inire, atque non raro victas manus morbo ſupponere cogatur.

59. Verum ut clarius adhuc pateat *morbillorum iſta imago*, his inſuper coloribus uti præſtabit: Sunt ergò *puſtulæ ſeu ſordidæ iſtæ papulæ* nil profectò aliud, quàm *verminoſorum effluviorum conceptacula ac hoſpitia*, quorum monticuli ſeu tubercula quomodo intumeſcant & attollantur, præclarô, ni fallimur, exemplô jam exponemus.

60. *Urticam Benevolo Lectori* oſtendentes quâ credulitatis vanitate circa plantæ iſtius naturam ſibi quàm plurimi adhucusque blandiantur, ſole meridianô clarius, quum ſudum eſt, exhibebimus.

61. In omnium veluti ore eſt, herbam hanc obtinere talem vim effectisſimè urendi ſive cauſticam, ita ut contactu ſuo ſive fricatu deſubitò veſiculas ac tubercula in cute concitare valeat, non ſecus ac per ignem actualem id fieri animadvertimus. Unde etiam juxta *Iſidorum urtica* vocata creditur, quod tactus ejus, quæ igneæ omninò naturæ ſtatuitur, corporis partes acriter adurat, ac perurendo dolorificam pruriginem concitet: Sic etiam *Macer:* Nec

Nec immeritò nomen ſumſiſſe videtur,
Tacta quod exurat digitos urtica tenentis.

62. Verum enim verò ſi ſubſtantiam hujus plantæ paulò penitiùs arbitrari, & ex virtute ejus qualitatem æſtimare, prætereaque ad *microſcopii* aciem examinare non pigeat, longè aliter cum *urticâ* comparatum eſſe intentionis noſtræ fautores nobiſcum vel ſponte profitebuntur.

63. Perhibemus igitur cum *ſolertioribus Botanicis* hoc germen temperatiſſimè calidum eſſe, ac proinde etiam inter *ſpecifica antiphthiſica*, ubi acria & impensè calida evidenti potiùs ſunt nocumento, non ignobilem locum poſſidere: Deinde admoto *microſcopii* artificiô manifeſtò ſtatim comparebit, unde contactus herbæ illius tanti pruritus moleſtiam inferat, ac veſicandi ſeu puſtulas concitandi potentiam accipiat.

64. Videlicet in univerſa hâc herba cumprimis verò foliis ejusdem, *acuformes, imò & tricuſpides, adeoq; horridiſſimas obſervabimus ſpinas*, quibus tota *urticæ* ſuperficies abundè obſida eſt: Ideoque in apricô protinus eſt, hanc herbam nullatenus urere, ſed aculeis ſuis evidenter *pungere* (hinc appoſitè eam *maternô idiomate* dicimus Neſſel à *νύσσω*, pungo, ſicuti etiam, ſi contuſa ſit, illam pungendi vim extemplò amittit) & ex dolorificâ hâc compunctione poſtmodum aliqualem ſuboriri inflammationem vel læſæ cutis ardorem.

65. Dum enim ſpinulas ſuas non paucas per contactum cuti infixas relinquit, *Archeus* ſeu ſpiritus inſitus partis læſæ ſtatim irritatur & accenditur in conatu illô, quo ſpinas protrudere rurſum laborat, quod ipſum quùm præſtare ſine armis non poſſit, actutum ſpiritus influentes copioſiùs allicit; & ſanguis, qui horum eſt vehiculum propterea pariter uberiori affluxu accurrit *juxta notorium axioma:* Ubi dolor, ibi affluxus.

66. Ergò humores ibi collecti ſub illa *Archei indignatione* ſtatim *fermentationem* concipiunt (ſine eâ etenim, quod moleſtum ac p. n. cuti infixum eſt, eliminari non poteſt) afflictæque cutis ſuperficies elevatur, atque hinc exigui illi colles ſeu puſtulæ oriuntur, item ardoris moleſtia quoque ſuccedit, quæ ipſa quomodo per fermentationem acceleretur, *ſuperiùs* jam dilucidatum fuit; imò quantoperè febrilis æſtus adaugeatur, exaſpereturque ex particularium fermentationum, quæ in quavis puſtula contingunt, concurſu, collectu facilimum eſt.

67. Applicabimus nunc ſine morâ *hoc de urticâ ratiocinium*, & unde *morbilli* ſeu puſtulæ illæ proveniant, accenſa quaſi face fideliter ſic aperiemus. Effluvia animata & fuligines verminoſas ab exquiſita putredine tanquam animata harum matrice originem ſuam ducere ac *morbillos* progignere jam

effati ſumus, ut proinde circa planiorem cauſæ deductionem nil aliud reſtare videatur, quàm ut parumper etiam demonſtratum demus, quâ ratione illa effluvia has *puſtulas in cutis circumferentiâ allevare* queant aut ſoleant.

68. Nempè ut miaſmata illa in rei veritate eſſe minutiſſimos atque atomorum ad inſtar inviſibiles impalpabilesque (niſi *microſcopium* curioſis patrocinetur) *vermiculos* probavimus, ita & *figuram*, *quam dubio ſine cum acaris habebunt communem*, *vel alia adjuncta eorum* hîc ſusque deque habere nequaquam oportet. Ecquis autem inſecta illa non ſecus ac omnia reliqua etiam animalcula *nutrimentô* ſuô minimè carere poſſe negabit?

69. Hoc ergò firmiter ſic poſitô ſtatuimus *vermiculos illos ſeu verminoſas potiùs atomos* ſine omni dubiô inſtructas *acutiſſimis roſtellis ac multipedas inſimul eſſe*, ut ad cutaneas oras cutisque ſpiracula perductæ nutrimentum ſuum deſirantes continuò *morſicare ac pungere*, pedumque ſuorum conſimiliter acuminatis quaſi filamentis ac cuſpidibus locum affectum moleſtiùs titillare ac lancinare incipiant, unde eâdem pariter ratione, ſicuti de *urticâ* monitum fuit, ſpiritus ingenitus ſeu Archeus ad indignationem adigitur, dolorificus pruritus aut pruriginoſus dolor concitatur, & humoribus copioſè affluentibus vehementior fermentatio ſuboritur, ut poſteà cutis hinc inde intumeſcat, ac eadem horridam inæqualitatem ex puſtulis infinitis hinc emergentibus adſciſcat, dictaque *fermentatio* tamdiu perſeveret, donec verminoſa hæc miaſmata in puſtulis illis ſtabulantia, ac humore ibi concepto (quem *Galenici* ichoroſum vocant) natantia robur *Naturæ*, ſi vegeta exiſtat, penitùs annihilaverit, atque in *cadaveroſum quendam mucorem* (unde magni illius *fœtoris*, quem morbilli ad maturitatem properantes emittunt, cauſa, item ſuppurationis fundamentum commodumque pariter in conſpicuô eſt) converterit, qui poſteà vel ſponte ſiccatur atque evaneſcit.

70. Favet noſtræ intentioni *materna etiam lingua*; ſiquidem *Germani* Variolas vel morbillos die Pocken nominant, fortaſſis à Picken (*Græcis* πείκειν ſeu *pungere* ac lancinare) quia pungentem lancinantemque creant dolorem.

71. Commodiusculè itidem hic attingendam ſe ſiſtit *quæſtio*, unde poſt curatos morbillos illæ profundiùs impreſſæ *cavernulæ*, *aut cavernoſæ cicatricum veſtigia*, quam deformitatem *puellarum deliciæ* tantoperè pertimeſcunt ac deplorant, propriè determinanda veniant?

72. *Anteceſſoribus noſtris*, qui excrementorum ichoroſorum acrimoniam hanc corrodendi ac ſubſtantiam cutaneam conſumendi violentiam ſuſtinere prætendunt, contradicere nolumus; ſed hoc tantum innuimus, *verminoſis effluviis* longè rectiùs, præſertim ſi atrocior ac diuturnior ſit illa *morbillorum* ſpecies, hunc effectum attribui, quùm alioquin latiſſimè notum ſit, *vermes* etiam exſicca-

tiſſima

tiſſima exedere ligna, & foliorum amœnitatem morſu ſuô notoriè corripere: Ideoque ambigimus nulli, quod verminoſorum effluviorum turmæ cutis venuſtatem in hoc affectu arrodant, & *ſubſtantiam ejus profundè depaſcendo fœdiſſimas cicatricum foveas* poſtea relinquant.

73. Hoc animatæ putredinis fundamento & documento freti circa *cauſarum procatarcticarum* mentionem nihil hîc adjicere lubet, quoniam ut *peſtis*, ſic & conſequenter *morbillorum* (niſi quod de mitiori veneno ſeu malignitate hîc ſemper cogitandum quàm illic) *ſeminaria* ſive *contagioſæ propagationis* (morbillis enim laborantes verminoſos halitus expirare certiſſimum putamus, licet illi niſi diſpoſitum corpus inveniant, novam ſedem occupare ac figere nequeant) modum, item quâ ratione *cœleſtium influxuum* poteſtas & *aëris* inquinamenta hâc morbi fœtiditate inficere valeant, ſollicitiſſimâ jam curâ *Kircherus* deſcripſit, cujus *ſcrutinium*, ne opella hæc nimis excreſcat, conſulatur.

74. *Ad infectionis* tamen facilitatem ac *morbillorum* acceleratiorem impreſſionem requiritur *mollior humidiorq́; ac impurior corporis habitudo*, quâ quùm *infantia* cumprimis ac *pueritia* gaudeat, fit ut *morbillorum* hâc verminoſâ corruptione præ reliquis ætatibus faciliori negotiô afficiatur, inficiatur; ſicuti hoc etiam clariſſimum nobis præbet argumentum, quod teneriorem ætatem numeroſiſſimâ *pediculorum* lubricorumque prole propterea opulenter dotatam experiamur.

75. Poſſemus etiam ſuaviſſima *Arcanioris Chymiæ* mella ejusdem *cultoribus* circa animatæ hujus putredinis doctrinam nunc inſtillare, & proinde multis ornamentis iſtam illuſtrare, ſi ad ſtateram *chymicorum principiorum* (vulgarem enim trutinam averſamur) hanc *morbillorum* proximam veramque cauſam perpendere, hoc eſt, ſi percurrere velimus, quid *Mercurius*, *quid ſulphur*, *& ſal*; hoc eſt; quid *humidum radicale*, *quid calidum innatum ac ſiccum centrale*; vel ut magis explicitè nos expediamus, quid *ſpiritus*, *quid anima atq́; corpus*, ſive (ut clariùs adhuc loquamur) quid *menſtruum*, (quod etiam vehiculum ſeu pabulum ac geniale balſamum *Hermetici* vocant) quid *fermentum* vitale ac ſpermaticum (ſeu ignis & pater vitæ) & quid *fundamentum* ſeu firmamentum (quod *ſalinum corpus* præſtat) ad generationem animatæ hujus putredinis ſubminiſtrent, & quomodo huic doctrinæ ſplendidius lumen hinc ſuccreſcere poſſit, quùm res & humores etiam excrementii iisdem principiis ac reliqua mixta gaudeant, & *fœmina* (ſeu mercurialis, humida ac ſpirituoſa eorum portio) *cum maſculo* (nempè ſulphureâ, calida & animæ ſeu vivificantis fermenti vigorem ſuſtinente ſubſtantia,) arctiſſimô complexu jungi debeat, quibus commodiſſimum *thalamum* & mutui congreſſus exoptatum ſuſtentaculum ſalini corporis centrum præbet, ut *verminoſæ ſoboles* hinc concipi ac produci queat.

 76. Ve-

76. Verùm, quùm affectus ſemel promiſſæ brevitatis jam prævaleat, & præterea noſtri fermè ingenii captum hoc *excelſiſſimæ Philoſophiæ* pondus excedat, ſapientioribus non immeritò hîc locum cedimus, ad *morbillorum ſigna ac curationem* nunc protinus digredientes.

77. *Signorum* conſiderationi prolixè non inhærebimus, ſed circa *diagnoſtica* morbillorum imminentium (præſentes enim aſpectu cognoſcuntur ſtatim) ac *prognoſtica* Artis filios in genere hortamur, ut prudenter & cautiſſimè olim hîc agere meminerint: Quum enim utraque (*præcipuè tamen prognoſis*) non rarò ſint fallacia, ſilere ac ſciſcitantium deſideria paulisper ſuſpendere præſtabit, quàm eventus certitudinem incaſſum præpoſtereque pollicendo pudefieri, ac nominis ſui vel potiùs gratioſæ artis exiſtimationem proſtituere.

78. Non placent proinde illi nobis *Medici*, qui propter falsò conceptum ſingularis in præſagiendo & curando dexteritatis phantaſma, & qui ſunt alii inſulſæ philautiæ lemures, *Æſculapii* fratres & ad invidiam usque felices ſe ſalutari patiuntur, quum tamen hujus felicitatis ſpecimina quotidiè tumulo efferantur, & cum veſpillonum applauſu æternæ oblivioni commendentur.

79. Quod ergò *Diagnoſtica* ſpectat, de iis nil certi definire hîc volumus, ſiquidem pleraque aliis etiam morbis ſint communia, *conjunctim* tamen ſi attendantur, & omnia illa, quorum phalanges *de Republ. Medicâ meritiſſimus Sennertus* obſervatô ordine ſtudioſè adduxit, *qui propterea videatur*, ſi concurrant, certitudo vel potiùs urgens quædam ſuſpicio *affuturorum morbillorum*, cumprimis ſi *epidemii* tunc ſint, ſique conſequentibus diebus conſpicuè augeantur, exaſperenturque, atque ſi invicem umbræ quædam ſeu *prima rudimenta macularum* licet adhuc obſcurè rubentium ſparſim in cute apparentium advertantur, circumſpectè tamen concipi poterit.

80. Præter capitis gravitatem & oculorum ardorem, narium ac faucium præcordiorumque, imò totius corporis ferventem quendam puritum, præcipuè tuſſis ſicca atque inanis ſpirandi difficultas, item dolor quaſi à luxatione vertebrarum aut nephritide oriundus in dorsô ac lumbis, als wenn ihm einer wehe gethan hätte / (qui dubio procul à morbificô ac impetuoſam flatulentiam pariente fermento circa primas vias, ac meſenterii viſcerumque naturalium ditiones tunc oboriri, & ad vaſa majora paulatim transire incipiente provenit) tandemque laſſitudo ſpontanea obſervari ſolent.

81. Ubi quoque notandum addimus, tam *perſonatas* ſæpiùs eſſe *morbillorum inſtantium* circumſtantias, ut non rarò *Medicos* alioquin prudentiſſimo hinc deceptos conſtet. Nec mirum: quùm enim *Malignitas* inſidioſo ac furtivo planè greſſu plerumque inſultus ſuos perpetrare & inopinatò invadere ſoleat,

morbilli

morbilli verò *cum eâ* quaſi ordinariè atque ut plurimum ſint conjugati, (qui enim malignitate carent, levioris ſunt momenti & facilimæ omninò curationis) ſequitur, quod *morbillorum* etiam *malignitas* perniciosæ fraudis retia ſtruere atque ex improviſo irruere, hoc eſt, velut fulmine quodam ac ſubitanea tyrannide virtutem vitalem ſeu vires graviter proſternere conſueverit.

82. Morbillos, ut *prognoſtica* nunc etiam tangamus, ad morborum *acutorum* pertinere familiam, utpote qui plerumque intra diem 14. terminari ſolent, apud omnes in confeſſo eſt. Sicuti verò *acutos morbos ancipitem habere exitum* ex fundamentis medicis novimus, ita cum morbillis quoque comparatum eſſe fida illa rerum Magiſtra teſtatur. Quandoque enim in ſalutis deſiderium finiuntur, non raro etiam vitalia rumpunt ac cœmeteria ſaginant.

83. Sed *læta præſagia* præmittere, *triſtia* ſubjicere arridet. Non ſtatim autem contremiſcere Medicum oportet, ſi videat *ante morbillorum* eruptionem *epilepticas* adeſſe *convulſiones*, quum vel nobis toties compertum quoque fuerit, mox expulſis puſtulis deſubitò ac ſponte dictas convulſiones evanuiſſe, neque has poſteà rediiſſe ampliùs.

84. Securius tamen *boni ac ſalutari eventui* ſpes ſuas donare Medicus poterit, *ſi* expulſionem morbillorum *citò* expediat Natura, cujus robur pariterque materiæ peccantis obſequioſa manſuetudo hinc confirmari poteſt; *ſi inſuper* puſtulis jam vigentibus febris & ſymptomata cuncta evidenter ac perſeveranter remittant; *ſi præterea* papulæ illæ non nihil albicando rubeant, cum rotunda mollitie emineant, atque ſi disjunctæ loca cumprimis ignobiliora occupent. Hæ enim ſine magnâ ægrotantis moleſtia celeriorem maturationem ac proinde decidendi facilitatem vel ſponte admittunt. *Tandem* hilare nuntium præbet morbi ſtatim principiô ſanguis è naribus largiori effluviô promanans: unde pauciorum exanthematum eruptio, & ab hoc malô liberandi promtitudo ſubſumi poterit.

85. *Ex adverſo* autem contumacem Malignitatis ferociam & extremam virium proſtrationem deſignant, atque propterea cladem omninò prænunciant, *ſi* una ſaltem vel paucæ ſanguinis guttæ ex naribus ſtillent; *ſi* puſtulæ tardiùs ac difficilimè erumpant; *ſi ſublividæ ac nigricantes*; *ſi* duræ ac verrucis conſimiles, *ſi* depreſſæ ſint, ac *foveas*, (peſſimum enim ſignum eſt, ſi in principio vel incremento morbillorum fermentatio illa ceſſet, quô denotatur, Naturam fugientem & ſuppreſſam hoſtili malignitati ſtationem derelictam jam tradidiſſe) vel etiam nigram maculam in medio ſui oſtendant; *ſi* contiguæ aut conjunctæ exiſtant, hoc eſt, ſi confluant atque *unam veluti cruſtam* conſtituant, præſertim verò ſi ſubitò evaneſcant iterum ac retrogradæ fiant; *porrò* ſi ſymptomatum ſævitia

N 3 perma-

permaneat vel augeatur etiam, *ſi* alvi profluvium, & raucedo his conſocietur, *ſiq;* delirium, ſi frequentius animi deliquium, pectoriſque anguſtia ſumma urgeat, & quæ ſunt alii nigri calculi atque cadaver petitura auſpicia.

86. Res quoque *deſperata* atque occiſa tunc nunciatur, ſi *manuum cutem aſſiduus mador* ſiccis tamen bracchiis occupet, (niſi fortè madidas has manus in ſtatu etiam ſanitatis habere æger conſueverit) ſi exploratô pulſu confinis ejusdem regio *nervos* ibidem ſitos junctim trementes & aſſiduam concuſſuram patientes ad contactum exhibeat; & verendiſſimum denique ſymptoma ſeu exterminii inſtantis ſignum eſt *ſonitus ille*, qui mirum in modum percipitur *in bibendo*, quô *Epiphanius Ferdinandus* nil unquam lethalius ſe in praxi animadvertiſſe dicit: Notatur enim ſic cum prolapſis reliquis facultatibus cunctis attractricem quoque abolitam eſſe, ut ita potus non attrahatur ampliùs, ſed pondere ſuô delabatur.

87. Arduum *morbillis decenter medendi dum* accedimus negotium; in mentem nobis venit illud pectoris ſcrinio altiùs infigendum *effatum*: Ὁ ἄριςα γνὺς, ἄριςα θεραπέυει; *quò quis melior ſagaciorq; in cognitione* (tàm morbi eſſentiæ, quàm proximæ ejus cauſæ) *eò felicior etiam in curatione erit.*

88. Poſtquam ergò quid *morbillorum eſſentiam* conſtituat, quid *verminoſa* illa *miaſmata* ab eximia & animata putredine ac maligno ebullitionis fermento oriunda ſint, & in quô tandem *malignitatis centrum* ſeu natura conſiſtat (unum etenim horum qui norit, omnia profectò exactiſſimè noverit) ad normam *celſioris Philoſophiæ* ſollicitis articulis computaverimus atque cognoverimus, ad ſcopum deſideratæ *curationis* pervenire nos fortunatiore quam olim ſucceſſu poſſe non deſperamus.

89. Quùm itaque *ibi incipiat medicina, ubi Natura deſinat* vel deficiat aut in ſufficientem ſe ſiſtat, accuratè omninò inſpiciendi ac imitandi erunt *Naturæ conatus* ac molimina, aut auxiliari manu Medicus eadem prudenti ſollicitudine promoveat atque continuet; quùm *inter Naturam & artificem* arctiſſimus debeat eſſe conſenſus.

90. Ante omnia igitur probè advertamus, *naturam* (quæ ſola eſt artis informatrix) *naturâ lætari*, & naturam continere naturam, eamque ſibi ſimilem amplecti ac viciniorem: *Naturam* in ſuis metis gaudere, ſuisque delectari menſuris, in alienis verò conſumi, confundi, ſuffocari.

91. Dicteriis hisce præmiſſis, ut ad *præſidiorum fontes* ſtatim deſcendamus, liquidò utique comparet, quid de *Venæſectione ac purgatione* in *Morbillis* ſit ſtatuendum, num utraque locum hîc inveníre, & pro averruncandis morbillis proficuas meditationes ſuggerere poſſit.

91. E veſtigio ſtatim *veritati*, cujus vim igneam ſupprimere non licet, litamus, & neutram hîc penitùs convenire ſeriò aſſerimus, ſequentibus rationum fulcimentis edictum hoc noſtrum ſtabilientes.

93. Abominamur autem *venæſectionem* (niſi quis eam in adultis à Morbillorum contagioſâ tabe *præſervandi gratiâ* adhibere amet, cui etiam nullâ tunc contradictione obſtabimus) tunc omnibus modis, tam quod *tenerioribus annis* Noſtratum nemine diſſentiente hoc præſidii genus planè non competat, quàm quod inſtante vel jam præſente tanto corporis tumultu officioſa arma (*ſanguis* enim limpidiſſimum vitæ eſt armamentarium ſpiritus injuriarum vindices adamantinô veluti vinculô nexos comprehendens) afflictæ vel mox graviter affligendæ atque ad ineundum hoc conflictus periculum obligatæ *Naturæ* nullô modô ſubtrahenda cenſeamus.

94. Opponi hîc nobis ſalutaris eventus illud *prognoſticum*, quod ab *hæmorrhagiâ narium* decenter larga deſumitur, ſubaudimus, cui additur fortè *Naturam ab arte* juvandam. Verùm noſtra quidem mente *duo quum faciunt idem non eſt idem*, nec quod *Principi* licitum eſt, *miniſtro* tentare protinùs conceditur. An neſcitis Regibus eſſe, haud miniſtris longas potentesque manus? Admirandas ſanè ſemitas ſibi præparat *Natura*, quas *Medicus* invenire non poteſt.

95. *Maledictam* ergò *in morbis acutis Venæſectionem* eſſe, & ad crudelia virium imminuendarum dogmata tunc recenſendam cum *Helmontiô* non negamus, ſiquidem ſic *exarmatâ Naturâ* morbilli ad ambitum corporis tendentes interiora confeſtim repetunt, & ad *vitalia*, quorum fatalis ruina hinc inſtat, revocantur: Imò ita evacuatis quodammodo per *venæſectionem* vaſis ex nido verminoſi fomitis, qui potiſſimum circa primas vias ac viſcerum naturalium veſtibula ſtabulatur, *ſanguinis* hoc *latrocinium* reſarcitur, atque ſic hoſtilia caſtra ad ipſam *vitæ officinam* ferali conſiliô transferuntur.

96. Sed aliquando benè ſucceſſiſſe *phlebotomiam* regeritur! Hoc potius temerariæ *fortunæ* quàm *rationi* tribuendum, atque inter prodigia rectiùs referendum reſpondemus, ſicuti quæ *rara* ſunt, *artis non ſint*, nec ad eam pertineant.

97. *Purgantibus*, *Laxativis*, ac *ſuppoſitoriis*, imò & *clyſteribus* blandè alvum lenientibus ſeu eluentibus (niſi quis pariter *ſtudio præcavendi* ubi ipſum etiam *nobile Fabri emeticum*, quod *pharmacum pro Regibus ac principibus* is vocat, fructuosè adhibebitur, ea diſcupiat commendata, in quô nec nos habebit refragantes) omnimodò in hoc affectu abſtinendum ratione ſic jubente dictitamus. Quantam humores trahendi & attrahendi vim habeant *Cathartica*, & quantopere vires generoſo hoc medendi genere dejiciantur, vel qui primis labris deguſtavit *Artis* præcepta, cognitiſſimum habet.

98. Ideo-

98. Ideoque quod, præſertim ſi ob *malignitatis* crimen id famoſum ſit, *Natura* per *poros* expellere geſtit ac laborat, hoc aliorſum ſive per *alvum* ducere atque à circumferentiâ ad vitæ centrum reducere nullâ ratione *cordatus Medicus* debet. Sic namque ſtatim *motus vel conatus Naturæ* turbatur, eademque tunc anxiè occupata evidenter diſtrahitur, ejusque præcipuum robur perperam ab hoſte divertitur, atque ad inferiora prolicitur, quô factô *malignitatis furor* ubertim per magnetiſmum quaſi retractis ad penetralia puſtulis, non tantùm interiorem nobilium viſcerum œconomiam invadit, verùm ipſum etiam *vitæ caſtellum* funeſtò protinùs cum impetu occupat, illudque vehementer conſtringendo ac ſuffocando funditùs tandem demolitur.

99. Sed quid ſi *alvus* ſit *adſtrictior* & ſuppreſſio ejusdem contumaciùs perſiſtat? Hîc audimus plerosque conſuadere, ut ad *emollientia* ſaltim *enemata*, & quæ *abſtergendi* virtute pollent, refugiatur, ne per obſtructionem & hinc aſcendentes fuligines febrilis ac fermentans ardor majora incrementa capeſſat. Verùm enimverò, qui *alvi fluxum* in morbillis contingentem tam intempeſtivum, quàm exitialem agnoſcunt, quod corruptæ materiæ per omnia corporis ſpatia liberè vagantis, & Naturæ jam ſuccumbentis vel ita obrutæ, ut nil ampliùs agere poſſit, indubitatum præbeat indicium, illi ne minimo quidem ſtimulô ſollicitare alvum ac *Naturam* tunc prudentiſſimè operantem temerè confundere, tanquam ad tribunal conſcientiæ conſtituti religionem utique ducent.

100. Nos etenim funeſta quædam *exempla* (ut evidentiſſimas rationes taceamus) jam olim & ante hanc luſtrorum trigam nobis nota adhuc usque abſterrent, dum *clyſteres ex juſculis carnium* duntaxat *cum nitrô* ſalitis paratos triſtis eventu alvi aſtrictæ fores aperuiſſe, utut egregia & probatiſſima juxtim porrigerentur *Bezoardica*, reminiſcimur.

101. Succurrit etiam hoc ipſo *memorabilis* ſanè *hiſtoria*, quam ſilentio præterire haut debemus. Triennium eſt & quod excurrit, quùm *Virgo*, quæ ætatis annum vigeſimum ſextum confecerat, *variolis* jam decenter erumpentibus curæ meæ ſe concrederet, quam etiam eâ qua par eſt ſolertiâ ſuſcepi, & adhibitis ſtudioſè *Bezoardicis*, *Expellentibus & Analepticis* tantum profeci, ut *ſymptomatum* impetu paulò poſt conſtanter levatô indiesque magis deſinente, ſicut nec minùs *morbillis* ad maturitatis votum perductis *decimum quintum morbi diem*, ubi virgo, tunc non niſi de pulchritudine recuperandâ ſollicita, undique & jam ab undecimo die conſtanter ſe rectè habebat, conſequuti eſſemus.

102. Verùm quum alvus adhuc aſtricta *naſutulæ* cuidam inter adſtantes diſpliceret, ut eam tandem *laxare* recordarer inſolenter me commonefacere non erubuit, cui ego huic deſiderio vel imperio potiùs parendi opportunitatem nondum adveniſſe, præſertim quòd ægra exinde nullam planè moleſtiam perſen-

perſentiſceret, craſtino autem quid impoſterum quoque faciundum, me proſpecturum reſpondi, jubens, ut *patienti* interim præſcriptum *bezoardicum* ac *præcipitans* remedium (quæ enim conſtanter prodeſſe experimur, ea iterata magis magisque adhuc profutura indubitatum eſt) porrigere potiùs continuarent.

103. Sequenti diluculô reviſurus *clientem* meam cum *ſcriniariô* ſarcophagum paraturô me concurrentem deprehendebam; quâ ſubitaneâ metamorphoſi ingens quantum obſtupefactus non potui non ſeverâ ſciſcitatione hujus tam improviſi portenti explorare cauſam, quam ex mulierculis illis una (nam reliquarum turba animô ac vultu perturbatiſſima ceu ſaxea moles hærebat) candidè mihi aperiens inquiebat: Factum ſanè cum cordoliô jam deploramus quod toties morte pejus vitandum monuiſti: Ecce enim heſternô veſpere poſtquam diſceſſeras ſub dominiô *præſidis* noſtræ adhibitô *ſuppoſitoriô & hinc ſolutâ alvo* ſtupenda protinùs virium reſolutio, mox loquelæ ſenſuumque omnium amiſſio ſucceſſit, atque cum puſtulis ipſa tandem ante bihorium vita diſparuit, ut ita virginem, alioquin in limine ſanitatis priſtinæ conſtitutam, officiosè, ſi Diis placet, necaverimus.

104. Conſimilem planè tragœdiam nobis recenſuit Celeberrimus Chymiater, D. D. *Johannes Michaëlis*, Decanus noſter Ampliſſ. ac Collega meus conjunctiſſimus, dum temeritas *Empyrici* Illuſtriſſimam puellam *clyſtere*, utut etiam ſeriò *prælaudatus Vir* diſſuaſerat pernicioſam hanc medendi in *Variolis* rationem, tanquam enſe jugulavit.

105. In hanc notabilium *exemplorum* veritatem tanquam lucidiſſimum ſpeculum intueantur illi, qui citra alvi ſubductionem nullam abſolvi poſſe curationem, ſuperſtitiosâ vanitate ſibi perſuadent.

106. Quid ergò tunc præſtandum inſtabunt de *apertâ alvô* tantoperè & quaſi unicè ſolliciti, quos in arte ſpagyricâ potens *Poterius* ſtercorarios ſalvô honore, propterea nuncupat? Ad *Naturam* eos ablegamus, quæ vim ſuam, ſi *unita* ſit, fortiorem pariter ac in expugnando hoſte feliciorem eſſe deſubitò dictitabit. Quis enim tam abſurdus, ut *diaphoretica & purgantia* unô & eodem tempore, ſub certæ indicationis vigore, mixtim uſurpanda præcipiat. Quod itaque *provida Natura* per poros ac ſuperficiem cutis expellere geſtit, id nullâ ratione per alvum educere conveniet.

107. Omnibus modis proinde illorum applaudimus prudentiæ, qui *adſtringentia cum Bezoardicis ac ſudorificis* (certum namque eſt, quod Natura ad *ſudores* auſpicatò exprimendos provocandosque coarctet, & conſtringat corporis noſtri meatus, veluti expreſſio ſuccorum arte facta id nos ſufficienter docet,) ſtudiosè commiſcenda, & ſic ægrorum ſaluti in hoc caſu proſpiciendum

monent: Quod ipſum etiam ut deſideratiſſimus Socer meus, Chymiater apud Egranos & Cygneos famigeratiſſimus, *D. D. Paulus Macaſius*, cujus memoria ſit in benedictione, in curandis *variolis* ſibi commendatiſſimum ſemper habuit, ita mihi quoque ſolemniter conſuetum eſt, cum *pulveribus ſtipticis* (quoniam hi fortiùs omninò adſtringunt, quàm *liquida*, quæ, cùm in formâ *ſyrupi* plerumque præparata conſiſtant, & proinde fermentandi ſuſpicionem habeant, conſultò tunc negligimus) iisq; itidẽ non vulgaribus, ſed peculiari virtute generoſis, (quales ſunt *ſpecificum noſtrum ſtipticum, & pulvis magneticus noſter,*) nobiliora *Bezoardica* jungere, atq; ſic conatibus Naturæ ſagaciſſimis obſequioſô cultu velificari.

108. Hâc occaſione velut obiter notare queunt *Technophili* noſtri, quid *Chymiæ primatibus* ſit *naturaliſſimum*; nempè quando *naturæ* benigna conſilia & auxilia, an potius Magnalia preſſis veſtigiis Ejus ſequuntur *Myſtæ*, nihil omninò perpetrantes, quod *almæ matri* noxium contrariumque, & nihil pariliter omittentes, quod proficuum ipſi & acceptiſſimum evenire queat.

109. Ne verò (progrediendum nobis & ad *finem* feſtinandum perſentiſcimus) quiſpiam hîc expectet *magnum prolixumq; medicamentorum horumq; formularum catalogum*, dum quâ ratione *Variolas* vel *Morbillos* exſtirpare hactenus uſu nobis venerit, verbis ad compendium coadditis recenſere decrevimus. Sciant doctrinæ filii, quibus repugnare venerandis *Naturæ* ſceptris religio eſſe debet, Naturam & hîc quoque (i. e. in medendo) paucis eſſe contentam, modò verô & deſideratô opitulandi mediô ipſi citra ambages occurratur.

110. *Simplex* utique & *unica* eſt *Natura*; ideoque etiam *ſimplicitas* veræ Medicinæ tutiſſimum & unicum eſt ſigillum. Ergò talia *medicamenta* laudari tandem merebuntur, quæ ſub uniſonâ puritate ſunt Naturæ gratiſſima, atque ad ſymbolum *unitatis & ſimplicitatis* adſcendentia. Niſi enim medicamen homogeneum ſit, à corruptione illud immune eſſe ac immortalitatis privilegio condecorari, adeoq; ad ſcopum fortunatò curandi (quæ enim corruptioni ipſamet obnoxia ſunt, quomodo corruptioni reſiſtent eamque evincent?) accommodari non poteſt.

111. Sed *Morbillorum curam* nobis uſitatam paucis annectimus; Circa quam ſtatim animadvertendum eſt, in principiô, ubi *morbillorum* prima elementa nondum comparent, haud protinùs ad *Expellentia* dilabendum, ſed Naturę conatum ita expectandum, ut interim porrigamus talia, quæ non tantum primordia *morbifici fermenti* aut *ebullitionis* compeſcere ac mitigare, (quid ſit refrigerare hinc intelligere licebit) verùm etiam quæ corruptionis animatæ ſeminium, antequam ad incrementum perveniat, extinguere, & in primâ *quod dicitur* herbâ *malignitatis* hoc germen reſcindere queunt; quô diligenter obſervatô, *morbillorum* inſultus non raro penitùs avertitur, aut morbus ſaltim benignior ſanatuque facilior evadit.

112. Quan-

112. Quando autem morbilli erumpere, & gemmarum primitias oſtendere jam incipiunt, tunc Natura manibus Medici ritè & ſecundùm ejus leges auxiliantibus valdoperè gaudebit, atque propterea *Bezoardica*, *Sudorifica*, & quæ verminoſæ proſapiæ ſingulariter infeſta ſunt, unà cum refectivis lætabundo complexu accipiet: quorum medicaminum uſus tamdiu continuandus, donec bonâ fide *morbillos* exareſcere atque decidere conſpiciamus: Ubi poſtmodum ad ea, quæ ſanguinis maſſam mundificant (hæc tutò etiam in ipſo *morbillorum vigore*, quod putredini effectiſſimè reſiſtant, adhibentur) ac denique ad *clyſteres* & *pharmaca purgantia*, ut iis *minera* morbi tunc mortificata vel *cineres* ejus, ne reviviſcere poſſint, (habent enim vim attrahendi quasvis impuritates, atque his ipſis denuò ſe animandi armandique verè *magneticam*) penitùs penitusque averruncentur.

113. Nomina medicamentorum hæc ſunt, quæ Vulcanô meô parata, & *Doctrinæ filiis*, qui horum arcanorum poſſeſſione dignos ſe præſtabunt, ſuô tempore communicanda in promtu habeo: *Pulvis admirabilis, Magiſterium magnum, Pulvis & Magiſterium renovationis*, *Pulvis & Magiſterium meum analepticum ſeu Roboris, Margarita bezoardica. Nitrum ſolare, Sudorificum maximum Fabri, Mercurius vitæ diaphoreticus, Antimonium diaphoreticum ſolare & lunare*, *Bezoardicum Regale*; *ac Tinctura Bezoardica Ampliſſ. D.D. Michaëlis*, quibus cumprimis tamen ea jungenda, quæ *corruptioni animatæ* (obiter hîc advertatur, quod omnia illa, quæ *putredini ac corruptioni* excellenter reſiſtunt, aut à *carie* potenter præſervant, *vermibus* etiam neceſſariò inimica & feralia eſſe debent, quod ex *pollincturâ cadaverum* & muniendis *mumiis* præclariſſimè liquet) præſentiſſimum excidium inferunt, nempè *pulvis balſamicus. Eſſentia Tartari duplicata & ex totô facta, Tinctura ſalutis*, omnesque *eſſentiæ balſamicæ* ex *Reſinis lacrimisq; parata*, & *potio ſeu Nectar Panchreſtum*, quod ad inſtar omnium eſſe poteſt, utpote ſingulis egregiè ſatisfaciens indicationibus. Ex *Refectivis* denique ac *Corroborantibus ſanguinemq; depurantibus* (*Helmontius ſaponaria* medicamenta vocat, quòd peregrinam impuritatum ſocietatem funditus demant, & quicquid ſordium alicubi congeſtum eſt, effectiſſimè reſolvant, *ſaponisq;* ad inſtar inpactiſſimas etiam ſordes in vaſis abſtergant) nominamus *Tincturas Coralliorum, Antimonii, Granatorum, Rubinor. gemm. veras, Eſſentiam Talci, ſpiritum ſulpharis Vitrioli ſeu cephalicum noſtrum*, &c. quibus remediis ſolis *ego cum Hauptmanno MEO* morbillos licet malignisſimos adjuvante Divinâ gratiâ hactenus ex ſententia (abſit omnis jactantiæ faſtus, qui à noſtrô candore alienisſimus) profligavimus.

114. Atque ut ſeneſcendo plura addiſcimus, & meliora continuatis laboribus ſuccreſcunt, ita ante hoc trimeſtre *Eſſentia verè benedicti valoris* nobis innotuit, cujus beneficiô *verminoſam corruptionem*, ac proinde *morbillos*, in principio

ſtatim & quando adhuc in fieri ſunt, ita ut ad incrementum ac vigorem ſeu ſtatum poſteà pervenire nequeant, ſupprimi & præmaturos adhuc ex imis fundis ſubverti impoſterum poſſe, non immeritò concluſimus.

115. En *obſervationem* notatu digniſſimam: Virgo majorennis per contagium forte fortuna hôc malô afficiebatur, in quâ ſymptomata *morbillis* conſueta propemodum cuncta jam ingruere, atque macularum ruborem undique præſertim verò per totam faciei collique ſuperficiem efflorеſcere, & paulatim intumeſcere deprehendebam: Quum itaque mihi conſtaret *recens inventi medicamenti* energiam vermibus inprimis vehementiſſimè infeſtam eſſe, de hâc *eſſentia ad 50. guttas* certiſſimâ ſpe fretus fore, ut ſic omnis diſcriminis gravitas (quam alioquin incurrere neceſſum habuiſſet *ægra*, quia *ſucci plenior* atque proinde ad concipiendam excellentis corruptionis malignitatem aptiſſima erat) in tempore declinari poſſet, exhibui. Quid factum? Expectationi reſpondit ſanè eventus: Paulò poſt enim & vix elapsô unius horæ ſpatiô ſymptomata ſingula unà cum puſtulis omnibus ita evanuerant, ut ne veſtigium tam morbillorum, quàm ipſius etiam morbi ampliùs tam adſtantes cerneret, quàm ipſa etiam virgo perſentiſceret, quæ adhuc usque floridam valetudinem agit.

116. Sed ſingularem hujus Medicinæ efficaciam impoſterum alia *curationum exempla* confirmare poterunt, quæ ut in *arte noſtrâ* plurimum omninò ſunt momenti, ita etiam à nobis tam ſtudiosè notabuntur, quàm *Benevolo Lectori* fideliter communicabuntur.

117. Hîc etiam aliquid addendum nunc eſſet, quomodo *oculi ac nares* à *morbillis* muniendi, verùm tribus dixiſſe ac indicaſſe ſat eſto, unicô *Gas ſulphuris* vel *aquâ balſamica* lege Hermetici artificii ex *myrrha ſulphureq;* paratâ hanc ſollicitudinem placari poſſe. *Nævos* verò, quos *morbillorum hoſtilitas* relinquit, ſiccô pede prætermimus, ſiquidem illi (ut & *oculorum nariumq; læſio*) pertimeſcendi non veniant, modò *verminoſæ corruptionis*, quæ profundiùs cutaneam ſubſtantiam exedendo *foveas has* ut ſupra jam monuimus, alioquin imprimere ſolet, internecio quàm fieri citiſſimè poterit, acceleretur.

118. Sed ſufficiat ad portum hic angulus, in quem nos eâ conditione jam recipimus, ut plura interim circa nobiliſſimum hoc thema meditemur, aliô tempore argumentis in oculos incurrentibus adeoque luculentiſſimis, BONO CUM DEO, demonſtraturi, aurâ vulgari ac populari judiciô à veritate nihil eſſe remotius.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I.

ANimatæ corruptionis effluviorumque verminoſorum magna eſt diſtinctio. Ut enim in *Macrocoſmo* conſpicimus *vermes* ſeu *inſecta* aliis alia eſſe magis aut minùs venenata, imò etiam planè innocua, licet moleſta; ſic pariliter in *Microcoſmo* pro *putredinis* diverſitate comparatum eſſe non dubitamus.

2. Decoctum lentium lentiſſimum morbillos curandi remedium. Imò cum *fæculentum* ſit ac nimium rude hoc medicamen, augere potiùs id *fermentationem* ac *corruptionem* morborum genitricem exiſtimamus.

3. Semina illa, quæ vulgò morbillorum eruptionem facilitare creduntur, non rarò cum pernicie funeſtâ exhibentur. Notum autem eſt, quod *ſeminum* confuſio niſi accurata adhibeatur inſpectio, facilimè fieri poſſit. Sic nobis compertum eſt, cum *Semine aquilegiæ*, *raparum*, *perſicariæ*, &c. quæ tanquam *appropriata* contra hoc malum deprædicantur, commixtum quoque *ſemen hyoſcyami* fuiſſe: Unde ex ſanctâ ſimplicitate, quod dicitur, parentes ſoboli ſuæ pro vita mortem aliquoties obtulerunt.

4. Aquæ deſtillatæ adſtringentes ſeu ſtipticæ ſic dictæ non dantur. Conſiſtit enim hæc energia nequaquam in *aquoſa*, ſed *terreſtri* portione, quæ per deſtillationem elevari nequit.

5. Catholicorum medicaminum veritas à Naturæ ſimplicitate ſuum patrocinium nanciſcitur. In theſibus enim demonſtratum jam fuit, Naturam unicam eſſe atque ſimplicem.

6. Nutrimentum corruptum & excrementum p. n. eſt unum & idem. Atque hoc ipſum quidem liquidò conſtare ducimus: Quod enim corruptum & balſamô geniali privatum eſt, id tanquam inutile pondus relegandum & excernendum erit.

7. Pulſus intermittens feſtinatum ſuccurrendi auxilium poſcit. Vivificans enim ſanguinis circulatio tunc ceſſare, & ſpiritus vitales evaneſcere incipiunt.

8. Medicamenta ex ſanguine humanô facta ſunt ſuſpectiſſima. Morum namque malitia inevitabiliter ſic transplantatur, ſi Ariſtoteli credimus, prout credimus.

9. Lochia retenta Puerperis purpuram peſtis ſororem pariunt. Putredinem enim & corruptionem animatam confeſtim concipiunt.

10. Subita allevatio in morbis acutioribus eſt peſſima ac lethalis. Sic nempè imperitiores Medici non rarò decipiuntur, neſcientes, quid extremus ſit Naturæ conatus.

11. Genuinum præcipitans acida extemplò dulcificat. Verius ſignum adduci non poteſt; adeò enim acetum acerrimum hac ratione ad dulcedinem vel gratum ſaporem reduci poteſt.

12. In vento auxilium præſentiſſimum. Scilicet ad imminentes ſuffocationes vix præſentius excogitari remedium poteſt, quàm ſi penetrabilis venti ſive aëris poteſtas adhibeatur, præſertim ſi periculum concernat partes aëri vehendo ſacratas.

13. Ex fluxu menſium nequaquam determinanda eſt imprægnationis negativa. Multæ namque geſtationis tempore primis præſertim menſibus ſua ſacra experiuntur, ſalvô tamen conceptu: Sic etiam ex adverſo ob defectum eorundem non ſtatim ariolanda eſt ingraviatio, niſi perſpectis accuratè circumſtantiis.

14. Phthiſis præ reliquis omnibus morbis eſt Medicorum ſcandalum & ſcopulus. Quia corruptio ſubſtantiæ præſertim vitalis reſarciri non poteſt.

15. Colica & uteri ſuffocatio iisdem ſpecificis tolli poſſunt. Nec mirum, ab iisdem enim cauſis provenire ſolent.

XXXV.

VENI LUMEN CORDIUM!

§. 1.

SAluti commodoque publico, cui nos quoque recordamur natos, operas noſtras ulteriùs partiri, impigram mentem cumulandis *Almæ Chymiatriæ* ornamentis exercere dum intendimus, hac vice ex ſinu *artis Medicamentariæ* conſideratu nequaquam pœnitendum nec inutile thema depromere, atque illud *Naturæ* admoto *Lumine* ſolerter examinando, ut ſic loquar, eviſcerare allubeſcit, hac fini, ut cœcutientibus aperiamus oculos, & Filiis noſtris ad ſapientiæ ſacrarium ituris rectitudinem ſemitæ monſtremus, vel anſam duntaxat ad altiora nobiscum tendendi porrigamus, quò, vile in artibus eſſe, quod triviale exiſtit, pariliter diſcant.

§. 2. Non immeritò autem *Medici* omnibus nervis ſollicitos ſe exhibent circa *remediorum* ſedulo continuatas *inventiones & facturas*, ſiquidem non tantummodò venerandam *Antiquitatem* hîc habeant fideliter præeuntem, *ac Iatro Chymicorum* coronam hodieque preſsô pede laudata *Hujus* veſtigia inſequentem, verùm ipſiſſima etiam neceſſitas & conſcientiæ cultus impenſè id inculcet, quum tam ægrotantium vita, quàm Medicinæ gloria ac Medentis fama *in remediorum dextrè paratorum* ſinceritate omninò atque certitudine conſiſtat.

§. 3. At-

§. 3. Atque hoc nobis etiam dictum hactenùs exiſtimavimus ſemper, & nulla unquam oblivio menti noſtræ ſubducet, *medicamenta eſſe Deorum manus*, & proinde ſtudioſè diſpenſandas, ſanctè colendas, ingenioſè tractandas; Neque ceſſabo probatis remediis tanquam militari robore Artis hoc caſtellum ad honorem Dei (Almi *Medicinæ ac Medicorum* Conditoris, qui non tantùm peculiari intellectus aura eos proinde ex altô irradiat, verùm honorandos *etiam juſſit*) & ad ægrotantis proximi ſalutem ſolatiumque diu noctuque meditando & laborando inſtruere, ne in formidoloſo illo die, quô univerſi mortales in judicium citabuntur, in rationibus ob ſupinam hanc vocationis meæ negligentiam perverſitatis incuſatus à frugi talenti œconomis ſecernar, & in æternum contremiſcere cogar.

§. 4. Ut igitur *pharmacorum inventiones* non ex rudi cerebrô, ſed ex alvô ingenioſæ mentis ac diuturnæ meditationis prodierunt & adhuc usque prodeunt; ita non minus profectò *accuratæ horum præparationes*, unà cum indefeſſo ac circumſpectiſſimè præſtando labore, ſubtilem indaginem, judiciique ſingulare acumen, doctam prudentiam, & rerum naturalium haud perfunctoriam notitiam, ſed lynceum utique & perſpicaciſſimum oculum, validæque ſagacitatis donum expetunt imò expoſcunt.

§. 5. Verùm quantos hujus moniti neglectus induxerit hactenùs errores atque nunquam ſatis deploranda damna, per partes jam odioſô eloquiô diducere, & cum rigore quodam ad calculos vocare ſtudioſè ſuperſedemus, ſed hoc ſaltim ſilentiô non transmittendum exiſtimamus, peſſimè illos de Bonô publicô meritos, qui primi hanc *ſummè arduam arma medica conficiendi diſciplinam à Medicinâ* avulſerunt, & *ſervis* ſuis (rerum naturalium planisſimè neſciis & omni literarum auxiliô miſerè deſtitutis) unicè commiſerunt, mera ignavia & malè ſuada animi elatione, ut tam otio ſuo, quàm munditiis fortè prolixiùs indulgere poſſent, ad id inducti: præſertim quòd opera hæc mechanica & manualis à *Medici* dignitate quàm maximè aliena quibusdam carbones averſantibus videretur: quùm tamen reputare ſtatim debuiſſent, hanc ipſam ſubmiſſionem & humilitatem pro ſoſpitate ægrorum ſuſceptam longè minùs dedecere Medicos, quàm urinarum inſpectiones, fœtentium ſordium nauſeabundas explorationes, & ſpurca conſimilia alia. Inter illas enim exiſtit artes *Medicina*, quæ autoribus ſuis laborioſa ſemper & moleſtiarum affatim ferax, utentibus autem proficua contingere ſolet.

§. 6. Sed quid *Anteceſſores* iſti egregiô hôc ſuo, ſi Diis placet, conſtitutô profecerint effecerintque iniquiſſima *Medicorum* (utut etiam de Republica optimè meritorum) hac ſeculi infelicitate conditio abundè commonſtrat, qui viliſſimis etiam fungis ludibrium & contumelias ex orco ingratitudinis natas

natas nunc debent. Cauſa utique in apricô eſt, cur de vertice in humillimos contemtus deciderit gratioſum hoc & officioſum medendi magiſterium. Nempè ad plebeiam & manifeſtâ ignorantiæ ſententiâ condemnatam mentem quum ſemel hoc devolutum, & ſtructuræ Apollinaris integritas ſic diſtracta ſeu deſtructa fuerit, factum poſteà, ut quivis homuncio *Medicinæ* venerabilem ſcientiam adhuc usque mentiatur & temerariam falcem in ſalutarem hanc meſſem mittere non vereatur: Unde ſanè fieri non poteſt, quin medicamenta, quorum in agendo magna & famigerata alioquin eſt efficacia, ac proinde inſignem in præparando diligentiam requirunt, indoctiſſimis audaciſſimisque *Empyricis*, unicè quæſtus ſui aucupium attendentibus, communicata proſtituantur, & manifeſto corruptionis adulterio temerata autoritatem ſuam, quam *Veteres Medici*, ſuis potiſſimùm remedia componentes manibus, ſollicitiſſimâ curâ ſartam tectam ſervabant, amittant, imò pernicioſa potiùs evadant. Bonos honeſtosque attamen Viros expreſſe hîc exemtos diſcupio, qui nempe ſub benevolentiâ inſpectione ac directione *Medicorum*, potiora præſertim, pharmaca fideliter diſponunt atque componunt, eorumque admonitionibus haud ſuperciliosè ſuccenſendo, & avaritiæ crimen livoremque omnem ac invidiam abominando, obſequioſos ſe præſtant, inſuperque *Patronis ſuis* vigorem ac incrementum *Pharmaceutices* tribuunt, horumque merita gratô perpetim animô agnoſcunt, nec non omni propterea amoris & reverentiæ cultu eos ſincere proſequuntur. Hos, *inquam*, reciprocô benignitatis affectu & favore dignos utique pronuncio, quibus etiam meô locô ex totâ mente bene cupio, & eum iis contentus ea conditione, *ut antè dixi*, omninò ſum, ut pro cognitione ac conſideratione cauſarum uſum duntaxat exercitatum habeant. Sed eâ de re fuſiùs hîc agendi locum haud eſſe in mentem mihi protinùs venit.

§. 7. Luculentam juſtæ hujus querelæ confirmationem, *exemplô* ſuô in ſenſus propemodum omnes incurrente, vel ſolum ELIXIR PROPRIETATIS nunc ſubminiſtrare poterit, cujus confectio ut hodiè pervulgata & proculcata planè deprehenditur, ita *abuſus* quoque ac depravatio ejusdem fermè ineffabilis exiſtit, ut propterea avitam majeſtatem, quâ olim magnificum hoc medicamen ſub præſidiô ſui *Inventoris* fulgebat, omnimodè perdiderit, ac projectâ vilius algâ, ponderisque nullius vulgari cocturâ paratum à *Nobilioris Chymiæ aſſertoribus* habeatur.

§. 8. *Magni* hujus *remedii* exiſtimationem ergò ut ſalvare, ac priſtino id æſtimio reſtituere nunc queamus; ignobilis uſus & circa tritam præparandi rationem enormis hallucinatio candidè jam à nobis oſtendetur; veluti morbi indole rectè cognita demum appropriata medela in promtu eſſe ſolet. Primitùs tamen ipſum hoc medicamentum ita membratim arbitrabimur, ut tam

ingre-

ingredientium natura, quàm *verus conficiendi modus* ex ſublimiore Chymiâ depromendus, aut qui hôc deficiente commodiùs ſubſtitui poſſit, unà cum reliquis circumſtantiis hûc ſpectitantibus, illuceſcere, ac Bonæ inſimul mentis Alumnis Naturæ arcana profundiùs olim ſcrutandi manuductio ſic miniſtrari poſſit: Cumprimis tamen, ut exinde manifeſtum reddatur, quàm illud, quod *vulgo* ubivis venale eſt, & rudi conſtructum manu proſtat, *Elixir Proprietatis*, ſit plerumque proſtibulum potiùs & *chaos impuritatis*, quàm ut illuſtri hôc nomine ſalutari mereatur.

§.9. Age diſpiciamus, atque ut ſcopum hunc noſtrum eò faciliùs feliciùsque conſequi poſſimus, titulum *denominandi* confeſtim eruamus. De nominibus ex *Platone* alioquin latiſſimè notum eſt, quod ſint tanquam eſſentiarum vehicula, & quædam excogitatæ rei declarationes: Idem etiam pollicemur noſmet nunc impetraturos, ſi voces iſtas ad *ſpagyricum* album dirigamus, & ad *Sophiatriæ* tribunal ſuper iis parumper arbitremur: Certè tantam his verbis proprietatem & tam præclaram emphaſin ineſſe deprehendemus, ut cum hôc ipsô Medicamine hæ notiones quaſi natæ videantur, adeò *remedium ipſum & id parandi typum* protinùs ſub aſpectum ſubjicient, & reconditum valdeque excelſum exhibebunt ſignificatum. Primitùs igitur ponderabimus, quid *Elixir* ſit, & quos natales habeat: deinde cognomentum *Proprietatis* ſub examen ducemus & compendioſè ſtatim hoc negotium expediemus, ita tamen ut abuſui juxtà nuncius mittatur.

§.10. Vox *Elixir* vulgò vexatiſſima & triobolaris eſt, dum ex *culinâ* ejus petitur nativitas, atque ab *elixando* ſeu coquendo quibusdam deducitur, ita ut quodvis Bamma & Zomidion hôc quaſi modò ſignificare videatur: Unde etiam in officinis uſitatiſſimè accipitur pro *liquore ſpirituoſo*, mediante nudâ *infuſione* impregnato, qui rectiùs tamen *mixtura ſeu extractum liquidum vel aqua etiam compoſita* (cui adjectionem *pretioſæ* tandem non invidemus, quatenus ea cariùs plerunque conſtat & ingredientium pluralitatem requirit, non verò ob facultatis præcellentiam, quùm totâ die *Medici* expectationem fruſtrari ſoleat) vocitaretur, quàm ut *regalis hic titulus* tam perperam ſic proſtituereturr, quod tamen quàm peſſimè fiat, faxo ut in oculos plenô confeſtim paſſu incurrat. Valent nimirum *verba & notiones* hîc quoque ut *nummi*, vel quod in præſenti magis quadrabit, ſicut *amictus*: Ut namque, *exempli igitur*, quondam illuſtres ſaltim comas auro criſpata texta adornabant, ſic cultu nunc eodem vilis ancillæ, quæ latrinam lavat, verticem collucere videas. Vel, ut blandiori comparationem errorem hunc circumſcribamus, eadem propemodum ratione ſe habet hic fallendi modus & abuſus, ut ille, qui inter amicos eſt familiaris, qui exiguum obſonium vel pauxillum pomorum miſſuri, vaſe argenteo incluſum candido & bellè

bellè exaratô linteô obvolvunt, ubi ſanè nec plus, quod mittitur, nec melius, ſed accipienti tantum gratius, & honeſtius fieri ſolet mittenti. Sic *levidenſia medicamina* pulchrô grandiſoni tituli velamine honeſtantur, & ſæpè plus in titulo, quàm in pyxide. Sed ulteriùs applicandi ſtudium ſit penes *Lectorem*, cui clariùs id cognoſcendi media in ſubſequentibus ubertim ſuppeditabuntur.

§.11. Altiùs igitur hîc aſcendendum, ut *nominis* tam excellens dignitas manifeſta evadere queat. *Elixir* nempè eſt *origine ſuâ Arabicum*, quod nomen poſteà in uſum Latini ſermonis venit, ut velut uſucapione *Latinum* etiamnunc exiſtimetur. Juxta *Arabum* idioma *Eleckſchir*, vel *Elickſchir* dicitur, hoc eſt, eſſentia, ſeu eſſentiæ vis arte elicita: Notat quoque idem hoc vocabulum *pulverem Philoſophicum* à radice *Kaſchara, contudit, comminuit, pellem aut corticem detraxit, deſquamavit piſcem, excoriavit, deglubuit*, &c. Quæ Philologia ut certa eſt, ita tam ventoſus haud ſum, ut *Orientalium Linguarum* notitiam, quam, ut ingenuè fatear, non habeo (neque omnia poſſumus omnes) protinùs mihi arrogem, ſed ad fidem & edecumatam eruditionem jam laudatarum LL. *Profeſſoris Publici Excell. Joh. Adam Scherzeri* Collegæ mei animitus colendi provoco, ex cujus ſincerâ communicatione hæc adſcribere voluimus, ut appoſitiſſimum & elegantem ſeu propoſito noſtro affatim velificantem exinde ſenſum exſculpere valeamus.

§.12. Allubeſcit omninò ex *fonte Arabico* veræ ſignificationis ſuccum nunc haurire atque ita eundem deguſtare, ut *Elixirii propriè ac genuinè ſic dicti* Majeſtas hinc protinùs vel ſpontaneâ facilitate promanare & cuivis palam evadere queat, *nobiliſſimam ac planè philoſophicam parandi methodum* inſimulque *nobiliſſimum menſtruum* Heroicam hanc Medicinam depoſtulare. Quæris jam *Lector*, quid ſit *Arabibus* & omnibus adeptis potiſſimùm *Philoſophis* ELIXIR? Promtos hic officioſosque nos ſtatim habebis, ſed boni tamen conſules, ſi floſculos elegantiſſimos atque ex amœnis *Hermeticorum* viretis deſumtos tantùm ſpargendo gratificandi alacritatem & rem difficilimam nunc explicare tentemus. *Elixir* igitur eſt Medicamen incomparabile, conſervandæ vitæ & pellendis morbis dicatum. Eſt *Elixir* medicina undiquaque perfecta, generoſiſſima, & exaltata, habens virtutes ante omnes Medicinas, atque indicans homogeneam, puriſſimam & ſubtiliſſimam ſubſtantiam. Omne *Elixir* ſapienter memento operari; eſt enim donum & myſterium conſervationis ac longævitatis, eſtque Victor & Hercules omnis corruptionis putredinisque. *Elixir* ad altiora remedia ac arcana ſeu αἴδηλα & ἀπόῤῥητα pertinet, quæ ſub tutelâ ſilentii ſedulò recondi, à vulgari notitia removeri nec cunctis conſpicienda dari, adeoque velut in ſinu poſita eſſe debent. De *Elixiris* virtute & fama eſt magnalia atque miracula præſtare, & omnis ſpecifici potentiam excedere: Eſt magiſterium vel aſtrum potius penetrantiſſimum, (ſeu penitisſimè intrans,) eſſentia viva, & ſpiritum vitæ ſuâ

luce

lucẽ effectisſimè illuminans atque conſervans. *Elixir* eſt ac dicitur, quod in thronum univerſalis medicinæ ſurgit, & unô reſtaurantis vitæ compendiô, nec non gloriosô tam puritatis quàm ſubtilitatis encomiô omnem morborum tyrannidem ex æquô ac heroicô robore ſupplantat. Imò *Elixiris voculam* Veteres *Philoſophos* ita uſurpaſſe legimus, ut ſub eadem ſemper *de principio, radice, ſeu ſemine ac natura metallorum primævâ* radium aliquem, quò mirè illuſtrare omne remedium ſolet, comprehendere & ſubaudire conſueverint; unde etiam *benedictum illum lapidem* ſeu Magiſterium ſummum, cœleſti ſplendore condecoratum, appellitari *Elixir Arabicum*, undique & ubique in eorum ſcriptis ſpectitamus, quod ipſum poſteà nobis commodiuſculam ex abſtruſioris *Chymiæ* meditulliô aureola quædam depromendi ac mutuò accipiendi occaſionem porriget.

§. 13. Clarius id cognoſcendi votô ut jam potiri queamus, ad *Arabicam Philologiam* revertimur, atque eandem noſtro protinus ſcopo accommodamus. Percepimus autem *Elixir* ibi deſignare *eſſentiam* artificiosè elicitam, quô nomine quid propriè indigitandum veniat, anxiè diſceptarunt & adhuc uſque controvertuntur *ſcholæ*. Sed *ſapientioribus* pleriſque conceſſum jam eſt, elementum vocari non poſſe, quod *elementorum eſt principium*, licet in elementariis loculamentis natum comprehenſumque: Cum itaque aliquid cernerent illi, quod nullô pactô elementorum naturam ſaperet, nec ex craſi eorundem ortum eſſet, imò ipſa potiùs regeret elementa, & cœlo ſeu aſtris proportione, tàm Autore quàm effectis divinum, reſponderet, id *quintam & vitalis potentiæ eſſentiam*, aut rerum Archeum, naturam ac *vitam* corpoream ſenſibilemque nuncupare amârunt, velut *Petrus Poterius & Pet. Io. Faber* doctiſſimè id declarârunt, nec non *ex Inſtitutionibus Phyſiologicis Meritisſimi Præceptoris B. Sennerti*, ubi de *calidi innati* agit naturâ, hoc patet. Virtutem ergò elementis nobiliorem dari in confeſſo eſt, quàm pariter corpus elementis nobilius & ſubjectum inhæſionis conſimili nobilitate coruſcans expoſcere, ecquis eſt, qui vel ſponte hoc non conjicere poſſit. *Obiter* hinc quoque *abſtruſioris iſtius doctrinæ* prægustum petere liceret, unde *Luminis perpetuô fulgore flagrantis & Lampadum non interruptâ flammâ lucentium* immortalis gloria, quam *veræ Philoſophiæ Præſules* tantum efficere nôrunt, ſcaturiginem ſuam ac permanentem diſpoſitionẽ nanciſcatur, niſi Rei incomparabilis magnitudo virium noſtrarum notoriam exilitatem infinitis paraſangis excederet, niſique, quid *nectar illud materiæ Sophorum primæ ſine pari excellentisſimum*, quidvè *eſſentia illa nunquam non vitalis, aſtrum Mercuriale, liquor igneus, ignisque liquidiſſimus ac Ros cœleſtis* omnia radicaliter diſſolvens, & animam ex centrô ſuô eruens, ante oculos noſtros tam profundè illatebratus eſſet, & hâc in parte ignorantiam

noſtram in propatulo haberemus: ſicuti Bono viro turpe omninò eſt, proferre quod neſciat.

§.14. Sed quomodo *Veram Eſſentiam ſeu Elexir faciendi*, & ex quovis mixto illud eliciendi ratio nunc iniri debeat, hoc opus, hic labor. Quùm verò animadvertamus, laudatæ *eſſentiæ*, an reverà detur, locum fidemque forſan non concedi, niſi quodammodo explanetur certisque argumentis ſtabiliatur, ideoque etiam id muneris ſuſcipere non recuſabimus. Utut autem grande negotium nos abſterrere, & trepidantem levemque hunc calamum vix admittere videatur, attamen, quoad poſſumus, omnem mentis noſtræ valentiam (ultra hanc enim non obligabimur ampliùs) id expediendi officio conſecrabimus. Rurſus igitur *Benevolum Lectorem* ad Vocis *Arabicæ cunas* manuducimus, ubi ex ſententiâ ſtatim *modum parandi quintas eſſentias* pleno ſinu ſe pandere concernemus, modò non *verborum* cortices externamque ſuperficiem ac ſonum, ſed viſcera eorumdem ac centralem, *ut ſic loquar*, ſenſum attendere, atque *Hermeticâ* lance diligentiùs librare nobis ſit cordi. Ita enim perſpicere, vel (quod noſtrum eſt) ariolari poterimus, quid *Philoſopho* ſit *contundere & comminuere*, quid ipſi ſit *corticem, pellemque detrahere, piſcem ſuum deſquamare* vel exoſſare, ſuumque Draconem *excoriare, & deglubere* Bufonem ſeu ſerpentinas ſequeſtrare exuvias &c. Hac utique adhibitâ accurationis induſtria vel manu palpare poterimus, *Quintam Eſſentiam* nil aliud eſſe, quàm materiam corporalem ex omnibus, quibus vita & calidum humidumque radicale ineſt, à cunctis impuritatibus diligentiſſimè ſeparatam, atque à corruptibilitatibus ſubtiliſſimè purgatam, in quâ demum omnis rerum potentia eſt & Medicina; ſic omninò quod anteà erat inviſibile evidenter conſpicuum, & quod occultum, evadere manifeſtum ſolet. Sic *Philoſophus* ultimum Alchymiæ ſcopum finemque attingere, & *Medicus* remedia ad ſummum puritatis claritatiſque faſtigium perducta in omnem morbi ſævitiem potentiſſima impetrare valebit.

§.15. Ampliſſimum profectò philoſophandi campum hîc ſe nobis aperire fatemur quidem, quem tamen ex voto ingredi indignitas noſtra deſubitò vetat: *Tu* ergò nobiſcum eris contentus, ſi oras ſanctioris agri ſuperficietenùs legere ſaltim ac ſpeculari nunc ſategerimus. *Elixir pulverem quoque philoſophicum* ſeu philoſophica ratione paratum deſignare virtute *radicis* ſuæ, *contuſionem ſeu comminutionem* innuentis, ſuprà nos *Lexicon Arabicum* docuit, quod interpretandi ſtudium primò obſervandum nobis præbet, de *naturâ & conſtitutione Elixirii* vel eſſentiæ ac magiſterii non eſſe, ut ſemper ſit fluidum, ſed ad ſiccitatem etiam redigi, atque in *pulveris* formam, vel potiùs cryſtalli & rubini conſiſtentiam adſciſcere haud difficili negotio poſſe; veluti *eſſentiâ* quævis ritè ac philoſophicè facta promtè vel ſolvi, vel coagulari ac concreſcere, atque ſic vice versâ, ſolet: Unde

Unde etiam *Aqua ſicca* vel ſiccitas aquea & *pulvis ſpiritualis* receptiſſima ſolemnitate audit. Deinde hoc ipſo etiam, dum *Elixir pulverem philoſophicum* denotare intelligimus, gemina nobis exhibetur ſignificantia, quatenùs nimirum *ex unâ parte* ſub hâc notione *Philoſophorum lapis & Terra illa ætheria*, ſeu glorioſa, cujus documenta *Philoſophi* curioſo commodabunt, comprehenditur; *ex alterâ* verò mixtum aliquod in *pulverem* ac tenuem pollinē convertendi labos ſic commendari nobis videtur, qui tamen utpote viliſſimus ac nullius planè momenti pretiique quid ad *veræ eſſentiæ ſeu Elexiris* ſtructuram conducere poſſit, aut quomodo ad *Philoſophorum* ſanctuarium pertineat, quùm *Doctrinæ Chymicæ* conſecraneis ſcandalo ſeu offendiculo eſſe, atque ſic confuſionem parere queat, noſtrum nunc erit ex *Spagyricorum* ſcriptis demonſtrare, longè nobiliorem ſenſum ſub hoc ſipario deliteſcere, quâm ut primò ſtatim intuitu eum capeſſere liceat. Faciamus igitur periculum.

§.16. Tanti nempè æſtimârunt Labores ſuos *Spagyrici*, ut ad occultandos eos, ne improbis indignisque temerè darentur obvii, atque ſic vileſcerent, partim tropicis obſcurisque loquendi modis uſi, partim ſub proletario ſæpiùs ſermone abſconditiſſimas *Venerabilis Scientiæ* partes & animi ſenſa ſecretiſſima complexi fuerint, quam ipſam arcana ſua celandi prudentiam poſtmodum plurimos, *Hermeticorum dicta* non ſecundum *Naturæ poſſibilitatem ac vires*, ſed brutum duntaxat literæ ſcriptæ ſenſum intelligentes, decepiſſe in aprico eſt. Ut ergò *Tu* capere, & nos ediſſerere nonnihil (nam completam ſolidamque circa tanta hæc myſteria inſtructionem ne ab infantia ac impotentia noſtra exſpectes, obnixè rogo) valeamus, quid per *pulveriſationem* ſeu *contuſionem* illam ac *comminutionem* innuere videantur, hæc habeto. *Calx* videlicet generali ſignificatu eſt *pulvis* quilibet in partes impalpabiles exactè comminutus, ac tenuiſſima cujuscunque rei pars, quam & *Alcool* nuncupare conſueverunt *Chymici*. *Alcool* illud rurſum duplici accipitur modò, ita ut in *liquidis* denotet *ſpiritum* rectificatiſſimum & toties iterata cohobatione ad exquiſitæ ſubtilitatis horizontem perductum; in *ſiccis* verò *pulverem* ſtudioſiſſimè contritum & *Magiſterium* tale ſignificet, quod ipſam farinæ etiam delicatiſſimam mollitiem ſuperat.

§.17. Appellarunt itaque *Antiſtites* illi *Calcinationem ſuam*, quæ totius *Spagyricæ Artis* theſaurus & genuina exiſtit clavis, *pulveriſationem, triturationem ſeu Alcooliſationem*, quòd vera rerum attenuatio & ad ſummam ætheriamque ſubtilitatem reductio non niſi per *calcinationem*, non vulgarem illam, ſed à *Nobiliore Chymia* excogitatam ac partam præſtari queat: Hujus enim beneficio, craſſæ, terrenæ & fæculentæ quisquiliæ à tenuiſſimis, hoc eſt, igneis aëreisque ſeu ſpirituoſis partibus, heterogeneum ab homogeneo, ignobile à nobili, impurum à puro, inutile ab utili, venenum à theriaca, mors à vita, cortex à nucleo & aſtralis virtu-

tis centrô, denſiſſimæ tenebræ à Lucis ſplendore, atræque Nubes à Solis fulgore ſeparantur, adeoque totius Naturæ clauſtra ſic effectiſſimè reſerantur.

§.18. Planum explicitumque ſic eſſe nobis perſuademus, haud incaſſum *unâ radice*, quam *Elixir* agnoſcit, tam *contuſionem ſeu comminutionem*, quàm *deſquamationem ſeu excoriationem*, hoc eſt, accuratam *purificationem* commodiuſculè exprimi, quum hæ operationes, veluti jam percepimus, unicum *mundificandi*, ſeu ad ſumma *perfectæ puritatis* judicia perducendi laborem, hoc eſt, *philoſophicam calcinationem* comprehendant: quemadmodum *Philoſophis* notoriè conſuetum eſt diverſis nominibus & plurali numerô *rem unam* indigitare atque ad unum collimare ſcopum. Abſolvitur ergò hæc *alcooliſatio & purificandi* ſtudium non triturando, nec terendo, aut trita per incerniculum tranſigendo, ſed *Sophorum calcinatio* (quæ *putrefactionem ſeu corruptionem*, *fermentationem*, *digeſtionem*, *circulationem ac ſolutionem*, ſed non niſi Philoſophicè inſtitutas, ſunt enim operationes iſtæ reverà inſeparabiles, & adamantino vinculo nexæ, omnimodè includit, adeoque *communem* illam, quæ deturpat potiùs & rerum vigorem ſuffuratur, excludit) & *ignis* tam *internus* quàm *externus*, tam *naturalis* quàm *artificialis* eſt legitimum ad expediendam *Alcooliſationem* illam incerniculum, & *furnus Philoſophicus* eſt verum illud præſtandæ *contuſionis mortarium*; unde etiam quum tantam *in re Chymicâ* laudatæ & ſapienter intellectæ *Calcinationis* neceſſitatem (aliâ enim ratione nihil ad cœlum deſideratæ *puritatis* ac *perfectionis* aſcendere, nec *purum generari* poteſt, niſi contundatur & calcinetur, hoc eſt, *corrumpatur impurum*) animadverterent *diſciplinæ ſecretioris Myſtæ*, tergemina repetitione, TERE, TERE, TERE, conclamârunt.

§.19. Nî fallor ELIXIRIS vocem (quæ ſi noſtræ humilitatis vires id ferrent, ad *magnorum arcanorum ſidera* cupiditatem rimandi traducere poſſet) ſic enucleavimus ſatis, ut quilibet, quid diſtens æra lupinis, hinc advertere valeat. Sed carpamus viam ulteriùs & inquiramus jam, quid *adjunctio* PROPRIETATIS hîc ſibi velit. Cognitum ex *etymologicis* eſt, *proprium* id dici, quod maximè, eſt prope. Ergò *Elixir proprietatis* talem hic denotabit medicinam, cujus virtus quam proximè accedit Naturæ noſtræ ſeu balſamo noſtro nativo, illique amica valdoperè, appropriata, accommodata & convenientiſſima exiſtit: vel potiùs quod *proprio* ſuo ſucco, humidoque radicali, *id eſt*, ex ſe, in ſe & per ſe (quæ conſuetudinis ſolemnitas Philoſophis ſacra eſt) hoc *Elixir* confici debeat. *Certum & proprium* non rarò apud *Autores* idem exprimere obſervamus. *Tu* hinc ſtatim ſubſume, auxiliandi & conſervandi certitudinem *Elixir proprietatis*, ſed philoſophicè & juxta *Paracelſi* ſolertiam paratum, tanquam indubitatæ & ſalutaris præſtantiæ medicamen polliceri. *Proprium* porrò ſignificare nonnunquam legimus id, quod *peculiare & ſpeciale* eſt; Quô ipsô à communitate ſeparatur, hoc eſt, non tantùm

Elixir

Elixir proprietatis à conſortio & turbâ vulgarium divulgatorumque medicamentorum ſic eximitur, verùm etiam ſingularem in præparando gnavitatem & minimè perfunctorium laborem expoſcere videtur. *Proprium* præterea etiam idem eſt ac *ſtabile, perpetuum, vel ſempiternum.* Egregiè hoc itidem noſtro favere ſcopo poterit. Nempè *Elixir proprietatis* , ſed ritè præparatum , ad vitam prolongandam & corporis valorem (putredinem ejus procul arcendo (in eodem ſtabilique vigore conſervandum ſuas oppidò partes contribuit. *Proprium* nunquam avellitur ab eſſentia : Igitur concludimus ad eſſentialia & humanæ proprietati acceptiſſima, puta , nobiliſſima & magnam autoritatem obtinentia remedia genuinum *Elixir proprietatis* pertinere. Verùm hunc ſic ratiocinandi affectum partim *Autor & Inventor* hujus medicinæ, partim *præparationis excellentia* , quam requirit, partim nunquã ſatis deprædicandæ *virtutes* ac merita, quibus reſplendet, *in ſubſequentibus* confirmabunt atque ex voto tuebuntur.

§.20. Inſigne hoc Medicamentum magnum etiam ac cæteris cunctis majorem habere *parentem Inventoremque* (ut fortes creantur fortibus) nobiſcum nemo inficias ibit, modò *Chymiæ aut Sophiatriæ* gratioſam famam in deliciis habeat, & candidus Ingeniorum fautor exiſtat. Nominamus hic ergò *Theophraſtum Paracelſum*, quem ut verum *Naturæ mundique* (Artifex enim quò magis ad *Naturam* accedit, eò præſtantior etiam habetur) interpretem fuiſſe credimus, ita non immeritò *ſecretioris quoque Philoſophiæ Principem & Arcanorum Monarcham* eum appellitant, atque ad id fauſto ſidere natum pronunciant *Philoſophi* , ut altiores medicaminum præparationes & remedia ad unitatis ſymbolum aſcendentia ſeu ad primam ſuam materiam reducta , adeoqne veram artem , quam DEUS in *Naturâ* occultavit, Bono publico proponeret; Veluti etiam in rei veritate *ex ſcriptis ejusdem* liquet, multa penè divinitùs in re Medica ac Hermetica Paracelſum docuiſſe, ut nunquam ſatis admirari & decantare raræ hoc eruditionis exemplum *grata poſteritas* poſſit. Sed Te offendere *Autoris ſtylum* perſentiſcimus, dum Medicinam *Ejus* ænigmatum plenam & multis impeditam difficultatibus deprehendis, ut quid velit & dicat , intellectu tuo nullatenus conſequi valeas. Aſt memento, ſine difficultate nullam eſſe ſubtilitatem, nec ſine ſpinis roſarum eminentiſſimam ſuavitatem. Creſcat animus tuus ipsa difficultate, ac cogites aſſiduam vincere cuncta diligentiam. Rerum attamen naturalium notitia præparatum animum afferas , & *totum Paracelſum* decies totiesque legendi ac relegendi conſtantiam habeas , nec minùs *Paracelſum per Paracelſum* declarandi ſollicitudinem adhibeas ; pariterque repures , *Autores* legere & nihil exin ſeligere ac colligere , eſſe penitùs negligere. Quàm potenter autem ac præſentiſſimè ferociſſima etiam morborum monſtra edomare valuerit *Paracelſus* Chymiatrorum ſuæ ætatis celſiſſimus , & quænam alia

alia præconiorum honeſtamenta ipſi debeantur, fuſiùs recenſere acquieſcimus, imò idem ſuper *Tantô Virô*, & in hoc genere ad miraculum uſque præcellenti nunc uſurpandum nobis videtur, quod de *Carthagine* Conditor hiſtoriæ *Iugurthinæ* prodidit: Melius eſſe, de illo tacere, quàm parùm dicere.

§.21. *Inventori* jam ſuccedat ipſum *inventum*, quod ex *Archidox. lib.* 8. de verbo ad verbum hûc transferre, & poſtea ad examen ſeu qualem qualem trutinam noſtram revocare, proſcriptis ambagibus placet. *Modum* autem parandi *materno idiomate* ſic expreſſit Magnus *Paracelſus*: ℞. *Myrrhæ, Aloëpatici, Croci* ana 1. Vierling (fortaſſis quadrantem libræ) laß in Pellicano mit Arena adſcendiren auff das milteſt (quam leniſſimo igne) zween Monat / darnach ſeparir per Alembicum das *oleum* von fecibus *ſiue aduſtione* herüber / das *oleum* digerir mit *Circulato* ein Monat in gleichem Gewicht / darnach behalts: In dem iſt alle Tugend der natürlichen Balſamen / und iſt in ihm virtus conſervativa in ſenſibus &c. Et paulò antè hæc notatu digniſſima verba præmittit, quæ niſi attendantur accuratiſſimè, nunquam res illa acu, *quod dicitur*, tangi, nec mens *Autoris* capi poterit: die Natur / *inquit ille*, hat ein Elixir geboren / das von Rebus naturalibus als auch *Myrrhâ*, Saffran und *Aloëpatico Citrino* (Verborum ſeu Contextus translocationem pro meliori ſenſu admittas) mag in ſeinem eigenen Weſen ein vollkommen Elixir gemacht werden. Aus was Krafft aber ihnen ein ſolches kömt / ſagen wir de eorum Generatione, und laſſen vor dieſes mal ſeinen Anfang aus / den wir zuvor zum öfftern gemeldet haben.

§.22. Pauca ſunt, quæ hîc vides, ſed multa & ineffabilia comprehendunt, laboremque difficilimum, quia *philoſophicum*, inſinuant. Parva equidem mole, ſed mirum quantum magna pondere atque graviſſima exiſtunt, quæ hic tranſpoſita conſpicis. Sed quid nos ſentiamus de *Paracelſi* hoc ratiocinio, quo *Elixir ſuum proprietatis* circumſcribit, pro virili portione, utut difficilimos habeat explicatûs, expromere nitemur. Statim igitur edicimus impoſſibile penitùs eſſe, ut quiſpiam hanc ex iſto *parciloquio* præparandi methodum aſſequi & in uſum ducere queat, niſi *totum Paracelſum* & omnia *ejus volumina* aſſiduâ lectione is tractaverit, niſique in *ſublimioris Pyrotechniæ* laboribus quàm optimè verſatus inſtructuſque fuerit. Ecquis enim hinc capere calleat, quomodo *ſine additione ullius menſtrui*, ex reſinoſis ac ſiccis ſpeciebus, per meram *circulationem* (hanc enim organum pelicani ac Vitri illius chymici huic operationi à Sophis deſtinati evidenter innuit) adſcendere beneficio propriæ & innatæ ſibi eſſentiæ *liquidum aliquid* ita ſufficiens poſſit, ut *aduſtionis* crimen omninò avertatur? Ecquis *oleum ſine empyreumate* juxta præſcriptum tenorem per alembicum elicere audeat? Ecquis divinare poterit, quid per *Circulatum ſuum*, quidve per *Originem* illam ſibi cupiat *intimus hic Naturæ conſiliarius*? O quanta obſtacula, ô quanti laby-

labyrinthi! Ubi aures arrigere illos deſideramus, qui *Elixir proprietatis Paracelſi* ad officinalia, hoc eſt, vulgaria referunt, & qui paratu (ore potiùs quàm re,) nil facilius hôc medicamine autumant, Aſt hæc omnia ut luce meridianâ evadant clariora, quàm hodiè rara avis in terris nigroque ſimilima cygno ſit *Paracelſicum hoc Elixir ſeu balſamus proprietatis*, balbutire duntaxat conabimur, quàm ardua momenta & quantam ſcientiæ majeſtatem hoc negotium requirat.

§.23. Obſcura eſt omninò *Autoris* connexio, quando innuit, *ſpecierum dictarum trigam* debere cum *arenâ* per bimeſtre ſpatium adſcendere & ſublimari; & proinde anceps evadit ſignificantia, an dictas *ſpecies*, cum *arenâ* tanquam *additamento*, (Zuſatz) ut promptior elevatio ſic contingat, miſcendas velit, an verò *ignem arenæ* intelligat: ſicuti *ignis gradus* ſic à *Philoſophis* diſcerni legimus, ut alium vocent *ignem ſterquilinii ſeu vaporis, alium balnei, cinerum, flammæ, & ſic porrò*. Sed ut ſine morâ nos expediamus, illos ſinceritatem interpretandi ſuppeditare exiſtimamus, qui adminiculum *ignis* & officinam *Vulcani* hic ſignificari (ſiquidem & hoc medicamentum ſit *Filius ignis*) fortaſſis aſſeverabunt, utpote ſine quô in lucem & adſpectum mixti alicujus *eſſentia* produci non poteſt.

§.24. Dixiſſe non anteà ad memoriam revocamus, *putrefactionem ſeu corruptionem, digeſtionem, ac ſolutionem* easdem & indivulsè continuas operandi rationes apud *Philoſophos* deſignare, quod ipſum aſſertum ne *Tibi* abſonum & à ſonô rationis alienum (diverſæ enim primô comparent intuitu) videatur, nunc expendere atque exponere pergimus. *Putrefactio ſeu corruptio* præcedunt, quæ ſine *fermentatione*, uti notiſſimum, nequaquam ſuccedere poſſunt: *Hujus* verò indolem & naturam *digeſtio & circulatio*, quas tanquam *putrefactionis* appendices æſtimant, pleniùs pandunt, easquè poſteà immediatè *mixti iſtius putrefacti, corrupti, fermentati, digeſti ſeu circulati in* ſua principia *ſolutio* conſequitur: adeò ut *ſolvi* queat nihil, niſi *digeratur ac circuletur* priùs, nec quicquam *digeri ac circulari* poſſit, niſi præcedat *putrefaciens ſeu corruptiva fermentatio*. Quæ tamen præparationes ſingulæ cùm *uno labore unicoque vaſe* perficiantur, ſic conteſtante *Philoſophorum* chorô, ſub *unâ* etiam ac neceſſariò *complicatâ operatione* comprehenduntur, nec *diſtinctionem hujus eſſentialem* conſtituunt.

§.25. De ſingulis paucula adſpergemus, ut qua ratione ex pumice etiam aquam, *hoc eſt*, ex *myrrhâ, aloë & croco per ſe, & ſine peregrini liquoris additione*, beneficio *Philoſophici* hujus laboris ſuccus, qui ſolutionem præſtare, ac non deſtillationem tantùm poſteà inſtituendam facilitare, ſed & *aduſtionis* injuriam arcere debet, extorqueri aut elici poſſit, mente noſtrâ, ſi non ex aſſe, tamen quodammodo concipere ſufficiamus. In anteceſſum tamen velut inſuſurramus *Tibi* geminum *ignem*, ut *ſuprà* jam monuimus, hic attendendum, ac ſciendum, *ignem externum* juvare tantummodò *internum* & ad agendum proritare, *internum* verò

palmam in omni labore ſibi vindicare, velut hoc ipſum omnibus etiam perſpectum eſt *Medicis*, qui fruſtra auxiliorum ſuorum igneam & artificialem virtutem ſe adhibere conqueruntur, niſi cooperantem juxtim inveniant *Naturam* ſeu *calorem ac phœbum vel Archeum* corporis *internum*, cui humidum radicale thalathalamum jucundiſſimum præbet,

§. 26. Stat ſententia, *Corruptionem* eſſe alterius *generationem*, ergo nec præſtabile remedium confici poterit, niſi mixtum corrumpatur prius ac putreſcat: Unde ad regiorum egregiorumque medicaminum præparationes *Philoſophorum oracula*, quæ ſummo ſuo alioquin ſacrarunt *Myſterio*, appoſitiſſimè quadrabunt. Totam fortitudinem *Hermetici magiſterii* (& per conſequens cujusvis Heroici remedii) non eſſe, niſi per *putredinem*, adeoque in *ſterquilinio* quærendum, quod poſcunt *Sapientes*, inquit & ſuadet *Morienus*. Si *putridum* & mortuum non fuerit mixtum, ut *idem Morienus & Bernardus* ajunt, ſolvi etiam ac vitæ fructus ferre ſeu exaltari ac meliorari non poterit. *Aletrativa* autem *putrefactionis* ingens præſtantia non cuivis innoteſcit, & maximi omninò eſt ingenii profundæque inquiſitionis, utpote quæ valdè occulto nititur fundamento, ut formas abſcondere, naturam abſolvere, proportiones cuſtodire, ac imperfectionem ſeu vitium radicitùs corrigere, *hoc eſt, impuritatum*, quæ *vitæ* ſemper ſunt inimicæ, mortem ac internecionem præſtare poſſit, quo *vita* germen & *puritas* micans flagrantia hinc exſurgere valeat. *Hæc* ergò eſt via *ad præſtantiſſimas illas veræ Chymiæ operationes*, quæ veterem rerum ac corruptibilem naturam conſumit, & novam cœleſtemquè penitùs introducit.

§. 27. Conſimili ſpeculatione genium *fermentationis, digeſtionis, circulationis ac ſolutionis*, quarum catenatio ſeu concatenata neceſſitudo (ſua namque ſponte ultro citroque ſe invicem conſequuntur ac complectuntur) *Philoſophis* ad amuſſim eſt perſpecta, haud difficulter cognoſcere licebit, modo *putrefactionis* potentiam & naturam aſſiduo rimari non deſiſtamus; *neutra enim ſine altera* perſiſtere ac fieri poteſt, proptereaque unam ex iis qui norit, omnes reliquas facilimè noverit. Nihilominus ex *Philoſophorum* meliſſo *ſententias quaſdam* omni melle ſuaviores annectimus, ut appetitum *ſcripta* eorum avidius impoſterum ſcrutandi *Tibi* pariter ac *nobis* conciliare aut acuere ſic queamus.

§. 28. *Fermenti nobilitas* graphice hinc inde depingitur *ab Helmontio*, qui in eodem originale rerum initium & primævas *vel ut is ipſe loqui amat*, ſeminarias cauſas *transmutationis* conſiſtere, luculentis probat monſtratque argumentis. *Fermentum* eſt, *inquit*, quod *impuritates* omnes ac *fæces* conſumit, adeoque ex fundamento *depurationem* præſtat. *Fermenti* notitia utilius nihil eſſe, & modo propinquiſſimo vitæ horizontem illud attingere, ſeu ſpecificum naturæ vitalis donum ſpiraculumque exiſtere, *ex eodem* addiſcimus. Fermentatio, *pergit*,

igne

igne potentius, *hoc eſt*, cum majori virtutis robore ſubinde operatur, & quum *fermentum* ex inſitô ſibi ac *geniali ſpiritu* ſcaturiginem obtineat, patet etiam, quod neceſſariò quoque *de proprietate ſpiritus vitalis balſamica* hoc ipſum ſit, & proptereà non minus rectè quam benè *magnus hic efficacia vigor* ei competat. Plura *fermentationis* præconia qui expetit, is adeat *Thomæ Willis, doctiſſimi Angliæ Medici, Medico-philoſophicam, eamq; ab arte limatiſſimam de hoc themati Diatriben* in qua perlegenda animus ſingulari quadam voluptate delinitus, ut in amœno diverſorio, conquieſcere ac ſecreare poterit.

§. 29. Circa *digeſtionem ac circulationem*, quâ partes in minima & velut atomos rediguntur, nil præthereà novi apportare licebit, quum prælaudatæ virtutes coſimili penitus ratione utriq; competant: Imo illā ipſam *circulationē*, in qua humidū inſitum alicujus mixti perpetuâ reciprocatione ſurſum deorſumq; movetur & ex eodem *ſpirituoſa aſtralisq; eſſentia* elicitur, nil aliud eſſe, quam *fermentationem, exemplo ſanguinis in Exercitatione noſtra de Morbillis* nuper dilucidè ſatis oſtendimus. Imò ex pleniore *ſolutionis* cognitione plus lucis *Tibi* promittimus, de quâ hæc adſcribere placet. *Solutionem Philoſophi* in genere nuncupant naturarū mutationem, quando id quod *inferius* ac corporale, per ſuavem ſublimationem (quæ eleganter *ſublimis ſolutio* dicitur) *ſuperius aſcendit*, ac in ſpiritum mutatur, & quod *ſuperius* ac ſpirituoſum eſt, *inferius rurſum deſcendit*, & ad *Medicinæ* uſum adducitur. Qui *diſſolutionis* hanc artem ac ſecretum novit, is ad ſumma myſteria perveniendi aditum & *naturas ex naturis* extrahendi ſcientiam habet. *Solutionis* autem *naturalis* ſapientiam hic poſcunt *ejus Proceres*, non verò illius uſum, qui *vulgò* notus eſt; unde *vulgarem* quoque *ſolutionem* iſtam inferunt eſſe potius *diſſipativam, ac corroſivam deſtructionem* ſeu *compoſiti inemendabilem deturpationem*. Sed hanc demum *ſolutionem naturalem ac veram* perhibent, quæ *permanentiam ſimul ſolventis ac ſoluti* oſtendit, ut ex utroque tam maſculino quam fœminino ſemine ſeu ſpiritu & aqua nova ſpecies reſolutare queat. Hæc eſt illa operatio, quæ *corpora in liquorem* (hoc eſt, *in primam ſui materiam*, quæ reverà nil aliud eſt, quam *liquor, ſeu liquida mucilago*, quæ tam *miraculosè* poſtea modo in carneam & oſſeam, modo ligneam, modo ſaxeam ac duriſſimam plane ſubſtantiam *in generationis progreſſu* transmutatur: ſic *verbi gratia* totus homo & tanta ejus compages ex *tantillo aquæ ſeu ſeminis momento ac ſi porro* producitur; ô magnalia ſapientiſſimi Jehovæ, ô miracula Naturæ imperſcrutabilia!) *ſolvit*, & ita eorum vincula perfringit, ut *ſolida* & ſiccisſima fiant *liquida*, effœta ac ſemimortua evadant rediviva, atque occulta cum inſigni clarore ſe manifeſtent.

§. 30. Sed deſiderabis jam, ut, quamnam *diſpoſitionem* requirat (hanc *calcinationem Philoſophicam* vocant) *putrefactio*, & quænam tam altè ſepulta ejusdem ſit baſis, pariter adjiciamus: Multa enim nobis corpora oppones, quæ

ſicciora ſunt & parum humoris habentia, adeoque ad concipiendam *putredinem*, quippe quæ in calido humido fieri debet, evidenter inepta. Reſpondent *Artis Patres*, materiam terendam & *humore proportionali* conſpergendam, poſtmodumque in ſuo vaſe ad putreſcendum locandam. Verùm ubi *humorem* hujuſcemodi *proportionalem*, & qui hujus vel illius mixti naturæ conveniat undique, ac *proportionem ſimilitudinis* exhibeat, inveniemus? quis *Neptunus* eum nobis commodabit? Altum hic undique ſilentium. Atque hæc ipſa *diſpoſitio & putrefaciendæ materiæ præparatio* acutus ille ſcopuli murex eſt, ad quem tot conatuum navigia alliſerunt, perierunt: Hæc eſt illa cauſa, unde tot laborum adulteria & partus ſpurii, tot impoſturæ & deliria prodierunt, quæ à *Sophiſtis & omni Fide indigniſſimis Empyricis ſeu Chymicaſtris* (rectiùs Latrones dixeris & mariſupiorum famoſa emunctoria) adhuc usque committuntur. Quâ igitur prudentiâ, *urges*, celebranda hæc materiæ eſt *diſpoſitio*, ut ſalutares illæ *putrefactionis* ac per conſequens *digeſtionis ſolutionisque* operationes à *Doctrinæ Filio* accuratiſſima induſtria excoli, debitoque & ipſi Naturæ conformi modo perfici poſſint.

§.31. *Ad magnum Naturæ librum* ſic nos docentibus *Philoſophis*, Te remittimus *& rerum omnium originem* indeſinenter penitiusque perſcrutandam hic *Tibi* commendamus. Incidit autem hic *Chymicum iſtud ænigma*, quod de *ſpiritu* per deſtillationem tanquam genitrice ſua partô circumfertur: *Mater me* genuit, & *ego matrem*, qui matre ipſa tamen antiquior. Hunc autem *ante matrem Filium* ſeu *ſpiritum mundi vel univerſi*, veram illam & unicam *aëris laudem gloriamque* niſi ſeriò hic attendamus, & ad *fulgidiſſimam Naturæ lucernam* niſi examinemus, materiam aliquam veræ *putrefactionis, corruptionisque ſepulchro imponere & ad naturalem digeſtionem ac ſolutionem* nullatenùs aptam reddere aut diſponere poterimus. Reſcindunt hic itidem conatum *Tibi* ex voto gratificandi tanta Rei hujusdem immenſitas, & concurrens noſtra inſimul, quæ nobis profectò magna eſt, infirmitas; Ex illis namque ſumus, qui canere *inter Philoſophos* nondum Oracula poſſunt. Boni attamen conſules ac delectaberis forſan, ſi dimidiata hic tantùm tentaverimus verba. *Eſt in ſuperiori ſphærâ fontis vena, quæ eſt Philoſophorum regula prima.* En habes *lavacrum Dianæ*; en puteum iſtum benedictum, ex quo ingenio *Natura* ſuo, ejuſque ſagax Miniſter *humorem illum proportionalem*, cujus vitali *fermento* cuncta conſperguntur, nullo non tempore ubertim haurire queunt. Hic omninò locatum eſt illud dolium, quod *Naturæ lixivium nunquam & nunquam deficiens* continet. *Dicta* ipſius *Paracelſi* in uſum noſtrum hic vindicabimus, ut quid *ſpiritus Univerſi*, vel balſamus ſeu ros iſte *aſtrorum* nobiliſſimus, vitæque catholicum & omnes creaturas penitiſſimè recreans pabulum ſit, ſi non exprimere, tamen nonnihil adumbrare poſſimus. *Aſtrale nectar*, inquit, cognoſcere vix licet, niſi aſtrorum eſſentia, natura & proprietas ſit perſpectiſſima: Tunc demum

mum poſteà exſugere & extrahere *Ens* hoc benedictum & *aſtrale* poteris. Cœli
vires influentes & aſtrales radii ſunt qui unicè *fermentationis ac digeſtionis* deſide-
ratiſſimam dotem inſtillant. Aſtra ſunt, quæ *ſemen & virtutem digeſtivam* velut
in utero, quem *Aêr* præbet, gerunt, ac infundunt; ſine quâ nihil in hoc terrarum
orbe *diſpoſitionem generativam & incrementum* capere valet. Et hoc eſt *Myſterium
illud magnum* à primò creato dependens ac propemodum imperſcrutabile: ſub
hoc ipſo *ἀντιπεριςάσεως* radix recondita eſt, & tam caliditatis quàm frigidita-
tis primordia exinde promanant. *Hoc Myſterium* qui intelligit, quid *ſal Naturæ*
omnia vegetans, vivificans & conſervans, quid *ignis humectans* & corpora lavans,
quidvè *avicula Hermetis* altivola, & omnes aëris tractus remigio ſubtilitatis ſuæ
pervolans mixtaque cuncta penetrans, quam tamen non niſi peritiſſimus Arti-
fex *aucupio ſuo magnetico* prehendere ac condere poterit, mente ſua etiam conci-
pere non difficulter valebit. Si itaque ad promovendam rerum *putrefactionem
ac ſolutionem*, ut fructum perfectionis & abſolutæ *puritatis* hinc nanciſci queat,
hoc vel illud mixtum, quis *diſponere* velit ille, qui manuductionis noſtræ rudi-
menta hæc reſpuit, ad *laboratorium Naturæ* ſe conferat, atque eandem in omnibus
operibus, antequam ad *μικροποιντήριον Vulcani* ſe accingat, imitari nobiſcum
priùs perdiſcat, non dubitans in *verâ & Naturæ conformi excellentium medicami-
num præparatione* ſe cum tripudio ac triumpho ſic operaturum. Si *Jupiter* tuis
laboribus patrocinabitur, habebis utique *juvantem Patrem*, qui manu ſua ful-
men, vel potiùs *gelidum illud aſtrorum fulgur* tenet, & ſub dominio ſuo *Aquilam
ſeu ſpiritum mundi* dirigit. Sed in magnis fuiſſe, aut hæſitaſſe potiùs, ſat eſto. Ut
tamen de alieno liberales eſſe pergamus, & pleniorem inſtructionem in hâc de
æthereis viribus ſublimi doctrina inſuper promittere queamus, *Tibi, benevole Le-
ctor*, venuſtiſſimum & planè *aureolum de Viticulturæ erroribus libellum Auguſti
Hauptmanni Chymiatri rarâ ſagacitate auguſtoque ingenii acumine & nobiliori peritiâ
nemini mortalium, qûos novi, ſecundi, Amici mei in præcordiis dilecti ac conjunctiſſimi*,
officiola manu porrigimus: Crede *nobis*, quò diutiùs ſaluberrima & ſuaviſſima
ibi luſtraveris documenta, eò major Te ſtimulabit eſuries & *ſcripti iſtius* deſiderio
vehementiore exardeſces: imò quoties hoc legeris, toties doctior hinc abibis.

§ 32. Kis pro modulo ingenii noſtri præfloratis, quomodo juxta *Paracelſi
præſcriptum* ex *Aloë*, *Myrrhâ ac Croco oleum ſine aduſtionis* ſeu empyreumatis infa-
mia à fecibus per *deſtillationem* ſeparari ac cohobari debeat, ea qua polles mentis
calliditate elicere nunc tuum erit, ut cum *Circulatô* poſtmodum *Elixir proprieta-
tis verum & verè philoſophicum* hinc perficere valeas. Inſpicienda autem, *ut ante
monuimus*, circa hunc præparandi modum *Paracelſi* verba tam antecedentia
quàm conſequentia, imò univerſa ejus (*Theologica & Magica*, quibus etiam refer-
ta ſunt hujus *Autoris* monumenta, miſſa omninò facimus, quoniam *Paracelſo* in

omnibus adſtipulari nunquã cogitavimus, ſed *Medica*, quæ habet & *Chymica*, ex centrô Naturæ planè eruta, mentem noſtram intimitùs paſcere fatemur) docendi methodus accuratè cognoſcenda erit, ſi felices in hoc labore ſuſcipiendo ſucceſſus efflagitas. Videbis itaque ante proceſſus enarrationem *Autorem nobiliſſimum* provocare ad ORIGINEM illam, cujus ſæpiſſimè ſe mentionem feciſſe expreſſis commemorat. Quod verò per *Originem illam* nil aliud, quàm *ſpiritum mundi ſeu aſtrale robur*, ex quo omnia fiunt, & cujus vigore *ſuperius eſt ſicut inferius*, intelligat, tam verum eſſe arbitror, quàm quod clariſſimum. Hinc ergò petas, hinc haurias *humorem illum proportionalem*, ut inviſibiliter *aloëm*, *crocum & myrrham tuam* (quas ipſas ſpecies priùs eſurinas probè ac ſitibundas facere memineris) humectare, hoc eſt, ad ſuſcipiendam *putrefactionis, fermentationis ac ſolutionis naturalis* (violentam à labore hoc *philoſophico* planiſſimè relegatam volumus) promtitudinem diſponere poſſis. Quod ſi attenderis, pariter ac obſervatâ *temporis diuturnitate*, quam poſcit, impetraveris, fore ſpero, *reſinoſam compactamque aloës & myrrhæ*, *ſiccamque croci ſubſtantiam* ita in penetralibus ſuis *per & in ſe* liqueſcere, ut *oleaginoſitas* illa non tantum *ſpirituoſa magis & volatilior* evadat, verùm faciliori etiam negotio abſque *aduſtionis* metu *deſtillatio* per alembicum etiã abſolvatur, atque *ſpirituoſum* planè ac *liquidiſſimum oleum* ſic præbeat. Quæ omnia *bono Philoſopho aut Chymiatro* præſtitu nequaquam difficilia erunt.

§.33. Cur verò *Paracelſus circulationi ſeu digeſtioni bimeſtri*, quam *leniſſimo attamen igne* (auff das milteſte) celebrandam eſſe (iſtud *pelicani vitrum* tutiùs tunc *Balneo Mariæ vel cineribus* ſale ſuo orbatis, noſtro quidem animo, committeretur) rectiſſimè docet, ſæpiùs nominatam *ſpecierum trigam* ſuam ſubjiciendam moneat, antequam deſtilletur, quivis, cui emunctæ ſunt nares, *ex prædictis* facilimè ſubodorari poterit. Melius quoque tunc faciunt illi, qui *majorem* quodammodò *ſpecierum quantitatem*, velut *Autor* id etiam hic innuit, in *putrefactione rerum ſicciorum* accipiunt, ſiquidem ſic promtiori modo *fermentationem ſeu efferveſcentiam* coagmentatæ in ſinu ſuo concipient, & *uberioris magnetiſmi* valore pollebunt. Leves *circumſtantias* alias, quæ ad manuale feliciter operandi negotium pertinent, ſilentio hic transmittemus, ſiquidem *philoſophica & ſublimiora hæc* illotis manibus, & niſi jam fundamentis *ſpagyricis* probè ſit inſtructus, nemo ſanioris judicii tanget vel aggredi audebit.

§.34. Spirituo huic, ſuaviſſimo & penetratiſſimo, omnique aduſtionis vitio carenti, *ex Croco, Aloe & Myrrhâ, per ſe & ſine ullâ peregrini menſtrui additione*, impetrato *oleo Circulatum*, ut vocat, in *quantitate æquali* addendum, & menſtruæ digeſtioni concredendum ſuadet, ut hinc *balſamica & verè regia* ab omni *putredine ac corruptione* præſervandi *virtus* parari queat. Licet autem hic iterum nobis ſufflamen injicere videatur minùs uſitata admiſcendi liquoris ſeu *Circulati*

lati notio, quæ non paucos etiam eluſit, attamen ſi *à microcoſmô*, ubi *vitalis ſanguis ac ſpiritus* non ineptè *circulatæ purpuræ* nota inſigniri poteſt, ad *macrocoſmum* ratiocinari non negligamus, ſique ea hic ruminare placeat, quæ ſuprà de *ſpiritu Univerſi & Ente aſtrali* ediſſeruimus, res iſta licet impetratu rara difficilima, intellectu attamen haud adeò gravis eveniet.

§. 35. *Circulati* autem *majoris ac minoris* toties repetitâ commemoratione *Paracelſi* perſonare *libros* horum induſtrius *Lector* facilè deprehendet, unaque *ſingularem liquorem* magis vel minùs compoſitum utroque vocamine indigitari ſtatim concludet. Nos ut prolixitatis culpam effugere queamus, pace attamen aliorum, aſſerimus, per *Circulati ſui* nomen *Paracelſum* innuere *Aquam Ponticam, Azot ſeu acetum acerrimum ac ſolvens illud Univerſale* vel ſine pari, cui *Philoſophorum Corona tot* impoſuit *nomina, quot laudibus, quot virtutibus, effectibusque, quot coloribus ac circumſtantiis aliis, lympham benedictam & hanc Sapientiæ Nympham ſeu Lac Virginis* excultum & nobilitatum illi animadverterunt. *Circulatum* autem eum *adjectione magnum* appellitare *Paracelſum* credimus, quando *Eſſentia hæc Mercurialis Philoſophorum* ſemine ſuo *maſculino* imprægnata, atque majoris virtutis augmento locupletata ſeu *duplicata* eſt; unde etiam, *Sophorum tubâ ſic clangente*, heroica gloriâ honoratur, & *fortitudinis fortitudo fortiſſima* unanimi conſenſu ſalutatur. *Minus* verò, ut nos quidem putamus, audit, quando *ſpiritus Mercurii Philoſophicus ſimplex* adhuc eſt, & *fœminini* ſpermatis provinciam ſaltim ſuſtinet, licet *ſpiritus vini rectificatiſſimus* etiam, diuturna circulatione ad perfectiſſimæ puritatis culmen perductus, vel quivis *ſpiritus mineralis*, dum ex retorta in receptaculum transmiſſi *ſpiritus* ibi tam diu *circumgyrantur*, donec colliqueſcant, ſub hac phraſi non abſonè intelligi queat, ita ut *Circulatum magnum* metallicæ ſphæræ nectar & omnium *metallorum ſemen* toties jam laudatum, ſive *ſit ſimplex ſive compoſitum* ſignificet. Aſt hujus rei liberum penes quemlibet eſto judicium: Utrique enim ſententiæ probandi favent argumenta. Sed cur *Circulatum magnum* nuncupetur, *Tu* quæris? O nimis multum ab imbecillitate noſtra exigis! Hoc tamen reputandum *Tibi* relinquimus, ne planè ἀσύμβολοι in hoc quoque inveniamur quæſito: Omnia ex una re, nempe *ſpiritu mundi*, cui *à ſanctiſſimo Creatore* illud FIAT ingenitum eſt, fieri, & ab eodem conſervari, ſuperius levi penicillo delineavimus. Ergò conclude *regnum etiam minerale ac metallicum*, in quo Sapientes ſuum *Mercurium* quærunt, hoc ipſo ſpiritu, cui incrementa ſua debent, abundè inſtructum: Hunc ergò *juxta leges ſuas* elicere, & ex *aëre*, quo tanquam vehiculo *ſpiritus Univerſi* utitur, *aquam* facere jubent *Philoſophi*, quorum juſſa ſi & nos decenter capeſſere poterimus, *undam* omni auro ac theſauro habebimus pretioſiorem.

§. 36. Ut ad *nominandi rationem* quoque perveniamus, *Rotam Philoſophicam* Tibi

Tibi offerimus, quæ ponderandum Tibimet ſtatim proponet, *ſpiritum hunc mundi fœcundiſſimum* per totam cœli terræquè machinam ſeu globum *aſſiduâ circulatione* ſurſum, deorſum, longè, latè & profundè moveri ac *circumrotari*, *circulatimquè* perpetuò deſcendere ſeu influere, ac minùs aſcendere ruſum atquè effluere, ut *Collegium totius Naturæ* ſic affatim nemo non cognoſcere queat, modò plus ultra tendere pergat, nec difficultatum obſtacula ſe abſterrere patiatur. Ex quonam *ſubjectô* autem *ſuccus hic Lunariæ* potiſſimùm petendus ſit, iterum ſciſcitaris. Quære qui reſpondeat, & *Magiſtrale* hoc ſolvat problema: Nos verò tacere ignorantia noſtra, quam puram putam hic prætendimus, poſtulat; Cataſta enim *Solis & Lunæ*, denſiſſimis ac plusquam Cimmeriis tenebris obſita, *nobis* etiam dubio ſine non ſecus incognita eſt, ac alia, quæ *Philoſophorum* hoc adornare *Cœlum* miramur. Clariùs tamen, ſi arcana hæc conſpicere geſtis, *Magnus Sendivogius Novum Lumen ſuum* (ſcriptum profectò ab ipsâ Minervâ natum) ſuppeditando *Tibi* faveat, nec non ejusdem *Filius*, itidem *illuminati ingenii Philoſophus*, *Lucernam Salis, Sudum Philoſophicum, & alia Clariſſimæ indolis ſuæ monumenta* cedro digna exhibendo, cui adjungimus *Myſterii Naturæ occultæ Autorem*, *non diſſimili tantæ ſcientiæ fama nobilem*, pro nunquam ſatis æſtimando candore ſuo ſatisfaciat: Meretur etiam hic ſuas laudes *Hauptmanni MEI*, *Sophiatri Excellentiſſimi* præſtabilis ſolertia in ſeinem Bergbedencken über die Hauptmangel des Bergwercks/ &c. *opus certe elegantiſſimo*, & ad Naturæ nutum accuratè conſcripto, qui ſuam hic pariliter *ſymbolam* egregiè adjiciet.

§. 37. Præſupponimus igitur *Tibi* ſubeſſe *oleum* ex hoc *ſpecierum* ſodalitio *Philoſophica peritia* factum: Præſupponimus etiam *Circulati iſtius ſeu aceti Philoſophorum radicati & catholici* copiam à Benedictione atque Miſericordia DEI, cui meritò tantum refertur beneficium, Tibimet conceſſam; Quibus ſic ſtantibus nullum nos dubium occupat, quin ſciveris quoque, cur *oleo & circulato* anaticâ dote copulato *menſtrui concubitus* ſententia ſit dicenda. Tribus. Amoris hoc vinculo arctiùs juncta & unita *majorem efficaciam ſaporemque gratum* oppidò acquirunt, ut *Elixir* ſeu *nectar proprietatis*, & magnæ in omnes morbos authoritatis, *verè philoſophicum planeque ætherium* ac ſuaviſſimum ſic effici poſſit. Hujus *Medicamenti* poſſeſſione quicunque exhilaratus fuerit, is accurata cuſtodia aſſervare id recordetur, ne in auras & patriam ſuam, unde principia ejus fuerunt oriunda, abeat adeoque evaneſcat. *Doſis* in *aqua quadam generosâ ſeu magnanimitatis*, ut ſic loquar, *pauculis guttulis* ab una ad 4. vel 5. expediri poteſt: De *virtutis* autem *excellentia*, qua eminet hoc Elixir, mox *in fine* dicetur.

§. 38. Quum verò *philoſophicâ hâc Benedictione* pauciſſimi coronentur, & inter tot mortalium millia *vix uni vel alteri* deſideratam iſtam adire *Corin-*

thum

thum liceat, inſuperque *Paracelſi ſucceſſores* plerique, tam *menſtruum innominatum*, quàm *modum conficiendi tenebricosè traditum*, ſuo ſe ingenio ſcrutinioque conſequi poſſe, deſperarent, ex adverſo autem tam *virtuoſi medicaminis* copiam poſſidendi, ob *balſamicam ingredientium efficaciam*, ſummo deſiderio æſtuarent, aliam potius *componendi* rationem *&* *Paracelſi præſcripto* non adeo diſparem excogitare, quam *ſcripta autoris* tam caliginoſa incaſſum evolvendo irreparabilem ætatem conterere conſtituerunt. Conſpirare igitur in eo nunc videmus *omnes* qui circa *Elixir proprietatis* progreſſu temporis ſua inventa ac ſingularem induſtriam memoriæ prodiderunt, ex quibus præter *CL. Oſvv, Crollium* Viros in hac Arte gratioſè meritos ac celebratiſſimos *Joh. Schröderum*, *Affinem meum cum reverentia obſervandum*, *Joh. Agricolam Zvvölſerum*, *fautores meos ſingulares* honorifice nomino, medicamentum hoc beneficio ſollicitæ *infuſionis atque extractionis, ſed & cohobationis* eſſe conſtruendum.

§. 39. *Modus*, quem recenſent, (cui *noſtras* ſtatim *animadverſiunculas* adadjicere lubet, quas *parentheſes* indicabunt) talis circiter eſt: ℞. *trium ſpecierum* ut noſtri *probe pulveriſatarum*, quibus nos ad conciliandam *ſaporis* ſuavitatem vel tantillum *de caryophyll. aromat.* nonnunquam addere conſuevimus) *æquali ir pondere.* quantum placet, quibus *tantum ſpiritus vini* (ſed *veri & alcooliſati*; nam ille ex *frumento* ab aniculis factus nobis anathema eſt, circa cujus neglectum tota attamen die in multis officinis relinquitur : ubi ineptitudo eorum quoque culpanda, qui loco ſpiritus Vini nudum vinum malvaticum accipiunt, & hinc Elix. Prop. cujus una doſis aliquot cochlearia admittit, efficiunt) affundatur, quantum *non ad levem ſed debitam madefactionem* ſufficere queat: poſtea addatur *ſpiritus ſeu oleum* (ſic namque promiſcuè dictus ſpiritus *ratione ponderis* ſui, quod cum *oleo* habet commune nominatur,) *ſulphuris per campanam* vel, ſi calles, meliori modo (facti, quantum *latitudo trium transverſim poſitorum digitorum ſupereminentia* requirit. Committatur *hoc infuſum digeſtioni per octiduum*; (imò præſtaret *amplius temporis ſpatium digeſtioni* concedere, ſiquidem *& ipſum menſtruum* quo nomine *liquor* affundendus aut *ſolvens* quodlibet inſigniri ſolet *menſtruum ſpatium* vel tacito poſtulatu *ad minimum* ſibi expoſcere videatur) *Spiritus tinctus* decantetur, *novusque ſpiritus vini* denuo affundatur, (*juxta Helmontium* namque nobile medicamen nullum dici meretur, niſi quod *cum ſpiritu vini optimo* arctiori nexu ſit nuptum, ut ad penitiores vaſorum viſcerumque receſſus energia illius ſe inſinuare, & contagium putredinis abſtergere poſſit) *iterumq́; digeratur*, donec *ſpiritus* calorem *ſaturate rubicantem* & plusquam *ſanguinem acquirat*, & hoc ipſum *toties totiesq́;* infundendo declinandoque iterandum, quoties voto noſtro reſponderit hinc impetrata *affuſi ſpiritus rubedinis tinctura.* Ultimus *ſpiritus minus tinctus* una cum *fecibus ſeu magmate* (non quidem *cum argilla*

vel bolo, ſed potius *cum capite quodam mortuo ſimplici & quam exquiſitiſſimi calcinato*, quod menſtruo ſuo confine eſt; nam illa ipſa jactura quam *Dn. D. Zwölferus* ominatur alioquin expectanda, quoniam *virtus deſtillati*, ſi terræ *ſalinam fixamq; animam* non habenti commiſceretur, quod ab *extracto* reſiduum, ſic infringetur omnino) *deſtillationi*, includendo omnia *retorta firma ſeu fictili* (in igne aperto, ut ſpiritus minerales deſtillari ſolent) concredatur, & per gradus, quod bene notandum, accuratè ſic cohobetur: accuratè inquã ego, quod Artifici ſatis.

§. 40. Sed *empyreuma & aduſtionem* opponis? Hanc primo evitare poteris, Si *artifex* ſis, hoc eſt, ſi obſervaveris *gradus*, tunc enim *empyreuma* ſeu *nigredo* deſtillati non timenda: Deinde ſi, *empyreuma* fortè redoluerit, *perito & experimentali phyſica probe instructo Chymiatro* facilius nihil, quam *viribus ingredientium* nullatenus deſtructis hanc emendare mendam, atque ad delicatam reducere fragrantiam: quam ἐγχείρησιν & olea cohobandi facilitatem non injuria (*ingratitudinis* namque timeo famam) peplo ſilentii involvo. Hæc ipſa per *cohobationem* impetrata *laudatarum ſpecierum* ſuavis *eſſentia* in ultimo *rectificationis* actu cum prioribus extractionibus *per infuſionem & decantationem* acquiſitis nec non optimè defecatis, ſi in *vas recipiens* hæ prius infundantur, ita uniri & ſubſequente ulteriori *circulatione* fortificari poterit, ut *poſt Paracelſi Elixirium proprietatis* (cujus, ob defectum *cognitæ Originis & Circulati*, minime compotes ſe eſſe, unà nobiſcum, jure contriſtantur *omnes nobiliores Chymiæ* cupidi) non contemnendum, ſed magni roboris remedium ſiſtere ſic valeamus,

§. 41. *Noſtram* jam deſideras *hoc Elixir proprietatis* præparandi rationem? Præmitto jam præmiſſa, & dico *ſpiritus ſulphuris loco oleum ſalis Solare Hauptmannianum ac meum* (quod ſaturatiſſima *flavedine* ſuâ æquat imo ſuperat ipſum *aurum*, ac nemo alioquin *præter nos* conficere ſapit, ubi hoc notatu dignum, quod ſine omni alieni auxilii, præter *Vulcanum utrumque* congreſſu, ex *tribus v.g. libris ſalis gemmæ vel marini &c* plusquam *duas cum dimidia libras valentiſſimi olei* impetrare, *Deo ſint laudes*, valeamus) ſubſtituere & facta decenter *laudati olei* prius cum *ſpiritu Vini rectificatiſſimo* vel etiam *aceto Vini probe deſtillato & radicato* (prout ſuadet intentio) *circulatione* (quæ non unam vel alteram ſeptimanam neque etiam *vulgatos ritus* requirit, ſed moras & improbum laborem poſcit) extractam (an *junctim*, an *ſeorſim* fiat, & quæ ſunt *aliæ circumſtantiæ*, meum eſt dicere vel ſilere) ex *his ſpeciebus* animam tamdiu *iteratæ* committimus *alcooliſationi* (quid cum *capite mortuo*, ut vocatur ſeu remanentia tentemus peculiari *taciturnitate* ſupprimendum eſt, quod *ſub tumba nobile lateat diadema*,) donec nacti fuerimus *Elixir proprietatis Balſamicum noſtrum*. *Balſamicum* autem nobis dicitur *ob impenſe amicabilem* conſenſum, quem cum balſamo noſtro in ſalina ſuavitate ac robore conſiſtente habet *oleum hoc noſtrum*, quod paucis ſic indicâſſe ſatis

erit cunctis, *qui ſolum ſal putredini veneniſq́; reſiſtendi*, & ab *impuritatibus corpora mundificandi* validam maſculamque obtinere virtutem non ignorant.

§. 42. *Alii* nobis etiam *modi Elixiria proprietatis ſingularia, conficiendi ſubſunt*, quorum aliud cum *ſpiritu noſtro cephalico*, aliud cum *acido Mercurii*, vel etiam *cum aliis generoſis menſtruis*, |quæ nobis peculiaria ſunt eo, quod neutiquam triviale eſt, artificio, *præfiſcini dixerim*, præparatur. Sed hæc arcana *Doctrinæ Filiis* quos Deus nobis obviam dignos his dabit, ſuo tempore communicanda aſſervamus. *Elixir proprirtatis antiscorbuticum*, ceu inventum *Ampliſſimi D. D. Joh. Michaëlis, Facultatis noſtræ Decani graviſſimi, Collegæ mei venerandiſſimi*, ob inſignes virtutes, quibus contra *corruptionem ſcurbuticam* athleticè valet, honorifica mentione dignum eſt. Conſuetum quoque *famigeratiſſimo huic Chymiatro* eſſe novimus, ſuum *Elixir proprietatis* cum *Tinct. Bezoardicâ*, (quæ pariter ipſum *ceu genuinum Parentem* veneratur, atque non immeritò à me, ob mihi toties probatam & omnibus ob *Catholicam*, qua excellenter pollet, efficaciam, magni æſtimatur) decenter commiſcere, atque præſtabile hinc contra quemcunque caſum efficere *præſervativum*. Sed quid de *Elixire propr. Albô*, quod famæ amplitudo hodie clarat, habendum non niſi *albæ Gallinæ Filius* (hoc ſummam felicitatem denotans adagium *Philoſophis adeptis* proprie deberi, cur obiter ſic innuam, illi, quibus *Dianæ* cuſtodiam fortuna commiſit, me longè rectius declarabunt) indicare, hoc eſt, qui beneficio *menſtrui Univerſalis (corroſivi illius non corroſivi) uniones* quibus nihil magis poſt *aurum* (hujus enim virtutes fermè æquant) eſt pretioſum *in lac ſpermaticum ſeu elementum lacteum*, ut loquitur *Helmontius* noſter, vertere, adeoque *ſummum analepticum ſeu refectivum* hinc præparare poterit. *Album* ergò vocatur ob albedinis ſuæ manifeſtam excellentiam, *& proprietatis* gloria ipſi attribuitur, quod humidum radicale *appropriatâ vigore* recreet ſeu effectiſſimè conſoletur.

§. 43. *Vires & virtutes* vel propterea breviter inſinuabo, quod jam tam *ex Paracelſo*, quam *aliis* decantatiſſimæ exiſtant, Duntaxat conferre hic placet, quod *Paracelſo* anſam hoc remedii genus excogitandi fortaſſis præbuerit. Diſcendi causâ is multum terrris jactatus & alto eſt, præſertim verò *apud Ægyptos & Arabes tam Philoſophos quam Medicos* propterea per aliquot annos, etiam captivus, remanſit, ubi quum tantam *Mumiarum* multitudinem (quæ nihil aliud ſunt, quàm *cadaverum corpora, quæ aromatum & unguentorum* pinguedine adeo condiuntur ac condenſantur, ut in modum picis induratæ reſplendeant, & ſic absq; minima alicujus membri putrefactione *in plurima ſecula* conſervari *integra* poſſint) concerneret, & narium judicio *Aloës ac Myrrhæ cumprimis multum his unguentis ſeu balſamis* admixtum colligeret, meditandi ac ſic argumentandi anſam accepit; *Sic cadavera vermibus deſtinata, à putrilagine ac corruptione* per tot centena anno-

annorum volumina, tam effectè ſarta tecta ſervari poſſunt, quanto facilius feliciusque *adhuc viventibus* tantum hoc *conſervandi* beneficium accommodari, & *ad Medicinæ gloriam* transferri poterit. Et hæc ipſa *Paracelſi* ſpeculatio tam fœcunda poſtmodum fuit, ut egregius ingenii partus *& illuſtris hæc Medicina* hinc in lucem prodierit, dum *puriſſimam eſſentiam & ſpirituale Elixir* ex hiſce *balſamis ſeu balſamicis ſpeciebus* conficere docuit, ut totum corpus & penitiora ejus latibula cuncta inſtar fumi perniciter penetrare, *& putredinis malignas radices* tam potenter edomare quam exterminare valeret. Quum itaque ex *aſtrali ſtemmate*, ut *ſuprà* monſtratum fuit, *ſæpius laudata Panacæa & Elixir propeietatis hoc Philoſophicum* fuerit oriendum, ipſi etiam *aſtrales virtutes quibus putredini ac corruptioni* heroicè reſiſtit, atque ſic mortales à morborum tyrannide oppidò vindicat, emeritô applauſu conceduntur. *Tu* venerare nobiſcum *regale hoc pharmacum*, ſub quo noſter vitæ ſpiritus in ſua virtute, *aſpirante divina benedictionis gratia*, cuſtoditus velut ſub novo vere regerminare, & ablatis ſic è corpore corruptelarum aggravantibus impedimentis, virium robur ex ſententia exhilarari poteſt. Quid vero *vulgari ratione paratum hoc Elixir* præſtare valeat, illi edicere poterunt, qui bona fide experientiam teſtantur. Quid tandem *Elixir proprietatis balſamicum noſtrum* valeat, proprio præconio, quod nobis etiam ſordeſcit, decantare hic nolo: ſtomachum tamen valdopere roborandi, & putredinem ſingulariter arcendi vim obtinet. *Hic finis? Eſto finis?* Impoſterum *plura & alia* officioſi affectus mercimonia, quæ commodis *Philiatrorum* adjuvante Deo conſecrare intendo, ſequentur, utut etiam *ſiniſtra cenſuræ* obnoxia fuerint. Poſt naufragium quoque maria tentari, & poſt malam ſegetem nihilominus ſerendum cogito. Forſan quicquid aſſidua infelicis ſoli ſterilitate peribit, unius anni reſtituere ubertas poteſt.

Cæleſte Lumen & Numen
Sit in Secula benedictum!

Chri-

CHRISTIANI LANGII.

D. & PP.

CURATIO CALCULI HUMANI.

AD HONOREM DEI

Et

PROXIMI SALUTEM.

Theſ. I.

TYrannum Naturæ noſtræ infenſiſſimum, &, propter inſigne ſupplicium doloris, atrociſſimum, imo hodierno ævo familiariſſimum, CALCULUM videlicet humanum, *nunc rurſus in medium ducens* ſtatim provocabo *ad exercitium* (*bis jam frugibus area trita eſt*) *præmiſſum in quo ex fundamentis pathologicis hujusdem mali generationem,* ni fallor, ſufficienti declaratione exhibui, & tam *philologica nonnulla* circa Calculi *Nomen*, quam alia quoque diligenti inquiſitione non indigna *Lectoris benevoli cenſuræ* ea qua par eſt animi ſubmiſſione, propoſui.

II. Operæ igitur pretium duco, tribus & pauciſſimis *ſummam intentionis meæ his repetere, quæ talis eſt*: Nempe Calculum generandi anſam quæſivi in pane quotidiano, & eduliis reliquis potulentisque petroſis, *Item* ac potiſſimum in ſale abundante, tanquam unico tam ſolutionis, quam coagulationis principio: Cauſam vero efficientem, ipſi concoctionis fermento, acori nimirum ventriculi, & calori omnis generationis patrono aſſignavi; qua occaſione non tantum rationes manifeſtas, Veterum pariter ac Modernorum hac de re ſententias ventilando, verum non pauca luculentæ demonſtrationis exempla etiam ſubminiſtravi.

III. Hoc prælibato, reſtare mihi demum videtur ut promiſſis ſtare annitar, quæ in *proferenda calculi curatione*, & *ſtudio à calamitoſa hac corpus noſtrum*

injuria cuſtodiendi, *unà cum adjunctis ſemioticis*; conſiſtere probè recordor. Itaque ut dicenda quadrent dictis hic curandi ſcopus ad præpoſitam cauſarum baſin unice & directè mihi dirigendus venit; ubi ſanè, quantum per ingenii imbecillitatem licet, id ipſum me obtenturum non deſpero, ut ineffabilis hæc miſeria citius & felicius ex nobiliſſimo Microcoſmo amoveri poſſit.

IV. Ægritudinum autem radices qui eradicare, & nervos earum qui enervare intendunt, *in cognitione Ætiologica* acquieſcere non ſolent, ſed ad explorationem hujus vel illius morbi ut recto tramite properare valeant, *ſigna pathognomonica*, hoc eſt, talia, quæ ſunt propria, inſeparabilia, & perpetuo concomitantia accidentia, ad negotium noſcendi accerſunt, quoniam rei ignotæ & non perſpectæ, nulla debetur intentio, atque auxiliandi ſcopus perperam hinc proſpicitur: Adeo oleum & operam perdit Medicus accuratiſſima ſignorum notitia deſtitutus.

V. Meritò Primates Medicinæ & operoſa eorum induſtria laudantur, dum *doctrinam Semioticam* partem hujus artis ſummè neceſſariam, Documentis ſeriò politis adornare ita allaborarunt ut offendicula hic nulla poſteritati fermè reliquerint, & diſcipulos ſuos in explanando hoc articulo utique fideliter manuduxerint. Proinde haut aberrare ego nunc potero, ſi *firma Præceptorum præcepta* hoc in puncto cum gratitudinis obſervantia ſequar, & *genuina calculi ſigna* exinde ſine mora depromam.

VI. Attendens ergo *Anteceſſorum relictas hac in parte regulas* deprehendo, ipſos *ſigna in duplicem* diſpeſcuiſſe *claſſem*, facientes alio Diagnoſtica, quæ præſens ſiniſtræ valetudinis nomen, & hujus vel illius morbi ſtitulum declarant, veluti hoc ex *Pergameno induſtrio illo Medicinæ Principe l. d. opt. ſec. emp. c. 6.* apparet; Alia vero *Prognoſtica*, quæ futurum morbi eventum & inſtantiam aut rediturae ſanitatis, aut imminentis obitus præſagiunt, in anteceſſumque prænuntiant; Et huc quoque *indicatoria illa*, quæ curationem indicant, ſunt referenda quorum mentionem inſtituit *idem Galen. lib. d. opt. ſec. emp. c. 6.*

VII. *Diagnoſtica circa ſigna* unicum hoc tantummodo, dum in conſideratione ea hic priorem hebent locum, in tempore eſt præmonendum, quod in affectu hoc calculoſo ex diagnoſticis ſignis agnoſcendo exquiſita adhiberi circumſpectio debeat, quum cum aliis quoque v. g. *cum dolore colico, & iſchiadico*, ſigna aliquot omninò penitusque teneat communia, in quorum numero præcipue exiſtunt dolor circa lumbos, & infimi ventris totius renumque regionem, item nauſea ventriculi, vomitus, alui conſtipatio, & quæ ſunt hujus faciei reliqua.

IIX. Atque licet Affectus dicti inter ſe certis quoque & peculiaribus

gaudeant differentiis, quum Colo dolente inteſtino, nauſea & vomitus accidant frequentiores, quam torquente calculo; porro quum levior alvi durities in calculo contingat quam paſſione colica; & tandem quum hæc jugiter ac Iſchiadica ſit pede vagubundo errans, Nephritica vero pertinacior: tamen circumſtantiis hiſce omni ex latere tuto fidendum protinus non eſt.

IX. Rationem dare hanc libet, quod dolor circa lumbos renumque ditionem in ipſo etiam calculo ſuum ſæpiuſculè ſitum non mutare non ſoleat; ita ut nunc dextro verſum nunc ſiniſtra, modo utrinque urgeat, prout renum alter magis vel minus afficitur, ut ureteres in deſcenſu calculi affliguntur, *juxta vulgatum illud, ubi malum ibi manus, & inevitabiliter dolor*: Hinc ſi lapis in principio vel capite ureterum lateat, dolor occupabit lumbos, ſi vero in iisdem deſcendere jam incipiat, tunc in lateribus ille perſentiſcitur, ſi tandem ex iisdem abeat in veſicam, inguina anguntur.

X. Inſuper ſigna *Diagnoſtica* calculum confirmansia *ordinis eſſe duplicis* ſtatuuntur *interna* videlicet atque *externa*: Inter *Illa* enarrantur ægra doloroſa & difficilis plane incurvatio dorſi, crurum ſtupor, ventriculi ſubverſio, edendi faſtidium, frequentiores mictus, teſticulorum verſus ſuperiora retractio, incertus urinæ color & multiplex variatio, utpote quæ modo alba, modo rubicunda, nunc tenuis, nunc turbita. jam pituitoſa, jam cruenta, jam arenoſa; interdum pauca nonnunquam nulla eſt, adeo ſæpiſſimè à calculo oſtium veſicæ clauditur vel obturatur, ut ne gutta quidem lotii exſtillare poſſit

XI. Nominanda hic pariter obſtinatiſſima alui ſignities eſt, orienda â vehementi renum inflammàtione, qua ſæviente, & repletione Coli accedente, dolores inſigniter exacerbantur, atque hoc ipſum quidem propter inteſtini dicti extenſionem, qua renes laborantes valdè comprimuntur. *Item* laſſitudo & torpor totius corporis, in hac ſignorum mentione non eſt prætereundus; qui dubio ſine provenit à compaſſione partium alimentarium, & coctione primæ inſervientium. *Pariter* flatus & tormina hoc in caſu ſunt attenda, partim propter diſtenſiones, quæ uſque ad ſtomachum, hepar & lienem ſe extendunt, eaſque partes compreſſione ſua attingunt, partim vero & potiſſimum obſalſuginoſa nec à ſero liberata in teſtinis excrementa, quæ tunicas horum acrimonia ſua arrodere tentant, præſentia.

XII. Præmiſſis hiſce internis ſignis, nonnulli non incongruè juxtà ſqualorem linguæ aſpiciendum hortantur, cujus cauſam calori quidem ariditatem hanc linguæ inducenti asſignant, cum tamen potius ea inſalina & petroſa materia ſit quærenda, utpote ex qua evidentiſſime calculus quidam poſtea apponitur dentibus, & hac ratione etiam conſequenterq; lingua oblæditur.

XIII. Ex-

XIII. *Externa ſigna* quod ſpectat, conjectura præſentis calculi certitudinis fulcro magis ſtabilitur, ſi patiens calculoſis progenitus ſit parentibus, quemadmodum liberi ob naturam depravatam imbecillitatum potius ſunt hæredes, quam bonarum qualitatum atque virtutum paternarum ſucceſſores, *Item*, ſi ægrotus in declinante jam verſetur ætate, *Item* ſi eſcis ſale conditis aut induratis fumo familiariter nimis ſit uſus; Si denique æger nimium indulſerit gulæ, & crudum ſi quotidie ingurgitaverit, vitamque ſine modo diſſolutè ac continuata cum crapula traduxerit: Concluſu enim perfacile, ubi ingluvies eſt quotidiana, & ubi major cibi potusque eſt copia, ibi etiam neceſſario luxurians excrementorum abundantia, & hoc conſequens nocumentum, quod facultati expultrici hinc infertur.

XIV. Omnium tamen præ indiciis omnibus maximè luculentum ſeu *pathognomonicum calculi eſt ſignum, Hipp. docente, ſ. 4. aph.* 79. ſi ſabulum, arenulæ, vel jam concreti quoque lapilli matulæ adhæreſcant, atque in ea conſpiciantur; vel etiam, urinæ cuticulam lapideam inſtar cremoris tartari oſtendant: Quo facto, ulteriori haud opus probatione eſt, quum quod oculi videant, cor fide facilima & prona dignari ſoleat Et hoc jugiter eſt, quod *venerandus Senex lib.* 1. *d. Diæta monet, dum dicit*: oculis ſemper magis credendum eſſe, quam auribus opinionibusque.

XV. Ad *Prognoſtica me* cnnvertens, ſtatim exclamare audio *Hippocratem: judicium difficile, difficile judicium.* Quicquid attamen ſit, probatiſſimæ *Medicorũ* diligentiæ & *hinc nata experientia* ſi inſiſtam, minus fortaſſis hallucinari potero. *Duplicis autem generis hæc prænuncia* eſſe deprehendo, quorum quædam mortem in ſinu, & feralem exitum conſideranti ſuggerunt, quædam vero Evangelium loquuntur, & ſolatilo revaleſcendi decumbentem oblectant. Idcirco de ſingulis ſigillatim.

XVI. Lapides ediſſerunt, & malitiæ præſagium afferunt ſequentia: 1. Si malum ſit hæreditarium & innatum; hoc etenim in caſu *artis medicæ Profeſſores* unanimi ſenſu conſenſuque fermè pronuntiant omnes, quod ſpes perfectè curandi vix unquam tum relicta ſit *juxta dicterium tritum*: *Naturam expellas furca tamen usq; recurrit.* Ita namque comparatum eſſe non difficulter conſtat, ut quæ Natura nobis ſunt congenita, contumaciter, & cum deſperatione immutationis inhæreant, ſicuti aliàs humanæ potentiæ non competit, rei eſſentiam in prima radice ſua pervertere.

XVII. Alterum mali omnibus indicium eſt, ſi calculo præpeditus ſit capularis & decrepitæ ætatis, aut ſi, quocunque etiam gradu, ſit in ſenioribus, de quibus *Hippocrates in Sect. 6. aph. 6. & l. 6. Epi. Sect.* 7. expreſſam hanc aſcripſit ſententiam, Se nimirum affectiones renum ſupra quinquageſimum annum nun-

nunquam vidiſſe percuratas: Hujus autem rei cauſam aliam deprehendo nullam, quam caloris nativi infirmitatem, quæ expellendis è corpore excrementis plane inſufficiens eſt.

XIIX. Male ſcævum porro ſignum eſt, ſi calculus tantæ ſit proceritatis & molis, ut per meatuum anguſtias nullo amplius modo tranſire ac penetrare queat præſertim tamen conditionem hujus deteriorem reddit ſubſtantia calculi non friabilis, ſed ſilicea, & contritioni neutiquam obnoxia, quo enim durior & ſolidior eſt calculus, eo fortiora & vehementiora requiruntur medicamina eundem confringere valentia: Vaſa vero & organa cum teneræ & tenuioris ſubmollisque ſint ſubſtantiæ fit, ut vim tam violentiæ operationis ſufficere non, aut ægre poſſint.

XIX. Peſſimam quoque indicandi notam ſuſtinet præſentia ulceris, ex calculo renibus inflicti; Etenim ſi calculus quidam grandior renum ſubſtantiam occupet, impoſſibile eſt, ut in vehemontiori præſertim corporis motu, imò vel in mediocri etiam illa attritu non ſauciatur. Unde quoque urinam cruentam paulo poſt excerni concernimus. Ubi itaque continui ſolutio ſeu vulneratio, & ſangninis extravaſatio, ibi quam facile ſuccedanea eſt inflammatio, atque per conſequens ipſa exulceratio. Hinc in miſerrimo hoc ſtatu curatio manifeſtiſſimè evadit difficilis, cum renes exulcerati acria & calculum fortiter frangentia vix admittant remedia.

XX. Huic infauſtorum Catalogo indiciorum quidam inſerere amant & illud, ſi per aliquod dies in lotio conſtanter bullæ (quæ præcipue in calculo veſicæ contingunt) viſantur & ſi illud nullo tempore clarum tenue atque ſubtile compareat. Quorum prius, tartareos ac mucilaginoſos humores unà cum flatibus copioſe in renibus redundare ſignificat; poſterius vero ingentem vaſorum obſtructionem portendir. Ex his igitur enarratis ſignis *cuncti ferme Doctores* conjuncto quaſi effato incurabilem judicant calculum, cui tamen concluſo protinus & ita ſimpliciter aſſentiendi calculum adjicere ob rationes *infra* exponendas recuſo.

XXI. *Latius quæ porrigunt nuntium*, nunc mihi recenſenda veniunt, & ea quidem *apud Practicos* hinc inde obſervantur talia: Nempe ſi urina in principio, veluti etiam id ſemper fieri ſolet, reddatur tenuis & alba, ſed poſtmodum in fundo ſcaphii arenoſa reperiatur ſaburra, quæ non ſolum deobſtructionem vaſorum, verum aliqualem quoque calculi reſolutionem infallibiliter denotat: Sive enim ex renibus & uretribus in veſicam, ſive ex veſica in matellam delabatur calculus, & protrudatur, eum plerumque turbida, craſſa, viſcoſa, & arenoſa hactenusq; obſtructionem retenta materia ſat copioſe concomitare ſolet.

XXII. Deinde ſi calculoſum hoc malum non ſit congenitum, ſed adventi-

S tium,

tium recensque natum, pariliter ſpes bonæ valetudinis affulget, quum morbo venienti feliciter occurrat Medicina & principiis obſtare eam peritè facienti ſit admodum in proclivi, non ſecus ut unica ignis ſcintillula aquæ gutula extinguitur facilimè, imò facilius quam incendium adultum multis plurimisque doliis: Adeo venire præſtat in tempore, quod omnium rerum ſolenniter eſt primum.

XXIII. Minorem quoque difficultatis expectationem oſtendunt floridi & juvenis anni, quo tempore propter vigorem Naturæ atque calidi nativi integritatem malum non difficili negotio evelli poteſt, quemadmodum etiam ſi calculus ſit friabilis, ſi renes adhuc ſint ſalvi, & quæ ſunt alia prognoſin exoptatam apportantia. Hæc autem uberius ex præſagiis malis ſupra colligi queunt prout contraria juxta ſe poſita alias magis eluceſcunt.

XXIV. Cum ergo illi qui genium morbi exactè noruntmedelæ oppido ſint propiores, ita & ego nunc rectà curſum meum ad *curationis atrium* dirigam, atque hac lege pergendi ſtrictiſſimè obſervata, ut ſecurim nobiliſſimæ artis ad vitiatæ arboris radicem ponam, illamque radicitus exſcindere allaborem. Sic enim omnes fideli Medico morbi ſunt curandi, ut frutices ac ſtolones paroxysmoſorum non amplius pullulare queant. Hæc omnia tamen pauciſſimis & Minerva viliori à me proferentur, quemadmodum alias Medicina non dicere, ſed facere docet, & in hac arte verba rebus ſint potius probanda.

XXV. Sed ingrediens ipſum Curationis Sacrarium, almam Meditrinam *beneficio duplicatæ faciei* conſpicuam conſpicio, & hinc velut alterum quendam Janum percelebrem deveneror, *quarum anticam* præſentis ſanitatis donum & ejus conſervationem ſeu partem ὑγιεινὴν, *alterum vero & poſticam* amiſſum ſecundæ valetudinis bonum, quomodo ipſum citò & tutò jucundeque recuperari poſſit, hoc eſt, partem θεραπευτικὴν reſpicere haut abſonè colligo.

XXVI. Ad utrumque hunc terminum ego pariter mentem meam & totum negotium applicabo, ita ut nihil quicquam prætercam, quod ad profeſſionem auxiliandi conducere videtur. Nimirum ut truculentus eſt propoſitus affectus, ſic quoque ſummum erit ſtudium navandum, ut iſte aut penitus à corpore noſtro arceatur, & ſic tutela ſanitatis nobis quam maximè ſit cordi, aut quàm ocysſimè fieri poteſt, profligetur viſcera jam excrucians. Peſſimus enim iſte hoſpes eſt, qui in diverſorio noſtri corporis planisſime non tolerandus, ſed omnibus remediorum armis expellendus eſt; melius tamen non admittitur, & quidem conatu præcavendi ſolertiſſimo.

XXVII.

XXVII. Sed opus eſt ingens, quod intendo, & auſum effectu quaſi impoſſibile, adeo hoc vel ingenioſiſſimi captum Medici ſuperat, quanto magis virium mearum tenuitatem, quis etenim, quæſo hominum tam exoptatæ eſt valentiæ, & facultatis tantæ, ut depravatiſſimum curſum naturæ; in quo proh dolor! hæc poſt deplorandum lapſum varo corruptionis crure progreditur, invertère rurſus poſſit. Certe hæc & conſimilia mortalibus nobis penitus non competunt, utpote quæ omnipotentiæ tantum divinæ committenda. Ita enim cum labore mortali comparatum eſt, ut ille immortale nihil efficere valeat.

XXIIX. Rem ita ſe habere, nulli equidem dubium eſt ullum, attamen induſtria hominum non protinus erit damnanda, ſi virili aliquid ſalutem præſtare aut tentare illi conentur. Tanta enim & ineffabilis eſt Dei miſericordia, ut de rigore juris ſui, ſecundum quem petulantia peccatorum in Medicorum manus incidere cogitur, præmultum remiſerit; Adeo ut juſtiſſimos JEHOVA genus humanum non tantum vulneret, verum etiam clementisſimè rurſum ſanet; adeo inquam ut non rarò natura noſtra opprimatur, ſed & erigatur rurſum. Et hinc æternus Creaturarum Opifex tàm Medicinam condidit, quam Medicum juxta creavit, qui ſcientia ſua unicuique corporis damno ſi non ſemper perfectisſimo undique remedio, ad minimum tamen aliqualis ſolatio ac doloris levamento occurrere callet.

XXIX. Atque etiamſi propter nimiam mentis noſtræ imbecillitatem non ſemper ſit in Medico, relevetur ut æger; neque ex animi voto omnes ipſius in curando actiones ſemper ſuccedant, neutiquam tamen animus plane eſt deponendus, neq; omittendum iſti quod vigore documentorum efficere ſcit, aut poteſt. Id quod vel *ſola proximi dilectio & virtus divini præcepti* modis omnibus jubet.

XXX. Allubeſcit autem *primò circa eam Medicinæ partem, quæ ſanitatem converſare* docet jam verſari, anſam ſic præbente *hoc vulgato:*

> *Si me vivere vis ſanum rectèq; valentem,*
> *Quod mihi das ægro, dabis ægrotare timenti.*

Taceo, quod, *meo quidem judicio*, gratior ſit ſanitas retenta, quam reddita, quicquid etiam ſtatuere placeat aliis. Magnum Dei munus eſt non ægrotaſſe, & miſericordiam non meruiſſe. Ego majorem Medicis puto gratiam deberi, qui ingruentem ægritudinem arcent, quam qui depellunt ſævientem: Siquidem magis optandum, non experiri malum, quam ab eo liberari. Imo cumprimis in calculi hoc malo verſiculum illum ſerio attendere ſuadent:

Turpius ejicitur quam non admittitur hoſpes. Et hac ratione à Medicina præſervatrice ordiri decrevi, quam circa *debitam Sex rerum nonnaturalium adminiſtrationem* potiſſimum eſſe occupatam jam pridem fuit notorium.

XXXI. *Aer* in harum ordine locum obtinet primum qui corpus noſtrum perpetuo ambitu circumdat, & ex quo ſpiritum vitæ, quam diu vivimus, indeſinenter haurimus. Ille igitur ſive ſanitatem à calculo ſartam rectam conſervare, ſive ab hujus inſultu afflictam radintegrare ſtudeas, purus, temperatus, liber, minime fœtens, nec fracidus, nec nebuloſus, nec uliginoſus, neque pauliſtris eſſe, aut vitioſis halitibus aliis non ſcatere debet. Sol pariter nimio æſtu fei fens & radii ejus quaſi cremantes ſtudioſè ſunt fugiendi, ſicuti nec corpus tempore crepuſculi exhalationibus humidis eſt exponendum.

XXXII. Deinde *fideli Medico* incumbit, ut intentionis ſuæ oculos in culinam ac cellam immittat, ut certis vivendi regulis corpus circumſcribere queat. Hic autem in genere præmittitur ut *Medicus ad modica* clientes ducat, & præcipiat, eos vitæ rationem uſurpare tanquam infirmos, ut rectè etiam valere poſſint, verbi cauſa cohibere appetitum ut mox etiam recte & rationabiliter appetere valeant. Sic nempe admonendus eſt animus, naturam nobis minimum conſtituiſſe: Neque tam moleſtus creditor eſt venter, ut pote qui parvo dimittitur ſi modo, *ſecundum Senecam*, das illi quod debes, non quod potes.

XXXIII. Luxuriæ nocumenta prolixius hic perſtringendi locus non eſt, quæ ut Medicorum nutrix *vulgo*, vocatur: ita ex adverſo temperantia alma ſanitatis eſt mater: Unde *princeps Medicinæ Senior, Hipp. lib. de morb. dicit* rectiſſime:

Qui parum edit & potat, is parum & raro quoque laborat ægrotatque Et ſane ingluvies ac gulæ laſcivia ſi ulli, calculoſo malo materiam & occaſionem ſufficientisſimam, ut citatiori gradu nos inſultet, *approbante id univerſo Medicorum choro*, ſubminiſtrat.

XXXIV. In ſpecie autem ratione cibi potusque peculiaris delectus, omnino & valdopere eſt neceſſarius, quemadmodum id liquido claret, *ex progymnasmate noſtro priore de generatione calculi*, ubi neceſſitatem hanc evidentisſimis demonſtrationibus atque luculentis exemplis deduxi dum potisſimam calculi inter alias cauſam eſculenta & potulenta petroſa eſſe approbavi. Hinc *Julius Cæſar debell. civill.* appoſitè concluſit dicens, *ad ſanitatis conſervationem & morbi effugium plurimum referre quo quisque cibo, & potu utatur.* Atque ſic ſua veritate conſtat, quod effectus de ſua cauſa ſemper optimus atque infallibilis ſit teſtis, neque materiatum ſuam materiam abnegare unquam queat.

XXXV.

XXXV. Ex *alimentis* igitur illa quæ εὔχυμα καὶ εὔπεπτα, *id eſt*, boni ſucci & facilis concoctionis, quæve cumprimis malum ſua bonitatis indole quodammodo corrigere valent, ſunt commendanda, & quidem *ex carnibus*, *vitulina, agnina, avicula: ex piſcibus ſpeciatim perca funduli, lucioli, Salmones, cancri & piſces ſaxatiles quicunque: ex herbis & radicibus petroſelinum, raphanus, Aſparagus, rapæ & napi, fæniculum, malva, blitum, atriplex, beta, braſſica, intubum, ſpinachium: Ex fructibus cinara, pruna dulcia, cynosbati, acini & cætera, præcipuè tamen illa*, quæ triplici hac eminent gratia, ut ad palatum ſint delicatæ, & ſapidæ, deinde ut ad benè nutriendum ſint ſolidæ, tandemque ad medendum juxta efficaces.

XXXVI. Contrario autem ex *cibis vitentur panis nimium fermentatus, arenoſus, pulces farinaceæ legumina penè omnia, lac non recenter multum*; (propter textum *Hipp. 7. Epidem*) *carnes item annoſorum animalium, vaccina ſcilicet, bubula, caprina, nimium ſalſa aut fumo indurata, extremitates quadrupedum, quæ nimium viſcoſa, ligamentoſa, membranoſa, nervoſa & cartilaginoſa, omnis generis acetaria inſimul, & acida nequitia caſei antiqui, & piſces.* exceptis ſaxatilibus *omnes*, præcipuè vero *lacuſtres atque paluſtres.* Fugiantur quoque omnis generis *crudi craſſique vaporoſi & flatulenti, viſcidi petroſique aromatici aliique caliditatis gradu excedentes cibi*, à quibus etiam non excluduntur *ſaccharata*, utpote aciditatis vitium perfacilè recipientia.

XXXVII. Pro *potu* adhibenda ſunt *vina tenuia*, & qua vires *mediocria* (non tamen auſtera atque acida) præprimis vero *Neccaria & Rhenenſia*; item, *cereviſia tenues atque diuretica*, *quales* in hoc Electoratu & in vicinia ſunt *Wurtzenſes zerveſtana* & præſertim Naumburgenſes à Natura loci commendatiſſimæ: qua de re mecum non diſſentientem *vide Du. Matth. Unzerum de Nephritide l.1, c.26. pag. 966.* Item *Ptiſana & carnium juscula* hic encomium ſuum depoſcunt.

XXXVIII. Potiſſimum tamen *aqua* quæ indies ad ciborum coctionem uſurpatur, probe eſt examinanda, ne illa ſit ſua natura petroſa, & tam ſaxeæ indolis, ac proinde in coctione tophum apponat, firmiterque ollæ accretum relinquat, qualis aquæ & ejus inſignis noxæ mentionem facit *Helmontius c.1. d. Lithiaſ. n 18. & 19.* Caveat itaque ſibi quilibet non ſolum à talibus *aquis petroſis*, ſed & in genere ab omnibus *craſſis, limoſis, argilloſisque*, tàm in cibo, quam in potu quam diligentiſſimè.

XXXIX. Hoc ipſum, quod jam de obſervanda aquarum qualitate annotavi, *Vir quidam honoratiſſimus*, & *amicus nobis conjunctiſſimus*, ſatis evidenter & cum magno valetudini ſuæ detrimento in effectu & à poſteriori tandem expertus eſt, qui ex tali *calculoſo fonte*, quam in domicilio ſuo familiarem habet, & quo quotidie eſt uſus, execrandum hoc malum ſibi (cum nemo parentum, aut conſanguineorum ſuorum eodem unquam laboret vel laboraverit) in gradu ſat

 vehe-

vehementi conciliavit. In hoc a.caſu, ſi incommodum iſtud mutari non poteſt, egregium & multiplici experientia probatum nobis communicavit præſervativum *Helmontius c.1.d.lithias.n.19.pag.m.653.* ubi refert totum aliquod monaſterium in tali caſu *beneficio cerevisiæ cum ſemine Daucicottæ*, & pro quotidiano potu uſurpatæ, probe ſemetipſum præſervaſſe.

XL. *Motus atque exercitium* in hoc affectu fit temperatum, magisque ante cibum, præſertim horis matutinis, illud inſtituatur; ubi viæ poſt concoctionem ſunt patentiores, & hinc excretiones per agitationem eo facilius poſſunt promoveri, ſpiritusque ad diſcutienda excrementa excitari. Aliàs tamen exercitatio nimia ſolidas partes exhaurire, calidum diſſipare & corpus refrigerare ſolet.

XLI. *Somno* nimio, præprimis vero Meridiano, mos non geratur, niſi conſuetudo, quæ alteram conſtituit naturam, aliud ſuadeat, niſive in defectu ſomni nocturni, & in puncto ſenectutis, propter cauſas, quas ſcilicet *Lemnius in exhortat.ad vit.opt.c.6.* recenſet; Per eundem enim crudi humores mirificè cumulantur, qui poſtea calorem nativum obtundunt, caput replent, aliasque hinc plures ac magnas corpori afferunt incommoditates. Ex parte autē altera *vigiliæ* moderatæ ſenſus ſpiritusque excitant, eosque vegetiores reddunt, ſimulque excrementorum propulſiones promovent.

XLII. *Alvus* inſuper hic obſervanda, quoniam *juxta doctrinam Galeni lib.d.Ren.affecti*, non ſolum pro præſervatione, ſed etiam curatione calculi nihil tantopere conducit quam eandem habere congruè apertam & lubricam, quapropter eò ſemper hic reſpiciendum, ut quotidie excrementa debito modo reſpondeant. Si enim alvi fæces tempeſtivè riteq; deponantur, & ſecum humores vitioſos efferant, corpus mirum quantum levatur, inque ſanitatis ſtatu feliciter conſervatur; cum ex adverſo illorum retentiones, putridos efficiant vapores, coctionem impediant, fermentationem, aciditatem, ſalſedinem, & acredinem inſigniter adaugeant.

XLIII. *Urina* nunquam ultra ſtimulum ſuum eſt retinenda cum alias in hoc affectu illa ſemper eſſe oppreſſa conſueverit. Quacirco quantum poſſibile modis omnibus eſt promovenda. Cogitatu enim facilimum eſt quo diutius lotium continetur, eò magis illud incraſſari, eoque magis calculoſam coacervari materiam.

XLIV. *Veneris porro ſtudium*, ut præ omnibus aliis actionibus ſummè nocivum eſt calculoſis, ita etiam eò diligentiùs ab iſto abſtinendum, cumprimis tamen, ſi coeundi deſiderium acredo & ſalſedo tàm urinæ, quam ipſius ſeminis in calculoſis concitet vehementius, ac ſtimulos iſtos ſabulum per vaſa exiens accerſat; Non enim illud dolorem, ſed potius pruritum quendam, qui leviſſimi

mi doloris eſt ſpecies in vaſis hiſce inducere ſolet. Adeò certiſſimum eſt, nequicquam renes tàm valdè exiccando & enervando ad calculum progenerandum diſponere, quàm profectò *venereos complexus*; Veluti hoc ſæpiſſimè, *teſte Unzero*, eſt obſervatum; quod viri juveneſque in cælibatu vitam agentes, nullas unquam à calculo paſſiones fuerint perpeſſi, qui tamen poſtea connubio inito, in eo ſtrenue ſe gerentes, de doloribus nephriticis ſtatim ſunt conqueſti.

XLV. *Affectus quoque & perturbationes animi*, ut ſunt, ira, triſtitia, melancholia, metus & præcipuè anxiæ curæ (à quibus humores, ſanguis, ſpiritusſque in corde veluti à febrili quodam incendio effeveſcunt, hincque & inde impensè agitantur) præcipuè cibi tempore, vel celebratâ jam menſâ longè imò penitusque abeſſe debent, cùm *juxta Naſonem*,

Mordeat iſta tuas aliquando cura medullas.

Ergo quisquis etiam ſit, qui calculo affligitur, ne ad calculos ſedeat, hoc eſt, ne inani cura, computationibus, aliisque animi vanitatibus indulgeat.

XLVI. Adhuc in genere circa *partem ὑγιεινὴν* hoc jugiter eſt probè obſervandum, quod cuncta & ſingula medicamenta, quæ in curatione adhibentur, applicari quoque in puncto præſervationis poſſint, & vice verſa. Unicum tamen hic attendendum, nempe quod remedia in minore doſi cauſa præſervandi, ſint porrigenda, quàm curandi gratia, quippe ubi doſis vel duplicanda. Hinc tale conſtruo axioma: quæ medicamenta in præſervatione juvant, ea etiam continuata, inque majori doſi exhibita ægros infallibiliter reſtituere valent, & priſtinam ſanitatem promittunt.

XLVII. Cum autem commune inter mortales illud ſit vitium ut negligentia valetudinis præſervandæ iſti plerumque peccent, & hinc præter opinionem omnem morbi ſæpius graviſſimi eosdem invadant, quos demum nimis ſerò & poſt feſtum cognoſcunt, idcirco inevitabilis ordo ratioque ipſa jam poſtulat, ut ad alteram, quæ inter Medicinæ principes eſt, partem ſeu *Therapeuticam* me ſine cunctatione ullâ convertam: Eſt enim ea hæc ipſa, quam ægroti cumprimis cum ſuſpirio exoptant, & quæ Medenti illuſtrem angeli vultum conciliat.

XLIIX. Verum oculos animumque in hoc prægnanti Medicinæ articulo *ad practicorum libros*, *eorum obſervationes*, *curationes*, remedia *atque remediorum formulas* conjiciens, confeſtim cæpi dubius hærere, num longiſſimæ ibi conſcriptæ potiones, num plusquam centiceps illa & prolixiſſima medicamentorum, ex omnibusque regnis ac ſpeciebus conflata

compo-

compoſitionum, inquam ejusmodi remediorum quaſi centones ſpem aliquid ſalutare præſertim in hoc affectu, perficiendi ſpondere poſſent? Adeo ingredientium confuſionem à verâ Medicina abeſſe, & tam medicaminum quam Medicorum multitudinem ægrum perdere poſſe exiſtimo.

XLIX. Exactiori enim conſideratione dum perpendo, Naturam ſuapte naturâ atque in actionibus ſuis neutiquam eſſe duplicem, multoque minus multiplicem ſed ſimplicem ſemper atque unam, abhorrendum potius ab hâc componendi farragine & ſimplicitati ſtudendum bono Medico eſſe reperio; quàm ut inutili hac mixtione excellentes ingredientium vires obruantur atq; frangantur, præſertim, quod ipſa natura paucis modo appropriatis ſemper ſit contenta, & ſic ipſa quoque jubeat, quæ per pauca commodius fieri poſſunt, ne perperam & incaſſum fiant per plura.

L. Ignoro quidem, aut dubito hic minimè, opponentes affore, qui antiquitatem honorificè nominabunt, & ejus in facienda Medicina felicitatem, teſte experientiâ demonſtrabunt, etiamſi longiſſimus illis præſcriptionum formulis fuerint uſi: Cui inſtantiæ pariter accedit, quod in tanta ingredientium copia neceſſario unum vel alterum ſubeſſe ſpecificum debeat. Unde & *ille vetuſtus canon*, an pro moderna Medicinâ obſoletus: *quæ non proſunt ſingula, multa juvant.*

LI. Aſt hæc omnia ſuo loco relinquenda cenſeo, neque etiam animus eſt, modo cùm rectitudine judicii fiat; penitus hunc medicinas præſcribendi modum impugnare, verum hoc ſaltem inquirendum mihi nunc proponam, unde ſcilicet fauſtus ille effectus ab exhibitione tam conglomeratarum commixtionum, & quænam ejus genuina cauſa. Puto igitur in hoc ſpecierum grege utique nonnunquam præſto fuiſſe quædam *ſpecificè appropriata appropriatèque ſpecifica*, quæ non niſi ſpecificas appropriataſque operationes edere potuerunt.

LII. Id tamen hic quoque non prætermittendum, utrum in hac concatenata mixtione, vel utrum unius alteriuſque appropriati aut ſpecifici virtus non impediatur obtundaturque quò minus agendi efficaciam integrè exerere queat; Præſertim ſi quandoque aut fortè fortuna addantur contraria, & diverſis ſeu repugnantibus qualitatibus prædita? Sane ſic arbitror. Si enim *venenum in lacte ſumtum*, evadat minus noxium, quam per ſe hauſtum, cur idem quoque in compoſitis & præcipuè benignis medicamentis non potius eveniat? Diverſa ratio nulla nec argumentum probandi contrarium hic adeſt. Ergo concludo, ſolitarias atque ſimplices qualitates, ut ſemper ſunt uniusmodi & ſibi ſimiles, ita quoque nobis & naturæ noſtræ gratas eſſe atque magis commendandas.

LIII. Ut ut autem *ampliſſimas haſce & magiſtrales Anteceſſorum formulas* ſic diverſimodè compoſitas non adeo æſtimem, nonnulla tamen ex illis, quæ cer-

rô reſpectu majoris eſſe momenti mihi videntur, hic adſcribere lubet, & quidem hoc intentione eâ, non quod hæc vel illa compoſita præ aliis in ſuis conceptis formulis peculiariter arrideant, prout nihilominus aliquot eorum non incongruè confecta atque conferta deprehenduntur, ſed ut exinde *præcipua ſimplicia* in morbo hoc multum valentia quodammodo, & cum ſeligendi diſcretione cognoſcere queamus, quæ poſtmodum commodè pro circumſtantiarum conditione præſcribi, præparari, opportunè invicem miſceri, atque ſic, ratione Duce, adhiberi poterunt.

LIV. Summe quidem laudandi nihilominus ſunt, *priſci Medicinæ Doctores*, quod volumen tàm operoſum *variorum ſimplicium*, in calculo ſat probatorum candidè nobis communicare non dedignati ſint; att men in eo poſteritas aſſenſu ſuo illorum conatui tam absque exceptione re uſabit applaudere, quod indifferenter fermè omnia, modo in aliqua n inimâ du taxat, qualitate calculo viſa fuerunt adverſa, commiſcuerint, & accurat us ante in ſimplicium illorum facultates non inquiſiverint, quanan ſcilicet ratione ac virtute in calculo aliquid præſtent, vel ſecus; utrum cum reliquis admixtis ex eodem principio reſiſtendi calculoſæ affectioni conveniant, aut utrum ex alio aliquo fundamento vim ſic agendi nanciſcantur. Sed ſola experientiâ hujus vel illius medicamenti veteres fuerunt contenti, alterum & potiſſimum Medicinæ fulcrum nempè Rationem in hoc capite ut plurimum negligentes, nuda tantum relatione & cauſa omnino non adjecta illud & iſtud tales ac tales effectus curare annotarunt.

LV. Verum enimvero, non pigebit me communes iſtas calculi curationes *à Medicorum vetuſtate* præſcriptas contemplari, illorumque ſpecialia hic remedia recenſere, præcipueque tamen *juxta Methodum medendi* laudatiſſimam ea diſtribuere, prout & illis, *ſecundum hunc ordinem ſanandi, jam adhuc in ſcholis vigentem* remedia ſua adhibere fuit peculiariter cordi. Et quis Methodum hanc ſtrictè obſervandam confeſtim primo intuitu non videt in *affectu nobis propoſito*: *V. gr.* Ineptè & immature, hoc eſt, contra fundatiſſimæ artis præſcripta Calculus movetur & frangitur, ubi primum doloris auxilium eſt promovendum; Hic enim temerario augmento ſic magis magis exacerbatur.

LVI. Sæviente igitur dolore Nephritico, & gravi exinde paroxyſmo, aut inſtante aut acerbis aculeis jam urgente, quid hic agendum ſit, *methodus medendi* Medico affatim dictitat: Nempe, quam fieri poteſt acceleratâ citâ celeritate, tollendus ille eſt atque removendus, quoniam *hæ indicationes* perpetuò ſunt malæ, utpote toto genere præter naturales.

LVII. Mitiſſima autem medicamenta quibus *dolorem vel ſtatim levare*, *vel penitus profligare* intendunt, initio cum quærant *clyſteribus* in anteceſſum potius

uti & *externis pariter lenientibus* intentionem ſuam proſequi rectius tutiuſque putant : Medicamenta vero per os aſſumenda non perperam propinant , ſed prædictis viam quaſi ſternere & obſtacula ad rectum medendi ſcopum perveniendi amovere operantur. *A Clyſteribus* ergò curandi primordium recte capimus , cum illi inteſtina atque renes deſubito ab onere ſuperfluo & inutili liberent , ac ſic liberius ſpatium viſceribus vaſiſque largiantur. Verum in quantitate minori enemata ſunt præſcribenda , & repetitis pro neceſſitate vicibus adhibenda ne ſi major illa ſit, ex compreſſione renum dolor ſuccedat vehementior.

LVIII. Ad nominatum jam finem conſequendum *Prædeceſſores noſtri* tantummodo ad *emollientes lenientesque ſpecies* recurrunt , & hinc decocta confici jubent : Sunt autem illæ, *Radix vel Herba Althea, malvæ veronica, parietariæ: Semina aniſi fæniculi carvi*, *Flores chamomill. melilot. anethi. viol. ficus pingues &c.* Item *olea chamom. ſcorpionum, amygd. dulc. & amar. perſicor. & vel butyrum etiam recens* : quibus omnibus pro ſtimulo , perſpecta prius circumſtantiarum ſeu ſymptomatum ratione aliquid de *caſſia fiſtula. Hierapic. Extr. Rhab. agar. Elect. lenit. diapr. de pſyll. &c.* addunt : Et quum nonnulli enematum refugiant uſum, *ſuppoſitoria* vicarium hic munus ſuſtinent, utpote quibus egeſtio alui non incommodè etiam procuratur.

LIX. Adhibitis hiſce , ſi dolor nihilominus excruciare pertinaciter pergat , *inunctiones ſtatim externas* ad leniendam , ſentienti acerbitatem applicant , & renum regionem utramque *unguento Agrippæ, dialtheæ, alabaſtri , Roſar: Oleo campb. liliorum alb. violarum chamom. axungiâ gallin. vel caponum &c.* imbuunt : vel *laminas quoque plumbi* renibus apponunt , quas quidem nonnulli rejiciendas monent , ob frigiditatem ſcilicet ſummam , materiam repellentem, effluviumque pororum impedientem : Attamen, quâ ratione illis conſenſum dare liceat , non video, quia laminæ hæ licet naturâ ſua ſint frigidæ , quod etiam non nego , nihilominus peculiarem hunc & mirum præſtant effectum, ut cuilibet in corpore parti dolorem paulatim adimant & quaſi *magneticâ vi* extrahant , id quod manifeſtiſſimè eſt deprehendere , dum quælibet pars affecta ſub plumbeo hoc tegmine ſemper madere ac ſudare ſolet, in quo ſudare *ſal cauſticum* parti calorem doloremque inducens , continuo egreditur & ſua acrimonia plumbum ſolvere tentans viſibiliter adhæreſcit. Rationem rationis & eam adhuc ſuper addo, quod ſcilicet *illa attractio ſalis* copioſa fiat beneficio *Mercurii* quo Saturnus abundat: Mercurius autem deperditè , ut ſic dicam, ſalinum contubernium amat. Atque ſic, modo hoc atrociſſimos in articulis dolores quàm optimè fuiſſe ſedatos, memoriter meminimus.

LX. Pro

LX. Pro mitigandis porrò cruciatibus, *Præceptores noſtri* adhibere quoque *fomentationes* ſolent paratas aqua, in qua *folia alth. cham. furfures, ſem. aniſ. fœn. carvi, & ſimilia* decoqui curarunt. Ad hanc etiam claſſem *balnea* reducuntur ex jam appellatis ſpeciebus inſtituta, quibus *ſemina lini & fœnigræci*; *Flores Chamom. meliloti. Herba malvæ, parietar radix alth.* adduntur. Sic enim leniendo emolliendo & tenuia vaſa dilatando Balnea multum efficiunt.

LXI. In corporibus plethoricis, & quæ ſanguine, peculiari copia, ſunt conferta *Venæ ſectio* in cubito ac latere dolente meritò admittitur, præſertim ſi imminens inflammationis periculum ob inſignes dolores & hinc ſuccedentem humorum accurſum eam non diſſuadeat; vel ſi hepar calidam in renicus intemperiem excitet. Præſente verò jam inflammatione & humorum affluxu vena malleoli vel poplitis rectè aperitur.

LXII. Sedato vel imminuto ſic dolore, antequam medicamenta calculum frangentia & propellentia adhibeantur, ante omnia corporis ſentina adhuc diligentius eſt *repurganda*, ne humores circumjacentes, & potiſſimum pituita viſcida, illa perpetua calculi pediſſequa, cum diureticis & ſaxifragis ad partem affectam protrudantur, ignisque igni malumque malo ſic addatur.

LXIII. Hunc in finem uſurpant pro diverſitate temperamenti & pro varia ægroti conſtitutione varia atque diverſa quoque *cathartica*, imprimis autem & initio *mitiora*, quæ alvum ſuaviter laxant, & omnem dejiciendi difficultatem avertunt; Plurimum namque refert; Alioquin ſi inteſtina fæcibus gravata ſint, & dolores à calculo pariter adſint tunc dejectione impedita illi terribiliter augentur, quod viæ ex compreſſione evidenter anguſtiores reddantur.

LXIV. Ex *purgantium mitiorum* numero ſunt *vina medicata laxativa* quæ variis modis componi poſſunt, e.g. ℞. *fol. Sen. Elect.* ℥jß. *pom. citri recens conciſum in taleolos* N. 1. *Sacchari optimi* ℥iij. *Vini malvat. Canthar.* jß. cujus doſis eſt ad cochlear. ij. vel iij. Vel bibatur vinum quotidie ex *Rad. Aſar. naſturt. aquat vel equiſet.* (Præſertim ſi renes & veſica exulcerationem patiantur mire id conducit.) Nec minus hic locum habent *Elect. Diaſebeſt. Caſſ. Rhab.* & quæ ſunt alia, quæ familiaria officinis ſunt laxantia, in quacunque etiam forma præſcribi illa ſoleant, in *diſpenſatoriis* paſſim obvia.

LXV. Sin obſtructiones ob bilis pertinaciam, atque viſciditatem pituitæ nimiam magis ſint fixæ, & ita quidem, ut prædictis purgantibus cedere negent, ad *fortiora* progrediendum erit, veluti ſunt, *Extr. Agar. Eſul. Aland. Panchymagog. Crollii* ex quibus ℞ a. in juſta doſi pilulæ ſunt efformandæ & dandæ. *Unzerus* in ſpecie ſequens *catharcticum* ſuum commendat. ℞.

Aq. Alkekeng. ſaxifr. anæ ℥vj. *Syrup. de parietar.* ℥ß *Ext. panchym. Crol.* ℥ß. *Mag.* ♀. ⊕ti ℈j. M. pro pot. *Lazarus Riverius in prax. Med. lib. 8. Tom. 1. ſequentibus pilulis* ſumma cum laude ſe uſum teſtatur, R. *Salis prun. Cryſt. Tartari, ſalis Baccar. hederæ & fol. naſturt.* part. anaticas ex quibus cum *Syrup. quodam laxativo ac Terebinthina* fiat pilul. maſſa, de qua diebus ſingulis pil. ad ℈j. mane aſſumendas præcipit: Mea vero mente non aberraretur, ſi pro purgatione feliciori aliquid *de diagryd. vel ſcamnon* 🜍*to vel trochis etiam Albandali* adderetur. Et hi ſtimuli ipſi ſi immiſceantur quoque *extractis Betonicæ, granorum Pæon,* (quæ imprimis in infantibus lapides & arenas creſcere impediunt) *ſcolopendriæ, Artemiſiæ, imperat. Radicum leviſtici rutæ dictam. alb. Eryng. Carolin. &c.* magis famigerabilem, cum peculiariter materiæ præparationem reſpiciant, efficaciam præſtabunt.

LXVI. Pro ſingulari & ſpecifico purgante habentur una *Chryſt. Salis Tartari,* quas ſic præparare docent *Chymici*; *Solve Tartarum calcinatum in aqua pluviatili, cola, coagula, coagulatum in igne aperto funde, donec cæruleo compareat colore, fuſum rurſus diſſolve in ſpiritu V. optimè rectificato, ſolutum digere per 4. ſeptimanas, dein abſtrahe ſpiritum vini ad tertias, & ad Chryſtalliſandum commode loca.* Doſis ad ℈j Nec dubium eſt; hanc doſin exoptatius operaturam, ſi grana quædam *Diagryd. aut Trochiſc. Alband.* admiſceantur.

LXVII. *Petrus Joan. Fab. in curation. variorum morb. obſerv. 13.* per aliquod dies adhibuit *crocum metallorum*, quo vacuandi ſcopo finito, poſtmodum dedit *ſpecificum ſuum ſaxifragrum infra clarius nominandum* & ſic ab uno homine intra quindecim dies ſexaginta calculos oſſa Dactylorum magnitudine exæquantes, una cum copioſa ſabuli materia per urinarium canalem feliciter expulit. Verum cum *crocus Metallorum* ſit admodum violentus in ejus locum *pilulas Antimoniales & Mercuriales fixas nobis proſpero ſucceſſu familiares* ſubſtituere placet.

LXIIX. Sed quid de *vomitoriis*? Reſpondeo, quod & illa inter corporis evacuationes non incongrue hic quoque numerentur. Sunt equidem nonnulli qui *emetica* plane in hoc affectu non competere aſſerunt, quod ventriculi robur ſic evertatur & ad colligendam cruditatum varietatem plurimarumque incommodarum inductionem diſponatur; tamen cum quivis vomitus hunc ipſum effectum protinus non præſtet, ſed ſæpiſſime & potius ejecta humorum malitia atque tartareæ ſaburræ nequitia emolumentum ingens afferat, imò & ipſa natura hunc ſe exonerandi modum non raro eligat, hoc præſidii genus non tam ſimpliciter damnandum erit, modo conſtitutio & ſtatus ægroti hoc ferat.

LXIX.

LXIX. In *Emeticorum* igitur porrigendorum conſilio initium rurſus eſt faciendum à *mitioribus*, quæ petuntur ex *radice Aſar. & Pepon. cortic. jugland. floribus geniſt. Sem urtic. & raphan.* quæ ſi absque efficacia fuerint aſſumpta, *fortiora* ſurrogentur ut *Sal* ⊖. *Vitriolum album, crocus Metallorum*, ☿. *vit.* ♁. *cum* Nitro *præp.* A quibus, & aliis, qui abhorrent, naturam ad vomendum beneficio *pennæ oleo communi intinctæ laryngiq; & faucibus immiſſæ* irritare poterunt.

LXX. Corpore ſic ritè & cum prudentia evacuato, ſolutaque alvo, *lithontriptica ſeu calculum frangentia atq; ducentia* poſtmodum tutiſſima manu porriguntur, quorum uti jam toties dixi apud autores innumera pasſim reperiuntur, eaque ſub omnigena medicamentorum facie, videlicet; ſub *forma eſſentiarum, magiſteriorum, oleorum, ſpirituum, tincturarum, pulverem, aquarum potionum*, &c.

LXXI. Inter *eſſentias* ſummi arcani & ſpecifici titulo inſigniuntur *eſſentia Baccarum Alkek* & *eſſentia ſalis foſſilis*, quarum hæc ita præparatur: ℞. *Salis foſſilis q. v. inde in retortam, aquam affunde pluvialem, & usq; ad extremam guttam deſtilla, poſt capiti mort denuo aquam affunde pluv. ſuperfunde & deſtillationem itera, illudq; tam diu, donec ſal totum vel maxima ejus pars cum prædicta aqua tranſivit: Collectam aquam deſtillatam leniter poſtea usque ad tertias abſtrahe & in loco frigido ſeu cella ad cryſtalliſandum expone.* Hæ ſane cryſtalli non tantum in calculo ipſo, verum in deſperatiſſimis etiam morbis atque inveterata podagra ſummum afferunt revaleſcendi ſolatium.

LXXII. *Magiſteria* hic quoque proferenda, inter quæ pro calculo curando eminent magiſteria *ex talis leporum, cervorum, caprarum, ſanguinis hirci, item nucleorum meſpilorum, ſuccini albi, cor alliorum oculorum cancri Cort. Ovorum Struthii.* Inter hæc autem præſertim laudari meretur *Ampliſſimi Dn. D. Michaelis Mag. nephrit. comp. ex lapidibus & cornibus* quæ peculiari virtute operationem ſuam exerit.

LXXIII. Quod *potiones* ſequenti arcani efficacia aſcribitur ℞. *Tartari loti* ℥ij *Bacc. Junip.* ℥ij. *uvarum paſſul* ℔jſſ. *in ſacculo compacta impone hæc omnia in vaſculum quercinum cum* xij. *menſuris aquæ, locando ad fornacem & quotidie ad meliorem fermentationem invertendo poſtea ex cella aſſiduo pro potu ea utere. Arnoldus de villa nova vinum Alkekengi.* maximopere extollit, utpote cum quo materiam calculoſam ita educi refert, ut manu colligi poſſit. Paratur autem *fructus Alkek per contuſionem cum vino albo cujus colatura* poſtmodum adhibetur.

LXXIV. *Pulverum lithontripticorum* ingens proſtat copia, inter quos tamen ducunt claſſem *pulvis millepedum*, (de quo ad diſſolvendos calculos portentoſi plane effectus apud autores inveniuntur: *pulvis lapid. Judaic. item nucleor. Perſic. meſp. Cynosbat. Dactyl. fructuum Alkekengi contuſſ.* item *Mandibular. ac pu-*

pillar. lucii piſcis, oculorum cancri, leporis cum pelle in furno exſiccati. Motacillæ avicul. item Sem. Saxifr. Ruſci fœnic. petroſel. Raph. geniſt. bardanæ magnæ urticæ, Herniariæ &c.

LXXV. Ex *aquis* præferuntur *aqua ſanguinis hirci,* quæ ex lumbis renibus & veſica calculos frangendo expellere potis eſt; *aqua ſaxifr. Onon frag. Raph. Verbaſc.* quibus omnibus *ſal fixum proprium*, ut eo magis animetur earum virtus, addi ſolet. *Hartmannus* quoque *urinæ hirci* tanquam ſtupendii remedii tam interne quam externe uſurpandi honorificam mentionem facit.

LXXVI. *Salia* porro quod attinet, de iis univerſale hoc dogma præmitto, quod ſcilicet natura omnem cujuscunque rei vim in eorum poteſtatem, tanquam in principium magis ſtabile & perdurans, poſuerit; Idcirco etiam quemadmodum cuivis lithontripticæ ſpeciei ſal ſuum ineſt nativum, ita quoque præ reliquis principiis iſtud à Medicis eo magis laudatum antecellit. Huc etiam referuntur, aut referendi ſunt variarum rerum, modo ſaxifragæ, *cineres*, ut *ſcorpiorum lumbricorum terreſtrium, milliped. ſtram. fabarum geniſtæ. &c.* Nam quicquid hi cineres præſtant, non ut cineres id faciunt, ſed quatenus in iis ſal adhuc reconditum eſt.

LXXVII. Quam optime tamen *circa ſalia* adhuc eſt obſervandum illud, ut in curatione calculi potius *ad fixa & alkalia* reſpiciatur, quam ad *volatilia*, quoniam fixa ſalia longe potentius corpora ſolvunt, & non tam facile, ut volatilia ſolent, in remotioribus ductibus corpora diſſoluta rurſus deponunt; Sed potius ſal volatile ê corpore noſtro juxta attrahunt, & per excretionem decenti modo ſequeſtrant. Hinc colligi quoque ex facili ratio poteſt cur generationem potius, quam deſtructionem carculi adſcripſerim ſali volatili & petroſo.

LXXIIX. *Spiritus* ordo nunc tangit, ex quibus *Salini* præcedunt, longe nimirum efficaciores quam ſalia ipſa; Efficaciores dico; Sunt enim his manifeſte ſubtiliores, longe potentiores, atque vi magis penetrandi pollentes. Hinc etiam inter hos ſpiritus quidam tantæ ſunt efficaciæ, ut ex tempore omnem calculum ſive renes occuparit, ſive veſicam, in limpidum foris reſolvant liquorem, qui liquor cuti affrictus, ſi ex renum calculo fuerit præparatus, illi egregium coſmeticumque colorem non adeo facile tranſeuntem largitur.

LXXIX. Et hac potiſſimum virtute excellit *ſpiritus acidus Mercurri ſaxifragus*, cujus ſupra memoriam feci ex *Cl. Fabr. curationib.* Cui tamen in laboratorio noſtro robur magis virtuoſum conciliare callemus: Huic quam proximè virtute ſua reſpondet *Spiritus Nitri duplicatus* ut & *Spiritus Salis communis* (ſed noſtro modo præparatus, quo, verbi cauſa, ex tribus libris impoſiti ſalis ferme tres libras ſpiritus rurſum, hoc eſt, exceptis 6. vel 7. unciis tota die elicimus; adeò

adeo multum eſt, myſterium regiminis, quod ignis depoſcit, ſibi cognitum habere. Et hac ratione etiam ex cœteris ſalibus in tanta copia ſpiritus nanciſcimur) quorum hic ex *Helmontii* experientia *de lith. c. 3. n 31.* ſibi per remedium non habet in extinguendis ardoribus, (præſente etiam in veſicâ calculo) & in ſenum ſtranguriis, quæ difficulter alias ſedari poſſunt: Summæ ergo non immerito exiſtimationis ſunt hi ſpiritus, qui inſuper quoque putrefactionum incommoda impediunt, mucagines diſſolvunt, arenasque è renibus & veſica expellunt, *teſte jam cit. Helmontio.*

LXXX. Notandum hic pariter repeto de ſpiritibus, quod antea de ſalibus fuit pronunciatnm: videlicet *ſpiritus qui ex fixo ſale* præparantur longe notabiliori efficacia vigent quam *qui ex ſale volatili & halituoſo* proliciuntur. Hinc etiam *Helmont. loco dicto n. 32. Marinum & Hiſpanicum Sal*, quod omni propemodum, ut ſic dicam, volatilitate caret, validius omnino cenſet quam *Lotharingium*, utpote quod ſatis halituoſum eſt, & hinc in ſtomacho facile aceſcit, proptereaque putredinem & Duelech (hoc eſt, phraſi Helmontiana calculum) minus arcet imò potius auget. Sic quoque plurimum laudatur ſpiritus ex ſale fixo urinæ præparatus. Et hoc fundamento nixi *Fr. Baſ. Valent.* *cum ſpiritu ſalis ex calce viva præpar. ac Helmontius cum ſuo ludo* graviſſimas calculi paſſiones non raro curarunt.

LXXXI. Sed circa commendatam hanc ſpirituum mineralium in calculo efficaciam non leve dubium oprepere videtur, quod etiam reticere in animum nobis non venit; Tale eſt illud, primum calculi principium donavi acididati, & nihilominus in ſubſidium medendi vocavi res acidiſſimas, hoc eſt ſpiritus minerales. Quid hoc? Malum malo addere non vereris inquies; Ita plane cōtra ſcopum hic tenditur, & quod acetoſitatis accidens frangendum erat aut mitigandum ſaltem, tu quaſi dictorum immemor contraria cum detrimento profers. Sic nempe dices.

LXXXII. Verū enim vero non difficulter judicio hoc me abſolves: Si triplicē reſponſi dicam tibi dicam. Ergo attendas primum, inter acetoſitatē ventriculi & aciditatem ſpirituum mineralium magnam inſignemque eſſe diverſitatem: Illa, utpote adhuc craſſe corporalis, magis quoque corruptibilis eſt, ac proinde quam facilime ſummum amaritudinis vitium adſciſcit: id quod probo ex aceto, quod ſi corruptionem patitur, tunc aciditas ipſius in tædioſam ſtatim tranſit amaritiem. Hæc verò tanquam ſpiritualis & alterationi quam difficillime obnoxia non in amaritudinem, ſed dulcedinem potius convertitur. Deinde putes ſpiritus hos acidos ex earum

rerum numero eſſe, quibus diverſæ & contrariæ ſunt inſitæ facultates; Hi enim immodicas Hæmorrhagias, evacuationeſque alias quæ præter naturam accidunt, feliciter ſiſtunt. Porro quævis etiam dura diſſolvunt corpora, & ſic per conſequens potius humores pituitoſos, viſcidos tartareoſque atque cruditates quaſvis prompte digerunt, incidunt abſumunt, qua de re *prolixius & doctè Unzerus Doctiſſ. in Anat Spagyr. lib. 1. de ☿. c. 12.* Tandem doſis quoque eorum eſt aſpicienda, utpotè quæ profecto minima, & vehiculum ex adverſo, cui ſpiritus hi immiſcentur, eſt oppido largum, in quo aciditas illa neceſſario ita diffunditur, vel exquiſito guſtandi ſenſu vix perſentiſcatur? Quin nec hodie novum, ſimilia curari ſimilibus. Cautelam inſuper à bono Medico obſervandam addo, qui ſpiritibus hiſce tum temporis utetur commodius, quando excedens acetoſitas in ventriculo jam quodammodo eſt correcta mitiorque facta.

XXCIII. Ad *olea* nunc pergo, quorum maximè præcipua ſunt, *oleum nucleorum perſicorum. fagorum, utramq; amygdalarum, ceraſorum, ſuccini, macis, aniſi. fœnic. junip. chamom. rutæ calami aromat. terebinthin. ſcorpion. &c.* Quibus adjungo *butyrum recens,* (ab *Helmontio* non inſulſe quinta herbarum eſſentia nominatum) *cum ſaccharo candi loco ſalis* æqualiter miſcendum, atque mane jejuno ſtomacho quotidie ſumendum; Hujus enim beneficio ſemita urinaria, lenitur, emollitur, abſtergitur atque ſic aut calculi generatio impeditur, aut jam præſentis exitus mire promovetur. Ex parili fundamento prodeſſe ut ajunt, ita quoq; poterunt *fructus oleaginoſi, uti ſunt amygdalarum, fagorum, imo & olivæ ipſæ.*

XXCIV. Notatu digna obſervatio eſt, quæ *Crato & Amatus Luſitanus, item Lazarus Riverius de avellanis* ante paſtum comeſtis adducunt, nempe *ſecundum Cratonis experientiam*, non paucos, ſævis cruciatibus calculi affectos, crebro avellanarum uſu liberatos; & virum quendam qui nephritidem vehementer paſſus, & ex renibus non raro capillos rubentes per virgam verendam minxit, multumque de atrocibus doloribus ac ventris rugitu conqueſtus eſt pro abigendis his ſymptomatibus magno medicamentorum catalogo, fruſtra tamen, uſum eſſe, aſt cùm præter ſpem ex ſuaſu cujusdam *Avellanis* in victu veſceretur, liberum & ſanum à tanto ſupplicio evaſiſſe, *dicente Luſitano.* Atque ſic quidem ipſi *avellanæ* erant uſurpandæ, ut eas cum *internis ſiccis membranulis* initio tam prandii quam cœnæ comedere neceſſum haberet, imo poſtea harum eſum ante in & poſt, menſam religioſiſſimè continuaret, quo facto ita revaluit quoque, ut ne minimum quidem morbi veſtigium rurſum perſenſerit unquam. Addit quoque *laudatus Luſitan. in ſcolio*, non ſolum hinc virum per aſſiduum avellanarum uſum eſumque ſed & alios quam plures à peſſimo hoc affectu priſtinum ſanitatis vigorem conſtanter recipiſſe.

XXCV. Tam mira ſane avellanarum eſt virtus quas & ipſe *Avicenna* jam dudum inter eas medicinas, quæ materiam lapidis renalis potenter abſumunt, repoſuit. Verum dicat mihi nunc aliquis hujus facultatis cauſam: *Autores* ſane hinc ſe extricare non potuerunt, ſcilicet hæſitantes, num avellanæ ſua ſiccitate, an peculiari facultate, membranularum interiorum hanc operationem perficerent; num vero propter oleaginoſitatem ſuam (quæ cauſa veritati propior accedit) hoc beneficium præſtarent. Aſt nihilominus hæ dicti affectus cauſæ inſufficientes ſunt, quemadmodum *loco coronidis* mox demonſtrabo.

XXCXI. Probatiſſimum denique & præſentiſſimum medicamen eſt Tinctura illa quam *κατ᾽ἐξοχὴν contra calculum* nominare conſuevimus. Non opus autem arbitror eſſe, multa verba hic facere de multivaria & fidiſſima experientia nobiliſſimi hujus remedii, utpote cujus laudes paſſim hic & in locis exteris quam plurimorum in ore perſonant, qui proinde propter efficaciſſimum effectum tincturam hanc *à Cl. Dn. Præſide* ſummo cum deſiderio cotidie ſolicitant. Hoc unicum tantum de laudatiſſima hac Medicina addo quod ea tam *ex Baſiliani quam Helmontiani lithontriptici* iisdem principiis procedat.

XXCII. Plura medicamenta, quibus interne aſſumtis calculus comminui & relegari poteſt, qui deſiderat, is haud gravatim adeat *Celeberrimi Sennert. Clariſſ. Riverii Praxes Medicinas & præcellentiſſimi Unizeri tractat: de Nephrit.* Ubi adſcripta eorum multitudo voto ſatisfaciet quam propter ſtudium brevitatis hic præterire lubitum eſt.

XXCIIX Ad remedia externa, quorum beneficio inſigne lenimentum calculoſis quoque accedit, *thermas* ego non laudare nolo, ſed hac conditione ut diſpoſitio corporis ægrotantis exactè reſpiciatur conſidereturque quamvis non deſint, qui uſum earum penitus prohibere in hoc caſu conentur, qua de re plura videri poterunt apud *ſæpe laudatum Riverium*; Quemadmodum etiam & cum primis decidendi rationes ſubminiſtrabit *Monumentum Genio Thermarum à Dn. Præſide ſacratum* & mox à nobis publice pariter defendendum.

XXCIX. In illo autem caſu, quo calculus in veſicam illapſus & ibidem & ita adauctus eſt, medicamentis nec frangi nec excludi amplius queat, ultimum remedium *in ſectione & exciſione ejus* erit quærendum. Verum cum *parens noſter Hipp.* Medicos veros juramento obſtrinxerit, ne calculo laborantes ſecare tentarent, ſed *Viris Chirurgiæ operariis* ejus rei faciundæ locum darent, idcirco etiam id negotium his ipſis committo, cum primis tamen ſi lapis ſiliceæ ſit ſoliditatis: Si vero friabilis ſit ille, ſectio tam temere inſtituenda non, eſt cum præſidium illud ſit crudele & tædioſum, ſed tum temporis potius conducent *Clyſteres in veſicam communi ſolitoque inſtrumento* injecti, quæ injectio artis perito admini-

adminiſtratu tàm facilis eſt, quam quæ in poſterioribus celebrari ſolet. Unica tantummodo hæc cautela hic addenda eſt, ut dicti clyſteres nimium acres non ſint, ne virgæ vel veſicæ læſio quædam inducatur.

XC. Hæc & conſimiles aliæ tàm ab *Anteceſſoribus* præſcriptæ, quam à *Modernorum* induſtria inſtitutæ ſunt curationes, curationumque documenta, quorum tamen pleraque ab Experientiâ quam rationis poſſeſſione, ut *antea dixi*, cognita habuerunt. Verum quam dubium ſit ſoli fidere experientiæ, *Venerandus Senex in 1. ſtatim Aph. ſuo* perpendendum ſuggerit, Dicendo, *Experimenta eſſe periculoſa:* hinc non minus rectè monent, qui monent magnis utendum cautionibus eſſe in aſſerendis absque ratione datâ experimentis: Nil enim in Natura absque plurium cauſarum concurſu fit, eſtque difficilimum, unicuique rei vim ſuam & portionem effectus aſſignare, atque ſic caſum ab arte diſtinguere: caſûs autem ſoboles Experientia eſt, & Filia Artis ipſiſſima ratio.

XCI. Sanius igitur faciunt, & multò conſultius, qui Medicinam non niſi *utroque pede*, tàm *Experientiæ quam Rationis* incedere patiuntur, hoc eſt, qui experientiam cum ratione arctiſſimo vinculo conjungunt. Fit enim hic ſæpenumero alias, ut ſola regente Experientia & Ratione Regina exulante creberrima palliative curæ rebellio ſuboriatur. Adeò ignotâ ſic operantis remedii cauſa multa abſurda porgerminant, ut aut vana inanique, iſtâ vel iſta curatione dedecoretur Medicina, aut recidivæ non infrequenter inde proficiſcantur.

XCII. Calculus exempli faciem hic induat, & dictorum veritas ultrò dilucidèque comparebit. Qui igitur curare calculum aggrediuntur, *ad reſolventium* uſurpationem animum illi ſtatim inclinant: Reſpondet etiam intentioni effectus, reſolvitur calculus & expellitur. Sed paulo poſt quoque fit retrogadus aut denuo ſubnaſcitur. Quæ amabo cauſa: nempe *principia* nunquam fuerunt remota & *fontes*, unde propullulat calculus, nondum obturati. Sed ubi illud mali principium, ubi fontes illi, dices? Dicam ego, *Vitium coctionis primæ non emendatur in ſecundâ, neque tertiâ.* O dogma Medicorum pretioſiſſimo auro pretioſius!

XCIII. Itaque Calculus feliciter nunquam curabitur, niſi tenerrima ipſius cunabula & prima ſcaturigo, quæ in coctionis primæ conſiſtit vitio accuratiſſimè attendatur. Quod vitium niſi corrigatur, nativitas Calculi perpetua erit, & materia incrementum capiundi aderit ſufficientiſſima. Ex adverſo autem legitimis remediis graviſſimum hoc malum ſponte facilimeque perſanari poterit, modo, qua ratione *prima coctio* calculorum generationi radices ſuggerat, diligenter cognoſcatur.

XCIV.

XCIV. Apponam nunc ego, diverticulis miſſis, *fundamenta*, ex quibus elucebit, qua ratione omnia & cuncta enarrata medicamenta calculo reſiſtere, atque eundem etiam radicitus tollere valent. Principia tamen, ut *exordio dixi*, fusè hic repetere, id quod jam factum *in diſputatione priori*, animus non eſt. Sed hoc ſalſum ediſſero, quod remedia quatenus uni vel alteri præſuppoſito principio contrariantur, eatenus etiam vel calculo reſiſtunt eumque conterunt, & expellunt vel mitigant & dolorem ſiſtunt, atque ſic porro.

XCV. Tribus hoc diducam. Primum generandi calculum principium poſui *in nimio acore ventriculi & ejus fermenti exceſſu*; Ergo ſubſumo quicquid ex omnibus prædictis remediis nimio acori fermentoque reſiſtit, vel illud tollit, aut etiam planè penitusque aut non tam facilè recipit, illud quoque aut impensè aut quodammodo duntaxat calculi generationem impedit, vel, naturæ robur ſic afferendo, fortiter illum expellit.

XCVI. In hanc claſſem refero *omnis generis olea*, quæ acetoſitatem nullam, etiamſi per annum & ultra ſteterint, degenerando recipiunt, item, *lapides, nuces quavis, nuclei omnigeni, oculi cancrorum, mandibulæ lucii piſcis, &c.* à quibus omnibus & ſingulis acetoſitas in Ventriculo per præcipitium quaſi frangitur. Item *vomitoria*, hic non prætereunda, utpote quorum beneficio multum aciditatis è ventriculo ejicitur.

XCVII. Principium alterum generandi calculum *abundantiæ ſalis* adſcripſi, ejusque *volatilis magis & nitroſi*. Exinde igitur ſic colligo: Omne remedium quod mitigare, aut tollere hoc ſal in corpore humano redundans valet, illud quoque nobiliſſimum eſt lithontripticum.

XCVIII. Hic iterum ex prædictis remediis ea præſertim ſunt allegand, quæ *ſale alkalico ſeu* fixo ſunt prædita, ut ſunt *cineres omnes*, *ſalia ex herbis & mineralibus præparata ac fixa*, quæ magnetica quaſi virtute ſal volatile in corpore noſtro, quo per calcinationem illa fuerunt privata, attrahere, & ſecum educere ſolent; imo & taceo, hæc ipſa ſalia *vim retundendi acetoſitatem* quoque habere, quemadmodum hoc ipſum exemplis ad oculum clariſſimis, niſi chartæ jam parcendum eſſet deducere poſſem. Huc etiam referenda ſunt omnia *balnea*, in quibus per ſudorem non ſolum ſal copiosè tranſit, ſed & aquæ ipſæ illud ex corpore quaſi alliciunt.

XCIX. Principium tertium conſtruendi calculum *calori* tribuere placuit; Unde porro ſic conjicio: quemadmodum ſingula quæ nimis calida & aromatica ſunt in cibo potuque calculoſis ſerio prohibenda;

ita è contrario in curatione *temperata & frigida* ex prædictis remediis ſunt commendanda. Atque ſic non tantum prænominata remedia, cauſis jam recenſitis reſiſtentia, inſimul hac refrigerandi & contemperandi virtute pollent; verum etiam & potiſſimum *ſalini ſpiritus* operatione hâc nobilitati ſunt, utpote qui refrigerant, ſal corporale reſolvendo, promovenda ſecumque removendo.

XCIX Hæ ſcilice ſunt genuinæ rationes, quibus perſpectis potentiam virtutemque hujus vel illius medicamenti calculum confringentis propellentisque accurato ni fallor judicio discernere atque concernere poſſumus. Has itaque cauſas qui ſtudioſè obſervare ſtudebit, non tantum ex aſſe medicamentorum facere ſelectum ſciet; Verum pauciſſimis quoque ſpecificis illisque optimis in hoc atrociſſimo malo brevi temporis ſpatio incredibilia efficiet.

C. Hæc ſunt quæ volui, & quæ ex promiſſo debui, de curando feliciter calculo inaugurali, ſed & fideli calamo proponere. Deſigno igitur, ſperans benignum Lectoris judicium, & de meliori ſuffragium. Interim, quicquid eveniat, mihi ſufficit, veri aviditatem, quæ ſucceſſibus inardeſcere ſolet, eſſe ubique tutam.

SOLI DEO GLORIA.

CHRI-

CHRISTIANI LANGII
D. P. P.
TRACTATUS.
De
GENUINO ACIDULAS
Egranas ſalubriter uſurpandi modo.
SUCCESSU PROSPERO!

§. I.

NYmphis hanc ſacraturi chartam optaremus *Plautinum* illud de noſtra & præſenti merce pronunciari poſſe: *Proba merx facile emtorem reperit, tametſi in abſtruſo ſita eſt.* De aqua dum loquemur impræſentiarum, veremur, ne intuitu primo ſpectantibus hæc merx videatur levidenſis & aquea, juxta *vulgatum*: *nil aquis vilius eſſe.* Quapropter & nobis vitio non verti non poſſet, qui peculiari nunc calamo de re communi & abjectiſſima ſolliciti, quippe undique in publico manante, ac quæ dupondio non æſtimatur uno.

II. Verum abſit, ut â propoſito nos abſterreat interpretamentum vulgi, & proſtans rei optimæ abundantia, quæ neutiquam vile, ſed commune cunctis Divininum hoc donum facit.

III. Diligentiam non proſtituris arridet ſententia *Arbitri*, qua *nihil aquis formoſius dici poſſe* aſſerit *elegantiſſimus Autor.* Ita ſane liquor omni cryſtallo eſt nitidior. Fontis eſt candidiſſimum Marmor, ſpeculum clarum claror merus. Manat vivæ ſcaturiginis argentum. *Vix pulchrior altos Phœbus agit currus & ſpectator quicunque venit diſcedit amator.* De ſplendidæ glaciei vultu nil dicimus, quam *Helmontius* pulchre aquam nominat larvatam, & naturale *Alius* ſpeculum, aquaſan que cryſtallum. Conſtat formoſitas aquæ ſic ſatis, gratiſſimum cujus adſpectum, & jucundum pellicidumque decorem nulla laus

eſt, quæ poſſit exprimere; multò minus utilitatem ejus, minusque neceſſitatem.

IV. Encomia plura enumerare, ſi autumaremus, certè creſcerent Theſes in volumina. Ut tamen prius delineemus duntaxat ſumme neceſſarium hujus Elementi uſum & utiliſſimam ejus neceſſitatē, hoc dicere allubeſcit: Natura quicquid produxit, quicquid producit, & productura quicquid eſt, aquæ beneficio debet, quod a fæcundâ ejus benignitate petit.

V. Sed Aquam tranſire animatis perennem, commode in animum venit, quod monuit *Heſidus.* Talis mens ejus erat, ut ne quisquam tranſcenderet aquam, niſi effuſa priùs devototione precum. Ne igitur & nos ſusquedeque habito pietatis cultu immittamus navem in hoc Naturæ Pelagus, quicquid prolatum, & proferendum, quicquid illius regimini ſubjicimus, qui ſalutaris fons veritatis, & veriſſimus ſalutis eſt. *O qui perpetuam mundum ratione gubernas terrarum cœliq; ſator, da pater auguſtam nobis conſcendere ſedem, da fontem luſtrare boni, da luce reperta prodeſſe.*

VI. Hac ſpirante aura, non exire ſed trajicere lubet. Τὸ εἶναι cujuslibet rei conſiſtit & ſubſiſtit in aqua, quemadmodum incepit ab iſta: hæc unica quippe eſt, quæ principium & nutrimentum ſuſtentaculumque tam vegetantibus cunctis, quam rebus omnibus minerali regno ſubditis præbet. Sane omnia & omnia medio ſubſtantiæ aquoſæ nutriuntur, conſervantur, augentur.

VII. Dare probatum præſtat. Axioma eſt laudatiſſimi *Joannis Petri Fabri*, & omnium adeo ſanorum *Chymicorum*: Aqua noſtra elementalis, (non fluviorum, non maris, quorum aqua neutiquam eſt ſimplex, ſed ex ſingulis compoſita elementis) eſt crudum & incoctum totius ſemen naturæ, eſtque elementorum omnium ſperma indigeſtum, quod uuumquodque mixtum in alimoniam captat, ut ſuo naturali innatoque lucido igne, ceu elemento ſtellis correſpondente digeratur, coquatur, & ſic exacte percoctum in hanc vel illam permixti ſubſtantiam convertatur.

IIX. Concinne perquam hinc ſuccus & ſanguis terræ vocatur aqua: ſicuti enim in omnia Microciſmi loca & partes per venarum arteriarumque canales, ſanguineus defertur humor, ut ſuum iis ſpiritum, virtute nutriendi, conſervandique pollentem communicare queat, ita & ἄριστον ὕδωρ ut cum *Pindaro* loquamur, cuncta terræ inteſtina tranſit, & mirabili greſſu penetrat, ut ſpiritum quoque ſuum atque innatum, tanquam genuinam cujuscunque rei alimentum, naturali corpori cuncto ſuggerere eadem generandi, & conſervandi intentione valeat.

IX. Aqua, ait *quiſpiam*, tertia velut columna mundi non immeritò exiſtit

iſtit & audit, cujus beneficio, plus atque plus de ſpiritu vitali ſubminiſtratur nobis, quàm à reliquis Terrarum orbis partibus.

X. Indubitatum eſt, Aquam præ elementis cæteris noſtræ conſervationi favere, modo illa ſit pura & non inquinata; alioquin ſi ſecus, mors in urna ſæpius ſubeſt, & tam peſtifera quàm mortifera exiſtit qua, aut ſi mavult aliquis, inſtar eſt *Pandoræ* Pyxidis, hoc eſt, vaſa boni & mali aſſervantis, quæ *Jovis* adſtabant lateribus.

XI. Ergo admirandus eſt aquarum effectus, & proinde veſtigandus ultra, quem diligenti bilance, ponderantes deprehendimus manifeſto, eundem non obtinere aquam ex ſe ipſa, quum alimenti nihil, nihilque vitæ ex ſe habeat, & tamen vitæ alimentoque ſit admodum plena; ſed quicquid habet à communi fonte, & ipſa mundi univerſali ſubſtantia nanciſcitur, quæ ſola originem trahit ex lumine illo, quod Deus in Creationis primordio maſſæ elementum primæ infudit, tanquam formam univerſalem, qua ſola apta nata eſt, actionem alimentoſam & vivicantem ſuppeditare, rebus fientibus factiſque, componendis atque compoſitis. Tali ratione nobilitata eſt Aqua, ſuper ejus Elementum, primum ſpiritus Dei ferebatur.

XII. Et quamvis *ἐνέργεια* hæcce, & potentia vitalis, in reliquis juxtim reperiatur elementis, non tamen tam adæquato valores hæc facultas ad nutriendum idoneæ & facilis eſt, quam in ſubſtantia aquoſa. Nulla adeò, ex omnibus rebus, tantas habere videtur ad uſum neceſſitates; quantas Aqua, utpote ſine quà nec corpus animalium, nec ulla cibi virtus poteſt naſci nec ſe tueri, nec parari.

XIII. Inpromtu eſt ratio: eſſentia etenim Elementorum reliquorum, aut nimium ſuâ luxuriat ſubtilitati, ut videre licet in igne & aere; aut craſſitie ſua negotio remoram conciliat, ut liquet in Terra. Tam quod ſubtile eſt, coctionem appoſitam perferre nequit, quum evaporet plus citò, atque in ventum abeat, antequam in ultimum convertatur alimentum. Quod verò laborat craſſitie, attenuari tàm exactè non poteſt, ut coquatur ad veri requiſita nutrimenti ac conditiones; itaque hac in parte medium inter elementa tenet & obtinet aqua, nimiam nec habens ſubtilitatem neque craſſitiem; ſed mediocritate ſuavi ſuaviter gaudet, quemadmodum hoc ipſum excellenti & fuſiore filo pertexuit Excellentiſſ. *Faber in ſuo hydrographio Spagirico.*

XIV. Verum ut prolixiſſimi foret operis, ita & à Medicinæ alienum umbone, de laudibus Aquarum & inſigni Earundem utilitate, qualitatumque copiâ pulcherrimarum in genere hic plura ediſſerere: Conſtituimus quidem hunc Nymphis nos daturos eſſe laborem, ſed conditione ea, ut cum iis res nobis duntaxat eſſet, quas nota ſalubritas & jucundus acor commendat valetudinariis.

XV. Aci-

XV. Acidulas nempe intelligimus & ſpeciatim eas, quas Ager fovet Egranus utpote quarum uſurpatio ante anni ſpatium nobis familiaris æque ac ſalutaris fuit. Harum igitur uſum documentis quibusdam pertractaturi, jure merito præmittimus controverſiam, & argumentis dubitandi rationum debitis reſiſtimus nervis; AN ACIDULÆ SALUBRITER TUTOQUE SIC INGURGITARI POSSINT?

XVI, Multi contra affirmativam tanquam pro aeris focisque militant, & totaliter rejiciunt aquarum ſalubrem, conſequenterque ex profeſſo acidularum uſum, proinde omnibus absque diſtinctione ulla perſonis, tanquam rem ſumma ſuſpectam pernicie interdicentes A celeritate cochleam celebrari verius putant, quam à ſalubritate Acidulas. Proferunt rationes ex naturæ, ut credunt, ſinu depromtas, ſed proferunt. Tædio ſi tibi non erit, *Lector*, recenſebimus eas, & dato refutationis viatico nuntium illis mittemus, jaculo tamen ad metam Acidularum ſaltim directo

XVII. Inſurgunt ita: Nocivus eſt Aquarum medicatarum uſus ratione ſtatim eſſentiæ, quum minerales illæ & calori noſtro ea propter non ad propriatæ neque adæquatæ, adeo ut ab eodem aliena longe â nobis Acidularum natura ſuperari penitus non poſſit. Hinc clamant; quid exinde, & ob tam heterocilta contenta, niſi decumana incommoda, niſi inſalubritas ipſa, noxa manifeſtiſſima.

XIIX Inſiſtunt urgentius adhuc, per nebulam quaſi conſpicientes, has aquas per & in ſe conſideratas, ut plurimum eſſe vel corroſivas, utpote vitriolum, nitrum, alumen, & conſimiles ſalium ſortes in ſe comprehendentes: vel malignas etiam atque venenatas, ob contentum Arſenicum, ſandaracam, chryſocollam, gypſum, calcem & alia horum mineralium genera, hæc enim, inſtant, ſicuti inimicis ſemper qualitatibus ſunt prædita, ita & conſtitutioni noſtræ iisdem, quia contrariæ, omnino adverſabuntur.

XIX. *Quidam* anxiè provocant porro ad ipſum malefauſtum aquarum harum effectum, quod nempe hominum plures ab iis lædantur quam ſanentur, quod ante diem ſic perimantur plures, quam juventur; quodve plures hoc modo aggraventur quam levamen perſentiſcant. Vim autem dubii hujus ſatagunt ſtabilire cumprimis, quod homines mineralium loca incolentes, perpetuo pallore liveant, quod tumidi plerumque evadant, frequentibus deformentur ſtrumis, anhelandi laborent difficultate, carnificina calculi miſerè torqueantur, ſplenetici, colici ac cachectici & omni adeo malorum genere adjecti deprehendantur, quaſi vero alibi mortales morborum ſe expertes gloriari poſſint.

XX. Hanc nihilominus ſententiam forti applauſu accipiunt permulti, teſtem

teſtem Medicinæ Principem lib. de Nat. hum. adducentes, cujus verba hunc in modum explanant, quod ſimilium & communium morborum ortus communes quoque cauſas, quæ iſtis præſertim aquis adſcribendæ, ſoleat habere. Hinc & ab eodem l. d. Aq. aere & loc. aquas è terra ſcaturientes & thermalibus vicinas vel mineris auri, argenti, æris, ferri, plumbi, ſulphuris, alumnis, bituminis, nitri &c. proximas damnari citant, quod, nimirum ſerio eas pronunciarit duras & æſtuoſas, quæve difficulter reddi per lotium queant, aut per alvum etiam ægrè ſecerni.

XXI. Hoc ita eſſe parili mente videtur adſtruere Hippocratis Commentator *Gal. l. 3. d. bon. aq. c. 3.* dum ibi metallicas Aquas in potu noxias eſſe ſtatuit. *Et l. 1. d. tuend. ſan.* ſic alterius pergit, omnes aquæ metallicæ corpus exſiccant, humidum abſorbent vitale & vitam abbreviant.

XXII. Jactis his negativæ ſuæ fundamentis gradum negationis largius, & plus ultra extendunt, perſonis cunctis, cujuscunque illæ ſunt ætatis, & cujuscunque conſtitutionis ſexusque, Acidularum omni tempore diſuadendo prohibentes uſum. Pueris etenim & adoleſcentibus has non convenire aquas perhibent, quod illi auctione habeant opus, hæ vero aquæ ob ſiccandi & humidum abſumendi potentiam iſtiusmodi negotio ſint inimicæ. Neque adultis & ſanis, quum in vigore ſuo veniant conſervandi, non perperam alterandi, non enervandi. Minus ſenibus; ob caloris notorium defectum, aut infirmitatem, quæ alioquin â frigiditate aquarum actuali magis magisque adcerſetur. Et multo magis neutiquam imbecillibus ægrotisque; ob rationes partim jam dictas, partim ob vehementem violentiam, quam acidulæ in movendis poſſident humoribus.

XXIII. Pergunt, & omni juxtim tempore uſurpationem earum vetant, atque fœdant. Non eo tempore, quo vacivus & jejunus ſit ſtomachus, nominatas aquas potari poſſe pugnant; quoniam non tantum actu gelidæ quaſi ſunt, verum etiam in larga nimium quantitate hauriendæ; undè pertimeſcunt ſtatim futurum, ventriculum & jecur excedenti hac refrigeratione debilitari, concoctionis officium læsè impediri, & ejusmodi ſupervenientia ſymptomata ſic conciliari, quæ alioquin refrigeratas partes & ex in ſuborientes crudítates conſequi ſolent, veluti ſunt Cachexia, tumidus hydrops funeſtus faciei pallor, tumores pedum œdematoſi, ventris inflatio, vermiculans inteſtinorum murmur, Colica paſſio, inappetentia, defluxionis tædium, & non diſſimilis ejusmodi contrarietas ad affectuum. Probandi baſin ſugere nituntur ex Avicenna l. d. remov, nec. Tr, n, c. 14 qui dicit: Cerebrum & lienem refrigerari exinde, & catharros infinitos ſia ſuſcitari.

XXIV. Meridianum tempus in hoc puncto ipſis neque arridet, dum cenſent, corpus jejunum tunc ſpatii eſculentis & ſolido potius alimento reficiendum;

dum; quam aquarnm pondere obruendum, & per conſequens repletione hac confundendum; quam ob cauſam nec veſpertinum tempus admittunt: multo minus poſt adſumtum ſubito cibum, quum, vel nobis cenſentientibus concoctio non ſine magno impedimento ſic conturbetur; nec inter paſtum quoque Fontis acidi potum concedere volunt, quod medicamentum cum nutrimento abſurdâ mixturâ non ſit conjungendum, arbitrantes virium jacturam exinde promanaturam & cibum manifeſtam paſſurum corruptelam.

XXV. Hi ſunt arietes illi, quibus impugnare conantur optimam Acidularum arcem paſſim paſſimque non pauci, quos invictiſſimos putant & firmiter tales pronunciant.

XXVI. Noſtrum itaque nunc erit hos ipſos confringere, & argumenta illa in acuratius examen protrahere; ubi ſtatim & ſine cunctatione adſerimus, dubia hæc cuncta ac ſingula oborta fuiſſe à conjectura male concepta, aque cauſis ſiniſtro intellectu acceptis. Adeo quicquid metuunt, imaginatio nuda eſt, & ſollicitudo vana, unde natales hæc negandi ſumſit curioſitas. Cum Hippocrate *l. 1. d. diæt.* potius & nos facimus, qui oculis, h. eſt. intemeratæ experientiæ magis credendum, quam opinionibus & rationi ſpuriæ reliquit ſcriptum.

XXVII. Satis profecto plura intimius paulo indagantibus ſe offerunt exempla, quæ ingens auxilium à Fontibus hiſce profectum & præſentiſſimam opitulationem ob oculos ponit. Securiori pede ſtamus hac in parte, à parte fidiſſimæ Experientiæ, & quæ à pyrotechnis provenit probationibus, quarum medio fontium cruere contenta, cnrioſis palàm facere; atque de facultatibus eorundem ſic poſtea firmum formare judicium licet. Rixoſum abſit ſpargere acetum.

XXIIX. Ipſe S. *Sanctus Codex* affirmativè aſtipulatur & talium Aquarum uſum hominibus implicite commendat. Sic nempe *Onan* deſerto Thermas, puta calidas & Medicinales aquas (dubio ſine haut fruſtra) invcniſſe teſtatur *Torniellus & ex illo Cornel. à Lapide in Gen. c. 36, 24.* Ita *Eliſæus* vates *1. Reg. 2.* pravas aquas, quæ in Jericho ſteriles erant & inſalubres, immiſſo in fontem Aquarum ſale, priſtinæ eum reſtituit bonitati, adeo ut exundans poſtmodum tellurem reddiderit frugiferam, & omne virus quod deliteſcebat ante in his aquis, planisſime evanuerit.

XXIX. Vide & animadvertere, quam tacite hac ſolemnitate innuatur, Aquarum ſalubritatem in ſale quodam conſiſtere, è contrario inſalubres eſſe & ſuſpectas, quæ omni ſalis beneficio deſtitutæ: dicamus clarius: ubi ſalis ubertas, (ne tibi displiceat etymon) ibi & ſalubritas. Nota hinc obiter quoque & bene nota, myſterium hic latitare Phyſicum, ſalisque & nitri vi tutem

lauda-

laudatiſſimam, quam nec ignoravit etiam illa Muſarum Luſcinia *l.1.Georg.* Sic canens; *ſemina vidi equidem multos medicare ſerentes & nitro prius & nigra perfundere amurcâ.*

XXX. Similiter & idem *Propheta*, illum Principem Syriæ Regis militiæ leproſum ſcilicet *Naëmam* ſepties in Jordani undis. *4.Reg.5.* lavare juſſit, quæ Aqua procul dubio, uti ex fertilitate iſtius Regionis quimus conjicere fuit peculiariter nitroſa; quum omnes Aquæ alioquin de nitro aliquid, licet una altera magis vel minus participare ſoleant, conteſtantibus Pet. Joan. Fabro in ſuo Panchym. & *Jo.Nardio de Igne ſubterr. c.41.* beneficio ſalis enim aut nitri alimenta & medicamenta ſive externa ſive interna illa per totum tranſeunt corpus, nec ſine ſale volatili penetratio ulla aut diſſolutio fieri poteſt. Quâ conjectura, ut nobis videtur, haut abſonâ miraculoſo tamen ſanationis actui nil penitus detrahere intendimus, & proteſtamur: Quare etiam de piſcina prodigioſa Hieroſolymitana, Judaicè Bethſaida dicta, nil hic adjicere volumus.

XXXI. Aſt hoc duntaxat ſubjiciendum exiſtimamus, quod mediatæ ejusmodi, minerales, metallicæ atque Thermales Aquæ non incongruè *ἱερὰ λύτρα* ſeu balnea ſacra appellitentur, quoniam deploratiſſimos affectus ſalina & abſterſivâ ſuâ potentiâ præbendo & natabula, & medicabula non raro vincant: prout hujus nominationis rationem annotavit Philoſophus *l.24. probl.ult.* qui propterea fuiſſe ſacra habita refert, quod ex ſulphure & fulmine, rebus naturâ ſacris, proveniant.

XXXII. Ut propius igitur veniamus ad lineam, concedimus nullimode adverſariis, Aquas minerales & Acidulas Naturæ humanæ prorſus nec non abſque Diſtinctione eſſe adverſas infeſtaſque. Homo etenim eſt Microcoſmus, & proinde cum omnibus ac ſingulis Microcoſmi rebus certô modô ſuam habet convenientiam. Siquidem homo ex iisdem orbis principiis & cumprimis, Terræ eſt compoſitus; quia homo humus eſt & in humum redigetur.

XXXIII. Dicito jam nobis, qua ratione ea, quæ ex humo oriuntur, homini eſſe contraria penitus poſſint; præcipuè quum pernicioſiſſima etiam venena immutari adeò ac mitigari debita præparatione queant, ut exinde confiant tuta, jucunda & maximè ſalutaria medicamina, dum ſcilicet ea in ſalinam & fixam convertuntur naturam, uti exemplo nobis eſſe poteſt decantatiſſimæ virtutis remedium; ſal viperarum, O quam plurium radicibus herbarum vis ineſt veneni, quæ dum rerum aliarum purgata eſt immixtione, ſalubre fit poculum è pluribus, quod ex uno fuiſſet peſtiferum ac ferale.

XXXIV. Solemniter mineralia autem per ſalina corriguntur menſtrua & media. Arſenicum adſpice; nonne illud ut notiſſimum, ita & vehementiſſimum eſt venenum, cui Autimonium quoque in cruda ſua violentia, & violenta cruditate ferme eſt conſimile? nihilominus nitri beneficio tam perfecte corriguntur ambo, ut pretiſioſſima demum ἀλεξιφάρμακα fiant, quod experti fuerunt quam multi, præprimis vero *Baſilius Valentinus*, *Faber ſæpius laudatus, & noviſſimè Cl. D. Rechfeld Prof. Erffurd.* p. m. qui Arſenico ritè præparato leproſum quendam perfectè curavit adeò ut etiam â deteſtabili hoc malo ſalvus annos aliquot ſupervixerit; cujus curationis hiſtoriam ex communicatione candida norunt Viri fide digniſſimi. Hinc poſito, nunquam tamen cuiquam conceſſo, (ſicuti huculque & fortasſis impoſterum quoque probari non poterit) aliquid Arſenicale in acidulis Egranis invenire poſſe; nonne abundantem illæ habent nitiri copiam, (monſtrabitur hoc infra) ut virulentiam ipſius egregiè valeant ſuperare. Quapropter & Præparatum nitrum â Baſ. Val. tanquam nobiliſſimum refrigerans & Medicina ſpecifica in funerea lue concelebratur.

XXXV. Subeſto levidenſe & arundineum quoddam obſtaculum, non tamen protinus Aquæ hæ minerales exſecrandæ, nec rejiciendæ. Sunt enim illæ Gazæ quædam pretioſisſimæ & veri medicinales theſauri. Quemadmodum autem illi mentis deſiperent quem maxime, qui enarrabile beneficinm & ſplendidam Solis majeſtatem tanquam ſupremi omnium generationum Auctoris propterea abominarentur, quod canicularium tempore ægris quibuſdam aliquale incommodum aut viatoribus ſudorem afferre ſolet; ita & illi Aquarum hoſtes inculpandi qui ut radium præpoſteræ alicujus ſententiæ obtineant, vel ipſum veritatis ſolem auferre tentant. Sic ignis cujus efficacia totum conſervatur univerſum ſtultè contemneretur, ſi quis imprudenter eo utens ſe læſiſſet, aut ædes ſuas redigiſſet in favillas. Ita & Oceani ſtant laudes, etiamſi imperitus nauta patiatur naufragium. Quid; quod & aër nihilominus magni habendus atque propterea â hemiſpherio non relegandus, licet interdum malignas inducat influentias & Clima aliquod reddat contagioſum. Sic & tu de noſtris ſentias, Acidulis.

XXXVI. Inficias tamen haut imus, dari & ſnbeſſe æquas minerales metallicasque, quæ ob venenatarum rerum ad mixtionem humano generi ſumme ſunt noxiæ, atque lethiferæ, uti ſunt arſenicales præſer,tim de quibus hoc ſciendum

dum addimus, quod reperiantur raro, nec ullibi, niſi in locis arridiſſimis, obſervante hoc ipſum ſagaciſſimo Chymico *Henry du Rochas lib. 1. c. 5. de la vraye Anatomie ſpagirique Des aux minerallés.* Quamobrem etiam *Hyppocrates & Galenus* harum mentionem reliquerunt, nobis rectiſſimè, ne inexpertus & incautus populus damnnm pateretur inſperatum. Hæ etenim aquæ aut venenatis rebus nimium quantum ſunt impregnatæ, aut benignorum ſalium conjugio plane carent, & proinde cavendæ.

XXXVII. Verum exinde inferri nullo modo poteſt, omnia protinus mineralia eſſe noxia, quod ſufficientiſſimè commonſtrant præterea tot Medicamenta ex illis ipſis confecta, uti ſunt flores, ſpiritus, Balſamum, Lac, Butyrum, eſſentiæ, Tincturæ, crocii & hujuſmodi tituli, quibus illa inſigniuntur, atque in percurandis morborum diverſis generibus efficaciam ſtupendam toto die oſtendunt.

XXXVIII. Ad huc te angere & tangere videmus quod aquas has minerales calefaciendo nimis obeſſe inteſtinis, aut refrigerando nocere ſtomacho per quam metuas, ſed communicamus tibi, in mineralibus contrarias reperiri virtutes, quæ ad ſubjectum ſuum ſeſe applicant facillimè. Nam unum & idem metallum ritè diverſoque modo præparatum partes infrigidatas calefacit, & è contrariò partes refrigerat ardentes; ſunt enim mineralia & metalla naturæ ſic Hermaphroditicæ, uti hoc egregiis plurimisque probat rationibus *Dn. Raymund. Mindererus in Tr. de Calcantho.* Ita Mercurius tam biloſis prodeſt, quam Melancholicis & chalyps ſeu Mars tam reſerat oppilationes ac venas à viſcoſitate purgat, quã dyſenteriam jugiter ſiſtit & hæmorrhagiam. Optimè *Rochas*; aquæ Minerales inquit, ſunt quaſi medium, quo natura metallica cum animantium corpore conciliatur, ita, ut uſus earum hinc eveniat fructuoſiſſimus, & quidem magis, quam omnium reliquorum medicamentorum.

XXXIX. Oſtendimns nunc ſolido validoque, nil fallimur, fundamento, flocci habendas eſſe rationes eorum, qui mortales ab Acidularum uſu & tanto beneficio abſterrere non erubeſcunt, dum adverſari eaſdem noſtræ ganniunt Naturæ. Quæ reſtant dubia, circa uſurpandi methodum, & alia, quæ hic obſervanda, occupata, iis hinc inde in paulo poſt ſubſequis documentis ſatisfiet. Sed ingeret forſan aliquis; rem multorum jam laboro elaboratam aggredimini, crambemque toties coctam recoquitis & nihil aliud; illi enim præclaram & favorabilem duntaxat navant operam, qui materiam rarum enucleant, vel etiam ſterilitate ipſius rei ac naturæ damnatam veluti ſolum colono neglectum, proſcindunt, irrigant & jactum ſic ſemen fœcundæ artis calore animant in Meſſem.

XL. Fatemur quidem, plurimos, eoſque viros ab ingenio & arte illuſtres,

jam dudũ thema hoc accurata diligentia exaraſſe, quorũ honoratiſſima etiã nomina honoris cauſa hic nominare ſuademus, jubemur. Scripſerũt nempe de Acidulis tam in genere quã in ſpecie h. e. alii *de Egranis, de Gôppingenſibus alii, de Grisbachenſibus quidam, nonnulli de Petrinis, Spadanis, Schvvalbacenſibus multi & Wildungenſibus cæteri, nominetenus Andernacus, Tabernamontanus Fallopicus, Mercurialis, Savanerola, Montagnanus, Sennertus, Donatius, Fuchſius, Gesnerus, Jordanus, Fumanellus, Georg Agricola, Voglinus, Menghuſius, Rulandus, Guintherius, Môgling, Sebitzius*, Hornigk, *Fabianus, & Matth. Sommeri, Maccaſius, Reudenius, Majerus, Bauhinus, Hildanus, Graſeccius, Limborth, Henr. ab Heer, Gôring, Byetius, Solenander, Commintius, Rixinger, Horſtius, Dietericus, Arcularius, Burggravius, Kempſius, Gravius, Kohlerus, Uffenbach, Vietor, Weber, Wolffius, Ellenbergerus*, & alii, qui jam nobis non occurrunt, inter quos & ſplendent una *Faber atque Rochas*, Viri in chymica Clariſſimi.

XLI. Conſcripſerunt Auctores illi lectiſſimi, notatu digna de Acidulis, & ſedulitatem ſic ſuam oppido tradiderunt poſteris pariter, ac coætaneis. Attamen non diffidimus, calculum nobis ſuum eſſe daturos non paucos. Pulchriora adhuc & in Naturæ viſcera, magis penetrantia inveniri, adeo, ut hæreditas Majorum non diminuatur proinde, ſed celebritate nominis, novarumque rerum gloriâ adaugeatur. Fuerunt priſcis uſitata quædam, non tamen protinus ſuperſtitiosè retinenda, nec hoc modo jurandum in verba Magiſtri. Multi enim defectus vel ipſo neglectu vel acceſſu felicioris addidamenti compenſantur feliciſſimè. Sic Medicina in cunis vagiit quondam, quæ nunc in noſocomiis triumphat, & glorioſe excolitur in ſcholis.

XLII. Hic noſter eſt animus, ut rationes adhuc & rationis rationem pro ingenioli noſtri modulo apponamus, nihilominus, ut lacerti noſtri ſunt infirmi, plura & adponenda & monenda aliorum quoque induſtriæ remiſſuri. Agnoſcimus enim profectui rerum nihil tam adverſum quam perfectionis opinionem. Nos ſic habeamur præeuntes, ut datum anteceſſoribus fulcrum referamus, ſuppeditata ab inquirendi curioſitate fiducia. Scandamus igneas has rationis & experientiæ quadrigas, quæ in tenebris mediis & difficultatibus multis in offenſo fauſtoque flexu ad metam ducere valent.

XLIII. Verum jam pridem fuit, veriſſimumque ſtabit, rem ſcire nil aliud eſſe, quam per cauſas ſuas & germanas eandẽ cognoſcere. Quacircò & noſmet hunc preſſuri gradum de ACIDULIS EGRANIS ſic loquemur, ut nos & Practicos adhibeamus, & de vero easdem ſalubriter uſurpandi modo ſcitu neceſſaria ac proficua candide in medium proferamus. Itaque in hoc chartaceo delubro has regularum & documentorum ſeu cautelarum aphoriſticarum tabellas ſuſpendimus. Hæc eſto.

I. *VOCIS.*

I.

VOCIS. ACIDVLARVM. LVSTRA. NATALES. ET. SAPOREM. HORVM. MATREM.

I.

ASpectu primo moleſtum hoc nomen eſt, ſi foro credimus Romano & Tropico. Acidum enim Latinis eſt cum ſarcaſmo infortunatum, atque adeò nocuum triſtiſſimumque. Eumolpus Petronianus ſibi unquam acidius fuiſſe negat, quam tunc temporis quo lapidum imbre oppreſſus pene!

2. Improſpera verba ſunt apud *Auctores*; ægret & acidiatur. Quid acidiari? ſtomachari. Verbo ſtomachari autem nil indigitatur aliud quam tædium mentis aut πάθημα contrarium.

3. Phraſi acidè eſſe alicui *Plinius Valerianus* innuit idem ac nauſeare & abhorrere. Hinc acidium ſtomachi notat faſtidium:& acidiæ *Caſſiano* angor ſunt cordis. Ita ut ſenſu hoc omne acidum ſit ingratum & acutum; quam nobis Philologiam ſubgeſſit.Nobiliſſ.Barthius,l.6,adverſ,c.17.& lib.21.c.7.

4. Sed canticum abſit hoc acidum ab Acidularum fontibus, ſalubritatis fontibus, de quibus longè aliter Artis Medicæ Patres ſentiunt, haut in conſulto ſua præſcribentes medicamenta ad gratam acetoſitatem.

5. Contritiſſima eſt hæc appellatio, quam nec repudiamus. Aptiſſima eſt, quam meritò retinemus quoq;. Vocantur à ſapore & ſubſuavi acore diminuto titulo Aquæ acidulæ, quaſi ſubacidæ. Qui credere hoc faſtidit, vel primis labris deguſtare eas non faſtidiat & nobiſcum haut diſſentiet.

6. Nec originem ſaporis hujus celamus tibi, quam à reſoluta & ſpirituali ſalium in ſe contentorum ſubſtantia, potiſſimum vero nitroſi ſalis habet, utpote cujus ſpiritus omnium fermè ſalium eſt acidiſſimus, præque aliis à corpore ſuo admodum fugax, ita etiam ut leviſſimo quovi calore, multo magis ſolari æſtu ex nitroſâ terrâ ſtatim aliquid ſpirituum exhalet & exſpirare poſſit.

7. Dubitas; fulgura horribiliora contemplare ac tonitrua, quæ reductionem hanc nitri per calorem in ſpiritum conteſtabuntur abundè, utpote à nitroſis ſulphureiſque ſpiritibus ortum ſic adepta ſuum.

8. Solida igitur hoc manebit, acore ſuo has gaudere aquas, ſicut revera etiam aliæ venæ fontium acidæ paſſim reperiuntur: eas ſi cuipiam collibitum fuerit comparare vinoſis cum fontibus, liceat? Hos enim Græci inter

inter ὀξυζέσαι, quos latini inter acidulas retulerunt ; quamvis ſapore non nihil diſtincto.

9. Promittit certe ſapor ſummo acoris moderamine nobilis in ſuæ hoc originis frontiſpicio, quæ jamjam ſupponetur, nobile jugiter præſidium. Ergo venite huc qui ægrotatis.

II.

EGRANARUM. ACIDULARUM.
PATREM. SCITO. NITRUM.
SED TRIGAMIAM. FACERE.
SULPHUR. VITRIOLUMQ. MARTIALE.

1.

Acidularum interanea expoſituri breviter præfigimus extima. Fontem ſiſtimus nudo exceptum ſolo, è graminea ſcil. crepidine, eumque ingenuum ſeu naativum, hoc eſt, non manu, ſed citra operam omnem humanam factum, nec communitum, niſi intrinſecus perfunctoriè ſaxis Aquis tamen perennem ſemperque ſuis ebrium liquoribus.

2. Intende, quid intendamus: harum fons Acidularum vivus eſt, qui è venis terræ indefeſſem manat, & ſcaturigine perpetuâ è ſcatebris ſuis ſcaturit, adſpectuque Criſtallinas criſpat & trepidantes bullas.

3. Situm ſi quæris ejuſdem , extra portam & Civitatem *Egranam* illum ſcias, non autem ratione eâ , quâ *Romani* Templum *Æſculapii* extra Urbem in Inſula erexerunt, non ducti voluntate, ſed neceſſitate coacti, quaſi nemo niſi invitus coactuſque admittat Medicinam. Mentio hujus ſitus ne tibi ſuſpecta ſit, nullum enim cogimus, ſed amicè omnes ad calices hos invitamus.

4. Extra portam hunc invenies fontem prope pagum, cui *Schledæ* nomen eſt, in campo libero, ut omnibus eſſe hoc beneficium commune queat.

5. Hinc memorando exemplo in incunabilis hujus obſervatum eſt, quod cum includeretur quaſi mœnibus ab agri illius patrono , & aqua hæc medicata venundaretur, paulo poſt penitus exaruerit. Poſtquam autem amiſſum tàm grande donum ſic moneret, ſe neutiquam fœneratorium: remota cuſtodia actutum & denuo redundarit: ita ſane eſt memorabile illud *Catonis* dicterium: qui fœnerari ſolitus eſt, hominem occidere tentat.

6. Dici igitur *Schledenſis* potius ille mereret , quam *Egranus* ; veruntamen ſtare per nos poteſt denominatio à priori & loco magis celebri.

7. Adſcribimus porrò divitem Acidularum eſſe hunc undique tractum, non tamen ſine effectus ſaporis & vigoris differentiâ : ita aliis natura alia , & contenta ſunt diverſa ; unde & tam varius Acidulis ſingulis eſt uſus , quàm guſtus.

8. In

8. In aliis nitroſum minerale excedit, in quibusdam aluminoſum, in nonnullis ſulphureum, atramentoſum, bituminoſum, æruginoſum, ferruginoſum, atque ſic porro, mira & diverſiſſima invicem combinatione. Hinc & mirum nullum, ſi Acidulæ illæ frigidis, hæ calidis, levibus iſtæ, aliæ gravibus, nullæ omnibus medeantur adfectibus ſicuti & nullæ omnium habent virtutes.

9. Sed ad *Egranas* ſeu *Schledenſes* noſtras redimus, in quibus, ut in aliis, miraberis quoque perpetuam liquorum affluentiam; Verum humoris aſſiduum à mari per occultas terræ venas & naturales cuniculos adfluxum rimare, & minari deſines.

10. Juxta has noſtras alium datur conſpicere fontem, incultum tamen, & cunctis exoſum, quum inquilinis alte & ſuperſtitioſè infixa ſit opinio, venenatum hunc & certo mortiferum eſſe; quod ipſum ranarum & piſcium immiſſione probatum dare adſolent, dum illi exiguo ſic temporis ſpatio, niſi maturè in aliam deportentur aquam, emoriuntur.

11. Verum ut nihil eſt quod ſibi non fingere poſſint male nata opinio, ita & hic comparatum: perinde enim intereunt animacula in acidulas noſtras injecta. Multa profecto nocent brutis, quæ hominibus proſunt; ſic mortem ſuam, eamque citiſſimam inveniunt ſciuri, feles, vulpes & alia ejusmodi animantia, item & volatilia in amygdalis amaris, quæ nobis tamen à ſalubritate ſua ſunt notiſſimæ. Sic & ex adverſo generi noſtro venena ſunt, quæ illis egregie conferunt, egregiumque præbent alimentum.

12. Aquas Acidulas igitur & minerales in genere, aquatilibus ad mortis neceſſitatem eſſe noxias, dubium nobis eſt nullum. Opportune hic referimus quod *à molitore* alius ibidem & vicini pagi relatum nobis: non infrequenter dicebat accidere, ut dum molendinum inſtaurare & fulcire ruinas ſtudent, proindeque torrentem alio decurrere curant, interim ſcaturigines acidularum quodammodo in locum ſuccedant & ſic piſciculis cancriſque (qui hanc aquæ adverſitatem confeſtim perſentiſcentes omni conatu eluctari nitantur) feralem accelerent natatum, niſi in tempore aqua priſtina revocetur.

13. Ergo adparet manifeſto exin ſententiæ noſtræ ſtabilimentum, quo fulti ſerio adfirmamus, dictum & proximum hunc fontem minime gentium eſſe inſalalubrem, modo primum aliquoties exhauriatur & debito modo cultuque purificetur. Si plura vis, crede, vel curioſitatis gratiâ noſmet de hoc ipſo potaſſe, & lavacri cauſa etiam incolumes uſurpaſſe.

Ad viſcera ipſa noſtrarum Acidularum nos accingimus nunc, & eas per-

hibemus eſſe nitroſas ut plurimum, ſed & nonnihil ſulphureas vitriolasque.

† 15. Nitroſas eſſe tam claret, ut Phœbus non clarior ſit meridianus & ideo dilucidatione ſpeciali haut opus: ſiquidem totus ille Regionis circuitus è terra conſtet nitroſa adeo ut æſtivo ſudoque tempore, ubi ſolis radii fortius terram feriunt, nitrum viſibiliter & belle efflore ſcat.

16. Viſus & lingua nos fallere non poſſunt, quum frequentiſſimè hoc noſtris conſpexerimus oculis, & ore juxtim libaverimus noſtro. Favet & ratio, quam *Rochas* oppido ſuppeditat: quid nitrum ſeu ſal petræ, ait ille, eſt aliud quam ſubtilis quædam è terra exhalatio, quæ facilimè in obviis petris ob ſingularem ſympathiam adhæreſcit.

17. Veritas ulterius expertiſſima *Henrici de Rochas* voce loquitur, quam ſic interpretamur; Aquæ minerales, ſi claræ ſint, & jugiter puræ parumperque referant ſalis ſaporem, vel alicujus acoris, tunc certiſſimum & demonſtrativum eſt ſignum, quod illæ originetenus ex pura cujusdam nitroſæ mineræ à ſale naturæ ſeu hermetico ſuaviter impregnatæ, propullulent portione.

18. Inſuper vitriolatas aliquantulum & ſulphureas eſſe diximus, quod adhuc ſtatuminamus, hac tamen lege, ut vivum aliquod & commune hic ſulphur vitriolumque intellectum haut velimus: nihil enim hac ratione de mineralibus iis participant Acidulæ; ſed aliter, & taliter quidem opinamur, ſcilicet, quod horum aliquid ſimile, & quidem in ſua adhuc materia prima è venis metallaribus potiſſimumque hoc in loco Martialibus, beneficio copioſi nitri & ejusdem ſpirituum, perpetuo extrahatur.

19. Hæc enim omnium ſalium & eorundem ſpirituum, cum primis verò nitri, eſt natura, ſeu innata facultas, ut è venis metallicis vel ipſis etiam metallis, quantum queunt, ſuavi quadam reſolutione ſugant atque extrahant, quod ipſum poſtea quale ſit percipere guſtu nos docuit Experientia.

20. Probare hoc licet quotidie, ſi vel communem & ſimplicem aquam unico diei aut noctis ſpatio in vaſe locatam æneo cenſuræ palati ſubjiciamus, certe æneum, hoc eſt, ſulphureum vitriolatumque hujus metalli exinde perſentiſcemus. Aqua autem communis hoc præſtat quoque, quod nulla tam pura & ſimplex proſtet, quæ non aliquid ſalis quodcunque etiam illud ſit, ut alibi jam dictum, in ſe contineat.

21. Itaque ſulphur & vitriolum, ſed Martiale hic ſubeſt, quod adſertum præſens Crocus luculentius adhuc tuetur, quem oculariter & abunde profert iſtius terræ Acidularumque genius. Non deterret nos priſcorum ritus, qui ferrum ad altaris ſtructuram, quod multos hominum trucidet non adhibebant: Nos non ſic in Medicinæ fano, in quo Mars morti eſt infenſiſſimus.

22. Uni-

22. Unicum hæc Tabella & exploratu non indignum addere ſuadet: num videlicet medio deſtillandi fons iſte accuratius perveſtigari queat? Reſpondemus paucis; labore hoc Crocum quendam & nitrum quaſi exanime ſic deprehendi; attamen vi ignea evaneſcere id quod in nitro illo ſubtilius eſt & efficacius, ſicuti etiam vitriolum & ſulphur ex Croco hoc Martiali in auras abire, quæ ſpirituoſa, ſeu ut Hermetice loquamur, primaterialia ac proinde inſigniter volatilia ſunt. Tu naturæ arcana devenerare, quæ parens benigniſſima eſt, quæve nihil fecit horrificum; & ſequentem lege Tabellam.

III.

ADVERTE.
ACIDVLAS. VSVRPARI.
VERNO. VTILIVS,

§. I.

MUltum refert in Medicina; quo temporis articulo & quo ſidere ejusdem fiat officium. Varius ut temporum lapſus, ita & diverſiſsimus uſus. Anima curationis eſt occaſio.

2. Novimus quidem, tempus quodlibet neceſsitati tempus eſſe, utpote quæ nullam habet legem, nullumque obſervat punctum. Attamen ſi periculum non in mora ſit, anni tempora & peculiarem cujuscunque præſtantiam geniumque Medicus recte judicii ſui metitur decempeda; Quod ipſum in noſtro hoc ſcopo faciemus palam. Itaque non negamus quidem, ſolem in producenda ſalinorum ſpirituum copia die æſtiva & æſtuante majori gaudere efficacia, dum radios ſuos terreno huic circulo perpendiculariter ferme communicat, quod tempore verno non fit, utpote in quo ſuperficialiter tantum, atque oblique in tellurem collimat.

3. Verum hoc tantum curamus, quantum numerum lupus aut torrentia flumina ripas: ita ſane inſtantia hæcce minimè nos movet, ut æſtati præ vere in hoc negotio præbeamus palmam, modo vernale illud tempus non ſit pluvioſum & udum, ſed ſerenum atque ſudum.

4. Vernæ ætatis nobilitatem præferentes hoc inſuper notandum adjungimus, quod ſicut vulgare eſt, quodlibet anni tempus in principium, medium & finem diſtingui, ita & nos veris non caput, quod frigore horret plerumque, ſed umbilicum ac pedem commendamus. 5. Aſt qui æſtati dare optionem malunt, illi ingreſſum progreſſumque ejus, egreſſum vero cum

autumni primordio ad neceſſitatis caſum reſervando obſervent; *Medium tenuere beati.*

Verna autem hæc anni facies præ reliquis temporibus cunctis hac illuſtratur prærogativa, quod in ea cum notabili ſolis adſcenſu omnis terræ ſoboles quæ hyemis ſphacelo quaſi emortua jacuit, potenter reſurgat, cum augmento vitali refloreſcat, & ſic primordiali ſuo vigore atque humido imbuatur.

7. Certi jam ſumus neminem dicti veritatem impugnaturum: hoc tamen ſtatuimus inſuper, hunc naturalem vigorem in ſuo primo ente efficaciorem, quoniam ſubtilior & proinde penetrabilior, quam in ulteriori temporis ſeu anni procurſu: non obſcuris argumentis id colligere datur, vel ex arborum aliarumque plantarum ſummitatibus, exempli gratia, ſambuci, lupuli.

8. Mentem confirmat noſtram, quod prælaudato tempore ventriculus noſter longe robuſtior & ad hoc agendum longe aptior, quam ſole æſtivo, quo præ nimio & tum ſueto calore laſſus & infirmus exiſtit.

9. Locum teneat tam auctoritas *Magni Coi*, qui ſingulari effato cavit, ne diebus canicularibus & ferventibus pharmaca ſeu purgantia exhibeantur, quam optima Medicorum conſuetudo, qua tum temporis laboranti ſtomacho confortantibus ſuccurrunt, non vero vires purgando temere proſternunt.

10. Demum nec ambiges nobiſcum, æſtivo calore, & perurentibus radiis Acidulas magis anima ſua, hoc eſt, ſale naturæ, ſeu volatili, in quo ſubtiliores penetrantiſſimique ſpiritus conſiſtunt privari & ſic illarum notanter imminui virtutem, quam fieri poteſt temperata ſuavique veris aura.

11. Mentionem hyemis & Auctumni conſulto inſtituere hic noluimus quod Acidularum efficacia tum quaſi ſit funerata: per nos licebit tamen, ſi ſerenis diebus has expilare lagenas cuidam collibitum fuerit. Sic bibat arbitrio pocula quiſque ſuo.

12. Has cautelas adhuc adnectimus, ut veris quandoque advenientem rigorem hoſpites declinent ſubrogando hypocauſta, non dubiam hujus temporis beneficentiam experturi. Sic enim quantitas Acidularum facilius adſumi, ac frigefacto exin ſtomacho opportune ſubveniri adeoque horror à corpore poteſt averti.

13 Denique & ſatius erit quieſcere paulisper à potu hoc, iratis nubibus & imbre aſſiduo fluente, quam in caſſum ventrem onerare Aquarum delibatarum mole; quum abſque ulla hæſitatione ſit veriſſimum dilutione hac vehementi mire infringi Acidularum vires.

14. Tu *Benevole Lector*, elige & ſelige pro animi lubentia aut commoditatem uſurpandi, aut certiorem utilitatem. Libertati tuæ non ſuccenſebimus, ſed & noſtræ tu ſuccenſere noli.

IV.

ACIDULARUM. SACRA.
QUISQUIS. INTRARE. TENTAS
ILLOTIS. NON. VENIAS. MANIBUS.
SED. PURIFICATO. CORPORE.

§. I.

RErum pollicetur optatum ſucceſſum juxta & ornamentum, ſi omnia fiant κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην ritu decenti & per certas graduum partes.

2. Hinc recte *Simonides Poëta* impudentem taxat fœminam, quod victimas devoraverit non conſecretas: *Ulyſſem* vero potius imitandum producimus, qui vel in extremo faſtidio honeſtæ conſuetudinis oblivisci non potuit; ita priusquam accumbit, ſe purgat, ignem accendit, ſacrificat, & ciborum ſuorum primitias demum offert, vinumque de patera libat cum hoc voto mactus hoc vino inferior eſto. In autem velut & illi ſic dicimus, qui bene præparatus accedit ad Acidulas: mactus poculo hoc ſalutifero eſto.

3 Laudanda methodo Medici in ſuo ſic progrediuntur opere, quorum veſtigia ſequi & nos pro virili adlaborabimus.

4. Ita non placent nobis illi, qui crudum ad Acidulas ſtomachum protrudunt. Hinc bene *Phyſici* actus agentium, ajunt, circa patiens indispoſitum non operantur.

5. Experiuntur hoc corpore debitis purgantibus non evacuato Acidulas adgredientes magno cum ſuo malo, qui non tantum ſpe ſua & voto fruſtrati oleum & operam perdunt, verum etiam non pauci in varia & ſatis periculoſa incidunt ſymptomata.

6. Opportunitate hac fontium, qui ſcaturiebant *Hornhuſii*, recordamur. Vah quanto cum nocumento & funeſtiſſimo ſæpe exitu à multis plurimisque non ita pridem hæ Aquæ fuerunt hauſta. Quæ ratio? quod ſcilicet liquor hic mendicatus indifferenter, omiſſa debitæ evacuationis præmiſſione, menſura & ſine menſura abſque omni pariter cura pleno gutture nulloque non tempore potarentur illæ.

7. Et hanc ob cauſam, qui affligebantur vertigine, fiebant Apoplectici; καχεξία maturius degenerabat in hydropem, lancinans ſpaſmus in paralyſin, &

affectus leves in graviſſimos exitioſosque : adeo magna hic fiducia magnis periculis erratisque fecerat viam.

8 Quum enim harum Aquarum ob ſalium ſalinorumque ſpirituum vim penetrantiſſimam ea ſit natura, ut humores vehementer commoveant, fit, ut ſi eorum præſtò ſit abundantia, non ſine metu & gravi cum periculo turbentur, agitentur & nobiliora viſcera dum hac malitia inquinantur, ſic corrumpantur.

9. Conſpicis nunc cauſam, cur evacuantia Acidularum uſui neceſſariò ſint præmittenda.

10. Nec ſufficit ſtatim, ſi ſemel aut bis antea provocaveris alvum, ſed tribus aut quatuor vicibus, vel pro neceſſitate pluribus purgationes illæ ſunt reiterandæ, habito tamen illo & Medicis notiſſimo reſpectu, quo ætas, complexio, affectus, aliæque circumſtantiæ animadvertuntur, qua de re adi *Fabr.l.2. hydrop. Spagyr. c.*5. & oblectabit te rara edecumati Viri doctrina.

12. Attendimus etiam non incommodè, quæ ulterius circa hoc negotium monet laudatus hic Auctor: nempe ut purgantia illa, ſi quispiam ſcopum ſuum perfecte adſequi amet, è regno potius minerali quam vegetabili petantur, hoc eſt, ut *Sale vitrioli aut Antimonio* rite præparato, vel etiam *auro purgante*, (in cujus defectum, quum *Auctor* modum ſibi reſervaverit, *aurum fulminans* ſubſtituimus, niſi idipſum fortaſſis intenderit) item, *Mercurio vitæ* aut *dulci* optimè præparato, indicationi ſatis fiat.

12. Hæc ergo Medicamenta, ſi rebus convenientibus immiſceantur, & illorum fiat debita ſelectio, Doſisque, quæ debet exigua eſſe, accuratiſſimè obſervetur, operationem ſpondemus feliciſſimam. Oppidò efficaces deprehendimus quoque *pillulas noſtras Theriacles cum Croco vitrioli dulci* mixtas, aut illas etiam, quæ extractum *Troch. Alhandali* habent adjunctum.

13. Commodiſſime jugiter uniri purgantia ex vegetabilibus facta cum corpore quodam minerali poſſunt v. c. *nitro præp. ſal. harmoniac. ſubtil. &c.* Depoſci autem videntur hic purgantia ex minerabilibus facta vel cum iis mixta, quod illa ex vegetabilibus parata non immediatam conformitatem & affinitatem cum Aquis habeant mineralibus. Purgantia reliqua, quæ aut in officinis proſtant, vel etiam in Laboratoriis latent, hic allegare ſuperſedemus, quorum electio penes quamvis eſto Medicum.

14. Indiximus ſic cum purificato corpore ad Acidulas veniendum, nunc & indicimus corpus tibi ſedulo adſervandum tale, hoc eſt, in ipſo Acidulas uſurpandi actu à purgantibus minime abſtinendum, & hoc quidem ex duplici capite: ſc. ne Aquæ iſtæ longiorem, quàm par eſt, in corpore moram teneant; qua circo ſtimulo quodam naturæ ſubveniendum : deinde ut ſpecifica hujus

vel

vel illius purgantis facultate humores vitioſi & viſcoſi nimiumque tenaces ſolvantur citius atque egerantur.

15. Regula Medicorum eſt, Natura deficienti, quantum poſſibile ab arte adjutrices manus porrigendas.

16. Sed quæres fortean, quo tempore? Nos reſpondere parati, dicimus: matutinum eſſe convenientiſſimum, & quidem ad minimum unius, melius tamen 2. horarum ſpatio ante potum: effari vix poſſumus, quanta lenitate & quanta cum facilitate Acidulæ poſtmodum epotæ, viribus feliciter junctis officium ſuum præſtent, adeo, ut tot ſubſequentibus dejectionibus Natura & robur hominis erigatur potius, quam ut latiſſitudinem quandam exinde adſciſcat, ſicuti alias ordinarie poſt adſumtum purgans fieri ſolet.

17. Quibusdam vero placet potius adſumto purgante Acidularum uſum die illo differre, aut vesperi ſaltim penſum ſuum abſolvere. Non aberrare quidem illos, ſed ſanius facere eos pronunciamus, qui mediam ineunt viam & ſolum de menſura adſumendarum Acidularum aliquid detrahunt.

18. Verum ut vires & conſtitutio adſumentis hoc in puncto ſunt librandæ, ita & adſeveramus bene habentem & qui præſervandi cauſa Acidulis utitur Catharcticum utilius, Acidulas ſtatas poſt ebibendo, uſurpatum.

19. Sed quæ ratio cum infirmis & ægrotis ſit ineunda, ſciſcitaberis ultrà; ſi benigna tibi deſunt purgantia, aut conſilium iis utendi diſſuadeat, ad Clyſteres, de quibus mox plura, tanquam ad ſacram anchoram, pariter tamen ante potationem Acidularum adhibendos refugies. Uſus ſic artem fecit & ægritudo Magiſterium. Aſt pergimus & adpendimus.

V.

IN. HOC. ACIDULARUM. MARMORE. CLYSTERII. NON. DESPICE. EULOGIUM.

§. I.

Pœoniam manum ſeu Panchreſtum quoddam hic obferimus, puta, præſidii genus ad omnia conducibile & maximè præſentaneum, quo tam tuto, quam cito & jucundè, etiam delicatiſſimis absque moleſtia ulla, ſuppetias ferre poſſumus, ut Medicus tam ſuavi facilique auxilio præſentet quendam quaſi *Iſmeniam Choraulem*, qui ſanitatem cantu reſtituiſſe fertur.

2. Eſt in proverbio, brachia fortia ligari ſæpius fragilibus vinculis: quod adpoſite in enemate quadrat leniſſimo modo graviſſimos tollentia morbos.

3. Ut autem hoc medicamentum veneranda ſua vetuſtate clarum eſt, & clara bonitate à toto Medicorum choro concordi aſſenſu adprobatiſſimum: ita

ita nihilominus ſuos quoque oſores habet, & inter illos magna; qua ſolet animi libertate *Helmontius c. 7. tr. d. febr.* hunc Clyſteris uſum deſpicit ac refellit; quod de Philoſopho tam acuto impensè miramur.

4. Has rationes promit: quod Clyſteres inteſtinorum ſint hoſtes & purgantium acrimonia iiſdem exquiſitam adferant noxam, quodve ad inteſtinum illum pervenire non queant, unde morbos non averruncent, non confortent naturam, non nutriant in neceſſitate, ſed longævitati, potius obſint.

5. Sed has tanti momenti cauſas non eſſe ducimus, ut tam nobile inventum & tam notisſimæ operationis remedium adeo perperam deſeramus.

6. Verba deſunt quibus tantam exoptatiſſimorum effectuum ex hac inteſtinorum irrigatione ortorum multitudinem pro meritis dilaudare liceat, modo ejusmodi ſpeciebus & ingredientibus conficiantur, quæ non in corpore remaneant, & juſto egreſſu materiam peccantem educant.

7. Verisſimum namque eſt non omnes Clyſterum compoſitiones debitum ſuum exſolvere, ſed ſicut injecti, vitioſa materia relicta, ageri.

8. Nos adſueti, jam immittendo liquori tanquam baſin aliquid de Tinctura, noſtra vitrioli aut quod ipſa adhuc præſtantius, de *aceto noſto Mercuriali Catharctico ex Mercurio & Auro confecto, cum ſale nitro* vel etiam *ipſis Acidulis*, addendo ſemper aliquid *mellis depurati*, immiſcere; vix edicere poſſumus, quantam ex inteſtinis pituitæ viscoſitatem attrahat, diſſolvat, & ſecum foras producat, etiamſi corpora illa fortiſſimis & vulgaribus pharmacis antea ſint purgata: adeo ut vix credidisſemus tantam viſcoſæ pituitæ copiam interdum deliteſcere in extis, niſi oculi nobis perſuaſum dediſſent aliud.

9. Ideoque concluſu facilimum eſt, vires purgantium antequam ad remotiora deveniant loca, frangi, & pituitam ob tenacem viſcoſamque lubricitatem, quam inſtar glutinis, ſeu albuminis ovi, aut ranarum ſpermatis habet, intactam penitus relinqui: hac imemorante & indies accumulata quid expectandum; niſi affectus graviſſimi, qui eo funeſtiores, quo ſtabiliori materia ſubnixi.

10. Sed debita libra ponderemus rationes dubitandi, quæ magis ſunt nihili, quam ipſum nihil. In caducum parietem ſe inclinat *Helmontius*, quod jam remonſtrabimus. Etenim Clyſteres per ſe inteſtinorum hoſtes ſunt nunquam, niſi ex accidente, & malè conflati fiant hoſtiles.

11. Si ergo illi ex rebus naturæ amicabilibus componantur, inteſtina non magis offendent, quam fauces affectas inflammatasque boni gargariſmi, utpote qui illas à craſſa iſta purulentia, inteſtinorum pituitæ parum abſimili, abluendo & repurgando potius perſanant.

12. Et hic rationis ſplendor eſt, qui ſalutarem enematum â perita manu præſcriptorum claritatem integerrima fama adornat. Hinc etiam non eſt, ut remoram nobis injicere acrimoniam oppoſitam patiamur, cum prudentis officium ſit Medici, quæ noxia rejicere, aut ea dilutione præſtanti corrigere, atque adeo, quod optimum eſt quod ſalutare eſt, providere.

13. Obſtat, quod Clyſteris immiſſo ad ilium propter valvulæ obſtaculum non perveniat, ſed nec obſtat; neque enim poſtulatur hoc à Clyſteribus, ut in ſubſtantia totum pervadant corpus, modo vi attractive, qua pollere debent eorum ingredientia, adſugant humorum pravitates, & quæ cæterum præſtanda ipſis, laudabiliter præſtent; hoc eſt excrementorum craſſitiem liquidam, & ſic ad promtè exeundum aptam reddant, ut feces reliquæ in inteſtinis tenuibus ſeparandæ absque impedimento ſuccedere atque ſecedere poſſint.

14. Reiveritas comparet verbi gratia in apophlegmatismis, ac conſimilis effectus formulis, quæ cerebrum egregiè ab humorum onere expurgant, etiamſi ad ſubſtantiam iſtius non pertingat.

15. Silentio hic non præterimus, nobis ſingularem enemata adplicandi modum non ita pridem innotuiſſe, quo liquor ita immittitur, ut inevitabiliter neceſſum habeat omnes inteſtini coli cellulas quaſi ad valvulam usque permeare, & meando, in illis prolubitu adplicantis per vices deſcendere, & aſcendere, adeo ut iterata denuo denuoque pro neceſſitatis juſſu Clyſteris novi immiſſione ſic eluatur illud, ut injecta aqua tepida parataque demum prodeat abſq; ſordibus ac pura. Modum ſcire diſcupis? Gratificamur, dum hoc fieri venti beneficio artificialis tibi revelamus: *Sed ſatis intelligenti, non intelligenti autem nimis.*

16. Adunco quoque naſo ſuſpendit Clyſteris beneficium propterea, quod Lamiæ turres ſint ac pectines ſolis, illo nutritionem vicariã in caſu neceſſitatis ſubſtitui poſſe. Aſt hujus rei impoſſibilitas, quam prætendit, non protinus infamat an nihil atque Clyſterum merita, neque nobis in mentem jam venit Clyſteres nutrimentum vacillanti adlaturos corpori.

17. Sit; Clyſteres non nutriant; quid ad nos, Modò requiſitis primariis, ut ſtrenuè faciunt, ſatis agant. Attamen, quamvis controverſia hæc neutiquam huc ſpectet, Majorum honoramus pietatem & curam, qua nutrire hominem in miſeria hac conſtitutum, dum cibum e.g. ſtrangulante angina ſeu urgente cauſa alia adſumere non potuit, alia via excogitarunt.

18. Neque abſurdum adeo eſt, aliqualem nutritionem ſubcreſcere ſic poſſe, quum in extremis caſibus natura non raro extrema quoque adripiat media: homine enim graviter ſic decumbente flacceſcit & illa valvula, ita, ut relaxata parum eâ immiſſus Clyſter ad tenuia extra pervenire (ſi non alio, tamen exhalandi modo) quodam modo poſſit.

19. Reſtat, ut addamus Acidularum hospites circa illud tempus ſeu compotationum finem, quando ad balnea ſeſe accingunt; fructuoſius facere, ſi loco internorum purgantium familiares habeant ſibi Clyſteres, quippe qui ante & poſt balnea tutò admoveri poſſunt naturam à ſudorum benignitate non avocando.

20. Speciali denique beneficio enemata adficiunt illos, qui ob vires delibatas, ſenium, teneritudinem vel antipathiam quandam catharcticis ſe gravandos non permittunt. Quomodo igitur quæ ſartam tectam ſervare ſanitatem ſolent, fugare vitam poſſunt, & vitæ filum abrumpere maturius? Sic noſtro quidem animo, rationes trabili fiximus clavo & adfigimus nunc.

VI.

NYMPHÆ. ACIDULÆ. SACRIFICIUM. SI. POSCUNT. SANGUINE. LITA.

§ I.

UT tuta fama & integer ſcopus excubet his aris, ſanguine nonnunquam hæ tinguntur commodiſſime. Rem quidem nominamus religioſa & magna cum curæ reverentia tractandam, qua ſcilicet vitalis calor calidusque vigor & plenum vigore robur tanquam Rex purpura ſua amicitur ac cingitur.

2. Quid ſanguis? vehiculum & ſedes animæ. Quid ſanguis? res impenſe grata, liquor nobilis, tinctura viva. Eleganter *Clemens lib. 8. recognit.* ſanguis velut fluvius, inquit, ex fonte procedens & uno prius alveo invectus per innumeras venarum quaſi areas derivatus totam corporis noſtri terram vitalibus rigat fluentis.

3 Ut enim oleum ſuavi fomento flammam alit in lampade, ſic vitale lumen oleaginoſa ſanguinis maſſa in corpore; unde & pro vita ſæpius accipitur ipſa.

4. Nihilominus ſi theſaurus hic vitæ aut quantitate ſua ſe ipſum ſuffocet quaſi ad qualitatum vitia, nempe urentem acredinem, gravitatem terreſtrem, felleum atrorem, pernitioſam ſalſuginem, ſcorbuticam putredinem, pigritiem viſcoſam, & quæ ſunt aliæ maligni moris atque humoris notæ contraxerit, indeque ægritudinum agmini omnes aperuerit feneſtras, emiſſione illius aut per phlebotomiam, vel per cucurbitulas ſcarificatas remedium eſt quærendum, ut tempore pacis adhuc de bello cogitetur.

5. Jam certiſſimo ſtat talo abundantiam illam nocentem non diminui niſi vena aperta; eligat ſibi quisquis volet infauſtam famem & præcordia lentè enecantem: neque corruptum illum emendari aliter & ad integrum reduci habitum poſſe, quam adminiſtrata venæ ſectione.

6. Non male quidem ſed rectiſſime hac in cauſa ad aſylum diaphoreticorum renesque aperientium & diæteticarum recurritur, attamen hæc medicamina ad indicationem hanc non ſufficiunt, quapropter, ut ea ipſa (ſic quoque Acidulæ) citius feliciusque ſuas exerere operationes queant, phlebotomia per vices pro neceſſitatis genio adpoſite adhibetur, & laudabili victu laudabilique vivendi modo laborans regitur: abſit tamen intempeſtiva & immodica ſanguinis rapina, cujus, quia eſt pretioſiſſimus, avaritiam, hoc eſt, ne temere prodigatur expendaturque, Medicorum jam diu prudentia commendavit.

7. Verùm enim verò abſurdum videtur *Helmontio c. 3. de febr. n. 21. ac ſeqs. &c. 4. num 6. 8.* dari in corpore humano ſanguinem ejusmodi corruptum putridumque: ſed tùm demum, quando extravaſetur & vitali ſuo ſpiritu orbetur, putreſcere atque in cadaveroſum abire chaos, ut idem loquitur de hydrope ignoto.

8. Nos ergo dum dispellere facili maninifeſtæ rationis radio dubii hujus nebulas conamur, ſanguinis corruptionem in corpore vivo non quidem totalem, cum homo taliter conſtitutus inter vivos perſiſtere neutiquam poſſet, ſed partialem illam affirmare non veremur.

9. Luculento teſtimonio incredulis id monſtrant pelves recenti ſanguine fumantes atque ſpumantes. Sic enim tot ſanguinis ferme diverſitates quot homines, quot pelves luſtramus. Sic cruor alius fædiſſimè inſtar ſaponis livet, alius cæruleâ acredine viperinus eſt, falſo & ſalſo phlegmate ſordet alius aliusque nigro lentore horret & ſic porrò porroque dum alius non cohæret, fibris caret &c. Econtrario gratum & laudatum ſanguinem in cognito & comperto ſtatim experti Medici oculus habet.

10. Quid quod vel odore evidentia corruptionis ſigna, dum nonnunquam hic vel ille ſanguis, verbi gratia in leproſis aut venerea lue laborantibus &c. gravis fætore ſit, deprehendere liceat.

11. Quomodo venarum oſcula tam frequenter aperiret, niſi id præcipue fieret propter rapidam & acrem illam, corruptionis putredinem. Nil dicemus hic de ſumme putrido cruore, quem ulcera ſiſtunt & quem vel cæco manifeſtat dyſenteriæ furor: item hæmorrhoides & cum primis muliebria ſacra.

12. Illud prolatu tandem non indignum commemorare lubet, quod *Petrus à Caſtro Tr. de febr. malig. & puncticul. p. 16.* obſervavit. Verba ejus hæc ſunt: quin & hoc admirabile obſervatur, quod nuper ars detexit microſcopica, vermibus ſcatere minutisſimis ſanguinem maligne febricantium, quod, adſerente Eruditiſſimo *Kirchnero*, aliquoties experti ſumus, ut & lac nutricum, tali febre correptarum. Hæc à *Caſtro*.

13. Vermiculi igitur illi unde, niſi à corruptione & putredine illa generationis genitrice famoſiſſima. Ergo corrumpi & toties corruptum multifariis individuis inveniri ſanguinem, non magis hæſitamus, quam Smaragdum dicere viridem & candidam nivem.

14. Re ſic dilucidatâ magnum cum *Helmon.* errorem errant, qui medicam acum, qua tàm ebria quam ægra tutò levatur vena, confringere tentant.

15. Ut autem in ſemitam veniamus, tam phlebotomiam quam ſacrificationem ante, in & poſt Acidularum uſum, ſed ſuo reſpectu, non inegligendam omnibus arbitramur modis: præcipuè tamen vena pertundenda eſt ante hunc uſum plethoricis aliiſque, quibus vena ſanguine ob quantitatem & qualitatem, ob copiam, ob vitium liberanda.

16. In ipſo autem uſu ſcarificatio potius priores teneat partes, quæ cum balneis & provocatione ſudoris, dum potando deſcenditur, inſigni cum fructu ab iis, qui hoc præſidii indigent genere, celebratur. Num vero & quando venæſectio conveniat tunc temporis, præſentia judicabat Medici.

17. Denique finito hoc potandi negotio, ut purgantibus non, ita nec ab inciſione venarum & cucurbitulis illis abſtinendum, modo conſtet de complexione & circumſtantiis cæteris, quæ ſolertius Medicus coram perſpicere valebit. Sunt enim nonnulli quoque, quibus diſſuadere hæc Medicinæ inſtrumenta ſuadet ratio, cum omne vulnus, ut eſt *in adagio*, eodem emplaſtro non coaleſcat, cunctique morbi nec eodem curentur pharmaco.

18. Venarum electio reſtare videtur, de qua nonnulli magis quam *Alexander Macedo* de orbe terrarum ſub imperium ſubjugando, ſollicite cogitant. Sed cantorum extaeviſcerant cruſtis apertis. Adpoſite & vere *Caſp. Hoffman*, Vir Doctiſſimus *lib. 2. inſtitut. Medic. c. 106. §. 6.* Conſtituto, *inquit*, primum illo, ex ſcopis habitis, venam ſecandam eſſe: deinde conſtituto & illo, quod proximum eſt, num ex ſuperioribus an inferioribus, (brachio an pede) ſanguis ſit emittendus? Conſtituto denique tertio, num ex majoribus an in minoribus vaſis? (in flexura brachii, an in manu? in poplite an in pede ſummo?) non refert, quam ſeces. Tuto ſecurus de cæteris illam ſecato, quæ & prominentior eſt & minus periculi propter vicinos nervos tendineſve habet. Sequitur.

VII.

VII.

SI. EFFECTUM. AMAS.
ACIDULARUM. SALUTAREM.
MEDICINAM. FAMILIARITER. OSCULARE.

§. I.

TAbella hæc tibi in pretio ſit, quoniam ex latebris hiſce utilis & dulcis erumpet ſenſus. Verbum è verbo ſic habet: Neceſſaria, ſpecifica & cuique morbo appropriata medicamenta Acidularum egregiè animant uſum.

2. Rem ita ſe habere magno cum damno ſuo experti fuerunt innumero numero multi, aut ad minimum redierunt ut adceſſerunt, h. e. ſine fructu & ſumtibus perperam factis. Cum primis autem illi, qui chronicis inveteratisque morbis adfecti, Acidulas ita ſalutant, ut ſolis illis confiſci remedia cætera & covenientia ſpernant, fragiliores plerunque & pedem alterum in charontis cymba habentes reveniunt, quod ſanè non fieret, ſi manam lavare manum curarent, atque Acidularum virtutem, cum ſpiritu ſpecificorum jungerent.

3. Sic rectè & benè faciunt podagrici qui antipodagrica juxta adhibent, ſi calculoſi Acidulis numquam poſſunt uti felicius, quam ſi anticalculoſa arcana ſedulò admittant. Et ſic porro arguendum de morbis reliquis, quincunque etiam ſint illi.

4. Sed quæ illa ſpecifica dices? medenti hoc committe, curandum cui incumbit, ut ſecurim artis ſuæ ad arboris vitiatæ radicem ponat, illamque imprimis exſcindere conetur: Sic enim ſymptomatum frutices & ſtolones non amplius pullulabant. Scil. ad inquiſitionem opportuni & ſpecifici remedii ſic penetrandum, ut exquiſita cauſarum cognitio præcedat. Et hanc ratione Medici quocunque loco vel tempore morbus dilationis impatiens invaſerit, ſpecifica illa velut in animo conſignata habere queunt.

5. Verum non contemnenda hic ſuboritur quæſtio & controverſia, quam peritiſſimus *Rochas in Tr. ſuprà ll. l. 2. c. 5.* movet, utrum ſcilicet cum purgantibus exhiberi poſſint medicamenta ſpecifica? Ipſe fortiter negat, hoc rationis fundamento ductus, quod ſpecificorum officium ſit, immorari aliquantum in corpore, ut eo melius certiusque ſuam exolvere operationem valeant: jam verò addito purgante intentionem hanc fruſtrari, & ſcopo Medicum dejici, cum de natura illius ſit, ſimul cum vicina materia ſuum quærere & ſollicitare egreſſum.

6. Quod cum ita ſit, pergit *Rochas*, vis ſpecifici medicamenti à violentia purgantis non tantum infirmatur, verum etiam opera fruſtrata & impedito effectu cum ſordibus exire cogitur.

6. Quid ergo rebus ſic ſtantibus de Acidulis nunc colligamus? novimus

enim ex poſteriori & Experientia illas inter purgantia quoque numerari poſſe, quamvis non ſolum hunc habeant effectum. Itaque inferre quis poſſet nos vel dicis cauſa & in vanum Acidularum & ſpecificorum conjugationem depoſtulare.

8. Dignus eſt inſtantiæ nodus, ut ventilatione quadam ſolvatur. Haut diffitemur autem, dubium hoc non ex rivulis areſcentibus, ſed ex ipſo rationis fonte profiliiſſe: Si itaque cum ſalis grano accipiamus Auctoris ſenſum, ſimilitudinem veri eum non excedere clarebit.

9. Auctor perſtringit quosdam igitur ſuæ ætatis Medicos, quod in curatione epileptici cujusdam, purgantibus immiſcuerint Mag. cran: hum. pæon. &c. & ſic ægroto teſtante eventu plane non conſilio ſuo profuerint.

10. Quod ſane & nobis in confeſſo eſt, ſi tantum curandi ergo mixtura talis porrigatur: ſecus attamen ſi animo præſervandi & roborandi, quum hoc modo paroxyſmus, ne tam vehemens ſit & frequens, quodammodo minui aut deflecti queat; qua intentione etiam cum Acidulis ipſis, medicamenta alia & appropriata exhibere licet.

11. Quacirco non improbamus penitus hanc purgantium cum ſpecificis commixtionem, quum nocumentum adferre non poſſit, etiamſi nihil proficiat; proficit tamen præcavendo paulisper, ut diximus. Et ratione ea non inſulsè quidam, præſertim qui imbecillioris ſunt ſtomachi, Acidulis de vino aliquid admiſcent.

12. Nos tamen ſpecifica Acidulis juncturi regulariter præmittimus ſtatum earum hauſtum, quarum finita operatione, præterlapſo ſcilicet duarum vel 3. horarum ſpatio circiter medicamina illa ſpecifica demum concedimus; aut illa die pro ſtatus genio quoque penitus Acidularum ſeponimus uſurpationem. Et ita ſua Acidulis eſt tutela, neque ſic ſpecificis ulla contingit corruptela.

13. Imprimis vero magno cum emolumento ante cubituram dedimus illa præſertim aperientia & diæetica, cordialia & cephalica, aut pro indicatione ſpecifica alia. Interdum ſummo mane 2. horis ante Acidularum hauſtum pro corroboratione ventriculi adſumi curavimus de *Elixir propriet. Cum ſp. Sulph.* largius parato; idem vel ipſis Acidulis de *Spiritibus ſal. vitriol. nit. aut ſulph. &c. guttulas 6. 7. vel* 8. aut plures etiam habita perſonarum discretione inſtillavimus.

14. Vel *eſſentia piperis* ſubſtituatur, quam ut ſalutarem, ſuaviſſimam & temperatiſſimam commendat præparatq; *Rochas* recipiendo grana piperis integra & adfundendo illis aquam vitæ, cujus beneficio ſic extrahit facultatem excellentiorem pro confortando ſtomacho: ſerio enim prohibet, ne contundantur

dantur & pulveriſentur grana illa; alias ſi hoc fiat, medio ſalis interioris, quod ſub cotice latitat, propter inſignem ejus acrimoniam & caliditatem extractionem fieri nocentem adfirmat.

15. Multo certè felicius medicamentis hisce ventriculus confortatur tenorque ejus erigitur priſtinus, quam *confectionibus iſtis aut rotulis morſulisq; confortantibus ſic dictis*, utpote quibus ratione Sacchari ventriculo potius nauſea & moleſtia adducitur, quam adjumentum ac robur; adeò non tàm ad valetudinem facere, quam pompam videntur.

16. Aliquando etiam pro faciliori abſterſione uſurpari ante prandium commode poſſunt *cryſtalli tartari* ſive in juſculo quodam, ſive in Acidulis ipſis. Hæc omnia ſi Medicus ad curatè obſervaverit, audire forſan poterit cum ſene Coo mortis tyrannus.

VIII.

FANUM. ACIDULARUM.
SCALAS. HABET.
MODIQ. SUBSELLIA.
STATIS. ADEUNDUM. HORIS.

§. I.

EST modus in rebus ſunt certi denique fines, quos ſi excedas, jucunda quæ ſunt, injucunda fiunt, utilia noxia. Magna habiti modi eſt fiducia & longè omnibus fidentior ſecuriorque. Condimentum eſt rerum omnium modus.

2. Ad Acidulas hunc applicamus ſenſum, quarum quantitas & bibendi modus accuratiſſime eſt obſervandus. Etenim ſi ſumatur tam parum, ad ſanitatem conducet nihil, ſi tam multum, oberit quam plurimum.

3. Si ſemel tantùmmodò potentur illæ etiamſi in copia maxima, aut ſi ſæpius in quantitate modica, nullum, certe nullum aut imperfectiſſimum præſtabunt effectum. Sic namque movetur materia quidem, ſed promovetur nihil, & quod commotum, reſtat in corporis pernitiem.

4. Modum igitur unà ſervato hoc ordine hic commendamus: quum enim omnis mutatio ſeu ſubitanea alteratio in corporibus noſtris per ſe & notorie ſit periculoſa, in hoc Nympharum convivio ſumma quoque eſt opus cautela, ne ex favilla fiat incendium, & ex minore malo majusque deteriusque.

5. Per gradus ſcalasq; ire ſic præſtat & ſingulis aſcendere diebus, augendo doſin ſeu quantitatem, donec ad maximam menſuram, quam corporis ac morbi ſtatus exigit, ſit perventum, & poſtmodum eodem deſcendere paſſu: hac tamen lege, ut in ſumma illa menſura per dies aliquot, nempe 8. aut 10. uſque ad 14. vel 16. perſiſtatur.

6. Initium

6. Initium autem à ſcyphis duobus, tribus, aut quatuor fieri poteſt, & ſic ſenſim ſenſimque pergi, donec ad 16. vel 20. deveniatur: Qui verò debilioris ſunt conſtitutionis, acquieſcunt in numero denario vel 12.

7. Delineare clarius lubet: *Vir robuſtioris naturæ incipere ſolet, ſcyphis* 4. altera die adſumit 6. tertia, 8. quarto 10. quinta 12. ſexta 14. & ſic usque ad propoſitam ac tolerabilem quantitatem: vel etiam tribus ſcyphis, uno verbo, pro lubitu augmentum inſtitui poteſt usque ad ἀκμὴν.

8. Quibusdam vero ob teneriorem habitum impoſſibile eſt quadrupedante hoc greſſu adſcendere: Quacirco illis adoriti licet hanc compotatiunculam à 2. ſcyphis, ſequenti die addendo unum ſolummodo, tertia bibant 4. quarta 5. donec attingant metam. Ut quantitatem quoque computare queas, 7. vel 8. ſcyphis ſcias expediri menſuram ſeu cantharum unum noſtratem.

9. Hoc notandum inſuper, quod hæc ipſa duntaxat iis præſcripta velimus, qui quotidie bis, mane ſcilicet & tempore merendæ Acidulas potare inſtant: quibus vero ſemel ſaltim in die iis placet uti, duplo quoque temporis moram compenſent, hæc eſt, quod illi menſtruo ſpatio abſolvunt, hi bimeſtri perficiant, & hæc omnia ut ſæpius jam monitum, habita perſonarum & virium ratione ſunt ordinanda, ſunt mutuanda.

10. Hac ergo via natura ſaltum facere non cogetur, neque ipſi ulla violentiæ nota inuretur, ſed paulatim ſic Aquis his adveſcet materiam vitioſam ſuaviter evacuando, & poſtea ruiſum leniter inſenſibiliterque deveſcet.

11. Nec inconſultum eſt, ſi poſt Acidularum uſum haberi earum copia poſſit, ut per duas aut tres ſeptimanas vel plus ultra quotidie ſcyphi 3. vel 4. ebibantur. Apertis enim obſtructionibus ſic ſemel exigua harum quantitas multum poſtea & absque faſtidio operari potis eſt.

12. Addimus unicum adhuc, quod nempe concernit tempus conveniens. Statuimus ſcilicet Acidulas ſemper ante prandium & cœnam adeoque jejuno ſtomacho aut concoctione peracta eſſe uſurpandas: idque potiſſimum ob ſalium, quæ continent in ſubſtantia, naturam, ne alimentorum ſic potius terreſtreitatem, quam concretorum obſtructionumque in corpore latentium ſubſtantiam ſolvant, & hinc in longioribus corporis viis eam remanere poſtmodũ permittant: Id quod in ſpecie etiam in lithontripticis obſervandum eſt, præſertim iis quæ naturæ ſunt ſalinæ.

13. Tacemus quod repleto ventre & digeſtionem non abſoluta multijugam ſubire noxam neceſſum habeant compotatores illi. *Sed* nos convertimus ad.

IX. *ACI-*

IX.
ACIDULÆ.
DIÆTA CONSORTE.
ET. MOTIUNCULA.
LÆTIUS. RIDENT.

§. I.

MEdicinam gemino ſcopo occupatam jam pridem eſt antiquum. Primò ne dilabimur in morbos materne cavet; Proximo autem ut convaleſcamus ex illis, laborat: quod ſi non per inediam ſolam, at tamen certè ſine inedia nunquam, hoc eſt, præſcriptis parcè tenuiterque vivendi regulis; ſublata enim cauſa removetur etiam promte effectus atque affectus.

2. Aſt ægritudinum cauſæ quæ tandem aliæ, niſi humores aut pravi aut abundantes, aut utrimque peccantes. Humores autem unde, niſi è cibis in noſtrum converſis damnum proveniunt? Quorum moderamen ac delectum qui non reſpuut & ariusægrotant & citius ſanantur.

3. Hinc vivendi mediocritatem Medici laudant ubique, & ſanitatem ipſi tribuunt tanquam progeniem, non ignorantes, & hic exceſſum vergere in vitium ſemper, ſeu ipſum eſſe vitium.

4. Itaque in hac Acidularum potione cunctis quoque Medicis quaſi teſſera quædam caſtrenſis eſt, præcipere parcum ſalubremque victum, ut hoſpites impediant ſaturitatem, edendo citra cruditatem & citra ebrietatem bibendo: hæc etenim vita bonam ſibi depoſcit diætam, ut hæc diæta aliam & meliorem poſtmodum poſſit inducere vitam: addimus, naturam cujuscunque ſubjecti tum temporis hanc frugaliter vivendi normam peculiari lege deſiderare, ne duplicato illa pondere adgravetur, & vires ejus ciborum mole perperam diſpergantur, quæ alioquin melius impendendæ.

5. Cauſæ hujus rationem adducimus propiorem adhuc, quod temperatum & coercitum hic vivendi genus tanquam jure definiatur quodam, ut nempe ventriculus digeſtionem ſuam ocyus faciliusque queat abſolvere, & ſic elapſo 3. vel 4. horarum ſpatio ad Acidulas queat rurſum acceſſus fieri.

6. Quapropter etiam prandium parcius, cœnam vero largiorem quodammodo, concedimus, quum poſt hanc antequam Acidularum calix iterum in manus ſumatur, pro perficiunda concoctione longiuſculum temporis, & totius adeoque noctis intervallum ſubſit.

7. Sin verò quiſpiam immoderatum cibi potusque luxum amaverit, non ignoret hunc exceſſum ſuum ultorem ſecum habere, ſibique promittat, certiſſimam ex Acidularum hoc uſu noxam aut impendium vanum: adeò hæ Nymphæ flocci habent cultores, qui ad ambas usque aures ſe implere ſolent, quum alias

 fœcundi

fœcundi calices, amor immoderatus edendi enervent vires, & corporis atque animi mors ſit repletio ventris.

8. Ergo mos appetitui hic non gerendus, quamvis ille poſt Acidulas ſumtas, propter benignum acorem & ſalſedinem propterque non ingratam humorum evacuationem evadet mordacior voracitatique aptior, ſed ita comedendum, ut quaſi eſuriendo adhuc menſa relinquatur. Quid quod nihil pejus ſit, quam cum malarum rerum qualitatem quantitas & numerus adjuvat.

9. Sed num indifferenter omnes ſingulique conveniunt cibi & diverſa potionum genera? Præter neceſſitatem & requiſita multi fuerunt in hoc negotio anxii, ut exactius determinarent edulia Acidularum hoſpitibus conferentia, quapropter certas eorum claſſes conſtituerunt & ſuperſtitioſa religione multa de iis conſcripta curioſis reliquerunt quæ omnia hic repetere, foret intentionis terminum excedere & tibi fortaſſis conciliare tædium.

10. Paucis: præferuntur hic illi cibi qui laudati ſunt ſucci, qui coctu concoctuque faciles, quive citius, ut ajunt, quam Aſparagi coquuntur.

11. Porrigat igitur coquus, *Nævii* ſunt verba, Neptunum, Venerem & Cererem, piſces olera & panes, modo non ſuſpectæ ſint notæ, & edendi parcitas accedat.

12. Procul ſit quoque hic præceptum illud, quod *Xenocrates* in templo Eleuſine dicit remanſiſſe, ut abſtineatur à carnibus & ſine ſanguine ſit cœna; modo non veſcamur iis; quas induravit fumus, modoque iſtas non ſubminiſtraverit animal illud monoſyllabum, Veneri ac Minervæ juxta inviſum.

13. Neque eſt, quod caro juvenci tam religioſè prohibeatur, tantum enim abeſt, ut exinde incommodum aliquod metuendum, ut potius adpoſitum præbeat alimentum, modo bene cocta ſit illa caro & extra mediocritatis portam non eatur.

14. Ridiculum quoque eſt, quod cancrorum interdicant eſum, quum exinde pariter nullum abſurdum nullaque inconſequentia. Si enim phthiſicis ille & qui extrema conſumti tabe commendatur recte, cur non potius iis quibus vires tam fractæ non ſunt: fit autem hoc ipſum dubio ſine propter vim eximiè humectandi & nutriendi, qua pollere cancros à priſcis Medicinæ Auctoribus jam olim eſt creditum.

15. Olera nec rejicimus cuncta, cum herbulæ multæ palato acceptiſſimæ nutrimentum oppido præbeant medicinale, ſit grataque nobilium requies lactuca ciborum, juxta mores *veterum*.

16. Sed quid de potu? temperantiæ commendatores longe tutius eſſe dicunt, ſitim ſi noſtram vinum debile aut Nymphis debilitatum, ſive purus

etiam

etiam rivus extinguat: idcirco & ons vinum à menſa hic non arcemus, ſive illud Acidularum diluvio frenare cuidam lubeat, ſive puro & puto ſeu meraco fulcire venas cadentes quis velit, modo bibatur parum & ad neceſſitatem; ſive alternis modo aliquid vini, modo de Acidulis haurire potius placeat, quum alias veriſſimum ſit, loci illius *inquilinis* Acidulas pro potu eſſe tanquam optimum ſitis remedium.

17. Neque cereviſiam hic vetamus, quum illa alias ſimus adſueti, *ſecundum illos verſiculos,*

> *Teuton lacunam potat hordeo coctam,*
> *Et maceratis frugibus ſaburratus*
> *Fuliginoſis facibus ſitim mactat.*

De quo tamen cereali & adumbrato vino nos mitius cogitamus.

18. Sed nec ſufficit parcior victus ad efficacem Acidularum uſum: Verum requiritur adhuc, ne animus tumultu inquieto ſit repletus & oneratus confuſione. Profecto nulla vis flammæ, tumidique venti tanta, quantam multi dolores illi & triſtia mentis pathemata ad ruinam corporis conferunt.

19. Verè *Lipſius*: non ab alio, *inquit*, vitalis ille fons in nobis quam curarum igne interficitur magis. Neſcit animus æger ſanitatis bonum.

20. Ergo inturbatus & hoc in negotio ſit animi vultus, & liquidiori, quantum poſſibile niteat lumine, ne operoſa hic Natura avocetur à bono opere, neve horum affectuum inſultu, qui vera virium tabes eſt, ſpirituum fiat retractio & ſic epotæ Aquæ aut futuram interminantes noxam remaneant, aut potandi hæc opera inutiliter ſumatur. Serenus tempeſtates diluit & impendentia nubila fugat.

21. A motu animi ad corporis motionem pergimus, de qua pauxilla hæc adjungimus, ſanitatis nempe tutelam ſemper à labore auſpicandam eſſe: firmitas enim membris accedit exercitationibus, quibus naturalis calor mire & ſuaviſſime accenditur.

22. Ineptiunt igitur illi, qui valetudinam bonam abſtinentia actionum & quiete ſe putant aut paraturos, aut ſartam tectam ſervaturos; perinde ſic faciunt, ac ſi quis oculos ſuos nil deſpiciendo, aut vocem non loquendo conſervare intenderet. Non, certe non felix, hic materia eſt, ſuadere deſidiam & otium, utpote quod ferax morborum eſt omnino.

23. Ἐκπονεῖν præſtat, & in Acidularum uſu utrinque tam in homine quam aquis ingeſtis igneum agendi vigorem excitare.

24. Verum motus ut ſit moderatus, utique eſt neceſſe: ut enim ſtirpes mediocribus aquis nutriuntur abundantibus ſuffocantur, ſic corpus moderatis creſcit laboribus, obruitur nimiis.

25. Sic nempe procedendum, ut exhauſto Scypho uno pauliſper deambuletur, exhauſtoq; altero migratiuncula hæc iteretur & ita porro, donec menſura Acidularum propoſiti fuerit abſoluta. Dum enim pedentim & cum motu corporis ſic bibitur, aquæ non tantum citius in ſtomacho incaleſcunt, & exhalatione ſuorum ſpirituum eundem confortant, verum etiam ventriculus hoc aquarum pondus ſic facilius ſufferre & vincere poteſt.

26. Hoc porro corporis motu aquæ hæ actu frigidæ ita calefactæ poſtmodum ſua virtute totum corpus impertiunt ſuasque vires fortius exſerunt & imprimunt.

27. Motiunculam hic commendavimus, ſed non ita levem illam, verum uſque ad aliqualem laſſitudinem; modo ſudor einde non proveniat: præſertim in primordio, quum alias evacuatio debita & neceſſaria ſic impediretur: nam pluribus intentæ naturæ minor erit ad ſingula virtus, præſertim in motibus inter ſe invicem contrariis, uti ſunt ſudor & purgatio.

28. De rebus nonnaturalibus cæteris pariter ſic ſentias, ut quod melius ſit, prompte eligas. His obſervatiſ, bene omnia cedunt.

X.

ACIDULÆ.
OBTINENT. CAMPUM. HUCUSQUE.
CREBRA. CUM. MORBORUM. STRAGE.

§. I.

ACidulas nunc ut morborum victrices conſiderare adgredimur, cujus rei *σκιαγραφίαν* hanc deſignamus. Primo potenter tollunt laborantis ſtomachi ſupplicia, obſtructionesque tam meſenterii, quam hepatis & lienis ad primè reſerunt. Item renes quoque aperiunt egregie, ut rite tartareum & acre ſerum ex maſſa emulgere ſanguinea queant, unde alias infiniti morborum ſurculi ſuccreſcere ſolent.

2. Quod ſummum beneficium à penetranti ſalium teneritudine & eorum ſpirituum præſertim Martiali eſſentia imbutorum efficientia habet.

3. Talis enim horum ſalium & ſpirituum eſt natura, & veluti proprium ut attenuent, incidant, reſolvantque dura, viſcoſa ac tenacia corpora, & ſic feliciter oppilata aperiant, unde & plethoricorum, craſſitiem oneroſamque adipem oppido minuere & corpus eorum ſolidiora reddere ſolent.

4. Altera ratio quod reſerandi virtutem habeant Acidulæ hæc eſt: Obſtructiones pleræque ab arcano & præternaturali igne quodam ſuam originem capiunt, & id quidem celerius, quod cuſtodia caloris (pulchre ſic vocatur hepar) aut flammæ vitalis flos in hinc inde adjacentibus aut perreptantibus vaſis admodum ſit propinquus.

5. Hic

5. Hic naturalis calor ſi affluxum effluxumque ſuum & debitum non habeat, atque ſic in opportuna concentratione cumuletur facili negotio degenerat & præternaturalis evadit.

6. Urgente igitur hoc intempeſtivi caloris ſtimulo, materia indies magis magisque inſpiſſatur & tenaciſſimam viſcoſitatem accipit, donec viſcera & vaſa interque ea venæ lacteæ eo celerius faciliusque aut inſigniter, aut penitus obdurentur.

7. Hinc lien necat, cruciatur jecur, renes flagrant & hiræ omnes dolent, adeo, ut nec Æthnei ignes, nec Vulcania tellus, Olympus Veſuviusque tantis ardoribus vix æſtuare videantur, quam vaſa ſic inflammata.

8. Auſculta hic ἐν παρόδῳ, paſſionem Colicam non ſemper à bilioſa provenire materia, ſed à ſalſuginoſa quadã inteſtinorum interdum quaſi flagrantiã; ubi enim ardor ejusmodi continuus, ibi & neceſſario importuna ſalis ſic nocivi collectio.

9. Jam nitrum in hoc effectu triumphat quod calorem præternaturalem omnem efflictim leniat & tollat, quod humorum tenacitatem ſuaviter attenuet, diſſolvat, fluida humectatione beet, & ſic obſtructa corpuſcula aperiat; cui ſi aperitiva ſpecifica (inter quæ *nitrum noſtrum ſolare, item Tinct. Tar.* eminent) una ſuccurrant negotium & feſtinantius & felicius peragetur. Et hoc eſt aperire.

10. Sed dices, obſtructiones illas à cauſa calida oriri haut poſſe, quum Medicinæ aperientes cunctæ calidioris ſint qualitatis, contraria autem contrariis curentur? Non ignoramus quasdam obſtructiones à cauſa frigida & infirmitate caloris poſſe proſicîſci, quibus etiam aperientia illa calida ſunt valdopere adpropriata.

11. Attamen adſeveramus, ut plurimum eas progenerari à cauſa calida, ut ſupra dictum, in quibus quod omnino notandum, aperitiva illa calidiora aut nihil agent, aut profecto malum augebunt. Ergo contemperata vel contemperanda hæc ſumto medicamina.

12. Deinde hyſtericis paſſionibus medentur Acidulæ, gravidis tamen non commendandæ.

13. Efficacitas hæc pariter deſcendit à ſubtili illa dictorum mineralium commixtione, quatenus nempe *nitrum & Martiale ſulphur vitriolumq;* matrices quoque obſtructiones, unde vel centuria morborum conſurgit, affatim pandunt recluduntque.

14. Menti ſuccurrit hoc occaſionis articulo *Panacea Holſatica*, quod medicamentum revera nihil aliud eſt, quam nitrum aliquod vitriolatum & proinde cum Acidulis noſtris ejusdem quaſi propaginis.

15. Hæc *Panacea*, ſi à Venerea natura reducatur ad Martialem, prout

Chymica arte effieri hoc quam optime poteſt, in uterinis inſultibus & atrociſſimis ejus affectibus ſumme mirandam efficaciam exhibet: imo in deſperatis ferme menſium ſuppreſſionibus afflictarum mulierculurum deſiderio non ſine admiratione nobiliſſimum hoc medicamentum egregie velificatur, cujus effectus hiſtorias & obſervationes, ne lineæ hæ nimis excreſcant, adponere hic ſuperſedemus.

16. Debetur autem benignitas illa cum primis Martiali vitriolo, quod ſicuti in Panacea noſtra affabre mitigatum abundat, ita & non diſparili modo in Acidulis ſæpius jam nominatis, quod ipſum luculenter ſiſtit conteſtatum Egrana glacies palàm viride pallens.

17. Aſt unde viriditas illa, niſi ex vitriolo & quidem Martiali illo, quod ſi definire cupias, eſſe illud arbitrare ſal naturæ ſeu terræ cum feruginoſa imprægnatum natura.

18. Labore Chymico utriuſque vitrioli diſcrimen incognitum eſſe nequit, quum illud quod ex Venere prodiit, ceruleo ſplendeat colore, iſtud vero quod ex Marte, grata viriditate oculos ſpectantium delectet:

19. Hyſtericæ igitur præſentiſſimum hic inveniunt refugium, præcipue ſi Panacea dicta, & ſpecifica alia (*Tinctura noſtra antihyſterica* hic in valore) cum Acidularum uſu conjungantur.

20. Eluceſcit jam ratio, quare gravidæ ab earum uſurpatione ſint arcendæ; nempe quoniam vehementer menſes provocant, & eorum effluxus embryoni in maternis locis adhuc latenti deperditè eſt perniitioſus.

21. Neque te offendat in *Marte* juxtim reconditam vim adſtringendi & per conſequens quoque menſes ſiſtendi: Nihil enim exinde præpoſteri, cum præparatio varia operationes variet evidentiſſime. Aliter tamen cum medicamento nativo, uti fons noſter Acidularum eſt, ſeſe res habet.

22. Inſuper calculoſorum podagricorum, arthriticorumque titulo haut vano vocantur aſylum, quos crudeles humani corporis hoſtes tortoreſque propterea jungimus, quod inter ſe quodam affinitatis vinculo utique ſint connexi & ex eodem fonte affectus hi fermè proſiliant.

23. Sed exponamus pauliſper adſertum: renum provincia eſt, emulgere illud quod tartareum, quod acre & excrementitium eſt in ſanguinis maſſa. Jam oppilatis renibus, quod propter aſſiduam materiæ craſſæ, viſcidæ & lapidoſæ ſuctionem facilimè confieri poteſt, illud poſtea quod in ſanguine vitioſum eſt, remanet & ſic cunctis corporibus in futuram torturam & atrocem calamitatem cedit diſtributione inevitabili.

24. Paucis & multa & magna ſignificavimus, quæ forſan curioſis nobilior hic cogitandi anſam præbebunt, Et hæc cauſa eſt, cur podagra ſine calculo nun-

nunquam, cur calculum ſolemni pede conſequatur popagra, cujus inſultus ſi univerſalis ſit & in ſummo gradu, arthritis audit. Ergo qui renes in horum morborum curatione non attendit, palliative curat nihilque ſufficit.

25. Ægrotis hiſce ſubſidium igitur ab Acidulis promittimus & inducias, modo mala hæc nimium inveterata non ſint nec ingenium jam habeant Adamantinum: ſalis etenim nitroſi virtus eſt, lapides & duriſſima quæque corpora oppidò reſolvere.

26. Verum ſi ullibi certe hic neceſſum quoque eſt ſpecificis ſuccurrere remediis: quo in caſu *Tinctura noſtra calculum & antipodagrica* è fixis quibusdam ſalibus præparata, item, medicamentum *ex ſemine Dauci* confectum profecto honorari merentur; quippe quæ lapides jam concretos ſuaviter potenterque reſolvunt & confringunt, renum corpuſcula roborant, obſtructa aperiunt, atque ardorem horum affectum valide mitigant.

27. Teſtimonio ſuo & applauſu laudes horum medicamentorum cumulare poſſunt quamplurimi, qui fructuosè iis tam fuerunt uſi, quam ſummô cum ſolatio adhuc utuntur.

28. Summe anilis & futilis præcipue eſt ſuſpicio metusque, quo *Tinctura hac contra calculum* noxie culida eſſe putatur, cum effectu ſuo afflictis refrigerium potius afferat & vel febricitantibus tutò concedatur. Muſcas qui prætervolantes timent & hoc timere pergant.

29. Porro huc properent aquoſo languore tumidi, quibus Acidularum ſalubritas ſuum pariter offert adjumentum. Sed quid? inſuſurrantes hic audim' eſſe abſurdiſſimum & contra ſana medicorum conſilia, quod hic adſtruitur: Quisquis enim aquæ adjicit aquam, is cauſam manifeſto conduplicat & hydropi proin ferale præbet augmentum. Quid enim hydropicus, niſi cui quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ Siti proinde pot us hoc malum, ſicuti quædam inediâ ſanantur, eſt curandum, non vero ulteriori inundatione robur ſubminiſtrandum morbo.

30. Verum omnem dubii hujus tempeſtatem unicus diſtinctionis radius ſerenare poteſt. Quod enim aqua hic prohibeatur hydropicis, de ea intelligendũ eſt, quæ mera & ſimplex, non vero de medicatis, quæ virtute ſalium & eorum donata ſunt ſpiritibus, quales ſunt Acidulæ noſtræ.

31. Recte *Rochas*, in nitro, *inquit*, & ejus ſpiritu ſpecificum contra hydropiſin latitat auxilium, dum virtute ſua inciſoria, cathartica, diætetica atq; diaphoretica omnes vel minimos corporis meatus penetrare & tranſire valet. Aſt jugiter medicinæ ſpecificæ hic non omittendæ ſeu laxando alvum, ſive ciendo urinam, ſive adſtringendo partes laxatas aut aliter operationem ſuam exhibeant.

32. Locum ſibi ſuum hic vendicat pariter *Tinctura contra calculum* ob egregiam vim diæteticam, item, *Elixir ſeu aqua vita noſtra purgans, ſoltuio*

ſolutio ſolis philoſophica, *Tinctura vitrioli* intrinſecus data, *Aqua diætetica ex Tartaro & Saſſafras* parata, *Spiritus* ille à nobis *Cephalicus* dictus, ex vitrioli fixa ſubſtantia deſtillatus, *decoctum radicis Ireos Florent.* & quæ ſunt ejusmodi alia.

33. Cum primis vero *Clyſteres* hic peculiari beneficio ſunt celebres, quorum applicatione tumores pedum, qui nonnunquam ſubſequi Acidularum ſolent hauſtum, citiſſimè tolluntur.

34. Ut inter exempla plurima duntaxat referamus unicum, hoc adſcribimus: Vir quidam eximius & deſideratiſſimus nobis, hydrope laboraverat ad Ascitas, quo demum percurato, & poſtmodum Acidulas ille adibat Egranas, ut reſiduam humorum pravitatem ſic penitus ſequeſtrare & viſcera corporis ſui exhauſta denuo roborare poſſet: interim irruente tum per aliquot dies pluvioſo tempore, ab Acidularum potu nihilominus non ceſſabant, donec unius noctis ſpatio facie, pedibusque manibusque intumeſceret & omnia ingeſta alimenta plane cruda atque indigeſta egereret.

35. Mutatio hæc ſubitanea, quamvis per ſe conſiderata, boni & auſpicati nihil portenderet, attamen unius vel alterius Clyſteris præſidio, qui ex ipſis *Acidulis tepefactis* & cum *Tinctura vitrioli* animatis conficiebantur, patienti citò fuimus opitulari, adeo ut poſtea intentionem ſuam feliciter proſequi potuerit.

36. Sed ut ſunt humani caſus, qui brevi ſpatio maximarum momenta rerum verſant, ita & noſtro priſtinæ ſanitati perfectè reſtituto mors violenta à latronibus accidit, in cujus aperto corpore viſcera omnia ſalva & laudate conſtituta, etiamſi extremè antea laboraverit hydrope, non ſine admiratione fuerunt conſpecta.

73. Sed progrediendum ultra & videndum, num phthiſicis quoque liceat huc recurrere. Reſpondere hic melius eſt, Fiat, quam Fiet, hoc eſt optare, quam polliceri; adeo inimici nomen *vitriolum* tenent erga putri pulmone ſpiſſum pectus, & proinde phthiſicis Acidulas angue pejus fugiendas conſuadent omnes Medici.

38. Aſt ſi affectus ille in principio ſit adhuc & in fieri, non videmus, qua ratione pulmonarii penitus ſint pellendi ab Acidularum fonte, præſertim ſi ſpecificis & debitis medicamentis juxta proſpiciatur illis.

39. Accedit, quod eſſentia & alia remedia *ex ſulphure* præparata phthiſicis valdopere ſint ſalutaria: accedit etiam, quod *nitrum* vi ſuaviter refrigerandi gaudeat & proinde latitanti in corporibus phthiſicis calori reſiſtere valeat. Hæc autem mineralia ſufficienter, ut ſupra demonſtratum, in Acidulis deliteſcunt.

40. Verum ubi phthiſis jam eſt in facto & ad ſummum gradum perducta, ibi Acidularum potu hæc pulmonum caries exacerbatur potius & ſuprema dies mirum quantum acceleratur: idque non tantum ob copioſam ſalium acrimoniam

moniam, quâ phthiſici alias abundant, verum etiam ut jam dictum, ob vitriolatam naturam, quæ importunâ exſiccatione corpus tabidum ulterius & penitus enervat, imo quod *vitriolum crudum* & in ſua ſubſtantia phthiſicis ſemper ſit viruleutum atque lethale.

41. Sed convenientius revaleſcendi vota huc dirigunt Epileptici, Apoplectici, paralyticiq; quibus Acidulæ æque ac mirifice proſunt, ut *Panacea prælaudata Holſatica*, horum affectuum ſtrenua debellatrix. Eam ipſam igitur in Acidularum uſu hic eſſe adjungendam monemus, ſicuti quoq; *ſpiritum noſtrum Cephalicum*, cui inter confortantia & naturam titubantem erigentia palmam non immerito tribuimus.

42. Commendamus hic etiam pulv. ſpecificum Ceph. Hartman. quo morborum hæc ſævities egregie poni jugiter poteſt. Quibus aſſiduis caput excruciatur doloribus, illis *acetum noſtrum minerale* & confortans naribus adhibendum, item, *aqua noſtra mineralis*, qua vertex & nucha, frons & tempora ſunt riganda, oppido opitulatur.

43. Tandem in lue etiam Venerea ſcabie & lepra Acidularum licet tentare uſum, cum fructus potius quam nocumentum exinde ſperandum.

44. Spem hujus effectus in nobis excitat *terra dulcis theriacalis balſamica vitrioli*, prout illa in *hortulo medico Hippocratico Spagyr. Hermet. à Cl. Chriſtoph. Hornio Med. Claſſ* permultis quidem ſed haut ſufficientibus *Carm. 25.* deſcribitur encomiis, ubi ea *roſæ Pœoniæ mineralis* titulo inſiguitur.

45. Hanc terram *Martialis Crocus*, qui in fonte noſtro reperitur, nonnihil repræſentat & in exſiccandis ulceribus præſtat ſtupenda, cujus & ejusdem mirandæ efficaciæ in odioſiſſimis his morbis ſunt quoque *Tinctura & Crocus noſter vitrioli* utpote quæ ex *Terra iſta dulci atque balſamica* præparantur.

46. Sed opponas, ratione ſalium & acrimoniæ eorum Acidulas iſtis fœde laborantibus potius eſſe infeſtas & acrimoniam ſal ſali addendo augeri, quum eorum corpora præſertim, quos Gallica lues deturpat, mordaci & acri ſale ſint referta, adeo ut halitus illorum atque ſudores manifeſto acrem de ſe fœtorem & murialem ſpargant odorem, in qua exhalatione dubio procul conſiſtit etiam infectio & contagium.

47. Verum hoc telo non terremur, cum acrimonia hæc ſalium in Acidulis optime corrigi queat, ſi videlicet, cum ipſis *decocta & extracta ligni ſancti Saſſafras, rad. Chinæ, Sarſaparillæ* fiant, quæ alias in affectibus hiſce ſolita ſunt & ſolemnia.

84. Evadunt autem hæc medicamina multo efficaciora, quàm ſi cum aqua communi decoquerentur, quod ratione ſalium & ſpirituum, qui in Acidulis ſubſunt, eſſentiæ horum ſimplicium melius extrahantur; ſi igitur

decocta hæc, & poſtmodum Acidulæ, bibantur alternis, fructum promittimus non pœnitendum.

49. Hanc morborum ideam hic ſiſtere placuit, ut qui unum vel alterum eorum curare ſic noverit, reliquos quoq; ſanare non neſciat. Verum in medium producimus.

XI.

ACIDULÆ.

SUO. GAUDENT. SOLO.

ARTIFICIALES. OMNI.

§ I.

SAlutem & huic dicimus ſolicitudini, paucis declaraturi, quid ſentiendum de Acidularum ad alia & peregrina loca transvectione. Absque ullo dubio certiſſimū eſt, quod dulcius ex ipſo fonte bibantur aquæ & adeo, multis præferatur paraſanguis uſus, ſi Acidulæ illæ è ſua hauriantur & potitentur ſcaturigine, quum Spiritus ibi adhuc in ſuo vigore ac copia, qui in transportatione propter commotionem utcunque evaneſcunt utique.

2. In cauſa tamen neceſſitatis ad loca alia transferri queunt, præſertim ſi munita ſint probe vaſa nec nimis tranſpirabilia, quemadmodum experientia hoc ipſum nos edocuit, dum Acidulæ Ratisbonam verſus, verſusq; Viennam, Pragam, Noribergam, item in Poloniam & alias quoque remotiores oras (quo cum fructu neſcimus) quotannis transmittuntur, quamvis tali præſtantia poſtea non polleant amplius, ſed ſufficiat, modo illæ de virtutibus ſuis ac Spiritibus retineant aliquid.

3. Exſpirare autem Spiritus nullum eſt nobis dubium, quum clare hoc colligere liceat, quod ſi lagenarum oſcula veſica arctius & adcuratius ligentur, infallibiliter eæ disrumpantur. Sed unde hoc? nempe, Spiritus, qui per motum & conſequentem eum calorem in itinere excitati, exitum aliqualem ſic nanciſci non poſſunt, hinc copioſè collecti poſtea violenter erumpunt: Sin vero ſubere & operculo ſtanneo vaſa tegantur, absque jactura eorum ad determinata perferuntur loca, quoniam Spiritibus ita per poroſum operculum qualisqualis pateat transſpiratio.

4. Quibus ergo transmiſsis uti lubet Acidulis (præſertim qui procul proculque nimis diſſiti) iis cautela cautisſimi *Fabr. c. 9. hydr. Spagyr. p. 156.* ſit cordi, quâ ante uſum vas Acidulis repletum in Aquam tepentem eſſe locandum ſuadet, ut virtus earum ſpirituoſa, quæ reſtat, ſic quaſi excitetur. Optima ſane obſervatio optimè obſervanda. Sed quid agendum, ſi ob inſignem loci longinquitatem Acidulis particeps quis fieri non poſſit. Non inconvenienter tanquam vicariæ ſubrogantur *artificiales*, quarum vires tranſmiſſione quocunque verſus facta neutiquam franguntur, ſed ſalva ſemper efficacia præſtantiſſimæ permanent.

6. Indi-

6. Indicare hic earum præparationem haut opus ducimus eſſe, quum formulæ & modi paſſim detecte communicati proſtent. Hoc ſcias duntaxat, Acidularum artificialium confectionem vix rite effieri, niſi manu & cura Chymici expertiſſimi; ſin ſecus, deſtillatio abſque fulmine, absq; fragore & periculo vix inſtituetur.

7. Nobis conſuetum eſt, parare eas ex *Antimonio nitroq; ſulphure*, unde Aqua prodit jucundo acore accepta pariter & proficua, ſuiſque virtutibus propemodum reſpondens Acidulis nativis.

8. Et quamvis illæ vim purgantem non habeant tantam, attamen obſtructum meſenterium & partes obſtructas reliquas egregie reſerant, debilitatem ſtomachi emendant, & cauſas cæteras, quæ proſperam hominis valetudinem altercari ſolent, vel per ſudorem tollunt.

9. Sic Ars imitatur Naturam & feliciter ſæpe adæquat imo ſuperat: Spagyricorum laboratoria tantum intra, & dicto fidem adhibere nunquam denegabis.

XII.

ACIDULÆ. ET. THERMÆ.
SORORIO. SE. AFFECTU.
COMPLECTUNTUR.

§. I.

IN Balneis ſimulachra quondam ſalutis & Æſculapii non abs re concernenda erant, quod uvidâ hac flamma inſigniter languida recrearentur corpora & largo ſuavique hoc mineralium vapore vires collabeſcentes præſenti ope reſtaurarentur.

2. Digna materia eſſet, ut de ea prolixioribus adpingerentur Venerandæ Antiquitatis ſidera: Sed ultimam manum jam adpoſituri limites propoſiti non excedemus, quum integer haut ſufficere Tractatus, ſi magnificentiam vel Romanorum ſaltim quam Thermis monſtrarunt, tradere eſſet animus.

3. Ita certe Regalia & Imperialia erant opera Thermæ *Diocletiani, Conſtantini, Antonini &c.* quarum reliquias & rudera priſtini ſplendoris indicies etiamnũ per tranſennam quaſi intuentur peregrinantes.

4. Aſt balnea illa limpidiſſima, quæ antiquitus deliciarum nomine taxabantur, una cum lavantibus Nymphis exaruerunt & delicatus tepor penitus nunc alget: *Fœda ſcatent uligine Thermæ Neronianæ, Antonianis balneis nunc anſeres lavantur.*

5. Verum mittimus ambages Thermarumq; utilitatem poſt uſurpatas Acidulas adducimus & dicimus, Ther *Carol.* (quæ præ reliquis *oppido Egrano* ſunt viciniores) mirifice poſt Acidularũ uſum prodeſſe, hac potiſſimũ de cauſa, quod impoſſibile ſit, per evacuationẽ à Lymphis ſubacidis factã vitioſã, quoq; & intra

cutem carnemq; hærentem materiam penitus penitusque protrudi poſſe, ſicut cumprimis in iis eſt conſpicere qui ſcabie pruriunt , qui Arthritico anguntur dolore & qui tabe exeduntur Venerea. Igitur neceſſario, ut perfecta ſuccedat curatio, imponenda eſt iterata per ſudorem humorum excretio.

6. Quid quod calor nativus ſic adprime foveatur & refocilletur, nervi fracti roborentur, artuum expellantur laſſitudines, & ſal ſcorbuticum per inſenſibilẽ transſpirationem , imo & evidenter quandoq duoum in extremitate unguium concreſcit, eliciatur aptiſſime.

7. Cum autem Acidulæ Egranæ & Thermæ Carolinæ quinq; milliarium diſtent ſpatio, & ita iis ſimul frui non liceat, cũ Acidulis jungenda & ſubſtituenda principio veniunt *balnea artificialia ſeu Laconica ab* Italis *Stufe nominata.*

8. Videlicet quod Acidulæ in primordio & ἀκμῇ toties evacuando præſtant, id in declinatione vi ſudorifera operari debent. *Cl. Fabro* placet 8. aut 10. hora matutina, perq; horam & plus ſumto prius juſculo, immorari balneis utentem jubet, vel prout vires ſunt ſuſtinendo ſudori: egreſſus balneo in lectũ ſe conferat ſtatim, & aliquali ibidem adhuc ſudori indulgeat.

9. Finito demum penitus Acidularum potu, hoſpites illi adgrediantur Thermas prædictas, & relictis vicariis balneo potiantur nativo, illudque pro neceſſitate per dies 8. 10. vel 14. continuent.

10. Ad ſudorem ſuavius provocandum commodiſſimẽ paulò ante adhibentur *ſudorifera*, in quorum cenſu ut nobiliſſima antecellunt *Tinct. Bez. Ampliſſ. D. D. Joannis, Michaëlis Chymico-Medici celeberrimi, Collega mei & Fautoris noſtri honorandiſſimi* item *Bezoardicum, min. c. auro in aq. Cinam. borraginata* vel appropriata alia exhibitum, *Antim. diaphor. in rob. ſambuci* immixtum & conſimilia.

11. Nonnunquam etiam pro confortationis intentione & ut viſcoſi humores Tartareique eo diſſolvantur facilius 6. *vel* 8. *gr. Ambra Gryſea* in hauſtu generoſi vini ſunt adſumenda.

12. Thermas illas naturales accedendi occaſio ſi non detur, artificiales alias & in effectu haut diſſimiles tibi offerimus, quas ex mineralibus calcinatis præparari debere & natura indicat & artis regulæ docent perinde autem Aqua frigida mineralibus ſic paratis affuſa ſponte incaleſcit, ſicut aquæ illæ, quæ ad venas & terram calore ſolis exſiccatam perveniunt.

13. Obiter hic annotamus de Thermis quoque nos haut ſtare ab illorum parte qui ut Comici uſurpemus verba , gutturem Thermo potare h. e. calida hac Thermarum potione ventrem proluere ſolent. Ut n. faſtidioſiſſimus eſt hic potus, ita & pariter minime proficuus, ſed potius cum onere, & ob inſignem exſiccandi vim noxius.

14. Sed ad metam ſic venimus nec plura hic nobis dicenda. Tuum interim Benevole Lector erit ſtudium inſerviendi agnoſcere & defectum tua ſarcire adfluentia. Tibi ſic potus Acidularum proſit, Tibique ſit Bene!

CHRI-

CHRISTIANI LANGII D. & P. P. TRACTATUS, DE THERMIS CAROLINIS.

Ad Lectorem bene cupientem.

FRontiſpicium Tibi fortaſſe nimis videlitur curſum? En viſcera opuſculi hujus libare, & paucis libata ea deſiderio Tuo offerre placet. Thermis Carolinis ſc. hæc dicata potiſſimum eſt charta, quæ genuinam ferventium Aquarum perpetuo ſcaturientium cauſam & modum oppido hic Arte Naturam imitandi fideliter adſcriptum juxta cum ſecretis aliis non paucis exhibet Metallorum ſcrutatores notabilia exinde diſcent, & Medicinæ filii multa ex jucundiſſimo Chymiæ ſinu depromta myſteria cognoſcent. Naturalis ſcientiæ Cultores arcanam ventorum terræ motuum; atq; tempeſtatum doctrinam ſincere revelatam hic invenient, & Anteteſſores Medici Therm opotare mihi penitus faſtidienti, cum venia bona ignoſcent. Sed jugiter & Tibi hoc non ignorandum, apud me plane conſtitutum quidem fuiſſe, MONUMENTUM HOC PHYSICO-MEDICUM publicæ literatorum disquiſitioni ſubmittere, quæ fini etiam Clariſſ. & Experient. DN. Aug. Hauptmann, jam Medicinæ Licent. digniſſ Amicus conjunctiſſimus, Reſpondentis vices ſuſtinere paratum ſeſiſtebat, cujus felicem in perſcrutandis rerum Phyſicarum eſſentiis ſagacitatem & fœcundam in Chymicis ſolertiam Tibi de meliori opportunitate hac non commendare, non poſſum: Verum Licentiaturæ Actus, quum poſtea intentionem præveniſſet, mutare ſententiam, & ſubtrahere alterationis verboſæ occaſionem mihi ſuccubuit. Interim ſi veritatem me ingeſſiſſe, politis ſpeculationibus Tuis conatum hunc adjuvare meum non abhorrendo hic adſerueris, ſtudium plura communicandi mire excitabis. Bene age & noſter Agamemnon ſic eſto.

CUI mare, cui tellus famulantur, & ignea Cœli
Sidera; Quem metuunt mortalia ſæcla animantum,
ALME DEUS, noſtro de THERMIS adnue cœpto!

CAPUT. I.

Præfandi quædam ſolemnia; §. 1. 2. 3. Fons flens & ridens in Phrygia, 3. Thermarum multitudo, 4. & 7. Thermæ naturales & artificiales, 5. Luxus Romanorum in Thermis, & earum rudera, 6. Thermarum in Germania numerus, 7. Carolinæ inſtar omnium proponuntur, 8. Thermarum nomen & etymon, 9. Sub vocabulo calidæ & Frigidæ ut plurimum ſubauditur aqua, 10. Thermarum Homonymia. Quædam oppida vocantur Thermæ. Thtrmopylarum mons, 11. Thermarum ſynonymia latina, 12. Bajæ Bajen. *Puteoli, 13. Bajarum laus & interitus, 14. Thermarum Germ. Synonyma, 15 Carolinarum ſitus & loci genius, 16. Lucorum gentilium occaſio, 17. Amnis* Döpel *& Thermarum hic ſcaturigo, 18. Amnis hujus etym. 19. Acidulæ Carolinæ, 20. Acidulæ fagi, 21. Egranæ, 22. Ignes hic fatui, & quercus in ſaxum indurata, 23. Fovea virulenta prope templum, 24. Carolinarum inventio, & immunitates, 25.*

§. I.

CElidum Acidularum marmor non ita dudum à nobis pro virili expolitum excipit commodiuſcule fervidum jam THERMARUM murmuri, de quo non minus amœna, quam certè utiliſſima ſcribere calamum noſtrum jubemus.

2. Imo ptopemodum ſumus certisſimi, hoc ipſo inſtituto multorum deſiderio noſmet ſic velificaturos eſſe, quod proinde nobis etiam Lectoris benevolentiam vel ſponte pollicetur. Sic eſto: fave tu Lector faventiſſime, & hunc Noſtrum laborem tali affectu fove, ut Pallas & Nymphæ, Herculem, quem ingentibus feſſum ſudoribus lavacrorum recreatione bearunt bellisſimæ Virgines. Hoc tu præſtes influxu favorabili erga Nos & hæc Noſtra. Sed nimis facili forſan blandimur nobis promiſſo, ſat beati, ſed obtineamus medium. In mentem hic Nobis veniunt duo illi in Phrygia fontes, quorum alter bibentibus lacrumas elicit, unde & κλαίων, ſeu flens vocitatur; alter vero cachinum potantibus movet, atque eosdem exhilarat, unde γέλων ſeu ridens dicitur, fortasſis, & Lector, THERMÆ hic conſcriptæ utraque pollebunt efficacia, dum quibuſdam livoris triſtitiam, & Crocodilinæ Invidiæ lacrumas excutient; nonnullis vero rurſum judicandi ſerenitatem & exporrectam favendi frontem præbebunt, Nobisque hinc alacritatem pergendi, ut lippi Zoili contra audentius eundi conſtantiam.

4. Thermas igitur hic ſiſtimus, easque cum primis CAROLO IV. Imperatori Glorioſisſimo ſacras, & harum compellatione jugiter ſignificamus, nos haut

haut latere, multas plurimasque alias, numero ferme omnem ſuperante fidem, per totum terrarum orbem redundare, & tot undique exſtare,

Quot Nymphas numerat Marina Tethys,
Quot Nympha caput affluit capillis.

adeo vincit copia. Habe hic Tibi latiſſima terrarum, terrarumq; optima; & luſtra duntaxat non ignotos Mundi angulos ; Inſpice Americam, adgredere opimam Aſiam, ardentem viſita Africam, venuſtam contemplare Europam, & crede nobis, non admirationem tantum hæc Balneorum Tibi conciliabit multitudo, ſed in ſtuporem ea te trahet penitisſimè.

5. Indigitamus autem hoc ipſo geminum Thermarum genus, hoc eſt, tã naturali ſalubritate ferventes, quam artificiali curioſitate & cauſa deliciarum exſtructas. Sane ſi mentionem Harum in medium proferre jam luberet prolixiori diſcurſu, integer & amplisſimus Codex non ſufficeret.

6. Vaſtus ille Romanorum faſtus luculentisſima teſtimonia ſuppeditare hic valet, dum ejusmodi Nymphéa plura atq; plurima tam mundificandis corporum ſordibus, & firmandæ valetudini, quam fœdisſimæ Libidini potisſimũ deſtinarunt, adeo ut Balneæ hæ aliud nihil, quam Veneris & Amoris gymnaſia eſſent. Hinc tot rudera & veſtigia Thermarum Roma advenis adhuc oſtendit, quæ oculis noſtris pariter mirationem ante duodecim Annos incuſſerunt. Quid Antoninianas, quid Diocletianas Thermas, quid Titianas, Alexandrinas, Neronainas, Hadrianas, Conſtantinianas, Gordianas, Decinas, Aurelianas, Agripinas & quæ ſunt aliæ cæteræ quam multæ hic fuſiori filo pertexamus? Sane non opus eſt, quum nec intentio. De his enim ſit ſatis, monuiſſe Cæſarum Principumque ſumtuoſisſimam Luxuriam hac in re tanto exceſſu productam, ut, dicente *Valeriano Maximo*, lavacra in modum Ammiarum Provinciarum exædificari tum cœperint: in quibus exſtruendis nullum modum, nec menſuram Romanos ſervaſſe ex ingentibus ruinis, ex ſtupendis fornicibus, murorum ſpondis & reſiduis columnis ex Ophite lapide factis, quæ partim adhuc erectæ, partim humi ſtratæ exſtant, oculis clarisſimè, *ut diximus*, obvium eſt : qua de exactius *Janus Jacobus Boyſſardus in Topogr. Rom. p. m.* 28. Verum cum illæ vetuſtatis ſqualore jam dudum ſint fœdatæ, & nuditate marmorum deformes, ad cultum priſtinum eas revocare, calami Noſtri non eſt.

7. Sed fortaſſe Thermarum naturalium Tibi deſideras numerum? Impoſſibile poſcis: in parte tamen gratificandum Tibi cenſemus, Te ad Rulandum proinde remittentes, qui LXXXII. Thermas eſſe vel in Germania ſola ſuggerit, etiamſi nec incredibile Nobis, plures adhuc omnino in Eâ ſubeſſe.

quum

quum unius hominis non ſit, poſſe omnia obſervare aut commemorare. Id ſaltim perpende, ſi hac Thermarum abundantia gaudet Germania, quid adſcribendum exiſtimas cæteris Europæ partibus calidoribus, quid Aſiæ & Africæ locis, quæ vehementiùs profectò ab æſtu ſolari feriuntur?

8. Ut itaque quemcunque Thermarum genium & Naturam veluti in ſpeculo quodam, cognoſcere poſſis, CAROLINAS, utpote quas inter præſtătiſſimas non immerito reponimus, in hanc palæſtram producimus eas Phyſico-Medico gymnaſmate per ſuas & diſtinctas partes diligenter diducturi.

9. Ergo Thermarum nomen, ut ab ovo negotii nominalis ritè ordiamur propoſitum Noſtrum, pauris brevibus opinamus enucleandum eſſe; De quo ſtatim ſciendum offerimus, id ipſum Latinum & non Latinum eſſe. Latinum etenim hoc nomen ut proprium ſibi vindicavit, & communisſimo uſu tritum in civitate ſua ſic retinuit. Latinum tamen non eſt provocantibus ad Cunas: *θερμὸν* enim Græcanico ſenſu calidum, imo fervens etiam atque ardens denotat, quod tamen non qualitatem nudam, ſed virtute ſua Adjectiva ſubjectum aliquod ſeu ſubſtantiam ſub ſe comprehendit. Verum hanc indeterminatam eſſe inferre tu poteris, quum res multæ & infinitæ in hoc Mundi Theatro exiſtere poſſint calidæ.

10 Et ita quidem eſſe non diffitemur, nihilo tamen minus quum Priſcis ſub hac vocula Liquorem ſeu Aquam ſubaudire fuerit quotidianum, non adeo morabimur ulteriorem quandam pronunciati hujus demonſtrationem. Ecquid Tibi in conviviis illud ſolemne, *Da mihi caldam ſeu calidam, Tu frigidam mihi porrige*, forſitan ignotum? Num, *Thermopolia* & eorundem uſus te fugit, quorum non infrequens mentio apud *Accium* eſt *Comicum. Juvenalis & Martialis*, illi Vates venuſtiſſimi, Calidæ pariter & Frigidæ creberrima voce meminerunt. Audi quid *ille*.

Quando vocatus adeſt Calida gelidaq; miniſter.

Auſculta quid *alter*:

Frigida non deſit, non deerit Calda petenti.

Imo vel *Senecam* tantummodo accede, & in hoc Sapientiæ Penu Veritatis robur oppido Tibi accedet.

11. Claret igitur vocabulo hocce inpræſentiarum undiq; innui *θερμὰ λοετρὰ Homero*, ſeu Aquas Calidas, hoc eſt, Thermas; & quamvis per easdem non tantum calentes Aquæ, verum etiam loca ipſa, quæ hiſce luxuriant, ſignificentur, attamen nulla Nobis difficultas pertimeſcenda: Ubi occaſione data addimus, *Siciliæ & Thraciæ*, aliarumq; Regionum quædam oppida Thermas nuncupari, ſicuti mons ille in Græcia latiſſimus Thermopylarum nomine eſt celebris, ab anguſtis ſc. faucibus, quæ Aquis ſcatent ferventiſſimis, ſic nominatus. Adi ſis *Caroli Stephani Dictionar. Hiſtor. Georg.* quod Tibi plura hujuſmodi ſubminiſtrabit.

12. Cæterum æquivocatione ſequeſtratâ ſynonyma occurrunt nulla, niſi Thermas Calidos fontes & Ardentia Lavacra ſalutare ames, aut niſi *Poeticis hic Manibus* uti cuipiam placeat, quæ elegantiores formulas depromere vel adinvenire in proclivi poſſunt: Et ſic modò *fumantes ſulphure Nymphæ, modo Medicæ undæ, fumantes Aquæ, liquidi Fervores, fervidi Liquores, Calida Nympharum Balnea* paſſim dicuntur, aut dici pro lubitu queunt.

13. Bajas ad memoriam haut inopportunè Nobis hic revocamus, qua voce omnia illa loca, quæ ſcaturientibus abundabant Thermis, appellabantur, ſicut & ore Belgico Bajen quævis Balnea vocantur, unde & Puteoli nomen ſuum ut habent, ita etiam ſervant, quod locus ille Aquarum, antrorumque cum admiratione pleniſſimus.

14. Alioquin latiſſimè nota eſt illa Campaniæ Civitas, ſita ſecus Mare, quæ blandiſſimâ aëris temperie, nobiliſſima Romanorum frequentia ſplendidiſſimis ædificiorum ornamentis, lætiſſima rerum fertilitate, & ſuaviſſima litorum amœnitate fuit celeberrima: Ubi cumprimis ager hujuſdem loci Aquis Calidis tàm ad Voluptatem, quàm varios ad morbos commodiſſimis abundè dotatus ditatuſque eſt. De hac Bajarum fama *Muſarum Olores* poſteritatem ſic accinerunt: *Nullus in orbe locus Bajis prælucet amœnis:* Sic ſcilicet *Flaccus*, ad quem tali metro *Martialis*:

Ut mille laudem, Flacce, verſibus Bajas,
Laudabo dignè non ſatis tamen Bajas.

Verum quis non

Nunc deſolatæ faciem miſerabitur Urbis,
In qua de veteri reſtat honore nihil.

Ita incomparabiles has machinas aut ſævitia Maris, aut telluris fragor ibi locorum aliàs frequentiſſimus deſtruxit, quarum Rudera in oceani ſinu tempore ſudo, & tranquillo Neptuno, Nobis jugiter viſa, evidenter cernere licet.

Fatum ratumque ſcilicet
Ut nil perenne duret.

15. *Materna lingua* in genere die warmen Bäder / item Wald-Berg-oder wilde Bäder / quod in locis plerumque nemoroſis Metallicis, atque deſertis inveniantur, nominare ſolemus. Verum miſſô Nominalium hoc cortice nucleum ipſum adprehendere præſtabit, quum iniquum judicemus, inhærere levioribus, quando magis ardua & perveſtigatu digniora ſunt præſtò. Antequam tamen hoc ipſum fiat, quædam adhuc generalia ſuperſunt expedienda, ut in minimis hiſce etiam Benivoli Lectoris expectationi ſatisfacere queamus.

16. Itaque Thermarum Carolinarum ſitus, ejuſque Loci genius ſe conſiderandum offert, qui talis fermè eſt, qualem earum ſcaturigines ſibi habere ſolent

lent familiarem, & *Synonyma Teutonica* ſatis antea ob mentem poſuerunt. Nimirum ſuapte naturâ ſylveſtri & deſerta, ſed non in amœna ſolitudine locus hic, *liceat ſic loqui*, horret, & rupium proceritas ſaxis ſcabitudine quaſi obſeſſis exeliſque ſua ſterilitate admodum notatur, veluti conſuetiſſimum aliàs eſt, loca, quæ Mineralium divitiis pollent, vigori vegetabilium vix locum relinquere. Ex parte tamen & quidem huic oppoſita virgultorum, fruticum arborumque præſentia illum poſitum ſuaviter obumbrat, & vallis humilitati gratiſſimum adſpectum conciliat.

17. Si quoſdam terrarum ſitus vel denſa opacitas, vel profunda præcipitia, vel ſecretum loci, vel umbræ admiratio, & perpetui aqnarum calentium fontes quondam ſacraverunt, certè & hæc loci conditio gentes gentiles olim religionis ſuſpicione potenter percutere potuit, quod rem tantam & hoc penicillo depictam ſine adminiculo peculiaris Numinis ſtare haud poſſe crederent; Unde poſtea Luci & Fana ad ſuperſtitionem ſummam parata ab ipſis adornabantur.

18. Accedit huc etiam liquidiſſimus Amnis, qui de curſu ſuo jucundiſſimo tam vallem nominatum rigat, quàm piſcibus ſapidiſſimis, verbi gratia Gobiis, Troctis &c. egregiè ſcatet: Ex hoc ipſo autem & medio ejus, quod ſpectatoribus meritò admirationem parit, ſummo cum fervore fervidiſſima proſilit aqua, ſicuti hæc ab altiſſimo, qui Cervinus dicitur, monte in ſuis ſubterraneis agogis deſcendit, atque poſtmodum ſub & trans hunc amnem propè radicem alterius, hoc eſt, Fagorum montis magno cum murmure & impetuoſo, vixque credibili perenni vixoque æſtu ſcaturit. Vocatur autem hic rivulus die döpel dubio ſine propter ſocietatem Thermarum, præſertim ſi *os Bohemicum* audire collubeſcit;

19. De pli enim aquam tepidam notat, quam circa Thermarum originem quoque talem invenire licet, etiamſi aliàs & alibi decurrens grata frigiditate ſua ſitientes oppidò refocillet.

20. Neque Acidulæ etiam hic deficiunt, modò montem, qui nomen ſuum exinde nactus, adire cuipiam non diſpliceat, quæ tamen ut plurimum ſubtepidæ, præcipuè verò tempore hyberno pro familiari potu hauriuntur. Dubio procul jam ſalubritatem earum tibi cupies declaratam: Tutius ſcilicet bibuntur, quam ipſa communis aqua, & ne faſtidiũ bibentibus creent (weil ſolcher Säuerling allezeit gar matt ſchmecket) cellarum frigore palato acceptiores redduntur:

21. Tribuunt quidem illis virtutem aperiendi & laxandi alvum, quam tamen, ut noſmet non agnovimus aut exploravimus, ita potius illas Acidulas commendamus, quæ unicum milliare abhinc funduntur, dicunturque der Buchſäuerling / quod ex trunco Fagi oriantur.

22. Ve-

22. Verum cum milliaria V. tantùm Acidulæ nobiliores & Egranæ à Thermis hiſce diſtent, illas potius adportandas uſurpandasque laudamus.

23. Tria adhuc citra monere placet, nempè in fagorum monte noctu ſæpiſſimè ignes comparere fatuos: Deinde in montis radice, quem vocant den Steinberg quercum in lapidem fuiſſe transmutatam, de qua tamen nil amplius ſupereſt, quod hoſpites eam fruſtillatim curioſitatis causâ abſtulerint: & tandem non prætereunda eſt.

24. Fovea prope templum cavernæ in Campania ad Puteolos, non procul à lacu agnano (La grotta del cane dicitur) ſitæ conſimilis, quæ æque ac iſta canes & animantia injecta venenatis exhalationibus ſuis enecat, immiſſasque candelas deſubito extinguit.

25. Ut quoque inventionis non planè obliviſcamur, Thermarum generalem olim *in Diſſertat. de Acidulis Egranis* §. 28. aſſignavimus *Onæ* in deſerto, ſpecialem verò ſeu Carolinarum quod ſpectat inventionem, de hac paſſim in monumentis huic Thermarum tono donatis prolixæ extant diductiones, quas etiam hic extremo ſaltim digito attingere lubet. Scilicet opinio omnium receptiſſima eſt, recenſente *Fabiano Sommero*, Thermas has fuiſſe adinventas *Anno circiter poſt natum Jeſum* M. CCC. LXX. ſub Imperio Imperatoris CAROLI IV. qui in ἐλαφιϐολίᾳ, in qua cervus jugiter & canis venaticus in ferventem aquam delapſi, & hinc valdè depilati fuerunt, in notitiam Thermarum ſic pervenit: Unde etiam honoratiſſimum Epitheton Thermæ noſtræ acceperunt, & Carolinæ ad hunc usque diem cum Auguſtiſſima divi Cæſaris gloria appellantur.

26. Et id quidem eò magis, quod locus hic immunitatibus & Privilegiis ſingularibus ab optimo Imperatore munificentiſſimè fuerit locupletatus, tituloque civitatis celebratiſſimo inſignitus: Hinc factum eſt poſtea, ut indies ædibus & Cameris ad balneandum aptiſſimis frequentiſſimisque (ita enim per ligneas collicias canalesque ſeu aquagia fervens hæc aqua in ſingula atque cuncta ædificia derivatur) ad omnem neceſſitatis caſum, & omnes commoditatis articulos fuerit adauctus.

27. Sunt nihilominus & alii, *qui diſſentiunt*, & præter neceſſitatem ſummum inquirendi angorem oſtendunt, ſtatuentes ætatem Thermarum harum magis decrepitam; quorum tamen mentem & verba hic compilare animus non eſt, ſed præſtare potius exiſtimamus, ſi paginas nobiliori utiliorique materiæ dedicaverimus: Quo in capite Benignus Lector ſe ſatiare poterit remiſſus ad *Strobelbergerum, ad Fabianum & Matthiam Sommeros & alios*, quos altior hiſtoriæ cura penetrantiùs cepit.

CAPUT II.

Difficile Thermarum ſcrutinium, 1. Autores in verâ hujus ferroris causâ frigidi, 2. Nardius ad ignem ſubterraneum hic recurrit, 3. Refutatur, 4.9. Rochas ad incaleſcentes Mineras provocat. 5. Errores aliorum, qui bitumen, naphtham &c. producunt refelluntur, 6.10.15. Noſtra ſententia de igne hoc ſubterraneo, 7. Dari eum non negamus, adductis exemplis, 8. Calcis vivæ perveſtigatio, 11. in eadem Thermarum cauſa non eſt quærenda, 12. Flammæ conceptus in terrâ ſemper aliquid metallici poſcit, 13. Calx viva lignum non accendit ſine ferro, 14. Cauſa Thermarum non conſiſtit in vehementiori aquarum motu, 16. Neque in cineribus terræ, 17. Neque in concurſu aquarum Metallicarum, & earum repugnantia, 18 Liberè philoſophandum, ita ut ſemper plus ultra, 19. Res originetenus indagandæ, 20. Fons omnis caloris ſol eſt, 21.23.27. Cujuscunque effectus unum & ultimum eſt principium, 22. Solis virtutes, 24.26. Et encomia, 25. Sol Thermarum eſt cauſa efficiens, ſed cum poſtulato materiæ adæquatæ, 28. Diverſa ſolis actio pro diverſitate materiæ, 29. Thermarum cauſa materialis ad recipiendum ſolarem æſtum apta, 30. Ejus augmentatio, 31. Fervoris hujus continuatio accidentaria, 32. Carolinæ flammam non oſtendunt, 33. Thermæ quædam cur autumno & hieme frigeſcant, 34. Laus Chymiæ & ſumma utilitas, 36.51.97. Apologia ad oſores ejus, 37. Chymia Phyſicæ & Medicinæ anima eſt, 38. Modus conficiendi Thermas artificiales, 39.43. Terra vitrioli nativi prope Schmiedebergk/ *40. Deflagratio arborum ibidem ſpontanea hinc exorta, 41. Thermas ille locus cur non ſuſcipiat, 42. Thermarum baſis, 44. Alexandrinus ſolem à cauſis Thermarum rejicit, 45. Refutatur, 46. Thermarum à ſole generatio oſtenditur per fulgura, 47. Cauſæ fulguris & tonitru, 48,90. Declaratur per aurum fulminans & candelam extinctam, 49. Ars Chymica naturæ feliciſſima imitatrix, 50. & quidem medio ignis, 51. Dato abſurdo aut vero uno, dantur infinita, 52. Signa metallorum latentium, 53.57.60.63. Cautela circa virgulam divinatoriam. 54. Exhalationes ſaltuum & montium,* die Buſchgreten *diligenter obſerventur, 55. Pluviarum diuturnarum & ventorum indicia, 56. Rore obſervato venæ Metallicæ inquiruntur, 58. Cautela 59. Terræ corruſcationes, 60. Cauſa earum vera, 61 Loca Mineralium non ſunt feracia arborum & vegetabilium, 62. Ventorum vera cauſſa hactenus incognita, 64.66. Medicus phyſica conſideret chymicè, 65. Aliorum opinio de natura ventorum. 67. Vera ventorum cauſa & origo, 68.70.72.76.87. Localis eorum origo cognitu non facilis, 69. Venti & tempeſtates plerumque ſunt particulares, 71. Illorum ſodalitium, 72. Ventorum vehementiorum demonſtratio & ortus, 73.74.78. Minerale illud humectatione extinctum facile rurſus à ſole aut igne calcinatur, 75. Interdum in ventis aliquid contra naturam, 77. Terræ motuum &*

evec-

everſionum cauſa, 79.81. *Exempla*, 80. *Eteſiarum & mitiorum ventorum cauſa*, 82.*Venti hyberni unde*, 83. 84. *Ventorum materia non à cœlo ſed terra*, 84. *Porci ventos cur præſentiant*, 85.*Ventorum ratio in mari*, 86.87.*Fluctus maris ſine vento*, 88.*Tempeſtatem mora*, die Wetterſcheiden *prope Numburgum*, 89. *Terræ pulſus particulares & ruptura*, 91. 93. *Exemplum prope Laucham*, 92.*Tractus Numburg. mineralium metallorumque ferax*, 94.*Fontes temporanei* die Hunger-Brunnen / 95. *Fons lapillos ibi molliſſimos continens*, 96.*Ejus virtus medicamentoſa*, 97.101. *Sol Hermeticum & centrale in hoc fonte*, 98. *Cereviſiæ Numburgenſis virtus & quæ cauſa*. 99. *Numburgenſes raro calculoſi & arthritici*, 100.

1.

IN anteceſſum ſtatim hic fatemur rem difficillimam *in hoc capite* deſcribendam nos adgredi, acturos de Genuina & Vera Aquæ fervidiſſimæ indeſinenter ſcaturientis Cauſa ac viſceribus. Adeo controverſia hæc maximis undique difficultatibus, tanquam hactenus perpetuis aut acutiſſimis rupium cruſtis eſt implexa. Sed quicquid ſit, ſpargendæ nihilominus ſunt manus, quo ipſo non poteſt non fieri, ut non aliquando ſuccedat ſperatum multa tentantibus. Imò cum labore quicquid quæritur, optimum quoque videtur, & animus ipſa ſic rerum difficultate creſcit. Solicitudinem *Autorum* allegare hic nolumus, quam in perſcrutanda perpetua calentiſſimæ Aquæ ebullitione confertim perſenſerunt.

2. Non ignorarunt quidem *illi* omnibus rebus, quas in ampliſſimum hoc creaturarum Natura produxit conceptaculum, ſuas ſubeſſe cauſas, & hujus vel illius effectus certas adeſſe rationes, cum quibus juxtim ſingularem Dei providentiam, & directionem ejus Ter Sapientiſſimam devota cum veneratione, Nobiscum pariter, agnoverunt: Attamen frigida percunctatione illas inſpexerunt.

3. Audiamus ergò opiniones nunc eorum, an potius conjecturas ſed ſermone ad compendium coacto. *Joannes Nardius Naturæ conſultus alioquin laudatiſſimus in Tract. de Igne ſubterr.* rem acu tangere alludans, *inquit*, cauſam genuinam in hunc rejiciendam ſubterraneum ignem, quo in terræ cavernis per antiperiſtaſin accenſo & ibi arctiſſimè incluſo Thermales has aquas tanquam in lebete incaleſcere, efferveſcere, atque ardentiſſimam ſic redditam cum murmurante quodam impetu proſilire ſtatuit; ſed ſtatuit: *hoc eſt*, absque fundamentis firmiter claris id profert & aſſerit.

4. Unde etenim iſte ignis, quoniam antiperiſtaſis ubique terrarum reperitur? Dicat nobis explicitè magis, cujus beneficio propriè hic accendatur ignis: Imò edicat nobis, qua ratione tamdiu in terræ penetralibus absque exhalatione aut ſine pabuli conſumtione ſervari incolumis poſſit. Aſt altum hic ſilentium

& *Auctor* hac in parte ſtupendus eſt rationum Euclio. Et quid *Henry du Rochas?*

5. Ille prænuncupatam opinionem actutum explodit, & aliam quidem in medium produxit, ſed veram tamen & ipſe adhuc accuratiſſimè non attigit, licet ab ea adeò non fuerit procul. Hic enim dum labore ſumtuoſiſſimo maximos perfodere montes curavit, neque à propoſito hoc ceſſavit, donec ad principium caloris internum & frigidam viciſſim aquam penetraverit, oculis ſuis plus credens evidentem ejusmodi ſubterraneum ignem inter Non-entia locat, & huic ſubſtituendas potius cenſet incaleſcentes Minerarum Metallorumque venas: Quo in puncto adſtipulantem jugiter habet *Julium Alexandrum l.VII. ſalubr. cap.* 4.

6. Tacemus hic inertes & inermes *aliorum* ſententias, quibus inſignem hunc caloris effectum calci vivæ, bitumini, naphthæ, maltæ, carbonibus lapideis & aliis ſulphureis rebus attribuunt, de quibus in ſubſequis non niſi incidenter & data opportunitate, quicquid dicendum, dicetur, ubi ſcilicet, qua ratione horum aſſertis noſtrum adjungere calculum non queamus, dilucidè & ad oculum demonſtrabimus pro virili morbidas & vacillantes has Cauſas extirpaturi.

7. Verum quid vos, inquies, de igne hoc ſubterraneo? Tu ſubauſculta, & crede Nobis, neutrò affectu nos aliquid hîc profecturos: Uti enim *Nardius*, ita *& Rochas*, non quidem à Nobis vituperantur, ſed tantum in determinatione jam indagandæ cauſæ non placent. Sic igitur abſit à nobis, ut ignem hunc ſubterraneum ex rerum natura planiſſimè velimus eliminatum, & hac conſequentia maniſeſtiſſimam experientiam temerè ſusque deque habere audeamus: Quapropter etiam dubitantes jure remittimus illa ad loca, ubi Vulcani violentia & ipſe flos flammæ terra hiante exſpiratur, atque vehementer prorumpit.

8. Spectabili teſtimonio hic favet *Italia & Sicilia*, inque iis *monte Veſuvius & Ætna*, imo & campi ibidem nonnulli qui ſulphure flagrant, quemadmodum hoc ipſum ocularitér conſpicuum eſt in loco quodam prope *Neapolim*, quæ vulgo *La ſolfatara vocatur*, penes quæ omnia Thermæ aut ſunt creberrimæ, aut ab iis non procul diſſitæ. Sic in *Pyrenæis montibus* pene ſpagum *Dax* verſus *Comitatum Fuxenſem* (ubi fontes nonnulli ita fervent & calent, ut bos integer in hos projectus ſubitò dilutum in pollinem reducatur ſalvis oſſibus ſolis, quæ aquis ſupernatant) ignes copioſâ, viſibili & volentiſſima flamma tam ex ipſis puteis, quam inſimul ex terra eos circumſcribente exeunt, quamobrem etiam incolæ fornicatim ædificia ſua cum ſaxis, nullis penitus interjectis lignis, exſtruere coguntur. Qua de re fuſius docentem vide *Excell. Petrum Joan. Fabrum in Hydrogr. Spag lib.2.cap.4.pag.*130. Adeò ut nullus hac ratione inficias ire tàm perperam poſſit ex viſibili hoc igne aquas ſubterraneas incaleſcere, & ibi locorū Thermas ſuboriri poſſe.

9. Verum hic intentionis noſtræ eſt ſcopus *juxta Nardii mentem* prædictum ignem

ignem actualem ſubterraneumque perpetuam & communem ſeu univerſalem omnium & quarumcunque Thermarum cauſam non exiſtere, ſed veritati magè conſentaneum id eſſe, quod *Rochas* non inglorio cum ſumtu expertus, nempe contrarium; quod non ab actuali, ſed potentiali tantùm igne, hoc eſt, excandeſcente Minerâ calidiſſimas aquas haſce, ſeu Thermas provenire debeant. Sanè res ita ſe habet cum Thermis Carolinis: Licet enim mons ille totus, unde promanant, quantus quantus eſt, eruatur, perfodiatur, evertatur, tamen ejuſmodi conſpicuus & ſubterraneus ignis invenietur neutiquam: Id quod impoſterum clariùs explicandum etiam Nobis aſſumemus.

10. Negavimus autem ſupra, calcem, bitumen, & naphtham, aliaque ſulphurea ad ſuſcitandum ejusmodi in Aquis continuum calorem eſſe ſufficientia, imò ineptiſſima diximus, etiamſi illorum quædam calorem aliunde delatum quodammodo recipere, atque igni ſubterraneo ex parte ſic tranſiens pabulum ſubminiſtrare queant.

11. De calce vivâ ſic habe, & cum primis cogita, quàm ardenti fornace ſilices hi ſolvendi, & quàm potentiſſima flamma opus habeat, antequam ignitam illam in ſe concipiat *δύναμιν* ſeu potentiam, quæ ex ſale poſtmodum hinc ſibi conciliato fixo & inducta ariditate iſta, quaſi ſitiente, proficiſcitur, quemadmodum id omnimodè non ignorant *homines calcarii*, qui tantam proinde ſtragem lignorum ad producendum hunc ignis potentialis fœtum inſumere neceſſum habent. Verum utique hic ſilentio non velandum, quàm volatilis & quam breviuſculo tempore durabilis iſte ſit ignis, utpote qui perfunctoria liquoris adſpergine exſatiari, imò extingui rurſum poteſt: Hoc igitur intrinſeco fervoris principio ſemel reſtincto & ſolutione hac ſemel abſorpto impoſſibile eſt, elixam hanc calcem igne redivivo donare, & igneam ejusmodi animam in ea hic reſtaurare: Et quis aquæ tentabit *ignem miſcere?*

12. Attamen non incuſpamus hoſcè protinus, qui calcis vivæ hic mentionem inſtituunt, ut qualiquali exemplo negotiū præſens illuſtrare, non verò probare, neq; rem ipsā deſcribere conantur. Firmiſſimô igitur ſtat calce, calcē hanc calce continuato perpetui fervoris ſtadiū calcare non poſſe, ſed levi, ut diximus, undâ exanimari ſpe reviviſcendi & ardoris Spiritum repetendi planè eradicata.

13. Hinc quoque præter neceſſitatem dubiæ hæſitationi non ſtatim ſubjiciendum eſt, quod montes celſiſſimi meris pyritibus conſtantes, & aſſiduo radiorum ſolarium æſtu torridi, nihilominus ne minimum quidem ignis effectum ſenſui noſtro exhibeant: Ratio eſt in aperto; niſi enim una cum ſale metallici aliquid ſibi habeant conjunctum, talis effervеſcentia fieri nunquam poterit, *quā de re paulò poſt expoſitione evidentiori.*

14. Dicti confirmationem fide digniſſimam ulterius ſiſtimus & dicimus, Calcem vivam, licet perfectiſſimè illa ſit calcinata, nullo modo per ſe conſpi-

ſpicuum inducere ignem, atque materialem flammam aut lignum, quamvis ex hauſtiſſimum ſeu aridiſſimum accendere valere, niſi aliquid ferri adſit, quod à calore calcis igneſcat, & ſic candefactum aſſeribus contactu ſuo flammæ communionem tribuat, prunasque hinc cum vivace flagrantiâ efficiat. Vides hic velut in lucidiſſimô ſpeculô Metallis Metallicisque præſentiorem accendendi facultatem ſubeſſe, & magis innatam aptitudinem, quàm ſaxis, quàm materiebus aliis nudè & ſimpliciter terreſtribus.

15. Non abſimiliter comparatum eſſe pronunciamus cum Naphthâ, cum Malthâ, Bitumine, Carbonibus lapideis atque rebus his confinibus, quippe quæ magis idoneæ ſunt, ut materiam ſuppeditent igni, quàm ut activè & effectivè eum ex ſe ac primitùs inducere poſſint. Quid; quod ne extremè quidem fervida Aqua in ſulphureis rebus, quantò & multò minus frigida focum hic inſtruere queat.

16. Rurſus *alii* opinione alia prodeunt, & partim agitationi, motuique vehementiori, quando nimirum aquis per anfractuum anguſtias penetrandum, & vi inſigni erumpendum eſt; partim cineribus terræ indefeſſum hunc Aquæ fervorem adſignant: Sed id iterum adpoſitè parum, quoniam beneficio motionis refrigerium potius accedit, ſicuti nobis non inſuetum eſt, brodia calida, vel ipſas etiam Thermas nimis nimisque fervidas, agitando tepefacere.

17. Ita & minus Terræ cineres negotio præſenti ſatisfaciunt, utpote qui ipſi, natura ſic poſtulante, flammam ignemque præcedentem ſibi requirunt, & abſentiam ejus manifeſtò teſtantur.

18. Tandem nec *illorum* hic obliviſcendum putamus, qui ad contubernium Aquarum Duarum vel plurium Metallicarum recurrunt, quæ licet ad tactum frigidæ, in congreſſu tamen ob repugnantiam ſpirituum & diverſam eorum indolem incaleſcunt, vehementerque efferveſcunt: Sicuti hoc ipſum oſtendi ad oculum poteſt, *v.g.* *Si Spiritus vitrioli* adfundatur *oleo vel Sali Tartari*, item, ſi, *Aqua fortis* miſceatur *Tartaro*, ſi conjungantur *butyrum Antimonii*, *& Nitri Spiritus*. Ubi profectò evidentiſſima ebullitio & quaſi excandeſcentia in punctò ſuccedit. Verum quis tam felicis phantaſiæ, aut quis tam infelicis potius judicii, ut tam incredibilem exhalationem Spirituumque copiam vel febricitando delirandoque ſibi imaginari poſſet, quæ perenni & tam ſubitaneo Thermarum ſufficeret decurſui?

19. Ergò quum à turba tam abſone ſentientium. Nos ſeparare intendamus, & veram, genuinam, manifeſtam, certiſſimam, clariſſimamque, ſed & novam, h. e. à nullo unquam commemoratam perenni vivi hujus fervoris cauſam adducere Bono cum DEO, ſimus animati, Tuam cenſendi æſtimandique

Benigni-

Benignitatem, Lector Erudite, præſupponimus: Sin fallat Nos mentis hic noſter conceptus, nullam potius, quàm Venalem Benevolentiam nos hamare edicimus. Sed & hoc edicimus, Nos nulli hic mancipaturos, nulliusque nomen laturos, ita tamen, ut multum *Magnorum Virorum* labori & judicio credamus, multumque tribuamus, aliquid nihilominus Noſtro quoque vindicando, quoniam & illi non inventa, ſed quærenda Nobis reliquerunt. Placet, imò perplacet *Romanorum Thales*, qui nunquam, ait, invenietur quidpiam, ſi contenti fuerimus inventis. Qui enim alium ſequitur, nil invenit, imò nec quærit. Qui ante nos hæc & hæc dixerunt, illa & iſta moverunt, non Domini Noſtri ſed duces ſunt: & ſic abſurdum eſt jurare in verba Magiſtri. Sanè non odimus *Veterum* viam, ſed ſi propiorem planioremque cernamus, cur potius illi non inſiſtamus? Cæterum per Nos licebit, quisquis etiam *ex Commentariis* ſapere avet.

20. De profundisſimis & abditis Montium Fontiumque abysſis *divinum* præfigimus *dogma: Fontes & Amnes ſinguli atq; omnes, ut ex oceano prodeunt, ita viciſſim in illum redundant* deſinuntque, teſte *Coheleth cap. 1, 7. Unde* factum omni dubio procul, ut proverbiali lingua tota dicatur die: *Qui ad mare ceu Fontem aquarum viam deſiderat, is Amnem ſibi comitem* ſumat. Pariter à via non aberrabimus impræſentiarum, ſi verba hæc adplicaverimus dextrè, h. e. ad ipſum calorem, de cujus fonte univerſali mens noſtra nunc unicè eſt ſollicita: Regulam enim ſeu filum Ariadnes putamus, mediante quo tam ad centrum, quam ad peripheriam aquarum acceſſum receſſumque moliri licet.

21. Atqui jam libet imitandi exercitium hic inſtituere: Qui fontem calorem caloris quærit ſeriò, & ſpuriam ejus originem, quâ paſſim ſe paſcunt autores, negligit, is radium caloris ſibi jungat comitem, & omnem fidem à nobis abeſſe volumus, ſi hallucinari & à ſcopo ſic deficere quis poterit. Hac igitur metâ, & hoc ſcopô arctiùs obſervatô, à ſcopulis cunctis ſecuri, nil amplius pertimeſcimus, quos aliàs vel minus curioſi homines, vel homunciones incauti rarò illæſis navibus prætermittunt. *Baſin Noſtram tali & generali ſtatuminamus ratiocinô:* Quodcunque ſubjectum toti Terrarum circulo calorem impertit primariò, ex illo etiam Thermæ noſtræ & omnes fervorem ſuum neceſſariò primarioque conſequuntur: Atqui de SOLE hoc tu ſubſume, & ſic conclude.

22. Depoſces fortè *Majoris pariter atq; Minoris* probationem Propoſitionis? Rectè: quam nec denegabimus deſiderio Tuo, ſed fuſiori filo in gratiam Tui ſtudioſè hanc contexemus. Ambæ videlicet ſuo clarore clarent, ſuâque & diffuſiſſima luce ſplendidè lucent. Indubitatò autem eſt certum, unamquamque actionem à ſuo provenire principio, & de nativâ ſua cauſa ſemper quemlibet conteſtari effectum, neque etiam progreſſum in Natura dari ad infinitum, ſed omnia ſuum habere punctum, illudque ad unitatem directum, in quo ac-

quieſcunt; Quod ipſum in hac caloris actione, utrâque manu clariſſimo ſoli lumini tribuimus.

23. In Solem etenim perennem Luminis Caloriſque ſcaturiginem & incunabula reponit ſapientiſſimum Lumen, quos nobiliſſimos etiam effectus ſine ceſſatione tam generalibus Mundi partibus, ut ſunt Elementa, quàm particularibus cunctis, h.e. mixtis Compoſitiſque omnibus, debitâ imò prodigali quaſi abundantiâ præſtat.

24. Hinc factum etiam, ut à *Naturæ Conſiliariis* omnibus ſol vocitetur Fons Vitæ naturalis, quem Spiritus quoque Vitæ rei cujuslibet, ceu ſcaturiginem ſuam preſſo pede ſequitur, verſus eam ſcilicet Terræ partem, ubi Phœbus hic viget ridetque; Atque adeò quidem ut tempore brumali de eo remaneat tantum in telluris abdomine, quantum poſcit neceſſitas ad ſuſtentandum iſtorum quæ abdita ibi ſunt, vitale Robur, ne vigore gelicidii penitus exſtinguatur, & ſuffocatione plenariâ annihiletur, quo de negotio *Nobiliſſ. Faber affabrè diſcurrit in Hydrograph. ſpag. lib.* 1. *c.* 21. *p. m.* 85.

25. Eulogia, quæ paſſim & paſſim reſonant de ſaluberrima ſolis nobilitate, teſtimonio luculentiſſimo hæc vel ultrò credenda nobis inſinuant, modò auſcultare non tædeat eloquentes ſolem oculum & cor mundi eſſe, quod intueatur omnia, quod tueatur, foveat & calefaciat cuncta: Sic *ſecundum alios* ſol lucidiſſimum divinæ gloriæ ſpeculum eſt, item jucunditas & promuſcondus diei, cœli pulchritudo, Menſura temporum, omnium virtus & vigor naſcentium, Induperator Planetarum, aſtrorum Monarcha, decor & perfectitudo eorum, confortans & Analepticum cujusvis innati calidi optimum præſentiſſimumque.

26. Calor itaque omnis & omnis planiſſimè deſcendit à cœlo ſeu ſolis carbunculo, quemadmodum etiam certiſſimum eſt extra illum calorem non dari durabilem ullum. Tu ſolem de cœlo tolle, & vel Sacramento tibi promittimus, cætera in terris omnia ſponte corruitura ſive animantia ſive vegetantia, ſive mineralia exiſtant, hoc eſt, cuncta maximo, medioxumo, minimo calore prædita. Imò & ipſimet Planetæ atque alia ſidera vel eorum pleraque ex fonte hoc Solis calorem & lumen jugiter ſuum hauriunt. Favet hic nobis *numquam ſatis laudatus, nec unquam ſatis laudandus Faber*, quem vide *loco jam cit. l.* 2. *c.* 17. *p. m.* 197. Confirmationis vires affatim hîc adferunt defectus Lunæ & aliorum Planetarum, quorum eclipſes vulgò incognitas curioſè obſervavit *in ſuâ ſelenographia ſolertiſſimus Hevelius.*

27. Et quamvis res quædam in latiſſimo Naturæ campo nobis obviam eant, quæ vel actu, vel potentia calorem intuitu primo commodare videntur, ut proinde ſuccreſcere cuidam audacia diſſentiendi poſſit, non quemlibet calorem ex jam nuncupato principio defluere, nihilominus tamen à latere *Jamblichii* ſtare decrevi-

decrevimus, intrepidè cum illo aſſerentes, quidquid boni & doni poſſidemus, à Sole nos habere, vel ab ipſo immediatè, vel per aliâ mediatè. Unde Etymologiarum cuſtodes non adeò ineptire dicimus, dum Solem, quod ſolus luceat, ſic vocatum volunt. Quomodo enim dari poſſent combuſtibilia & calorem inducentia, niſi id ipſum prius à fidiſſimo Patre ſeu Sole fuiſſent nacta; quin & minimè in dubium vocandum, nullum penitus in locis ſubterraneis dari calorem vel ignem poſſe, niſi is prius à Phœbeia Lampade fuerit accenſus.

28. *Objicientibus* ex templo occurrimus, qui aquarum hunc fervorem, & indeſinentem ejus præſentiam à ſplendidiſſimâ Solis orbita provenire poſſe negant, quod Titan hic ubique quidem ſplendeat, non tamen protinus ubique in aquis omnibus æſtuantem ejusmodi calorem ſubeſſe, imò qui ipſiſſimam prætendunt impoſſibilitatem, Solem non ſufficere excitando huic non interrupto fervori: *His*, inquam, reſpondemus, quod non ſolùm Soli, ſed primariò ſaltim Eidē inſigne hoc beneficium adſcribamus, adjungēdo videlicet alia mox quoq; denominanda. Hæc enim ſi Soli ſubminiſtrabuntur, aut ſi ſubminiſtrari undique & ubiq; poſſunt, ubivis etiam locorum hunc effectum habebimus præſentem.

29. Diverſitas materiarum hic notanda, & in hac ipſa conſideratione non ignorandum, diverſo etiam effectu hinc Solem inſurgere: Sic videmus, Solem emollire ceram, ſed lutum indurare; illuminare tenebras, ſed candelam lucentem obſcurare, & ſic ulterius.

30. Jam ergò ſcopo propius adpropinquamus, & materiam, in qua ſecundariò arcanū perpetui hujus fervoris delitēſcit, pededentim de nominare adgredimur. Sunt autem certa quædam Terræ foſſilia, in quæ Sol radios ſuos penetrantisſimè immittit, figit, eaque tam vehementi calcinatione afficit, & fortiter excoquendo ita exſiccat, ut ea adveniens poſtmodum Aqua, veluti calcem vivam, ſed ob metallicam Naturam (quæ ſemper plus de principiis rerum eſſentialibus, Mercurio, Sulphure & Sale, quam terreſtria reliqua corpora participat) longè potentius & cum impetu longè majori accendat, atq; hac ratione æſtuatia illa ſubterranea vehementoperè exardeſcant.

31. Sed Mineræ iſtæ utpotè durisſimis profundisſimisq; Montium cavernis incluſæ, atque accedente Aqua ſemel accenſæ, reliqua etiam Mineralia in Montibus hinc inde contenta, & ab Aquis hisce adhuc intacta, aut extra illas poſita unà cum Sole, & longè efficacius etiam Sole calcinant, exſiccant, & adeò torrida reddunt, ut ſic ad æſtum recipiendum nunquam materia deeſſe posſit.

32. Porrò cum etiam in Mineris iſtis ſemel recept⁹ æſtus rupibus denſisſimis muniatur atque includatur, nec calor accenſarum Minerarum Exitum aliquem liberum excepto ſcaturiginis loco invenire, aut copioſa atque abundans Minera ſufficientibus etiam aquis exſatiari non queat, fervor iſte Aquarū continuatione perpetuâ urget, imò magis magisq; in ſuo ſinu multiplicatur, multiplicabiturq;,

 niſi

niſi quod DEUS ab hoc ſalutis ſalubritatisque luco avertat, magna Montis concuſſione & ruina liberiorem prodigaliſſimè exhalandi exitum ſibi acquirat.

33. Et ſi de ſulphure, bitumine, aut alio quovis ſimili adipoſo, vel combuſtibili Minerali aliquid Montes in gremio ſuo conceptum haberent, Thermæ hæ noſtræ facillimè etiam, flammam ardentem, non ſecus ac Italicæ ſuſciperent, & rupturis Terræ ejusdemque motibus expertes vix eſſent.

34. Præterea nec prætereundum, illas Thermas, quæ tanta Minerarum copia non valent, ut ſemel aſſumtum fervorem in declinatione Solis perpetuo augmento poſſint continuare, tum & *auctumnali tempore*, aut ceſſare penitiſſimè, aut de calore ſuo ingens quantum remittere; Sole autem adſcendente rurſum, ut *tempore Maji* priſtinas novasque vires recipere: Et tales ſunt *Thermæ Piperinæ ſeu Fabarienſes in Rhætia Sitæ*, quæ calorem auctumni tempore amittunt, & verno recipiunt, monente *id Fabricio Hildano in operibus ſuis Chirurgicis*, quamvis cauſam rei ne extremo quidem ungue attingat.

35. Tu noli interim graviter ferre, quod adhuc pauliſper Tibi exſpectandum in horum determinatione foſſilium: Noli, inquam, quod cupis ſtatim tenere, cum & Nobis non placeat ſemper Victoria parata. Non auferimus, quod tantiſper differimus. Interim Exæſtuationis modum ulteriori, exactiorique librâ adhuc librandum exiſtimantes, ut fidiorem fidem dictis queamus adponere, de attentione Tuâ in hoc progreſſu non amplius ſumus incerti. Aſt, cedo, quis Palinurus inter difficultatum hos fluctus diriget naviculam Noſtram?

36. Veni, Veneranda Chymia, Veni & Aulæum hoc Scenicum remove; Adeſdum & Siparium hoc complica. Tu enim es illud nobiliſſimum Magiſterium, quod curioſiſſimâ analyſi corpora aperiendo, ſeparandoque univerſa animalium, vegetabilium, Mineraliumque regna perluſtrare doctiſſimè nos doces; & cum vires corporeæ ſuis alligentur principiis, eæque ſine repagulorum reſeratione aut non dignè, aut planè non cognoſcantur, Tu intima quæque de miſerrimâ inſcitiæ hâc nocte exactiſſimè eruenda plusquàm materno indice monſtras.

37. Quis ergò juſtâ indignatione non detonet conſpiciens hominum larvas, & ingeniorum quorundam Lemures, qui aculeatis calumniarum dictis & odii plusquàm Vatiniani aculeis emeritam de Schola Medica Artem ac fideliſſimam Naturæ Cultricem vulnerare, omnemque ſtyli impetum in eam detorquere non erubeſcunt. O livor impius! Egregium certè facinus, quum Ars non habeat oſores, niſi ſordidè ignorantes. Atque hoc tandem tolerandum eſſet, niſi intolerabilius adhuc delirarent, & quod ipſi proprio ineptoque Marte contemtui habent, aliis quoque ad hanc utiliſſimæ Artis ſemitam adſpirantibus inſerere allaborant, h.e. tyronibus faſtidium Artis & non inter morituram nauſeam felleis

ſar-

ſarcaſmis imponunt, ignorantiâ nihilominus adeò intorpentes, ut vel rudi animo concipere non valeant, quid Chymia ſit, aut quid præſtare jucundo hujusdem ductu poſſint Filii. Et quomodo calleant illi, quid in imo viſcerum ac fibrarum deliteſcat, quum non videant quod ante oculos. Turpe eſt docto Viro proferre aut perſtringere quod neſciat. Magni animi paupertas eſt ignorantia, ſed multò majus illud vitium, quo ignorata culpantur atque ſpernuntur.

38. Vivat & floreat alma Chymia, prout revera etiam florentiſſimè nunc vivit, viretque, cujus Filios, cujus Amatores & Cultores, cujus Fautores & Patronos, cujus Patres & Ephoros hic tantùm ſalutatos volumus, ab illis animi inclinationem non absque ſpe impetrandi ambientes. Horum igitur auctoritate & nutu dicemus, imò & probabimus Phyſicam pariter & Medicinam absque Chymia & ejus notitia res cadaveroſas eſſe & doctrinas perſonatas. Pronunciatum hoc veluti novô Sôle illuſtrabunt jam dicenda, ubi ex fundamento, ductrice ingenioſiſſimâ Chymia, hæc omnia ad unguem perputabimus, & quæ ad cognitionis hoc negotium pertinere poterunt, ſine invidiâ adducemus.

39. Adſumat aliquis Crocum Martis, non illum quem Thermæ canalibus ſuis & muris adponunt, (quia ille jam aquis eſt ſaturatus atque extinctus, non ſecus ac calx defuncta, niſi denuò calcinetur iſte crocus, quo facto ardorem iterum ſuſcipere quodammodò ille valebit) ſed nativum, & aquâ nondum elotum, qui in Montium Carolinorum penetralibus ubique eſt obvius: vel accipiat quispiam Crocum Martis arte paratum, eumque ut citius Specimen hoc edere poſſit, igne fortiori calcinet; Parum enim intereſt, quonam calore forinſecus accedente, qui nil quam calefieri huic vel huic rei confert, id calcinandi munus ad excitandum calorem internum, qui in ſuo Sale conſiſtit, inſtituatur. Hic autem calor internus Solus & unicus poſt ſemel celebratam Salis exſiccationem & ejusdem accenſionem, totius actionis atque energiæ hujus eſt principium ac columna. Materiæ jam dictæ ſic præſenti & elaboratæ, frigefactæque Mineræ (ne caliditas Croco actu adhuc inhærens rem ſuſpectam reddat) frigida imò geliſſima Aqua adfundatur, & extempore vel oculi momento absque ullo igne ad ſummam usque ebullitionem tam Mineræ quàm Aquæ inflammatio ſuccedet, præſertim ſi Aqua ſuperveniens, prout in Thermis Carolinis id deprehendere eſt, fuerit quodammodò ſalina & Spirituoſa, i.e. Spiritibus ſalinis non nihil referta: Et hac ratione nullo non tempore & quovis loco Thermas artificiales conficere licet. Sed evidentiorem demonſtrationis hujus notitiam illi poſſidere poterunt, qui ex Marte Spagyrico artificio verum præparare vitriolum norunt; Ibi enim luculenta celeritate videbunt, ſi paulò largiter ipſi adfundatur Spiritus, quanto impetu & quanta cum ardoris vehementia vaſa perfringet ſuccedanea accenſio,

40. Aliud è ditisſimo Naturæ promtuario de promimus exemplum, quod tale: *Municipium quoddam* eſt, quod ſex milliarium ſpatio à nobis disſitum, & nominetenus *Schmideberg* audit, ubi extra portam vix duorum vel trium jugerum menſura, tractus quidam, merâ planitie circumſcriptus, cernitur, qui copioſâ vitrioli nativi terra æſtivis diebus à Sole ad ſummam rubedinem calcinata eſt conſpicuus, ita ut *Philoſophi illi*, qui altiora ſibi ex Vitriolo Philoſophicè calcinato promittunt, immenſo & diuturno hoc labore, hac ipſa ſi compotes facti fuerint, penitus ſuperſedere queant.

41. Iſte igitur locus & terra hæc Vitrioli nativi à natura & Sole fortiter aſſiduequeſic calcinata non multos ante annos in peculiari Solis æſtu, pluviâ exiguâ præcedente & accedente, aut alia aquâ ibi locorum adfluente, ſuâ ſponte ita inflammavit, ut multas atque permultas ſolo iſti innatas arbores ſubitaneo incendio radicitùs conflagraverit, quæ ipſa calvities hodiè adhuc viſui non eſt abſcondita. Hujus rei *oculares Teſtes Nos* credas; & exactos Hiſtoriæ hujus exploratores: Credas, inquam, curioſitati huic non tantum oculos noſtros, verum etiam *hujus locis inquilinos* fideliter fuiſſe velificatos, qui videlicet nominatam hanc deflagrationem tam bona fide retulerunt, quam cum circumſtantiis ſingulis probè notatam communicarunt.

41. Verum pauliſper hic philoſophandum, ut intentionis vela apertius, candidiusque teſtandæ inſerviendi promtitudinis cauſa pandere queamus. Nobis absque hæſitantia verum eſt, quod ſi *genius hujus loci Mineralis*, ſitu plano non polleret, & paluſtri æqualitate haut præditus eſſet, ut hinc negotio faciliori ob aquarum tàm pluvialium, quàm ex proximis rivulis provenientium præſentiam calor ſemel conceptus obrui & exſtingui, vel tam libero Jovi expoſitus adeo celeriter non exhalare poſſet, ſed in montium conditorio arctè includeretur, calorque iſte non tam ſubito hinc ceſſaret, & æque ut in Thermis Carolinis duraret, continua Thermarum ſcaturigo ibidem præſens daretur.

43. Sicuti nihilominus iſtius loci incolæ, ſi chymicæ rationis præſcriptum adhiberent, quotidiè artificiales ſeu arte paratas habere atque iisdem ſumma cum ſalubritate familiariter uti vel frui, nullo inſumto ſumtu, poſſent.

44. Ignoſce ſinceritati noſtræ, quod tam confidenter ejusmodi naturæ arcana in ſinum tuum effundamus. Bigam hic exemplorum clariſſimam habes, pro quorum communicatione arti jugiter & naturæ gratias refer. Cœcus ſit oportet, aut cum deſperatione cœcuties, qui exinde totum de Thermis nervum cognoſcere non valet. Ni fallimur, manu palpare hinc licet genuinas cauſas, quomodo videlicet calor hic ſuccendatur, quomodo continuetur, vel undenam quilibet ſub terra latitans ignis origine tenus proficiſcatur.

45. Longiſſime autem *à nobis* abſit, ut *Julium Alexandrinum* hic moremur, qui

qui *lib.VII. ſalubr.c.4.* (in quo varias de Thermarum cauſis opiniones partim recenſet, partim & illas refellit) *ſententia noſtra* obſtare videtur, ſed videtur? Sol ipſe, *inquit*, tam vehementiſſimi caloris auctor eſſe non poteſt, quo ſæpè fervent tantopere proſilientes aquæ, ut depilari porcos extemplo, volucres deplumari, indurari ova iisdem palam videamus: qua via inſtat, tanta caloris vis ad profundam terræ matricem perveniet, utpote qui vel æſtuoſiſſimo tempore reſolvitur quaſi in ipſa telluris ſuperficie, & *Lucretio* canente, vix poteſt

— — Per ſepta domorum
Inſinuare ſuum radiis ardentibus æſtum.

Pergit ille ulterius, & hoc refutandi argumentum eſſe efficaciſſimum infert, quod refrigerii cauſa non tantum potulenta commendemus hypogæis, verum etiam ipſimet, urente æſtu, ſpeluncas ſubterraneas adire properemus; Unde *Troglodytæ* etiam domicilia ſua, quantum poſſibile, profundius excavata conſtruunt.

46. Aſt infantilia & infirmiſſima hæc tela ſunt, quæ militiam ſuam non adeo difficulter oppoſito rationis muro perdent; modò maneamus in terminis, nec latum digitum recedamus à materia, quæ dictum calorem debito modo recipere, & poſtmodum in ſe exardeſcere, apta eſt nata. Ipſe *Alexandrinus* poſt longam denique fluctuationem, & poſt ignorantiæ humanæ confeſſionem ad convenientem aliquam materiem tanquam ad ſacram anchoram refugere fuit coactus, cujus tamen deſcriptionem vel modum ſubminiſtrare non potuit, agnoſcendo duntaxat nudum & nativum calorem terris quibusdam infixum, dum *ait*: Conſtat nobis loca ſubterranea alia frigida eſſe, & calida alia: & quædam quidem eorum eo usque calida, ut ſi materia inibi ad calorem ſuſcipiendum idonea reperiatur, ea validiſſimè incaleſcat. Referre *quosdam* refert, qui refoſſos ad profundum terræ cuniculos ingreſſi ſunt, & ſic Metallorum venas diſcurrentes ad tactum calidiſſimas, igne tamen omni abſente, invenerunt. Miratur ergò & ſtupet *prædictus Auctor*, unde hic rerum calor, ad quas nullatenus vim ſolis pervenire liceat. Et hactenus *Alexandrinus*, qui in cognitione veritatis undique hæſitat, & determinationem rei indeterminatam in medio relinquit, præſertim quod viderit in multis aliis Metallicis locis tale quid neutiquam in obſervantiam venire.

47. Dubiorum hisce laqueis circa calorem ſolis irretitus ſaltim penitiori conſideratione dignetur aerem, qui libero tractu ubique pervagatur, & agitationi commotionique ventorum omni ex parte eſt obnoxius, cumprimis tamen in regione media, quæ communi aſſenſu omnium eſt frigidiſſima, & adeò pervia, ut radii ſolares minus in eadem figi queant: Attamen ſi viſcoſæ & pingues exhalationes ad concipiendum promtè ignem diſpoſitæ in hac media aeris regione colligantur, fulgura & ſæviſſimus colliſarũ quaſi nubium fragor & calore ſolis & contra-

contrarietate ſpirituoſarum exhalationum, ut & vaporibus aqueis excitantur, adeò ut hoc in loco, quod de pugnâ contrariorum ſpirituum, & aquarum ſupra fuit commemoratum, tonitruum mentio non omnem penitus applicationis rationem quidem excludat; Aſt cum ejusmodi fulminis horror ob nimiam materiæ ſubtilitatem mox deſinat, moxque tranſitorius & exſpirabilis ſit, his ipſis, ut rebus ad Thermas inſufficientibus haud inconſideratè nuntium mittimus; Interim hoc demonſtrationi datæ non inviti largientes, quod in terra, ubi ſol radiorum ſuorum radices altius, quam in aere figere valet, perſeverantiorem longè calorem omninò ſuſcitare non nequeat.

48. Verum nec fidem adhibere nobis forſitan geſtis, dum rutilantia fulgura, dum præmicantia fulmina & tonitrua mugientia prædicto modo oriri arbitramur: Facilè enim conjicimus, tibi ſufficere antiperiſtaſin caloris & frigoris à qua ignem hunc potius, quàm à radiis ſolaribus confieri opinaris. Verum dicito nobis, unde calor ille primus in hac antiperiſtaſi, quæ tam in terrà etiam, quàm circa illam apertè reperitur.

49. Nos itaque à radiis ſolaribus ne vel tantillum quidem declinamus, ſed mentem noſtram ulterius confirmatam damus, tibi Aurum fulminans opponendo, quod ex talibus reſolutis, & accenſivis conflatum eſt ſpiritibus ſulphureis: Hoc autem quam promtè & quam facillime, etiamſi libero expoſitum aeri, à radiis ſolaribus accendatur, ita ut inſtar fulminis ſubjecta violentiſſimo fragore diſcutiat, *univerſa Chymicorum corona, & infallibilis experientia* abunde conteſtantur. Porrò ad removendam incredulitatem tuam adhibe lucenti candelæ extinctam, ſed adhuc leviſſimè fumantem, & obſervabis, quam avidisſimè è longinquo etiam hæc flammam exinde ſuſcipiet iterum; prout ſuapte natura & ſua ſponte omne ſimile adpetit attrahitque ſuum non disſimile: Firmiſſimumque juxtim eſt illud, quod *proverbialiter* fertur: *Fumo ſeu Spiritui accendibili flammam ſemper eſſe proxumam.* Hæc itaque ut ex naturæ præſcriptis promanant, ita repugnare illis foret Gigantum more cum Diis bellare.

50. Naturæ accedit laudatisſima & non infelix ejus imitatrix, Artem intellige, eamque ſpagyricam, quæ niſi in declarando hoc puncto tibi faciet ſatis, imò niſi plurima hactenus in ſinu poſita arcana, & quæ extra cauſam valuerunt huc usque ob oculos hic tibi locaverit, ſummè ſiniſtri judicii eſſe volumus condemnati. *Helmontius* hinc bene ingerit, per ignem & vitra artis ingenio eas abſolvi operationes, quæ beneficio naturæ; Pariter enim ut hanc opera ſua metiri deſtillando, irrigando, ſiccando, calcinando, reſolvendoque, & id quidem mediis non diverſis.

51. Ignis autem cumprimis illud eſt, cujus beneficio naturam ſtrenuè imitari licet. Ignis eſt ſine quo homo ſciendi avidus ad ſcibilum penetrale induci penitius

nitius non poteſt. Ignis eſt, ſine cujus adminiculo mille conjecturis deludimur, & cujus auxilio è rebus intricatiſſimis ad animi ſententiam nos explicare valemus. Utut Philoſophus acumine judicii polleat, utut animus natura generoſus ſit, nunquam tamen ad veram naturalium rerum radicem, & radicale hujus ſcientiæ fundamentum absque Vulcani efficacia profectò admittetur. Hoc tibi de naturalium rerum ſcientia dictum reputa, ad cujus adyta ſuos cultores manu fideliſſima ducit Chymia. Sed rurſum ad lineas.

52. Non ignoras tu, quomodo comparatum ſit alioquin cum claſſe abſurdorum & inconvenientium, quorum ſtato & dato uno, vah! quam multa & infinita hinc conſequuntur alia. Inverte ſis hanc conſequentiam; Sane plusquam in aprico tibi erit & hic veritatis ignem effulgeſcere. Et cur eorum, quæ vera, quæ convenientia, quæ rationi exactiſſimæ conſona, quæ à tot experimentis clara tam ſterilis habenda eſſet ratio, ut dato ex illis uno, genuino, omnibus modis comprobato, & ad oculos monſtrato, quamvis recens, excogitato principio, non alia quoq; & quam plurima ipſam veritatem in ſinu gerentia proficiſci nequeant. Hoc fulcimento nixi labeſcere non poſſumus. En habe tibi mente & manu à nobis liberali manifeſtiſſima ejusmodi veſtigia, quæ tibi hautquaquam invidemus, ut ſcilicet ex uno alteroque intentionem noſtram eò plenius planiusque percipere non impotens ſis, neve novitas rei fortasſis te offendat: Siquidem nos non fugiat, *Tullio teſte*, ipſo novitatis nomine commoveri naturam, novamque formam oculos ſemper terrere; Attamen ſpes bonitatis hic ſuberit, quæ nova ſentiendi animum haud dubio commendabit.

53. *Regulam* infallibilem & *axioma* probe obſervandum lubet præmittere tale: Ubicunque locorum & ubicunque terrarum in Sylvis ſaltibusque ſponte & natura ſuapte ignes ſubterranei exoriuntur, ibi absque hæſitatione & ſine controverſia ulla certò certiſſimè Mineræ Metallicæ cum Salinis jugiter Aquis deliteſcunt, quæ accenſionis hujus prævia ſolis exæſtuatione cauſæ exſtiterunt ſecundariæ: prout tempore æſtivo, quod æſtuoſa ſiccitate flagrat, flammæ hujus ſubterraneæ emerſio haud infrequens eſt, *atteſtantibus* id vel noſtra ætate *in hoc Electorali Saxoniæ* circuitu quibusdam oppidis *Annebergâ & Schmidebergâ, locisque aliis.*

54. Pedem movemus ultra, & ad memoriam hic revocamus modum vulgatem illum, & apprime familiarem, quo abſconditas & ab omni ſenſu occultè remotas venas ſcrutari Metallicas ſolemus. De Virgula nempe Divinatoria illa hic loquimur, materno idiomate die Wünſchel-Ruthen dicta, in qua ſicuti Metallarii homines ſesquipedali jactantia ſæpenumero gloriantur, utpote cujus ſubſidio augurari quaſi divinitus de qualibet Metalli venâ ac fodina ſe poſſe exiſtimant, ita ſanè etiam creberrima vice decipiuntur, niſi exactam addita-

mentorum ſpecilialium virgæ huic competentium habeant cognitionem; quoniam alias hæc Virgula vel ad nudam quoque Aquam modò parum ſalis (præſertim metallici, verbi gratia vitrioli &c.) in ſe comprehendat perperam ſe movere atque vibrare ſolet. Aſt cautelam hac in re curioſis communicare non piget, ut certiores circa hoc negotium verſantes fieri & eſſe oppidò queant.

55. Nimirum ex æſtuatione ſolis facta, quam paulò poſt pluvia excepit, ſaltus & montes, ut accuratius obſerventur, jubemus: Illi itaque ſi imbrem deciſum ex templo inſtar nebulæ denſiſſimæ, aſt particulariter in aerem iterum elevent, tu in aerem & ventum, quod hic conſpicis, abire non ſinas: Latitat enim egregium hic arcanum, de quo antequam plura afferamus, ſcias *Naucleros Metallariosq;* vulgari lingua hanc ipſam exhalationem die Buſchgrete appellare, quæ tam denſa ſæpiuscule cernitur aſſurgere, ac ſi fortiſſimus ignis in ſaltu præſto eſſet, quem adfuſa Aqua extinguere quispiam aggrederetur.

56. Et exinde tanquam non incerta conjectura continuam pluviæ pertinaciam, & inſtantes ventos præſagire peritâ callent Experientia.

57. Secretum autem quod ſub evaporatione dicta conditur, illud eſt, quòd hujus rei cauſa nil aliud ſit, quàm Minera-Metallica, quæ ſub tellure iſta à Solis ardore potenter exſiccata ſeu calcinata eſt, poſtmodum verò ſtillante cœlo accenſa ac laxata, humorem rurſus & vaporem inſtar ferri aut lateris candefacti tam repentè in auram transmittit, quemadmodum hoc tota die in Montibus Carolinis & aliis vicinitate his junctis ob conſpectum venit. Et hic in aurem veluti inſuſurramus Tibi, hujus rei veram Cauſam hactenus & noſſe neminem, & notaſſe nullum. Verum operæ pretium eſt, ut inhæreamus tantisper ſpeculationi nobiliſſimæ & fidem Tuam dilucidis probationibus præſentis chartæ porrò comparemus.

58. In mentem nobis venit eſſe *Metallariis* nonnunquam in more, ut in rore ſuarum certitudinem ſcrutationum figant: Ita diluculo & matutino tempore, adſcendente jam ſole, tractum illum, in quo Metalla ſunt ſepulta, vel in venis latentia ea præſumunt, rore delapſo exactè viſitant, ſeduloque animadvertunt, num terra ubique roris madore albicet: Nam aridum ubi inveniunt ſpatium, ibi Metalli aliquid reconditum eſſe ſubita concluſione argumentantur.

59. Laudamus & probamus utique hanc induſtriam, attamen cum Ros ille citò evaneſcat & hinc vicina loca inſtitutæ ſciſcitationi tam exactè ſubmittere non poſſint, quoniam & illa propter vicinitatem conſenſumque de innata ſiccitate ac reſolvendi potentiâ, etiamſi metallico fœtu imprægnata non ſint, participent, fit ut obſervantia hæc, quam nuda peperit experientia, interdum *Metallarios* hosce fallat. Ideòq; obſtaculum illud & fallendi occaſio pulcrè ab hoc negotio arceri poterit, ſi cauſæ jungatur ſcrutinium, & rationis accedat ratiocinium.

cinium. Quapropter ex revelata jam à nobis opinione firmius *Metallorum Magiſtris* pollicemur judicium, quod etiam cum allatis exemplis, optimè quadrantem locum habere poteſt in denominandâ genuina Thermarum cauſa atque origine.

60. Reſiduæ adhuc meditationes aliæ ex propoſito hoc noſtro & novello principio, eæque jucundiſſimæ atque utiliſſimæ adeſſent, quæ huc adduci mererent, niſi noſter Nos ſcopus aliud moneret. Interim tamen quidquid ſit, nefas putamus, niſi vel nonnullas duntaxat, quæ vel ſponte ſe offerunt luculentam uſus ſui ſplendorem ſparſuræ, vel perfunctoriâ mentione in hanc Naturæ palæſtram producamus. *Metallicas* hic nominare præſtat matrices, & provocare ad *hujusmodi tractuum incolas*, quibus vel in *regione hac Electorali Saxonica* ampliſſimè notum, & notoriè ſatis vulgatum eſt, crepuſculi atque primæ noctis tempore coruſcationes, nec non rutilantia atque vibrantia lumina, flammasque è Terra non ſecus ac fulgoris cujusdam ſpicula ex æthere, promicare: Neque hominibus iſtis penitus eſt neſcium, hoc ipſum à venis Metallicis aut tellure Mineralium perquam divite provenire: Verumtamen quænam memoratarum Coruſcationum genuina exſtet Cauſa nullus eſt qui non ſileat, & qui non ſit ex ignorantiæ ſocietate.

61. Hanc itaque, uti Nobis Candidus apertusque erga *Lectorem* eſt animus, neminem nunc celabimus, proinde expreſſis pronunciantes, rem in rei veritate ita ſe habere: Veſperi aut noctu naſcente rore loca illa Metallica Solis æſtu prius & adhuc fortiter calcinata ob advenientem exinde humectationem magis excandeſcunt, & ſic calore hoc viſcoſas, pingues, nitroſas, ſulphureasque hinc inde oberrantes & præſentes exhalationes, flammam perfacilè ſuſcipientes accendunt, ita ut ſpeciem ignis rapidi, abruptisque nubibus cadentis oppidò repræſentent.

62. Sicuti autem principium hoc ſupra commendatum tanquam *normam quandam & Cynoſuram Polycleti* Cuivis, ſed æquo arbitrio, expoſuimus ita argumentis vel ad tactum claris *Tibi*, imò univerſo Orbi commonſtrabimus, quam ſpeculatio ſpeculationi, eique multijugæ quaſi manum porrigat, præbeatque anſam ad cauſarum veritatem intimius perveniendi ſufficientiſſimam. Mirari ſæpè & videmus & audimus homines, quin imò & indignari, quod in locis Mineralibus plantæ, frutices, arboresque, quaſi ſyderatæ exareſcendo tam pronè enecentur, aut quod demiſsè humiliterque creſcendo pumiliones evadant, & nodoſam tortuoſamque ſtaturam familiariter adſciſcant: Sed admiratione vix opus, cum cauſa ſit in manifeſto, h. e. petenda à prædicta excandeſcentiâ & coruſcatione canalium Metallicorum, cujus violentia vegetabilibus hisce debitum depaſcitur pabulum, & omnis fermè humiditas, facto veluti furto, detrahitur.

63. Cauſam ſic accepiſti, accipe hinc quoque ſignum, adeò ut ubicunque humilis & tortuoſa arborum forma frequentius Tibi obvenerit, de Mineralium & Metallicarum venarum, deque exhalationum exinde ſiccitate certus eſſe, & alios non minus certiores reddere poſſis.

64. Ultrà in hoc arcanorum antro, opportunitate fruentes, progredimur, & obſcuriſſimam hactenus Æoli faciem Tibi revelamus, cujus impetu quidé vix aliquid eſt evidentius, ut genio ejus genuino nihil adhuc uſque fermè obſcurius. Ignoſce *Lector*, ſi *Medici* jam recurramus ad cunabula Noſtra, quæ Nobis præbuit benigna *rerum naturalium ſcientia.* Rectè enim Medicus ibi incipit, Phyſicus ubi deſinit.

65. Ergò nec Medico prohibitum unquam eſſe poterit, ſi datâ occaſione interdum utatur & Sacra Phyſica, auxiliante Chymiâ, exactius pandat.

66. Sanè monſtroſus fuit hactenus boni Æoli vultus, quem numero innumeri *doctrinæ Naturalis Scriptores* delineare, & veris pigmentis exprimere quidem, omnem moverunt lapidem, ſed moverunt, & quod cum veniâ ac pace *Tantorum Virorum* dixerimus, nil promoverunt. Prodeat hic itidem principium Noſtrum præſuppoſitum, & doceat nos una cum perpetuâ fervidarum aquarum ſcaturigine vel incidenter veram quoque Ventorum cauſam. Proteſtamur tamen, & quidem ſolemni formula, Nos hoc ipſo *optimos Actores* inſcitiæ atque ſocordiæ neutiquam accuſare, ſed quod metam ex animi voto non attigerint, potius omni excuſatione non dedignati, quoniam ut omne principium reverà grave eſt, ita & cujusvis ſcrutationis primordium conſimilis difficultatis expers non exiſtit: Gratias proinde, quas ſanè debemus, induſtriæ *Anteceſſorum* ſincerâ gratitudine habemus, & hujus vigore, quod *majores* effecerunt, poſteri perficere non injuriâ conamur, quum inventis addere & ea magis perſpicua, magisque plana reddere non adeò fortè difficulter licet, prout *Futuris* multum de veritate nondum occupata eſt relictum, ſemperque relinquetur.

67. *Tractatus prolixiſſimos*, quos de Ventorum indole & Natura exaratos *Biliopolia* vendunt, aut *Bibliothecæ* tanquam in utero gerunt, enarrare & enumerare Mentis lubentia non eſt, cum pariter nec locus: Neque expectet hic aliquis rerum ordinem & titulos, in quibus abſtruſam Ventorum cauſam doctrinamq; quærere operosè laborarunt *Phyſici*, ſed acquieſcas, rogamus, in paucis quæ perfunctoriè ſaltim hic recenſebimus. Vide quæſo, quem & qualem progreſſum in hujus rei perveſtigatione fecerint nonnulli, qui ipſis Angelis Ventorum Animas aut adſcribere voluerunt, aut ab iisdem penitus non differre ſtatuerunt.

68. Quàm benè & quam ſanè hoc ipſum aſſeratur ab *his Scriptoribus*, cuilibet vel palpare licet, nobiscum credenti perpendentique Flamina hæc conſiſtere non niſi in puris putisque exhalationibus, quemadmodum, modò rem accuratè

Lector

Lector conſiderare non faſtidiat, omninò expeditè conſtabit, Ventos compeſcere & diſſipare pluvias easque ſupervenientes Ventorum minas deponere, atque planiſſimè conſumere: Qua in re aſſentientem *Philoſophum politiſſimè doctum Franciſcum de Verulamio in Hiſt. Natur. de Ventis p. 12.* habemus, quem conſule, ſi placet.

69. Hocquidem Tecum non negamus, quod Ventorum origines locales vel locotenus noſſe res ſummè ſit ardua, & arduæ jugiter inquiſitionis, quum τὸ πȣ̃, unde ſcilicet & quonam hi vel illi Ventorum flatus proveniant, inter res abditas ab *ipſo Codice Sancto* locatum atque notatum ſit.

70. Quicquid attamen ſit, modò nobis liberè philoſophari per Te liceat, ventorum originem non infeliciter in ſemel ſtaruminato hoc principio quæremus, & *miſſis omiſſisq́; omnium aliorum opinionibus* eam ex Naturæ & Artis pectore depromemus, & promtè ſtabiliemus.

71. Ad *Tuam igitur Rerum Naturalium Scientiam*, quam magni habemus, hic ſtatim recurrimus, & aſſerimus, Ventos plerosque particulares eſſe, ſicuti quoque & ipſas tempeſtates: Unde etiam ſæpiusculè ſolet accidere, ut in hoc vel illo loco, in illo vel iſto pago aut civitate ſæva Tempeſtas ſæviat, nimboſo turbinis horrore, fulminibus & fremebundis procellis gravida, cum tamen in alio proxumè vicino loco Jupiter placidus ſit, atque tranquilla omnia.

72. Admirari autem noli, ſed rimari potius nobiscum junctis viribus inſta, cur ventus aut turbo ſeu preſter, cur tempeſtas & pluviæ aſſiduo ſodalitio inter ſe invicem combinentur: Obſerva tantummodò & ſedulò intuere unam vel alteram ſuborientem Tempeſtatem, qui intimiorem hujus rei ſcientiam ambis, & advertes videbisque in collectione nubium, Sole & cœlo adhuc ſudo, in maximo etiam ſæpiſſimè æſtu, ne minimum quidem flabrum ventorum vel ipſarum quoque Eteſiarum, etiamſi fulgura & fulmina ingeminent, adeſſe, neque tempeſtatem ipſam originali ſuo loco moveri aut dimoveri, donec plueſcere incipiat, & tellus à ſolis æſtu fortiter exſiccata, defluente aquâ prius madeſcat reſolvaturque, ut ex tempore quaſi in hac ipſa per pluviam reſolutione & humectatione exhalationum ſpiracula ſuſcitentur, quæ nonniſi ſurſum tendere ſpirando poſſunt, atque ſic ventorum auras eò totoque in tractu gignunt, quem turbo tempeſtatis tangit: Qua ſane fieri ratione aliter non poteſt, quàm ut ſuperiores exhalationes aut ſublati jam vapores, adultæque nubes exhalationibus & vaporibus novellis de terra hanc ob cauſam emiſſis pariterque adſcendentibus cum pugna quadam reſiſtant; His enim cum impoſſibile ſit, ut nubes natu majores graviterque jam onuſtas altius adhuc mediam ſupra aeris regionem propellere ſeu attollere queant, magno cum impetu venti vel exhalationes excitatæ una cum ipſo nubium agmine ac tempeſtate ipſa prorumpunt, libertiusq; ſpatium ad latus

quoddam, conjuncto quaſi furore citiſſima cum fuga quærunt: Hinc *Seneca* modo intelligatur rectè, *epiſt 53.* à nobis quoque admitti poteſt, qui *ſordidæ*, inquit, *nubes quibus cœlum grave eſt, ferè aut in aquam aut in ventos rèſolvuntur.* Et ſenſu à natura minimè alieno minusque incongruo *Rhetor. de nat.* tale protulit dictum: *Quod aër effluens huc & illuc ventos efficiat, & quod ſecundum ſtoicorum placita frigidi terræ anhelitus, cum fluere cœperint, ſint & fiant venti.*

73. Manifeſto autem certiſſimum eſt, ſi hoc in loco quodam, qui Foſſilium Mineraliumque à Sole calcinatorum dives eſt, contingat motu longe vehementiori id ipſum fieri ſolere, non ſecus ac ſi aqua ſuper laterem ſeu metallum candefactum fundatur, ubi inſigni cum impetu vaporem & exhalationem inſtar violentiſſimi venti avolare concernimus, & hæc omnia adprobè per ipſiſſimam naturæ legem atque expreſſum ejus ſtatutum.

74. Æqua facilitate atque promtitudine artis miniſterio dictorum probationem valemus locupletare, videlicet beneficio exempli ſupra jam à nobis allati, quo ſuper Mineram calcinatam & rurſus frigefactam fundere aquam frigidam docuimus: In hac etenim cuilibet vel ad oculum obſervare itidem licebit, quod per humectationem eam non tantum terra & aqua ſeſe accenderint, ſed inſimul ad inſtar venti, cumprimis in ipſa ebullitione copioſas exhalationes confertim ſint emiſſuræ, adeò ut ſi in phiola, etiamſi ſatis capaci, adfuſio hæc inſtituatur & vitri orificium verbi gratia digito arcte occludatur, ne ventus ſcilicet, in vitro ſuſcitatus, libero polleat exitu, vitrum magno cum fragore atque impetu certiſſimè ſit rupturam in minutiſſima fruſta paſſurum. Hoc ipſum qui ex curioſorum ſunt corona per vaſculum aliquod artificioſum, e. g. per caput opere figulino ornatè fictum, cujus vertex eſſe convenienter apertus, & os minutè foratum debet, melius jucundiusque poterunt experiri atque ſpectitare, in quod, dum materiam calcinatione præparatam, locitando eique aquam adfundendo orificium majus ſeu aperturam verticis preſſè claudunt, ex oris foramine ventum exeuntem ad modum bellè deprehendent.

75. Neque te ſollicitum faciat materia, quæ ſi ſemel ob continuatam humectationem illam caloris anima eſt orbata, facilimè aut ſolis æſtu aut igne alio refocillari & rediviva fieri poteſt, ut ſpectaculo huic denuo egregiè ſufficiat, & ſic porrò.

76. Apparet hoc identidem quoque in noſtro Thermarum termino, dum magno ventorum cum fremitu Aquas ſuas altè ſatis eructant & exhalationes nebulasque altius adhuc in aeris ſublimitatem mittunt. Hæc itaque de ventis ſententia eſt noſtra, quam ſententiæ tuæ animo utique intrepido committimus, nihil ſiniſtri niſi melioris adhuc inſtructionis puncta à te exſpectantes.

77. Ve-

77. Verùm enimverò, cum prædicta exempla tibi fortaſſis adhuc exaſſe non placebunt, & *unum alterumq́ dubium* tibi exinde ſubnaſcetur, dum exhalationibus hiſce vim tantam qualem venti ſæpiſſimè nobis exhibent, aut furioſè inferunt, vix ac ne vix quidem tribuere cupis, pro loco hic quoque reſpondendum. Ita quidem eſſe & fatemur, & non diffideri cogimur, quod nonnunquam inventis aliquid contra naturam, & quaſi divina quædam potentia utique ſubſit, ſicut *ex ſancta pagina* hoc abunde conſtat, ventorum flabra ſæpè flagella eſſe, & à Juſtiſſimo Creaturarum Præſide in vindictam creata: Animi, inquam, tam præfracti non ſumus, ut inficias ire impio auſu conemur:

78. Attamen quanta & quàm in credibilis poteſtas nuncupatis exhalationibus per ſe & naturâ ſuâ inſit, unicuique, qui vel limen Laboratorii Chymici ſalutavit, in aprico non eſſe non poteſt. Conſideret duntaxat *Spagyricorum laborum non imperitus* communes Mineralium deſtillationes, verbi gratia *vitrioli, nitri & foſſilium conſimilum*, atque cogitando hic reputet, quanta cum vigilantia & quàm vigilanti cum prudentia primæ ſolummodo exhalationes ſeu phlegma, quod leviſſimo exire poteſt calore, vel in deſtillationis principio ſit pertractandum, niſi ampliſſima etiam vaſa cum ſummo fragore & periculo quis velit diſrupta, cum tamen vix una vel altera libra materiæ in ſatis capaci & ultra dimidiam partem vacua retorta ſit impoſita. Hoc ſic evidenter ſtante, quid exhalationes illæ valere queant & quam vehemens ex iisdem exſurgere impetus poſſit, ſi ex tali materia in uno atque altero majori monte, in tractuque prolixiori prodeant, præſumtu, vel trimulo erit facilimum.

79. Minerales ejusmodi exhaltiones hanc ſuam violentiam non rarò cum luctuoſiſſima hominum ſtrage oſtendunt, quando trementibus humi viſceribus illæ deſubitò impetuoſeque prorumpunt, & emota fundamenta fremebundus quatit Æolus, altiſſimosque montes radicitus evertit novos veluti ex altera parte exſtruendo. Cumprimis autem horrenda in hoc caſu ruina, horrendusque fragor ſuboritur, ſi cavernis & grandi antrorum magnitudine montes naturaliter ſint fornicati; tunc enim fit, ut Spiritus minerales ignei, aereique inibi copioſè collecti, atque ſubtilitate ſua exitum per evaporationem quærentes, dum libere exhalandi copia propter ſolidiſſimam illam ac ſaxoſam ſpeluncarum firmitudinem iſtis denegatur, ipſam tellurem vel rupes, ceu pyrius pulvis, aut importuna hoſtis ſedulitas per cuniculos mœnia, confringant, & hæc fragmenta montium longe lateque ſparſa projiciant: atque ſic ex ampliſſimis collibus vallium planitiem aut lacum, ſicut exadverſo è tellure plana interdum, confuſos incomtosque montes efficiant.

80. Ta-

80. Tacemus hic *civitatum & inſignium ædificiorum nomina*, quæ hac interitus ærumna miſerrime adfecta diſperierunt, evanueruntque ac ſi nunquam extitiſſent illa; quemadmodum *florentiſſima Neapolitani circuitus*, pars cum pagis oppidisque ſupra fidem amœniſſimis fumum ignemque evomente & fremente *Veſuvio monte illo Campaniæ famoſiſſimo*, itidem quoque *Pluris urbs Mercatoribus notiſſima* hac morte funditus interierunt.

81. Ita ſane telluri mortalitatis præcepta ſic quoque dictitantur, & quæ multis ſunt elaborata ſæculis, ſæpè momentum conficit. Cœpta profectò ſic deſinunt citò deficiunt ſita, ſtructaque cadunt;

Et vel ſumma ruunt palatiorum
Vaſto turbine quaſſa cum frigore.

Tanta ergo vis & tantum roboris fulmen ineſt Spiritibus illis Mineralibus, qui cumprimis terræ motum concitant, & funeſtam deſolationem inferunt, ſi cum violentia & furore cogantur penetrare.

82. Sin verò ſenſim prodeant, & mitiori pede, tunc mites etiam jucundique halitus & vapores exinde fiunt, ſicuti *Experientiſſ. Faber in Panchym. vol. 2. lib. 5. c. 3.* id latius deducit.

83. Aliud inſuper ſub calamo rurſum pronaſcitur *dubium*, illudque non leve circa difficilem hanc ventorum eruditionem, quod negligendum hic minime ducimus. *Inquiet* nempe *aliquis*, ſi ventorum nativitas gremio terræ juxta intentionis noſtræ probatum adjudicanda ſit, impoſſibile aut vix poſſibile eſſe, ut gelido ſeu hyberno tempore ortus ventorum ſperandus, & quidem hac rationis cauſa, quod tum non tantum omnis æſtus ſolaris ſit abſens, verùm etiam tellus nivoſo tegmine plerumque ſit amicta. Sed repagulum hoc proſcribere prona facilitate licebit ſtatuentibus, ventorum cunabula non protinus eſſe quærenda eo in loco, ubi flamina hæc præſentiſcuntur, verum ultra potius recurrendum: & tibi ita ſciendum injungimus, ventorum materiam ab inferiori Horizonte, ubi tunc temporis æſtus maxime æſtuat, omnino prodire, & ad noſtra hæc climata rigente hyeme differri copioſiſſime; Qua occaſione etiam *Verulamii* mentem habere explanatam poteris, utpote qui *ſole declinante ventos frequentius ſpirare ab occaſu quam ortu ſolis adſerit.*

84. Deinde pro *ſententiæ noſtræ* fulcimento nos dubitamus nulli etiam in hyeme & noſtro *hoc Horizonte* ejusmodi adeſſe exhalationes, prout hoc ipſum demonſtratione ſufficientiſſima Mineralium oſtenduntloca, adeò ut ea in hac anni ſenecta omnem nivem abſorbeant atque conſumant, ſicuti in æſtate rorem pluviamque.

85. Neque illi ſic ſentienti hæſitationem objicere nobis poſſunt, qui *dicunt* ab æthere potius quam è terra hanc flandi materiam proficiſci, quod ſcilicet in

princi-

principio venti jam alicujus venturi murmur ſylvarum increbreſcat, & comæ ſeu frondes arborum ſe commoveant: Ex hoc enim nos potius concludere quimus, non deſuper ſed è tellure ſenſim ſenſique ſic adſurgere ventum, donec libero aeris campo expoſitus vires ſuas planiſſime exſerat, & halitu halitum trudente vehemens capiat incrementum.

85. Obiter hic recipe cauſam, cur præ animantibus cunctis porci ventorum exortum præſentiant, nempè quod in Terra, unde proveniunt exhalationes, alimentum ſuum calloſo roſtro ſuo eruere ſoleant.

86. Quemadmodum igitur Nobis libertas ſemel & ex proæreſi eſt dilectiſſima, ſic quoque in ea pergere nobis vel præmii loco erit. Aſt vendere hic ventos, h. e. incaſſum laborare alicui forſan videbimur, qui ex ipſa Oceani abyſſo interdum ſumme furibundos provenire Ventos, & ſtatuunt, aut ſtatuentibus credunt. Sanè intuitu primo inſtantiam hancce fundamentum noſtrum ad extremum interitum peſſumdare poſſe à non nemine arguetur, præcipuè quod à *navium paſtoribus*, ut cum *Æſchylo* loquamur, ſæpenumero proceritatem fluctuum in Ponto exſurgere fuerit obſervatum, antequam vel leviſſimus venti ſibilus perſentiſcatur. Sicuti hoc ipſum quoque in peregrinatione noſtra non rarò nec absque admiratione animadvertimus.

87. Attamen & hic immorâ veritate baſis ſemel ſtabilita ſtabit, omnem ſcilicet ventum ex Terra pronaſci: Id quod ulterius probare non abhorremus. Recordamur hic nos aliquando legiſſe *in deſcriptione Novarum Terrarum & Earum inventione*, Admiralem, ut vocant, ſeu Architalaſſum quemdam, cum ipſi in diu exantlato navigationis labore anceps dubitandi cura, quonam *climate* conſtitutus eſſet, occurreret, & alimentorum defectus in medio pelagi, feralem famem & funeſtiſſima quæque navigantibus minaretur, ex nutu venti obvenientis tandem concluſiſſe Terram in propinquo ſubeſſe, & eam ſe quàm mox inventurum: Quapropter hilari voce juſſit, ut remis velisque navigia contra ventum dirigerentur, factâ ſcilicet hac ſubſumtione argumentandi, quod unde ventus prodiret res ſolida, h. e. pars quædam Terræ neceſſariò eſſe deberet. Phyſicum ſanè & egregium concluſum, quod hunc *Admiralem* eſſe dictitat tàm *penitiſſimum Maris aurigam*, quàm accuratiſſimum *Naturæ ſtudioſum*.

88. Ergò in propatulo nunc eſt, unde hic fluctuum tumor ante ventorum ſenſum & perceptionem: Videlicet non ignotum eſt *bonis Phyſicis*, Aquam ſuum ſemper obſervare globum, & ſi fiat, ut altera ex parte vento feriatur exoriente, turbeturque Mare, ſtatim reliquum ejus corpus in fluctuantem conſenſum trahitur atque per inſequentiam fluctuum æquor inæquale redditur, antequam ventorum turbines inſtante hâc tempeſtate percipiantur, qui tamen mox

atque mox impetum ſuum raticolis plusquam tempeſtivè ſed & intempeſtivè exhibent.

89. Tanta eſt hujus fundamenti Noſtri opulentia, & tanta ejus fœcunditas, ut una vel altera ejus ſpeculatio multarum ſit propemodum genitrix. Sic ut multa jam diximus, quæ fortaſſis lectu non indigna, ita & permulta adhuc dicemus, aut dicere atque edicere potius poſſemus. Ventorum doctrina, & tempeſtatum hæc documenta ex ſæpè laudato principio nata *in hoc Electoratu Saxonico* obſervandum quoque præcipiunt *locum illum Numburgenſem prope civitatem ipſam & portenſe Gymnaſium* ſitum, quem inquilini *materna fauce* die Wetterſcheiden nuncupare conſueverunt, & quidem hoc eam ob cauſam, quod non tantùm plures plurimæque tempeſtates, ibi locorum oboriri ſoleant, verum graviſſima etiam tonitrua & fulgurantia fulmina notabiliſſimam ſæpiusculè moram ibidem patiantur, antequam loco moveantur, & dimota diſcutiantur.

90. Rationem Tu appoſcis, quam ut indagere, ſic indagatam Tibi dare & nos intendimus. Profectò multos hujus inquiſitio occupavit, qui tamen è difficultatis veterno ſemet ſuſcitare ipſos planè non valuerunt. Quid igitur noſtri hic valeant humeri, tentabimus: Tu attende. Noſtrâ quidem mente nulla alia cauſa eſſe poteſt, quàm quod *ſub montibus tractibusq; iſtis* Mineræ lateant copioſiſſimæ, expirantes nimirum ſulphureos nitroſosque ejusmodi halitus, qui tempeſtatibus poſtmodum convenientiſſimam ſuppeditant materiam, qui iis abundantem præbent acceſſum, & mirum exinde incrementum: Fit itaque poſteà, ut quò major & intentior ſit tempeſtas, eò fortior etiam & valentior expoſcatur propulſatio, ventusque hinc ad agitationem impetuoſior.

91. Monendum hic quaſi ἐν παρόδῳ dignum judicamus, quod dicta Foſſilia inflammationem recipere apta, atque fervorem de ſe prævia quadam humectatione emittentia ſi paululum profundius in intimis terræ lateant abſcondita, neque ſint arctiori rupium ſaxorumque vinculo invicem colligata, ſed tantummodò nudo cohæreant telluris glebo & poſtmodum eveniat, ut forte fortuna novorum ſcaturigines fontium ad ea derivatione quadam ſubterranea deveniant (quorum irrigatione incandeſcunt) neque tamen aquæ hæ noviter advenientes cum exhalationibus ſuis ab inflammatione oriundis liberum ſtatim exitum nanciſci poſſint, facillimè ex nativa violentia pulſum quendam terræ particularem efficere poſſint; In quo poſte pulſationis tremore terra ſe aperiens & hiando elevans, ut etiam loco ſe movens foris infixa, herbas ſcilicet, frutices arboresque cum ſtupore ſpectatorum procul projicit.

92. Præſtat hic *caſum* referre, quem nuperrimè *tractus Numburgenſis propè*

Lauchen-

Lauchenſium incolis exhibuit *oppidum*, & Tibi *Lector Benevole* exemplum hujus rei ſummè egregium: In illo etenim loco per aliquot mille paſſus fermè Tellus cum arboribus proceris, & operoſo vitibus agro de ſupercilio montis cujusdam in ſubblime ſeſe extulit, & ſenſim ſenſimque cum magno fragore propter avulſas arborum profundè infixarum radices ad pedem montis deſcendit cum multorum fontium recentibus & ante hac in montis cacumine nunquam viſis ſcatebris. Exactius autem miram hanc telluris Metamorphoſin recenſuit nobis *colonus quidam*, qui hujus ruinæ actui ipſe interfuit, & jacturam dimidiæ partis vineæ ſuæ oculis absque dubio haut lætantibus adſpicere fuit coactus. Sed rupturæ hujus ratio ex Naturæ gremio & prædictis Philoſophiæ noſtræ regulis promtâ facilitate dari jam poterit: Certum autem eſt, fontes illos tantum violentiæ tyrannidem telluri & arboribus per ſe inferre neutiquam potuiſſe, niſi cum vehementer urgentibus exhalationibus fuiſſent conjugati hæ etenim Terræ hujus ſinum, non ſecus ac talpæ roſtro ſuo effodere ſolent, ſuper ſe accumularunt & hinc inde acervos valdoperè tumentes excitarunt, & denique totam nominatæ humi circumſcriptionem de loco ad locum facto præcipitio traduxerunt.

93. Et ſanè hæc ipſa translocatio ut abundantis, & in Montis viſcere latentis pedetentimque ante hac calcinatæ Mineræ adſcribenda eſt præſentiæ, ita à primo auditu tale nobis rationis hac de re argumentum fecit atque indicium; Nempe incendium hoc Mineralium à recens advenientibus fontium venis exhalationes copioſiſſimas, peperiſſe, & ab iis impulſum hunc, Terræ motûs affinem, fuiſſe ſuſcitatum. Neque conjecturam noſtram fefellit ocularis inſpectio, utpote quæ firmiter poſt firmavit animi noſtri ſententiam.

94. Ita namque in radice totius montis Saxum Venereum, & in latere hujus rupturæ dextro Terram per tempeſtatum viciſſitudines è Saxo recluſam ex una parte rubicundam, & eandem rubicundam ulterius per influentias cœleſtes reſeratam, ex altera parte planè æruginoſam, & veluti æs viride tam oculis conſpeximus, quam pedibus calcavimus, prout tota *Numburgenſium ditio & vicinarum juxta locorum Tractus* ſat dives & abunde fertilis hinc inde Minerarum eſt, ut aliis propterea parum aut nihil cedat, quemadmodum & Metallorum principum ibidem loci luculenta non deſunt veſtigia.

95. In hac ipſa *appellati circuitus* perluſtratione, cum *à Numburgo Sale flumen* trajeciſſemus non procul ab illo (res ſanè notatu digniſſima) Fontem offendimus, qui tum temporis quidem Animâ ſuâ, h.e. aqua carebat, aſt ſuo & certo tempore ſcaturigine fœcundâ gaudere ſolet. Sicuti ibidem Fontes non pauci modo pleni modo & ruſum vacui opperiuntur, unde & has ipſas ſcaturigines *vulgari ore Temporaneas noſtro autem* die Hunger-Quelle vocitant.

96. In fundo igitur fontis hujus cuncti lapilli diverſi etiam generis atque coloris diverſi tam molles erant & cerei quaſi, ut manibus dentibusque inſtar mollis argillæ diduci poſſent: Illi verò lapilli qui extra fontis hujus rivulum ab aqua ſcilicet olim intacti jacebant, licet ejusdem planè ſpeciei, naturali ſua duritie omninò pollebant.

97. Exinde niſi quis difficilis ſit ingenii non difficulter colliget, quanta virtute & quantâ agendi valentiâ aquæ hæ in Terris abſconditæ debeant eſſe præditæ: & eò felicius hujus efficaciæ ſcrutinio ſe inſinuabit, qui meritiſſimam Chymiam, Virginem inter Artes munificentiſſimam oſculo Amoris laborisque amplectetur.

98. Ex hoc enim notabili effectu Sal Hermeticum atque Centrale, omnia atque ſingula etiam duriſſima reſolvens corpora ita ſe prodit, ut haut melius Leo ex unguis ſui veſtigio.

90. Cognoſcat hinc *Lector Curioſus* decantatiſſimam Cereviſiæ Numburgenſis Virtutem, quæ ut hactenus à poſteriori, eam laudantibus & uſurpantibus non fuit ignota, ita ut à priori quoque omnibus ſit nota jam præmiſſa inveſtigantibus inſervient.

100. Ergò ante oculos nunc eſt, cur *incolæ Numburgenſes & eorundem adcolæ* calculoſo & arthritico cruciatu non tam frequenter, imò rariſſimè adficiantur, quam *aliorum locorum inquilini*. Nos ſane non miramur, cum uti jam declaravimus illi familiariter cum cibis & pro potu his utantur aquis probè reſolventibus.

101. Neque dubium eſt ullum, quin fons ille jam commendatus, ſi profundius aperiretur, excellentiſſimum lithon-thripticum ſit largiturus medicamen diligenter inquirentibus, cum vis ejus ex manifeſto hoc emolliendi indicio reliquis aquis longè ſit potentior, & longè utique præſtantior. Verum & de hoc puncto ſatis, ubi oſtendimus in rebus altiſſimis vix mediocritatem locum habere; ſicuti humanis inſitum ingeniis eſt, quæ modum non facile in iis ſervant, quæ ſupra modum, aut quæ fortaſſis ſtimulante neceſſitate publicoque bono monente ſolertiorem indaginem ſollicitant.

CAPUT III.

Chymia errores probe evellit, 1. Contenta Thermarum, 2. 4. 26. 33. Ab Autoribus confuſe denominata, 3. Non omnia Mineralium loca Thermas progignunt, 5. 29. Innaturalia quomodo inquirendum, 6. Sal inter Carolinarum contenta primum, 7. 9. 11. Ænigma de Sale, 7. Salium in thermis diverſitas, 8. 10. Thermarum calor remiſſus vel excellens, unde, 9. 13. 24. Omnes Thermæ Sal neceſſariò continent,

nent, 10. 11. *Ratio*, 12. 19. *Summus Carolinarum fervor à copia Salis*, 14. *Rochas ſal egregiè definit*, 15. *Salia acriora, ut Arſenicum, & dulciora, ut Saccharum, à defectu aut exceſſu humoris caloriſq;*, 17. *Calida corpora ſunt Salina*, 18. *Sal verum reſolutionis principium; quod probatur per nitrum & fulgura*, 19. *Non penes omnes Salinas aquas Thermæ reperiuntur*, 20. *Philologica quædam circa nobilitatem, laudes & virtutes Salis*, 22. *Carolinarum Contentum alterum, ſeu Vena Metallica*, 23. *Præſtantior fervoris gradus à Marte & Venere*, 24. *Crocus Martis in Carolinis copioſus & nativus*, 25. *Novus metalla inveſtigandi modus, medio* ☿ 26. 27. *Amalgama & præcipitatum Mercurii Martiale per thermas*, 28. *Contentum Carolinarum tertium, tophus & calx ferruginoſa*, 30. *Continua ejus accretio*, 31. *Thermæ Aponinæ in Italiâ*, 32. *Sal in Carolinis quale*, 34. *Aquarum Thermalium perennis adfluxus unde*, 35. *Thermarum cura, quam in conſervando earum vigore ſuſtinent cives*, 36.

I.

VEritatem ſeriò ſerere noſtra ut intentio eſt, ita errorum ſtirpes radicitiùs exſcindere animoſo animo pergemus, ſemper provocantes ad Anatomen Spagyricam, quæ ſola eſt illa Helena verum & legitimum Nepenthes, in quo omnis malè conceptæ opinionis oblivio, maternè propinans. Et ita ni fallimur hactenus cauſam illam Thermarum externam & primam h.e. incendentem vivis forſitan coloribus delineavimus, quam in radiis ſolaribus conſiſtere argumentis undique clariſſimis deduximus.

2. Jam ad interiorem tunicam, propoſitô nobis ordine, acceſſum rectè facimus, *puta*, ad Cauſas Thermarum internas, ſeu Earundem Contenta & inteſtina, quoniam Solis calor tantum effectum tantummodò per ſe aquis minimè poſſet inducere niſi adæquata adeſſet, ineſſet ſubeſſetque materies, Quæris ergò, *Lector*, quænam illa contenta? Scias ſemel propoſitam Nobis libertatem eſſe, quæ & hac in parta liberè nos eloqui jam imperat.

8. Non defuerunt *Autores & Scriptores literatiſſimi* Thermarum contenta, nempe Mineralia & Metalla multa variaque denominare, laudare & explicare, ſed (*propitii Nobis ſint Eorum Manes*) ſemper neglecto genuinæ rationis fundamento.

4. Verum *perſonalia* hic tangere quam longiſſimè eſt à ſcopo noſtro, quinimo concordes hoc in puncto cum iisdem ſumus, contenta Thermarum in Mineralium & metallorum naturam eſſe ponendam: Sed quâ ratione, & ex quo rationis Capite, nunc videmus. Hoc autem præmittendum ſtatim eſt calidas ejusmodi Aquas non penes quævis Mineralia aut quæcunque reperire Metalla.

 5. Ohe,

5. Ohe, *Judices*, ingentem labyrinthum ingredimini, quomodo igitur ex inſigni hoc dubio, quod exinde propullulat, Vos extricabitis! Nimirum ſic putabis hanc mentem noſtram aut falſam ſimpliciter eſſe, aut obſcuriſſimam. Sed adverte animum, & accipe, peculiarem adhuc in Mineris juxtim & Metallis ſelectum eſſe ſtatuendum inſtruendumque quam diverſitatis rationem Tibi jam dandam & enucleandam cenſemus.

6. Quâ via ergò profundiſſima cognitionis hujus latebra erit adgrediunda? Eundem ſanè hic per obſtantia, quæ tamen efficere, ut ceſſemus non valebunt: Sicut nec viri eſt, ullum timere ſudorem. Hanc igitur eligamus ſemitam, quæ calcanda ſemper atque ſedulò eſt obſcurum naturæ antrum adeuntibus; hoc eſt, quod mortalibus nobis à priori indagare ac cognoſcere non licet, id à poſteriori perſcrutatione facta apprehendamus, accedamus. Quocirca Thermæ noſtræ & aliæ quoque quarum aditus non dari non poteſt, hac methodo à nobis ſtudio diligentiſſimo nunc inſpiciendæ rimandæ atque examinandæ veniunt, ubi perſpectis obſervatisque earum contentis facili concluſione poſtmodum deſcendere in arenam quimus, & quidem hoc circiter argumento: Ubi hæc, iſta vel illa, cœteris tamen perpetuò paribus, dantur ac reperiuntur contenta, ibi Thermarum ſcaturigo quoque præſtò ſit neceſſum eſt, *& è contrario*, ubi hæc & conſimilia abſunt, ibi & abſentia Thermarum quaſi neceſſaria. Quænam itaque & inſpecie denominata ſint illa contenta, ordinetenus, ita ut quam maximè ad Rationis trutinam nos dirigamus, dilucidè jam exponentur atque pro virili demonſtrabuntur.

7. Omnium autem contentorum, quemadmodum id tam ſæpiſſimè quam manifeſtò percipere viſu, guſtu, Tactu, vel alio, quicunque is etiam ſit, probandi modo, licet, in Thermis primum eſt iſta Maris ſoboles SAL, de quo illud ænigma:

Filia Maris ſive Mare concretum in Creta,
Ligneo in Campo ubi Caro humana oſſibus ludit.

Quod ex *Diomede vel obiter* explanare non piget: Scilicet Mare concretum Sal eſt, quod ex Maris aqua conficitur, in Creta, hoc eſt vaſe ſeu ſalino fictili ex argillâ & Cretâ facto; in campo ligneo, id eſt, in menſâ ubi Caro humana, ſeu hominis manus ludit oſſibus, vel teſſeris & aſtragulis.

8. SAL ſcilicet hic nominavimus, quod tamen præ reliquorum contentorum varietate ad unam magis vel alteram ſpeciem tendit. Hæc ſcilicet *ſententia noſtra* eſt, quam *Magnorum Autorum autoritates*, imò *cuncti* qui Thermas ſuo adornaverunt ſtylo, egregiè fulciunt. Sic *Guilielmus Fabricius Hildanus in ſuis obſerv. pag.* 646. de Thermis Leucenſibus tradit, quod Venereæ ſint, & ſulphureæ, Vitriolatæque; Itidem quoque de Thermis Piperinis *p.* 662. *aſſe-*

rit idem, quod illæ ex Auro, Ferro, Cupro & Nitro conſtent, quarum tamen has minus de Sale participare oportet, quoniam teſte Eodem, nullum ſaporem, fermeque odorem nullum habent.

9. Et hoc ipſum Cauſam luculenter oſtendit, cur fervor earum non admodum ſit ſtrenuus, ſed ita temperatus, ut quilibet, cujus etiam ſit ætatis complexionisque, ſtatim in exortu earum abſque difficultate illum perferre atque ſuſtinere queat. Porrò de Töplicenſibus in Bohemia Thermis firmatiſſimum teſtimonium publicitus exſtat, quod illæ, inter alia Sale, alumine ac Nitro omnimode gaudeant.

10. Plura deniqne exempla, qui robuſtiorem aſſerti inductionem concupiſcit, is adeat *Martini Rulandi* 3. Bücher von Waſſer-Bädern / Aderlaſſen und Schröpffen / ubi 82. Thermis, quas Germaniæ tribuit, omnibus atque ſingulis copiam ſalis hujus vel alterius adſcribit. Verùm procul & longiùs ire foret evagari, & metam inſtituti relinquere.

11. Ergò animi oculos ad noſtras vertamus Carolinas, in quibus Sal abundare & peculiari virtute adeſſe deprehendemus perſpicuè, neque deerunt hîc *teſtes*, quibus id planum facere licet, uti ſunt *Dn. D Strobelbergerus cap.* 2. *Fabian. & Matthias Sommeri cap.* 4. *& qui ſunt alii*, qui Salis præſentiæ debitum hîc ſuggerunt teſtimonium, neque *ullus inter Autores* exiſtit, qui unâ voce & mente non conſentiat. Congruis ergò *Nobiscum*, Salem Carolinis, quid Carolinis, imò omnibus aliquid ſalis ineſſe? Rectè: quin etiam hinc dicimus inſuper rationem atque effectum, requiſitô inevitabiliter neceſſario, ſibi hanc Salinam depoſtulare animam, id quod clarè trademus probatum.

12. Etenim aquæ Thermales niſi Salinæ eſſent, de venis & rebus metallicis, quæ ipſis omnem afferunt efficaciam, nihil reſolvere atque nihil de iis in ſemet recipere poſſent. Evidens hujus ſententiæ noſtræ exemplum ſubminiſtrat appoſitè *Faber in ſuo Hydrog ſpag p.* 143. *& ſeq. c.* 7. dum *ait, in regione Galliæ Pictaviâ* dari puteum prope pagum vulgo dictum *Boupere*, in loco *la Ramee* vocato, qui excavatus intra ipſam & copioſam Antimonii Mineram, & ex quô, ſeu ex illâ Antimonii fodinâ aqua guttatim aſſiduò exſtillat, neque tamen aquam ullas continere Antimonii virtutes, aut qualitates, ſed optimam potius eſſe & digeſtionis facillimæ, quam *omnes loci incolæ* pro quotidiano uſu bibere ſolent, *& ipſe Auctor* eam compotare non abhorruit, nullo planè cum ventriculi incommodo, ſed maximo potiùs cum emolumento ac robore. Hujus autem rationem rei unice in eo ſitam eſſe aſſerit *Doctiſſimus Faber*, quod iſta Minera vel aqua potius, ſalis careat natura. Ulterius autem & pulcriori experimento rem *ille* ſic declarat: Recipiatur Antimonium crudum, & immitatur, quamdiu placuerit, aquæ etſi tepidæ ſeu calidæ, imò perquam fervidæ,

& pa-

& pateſcet nullas in tali aqua ſuccreſcere virtutes Antimoniales, modo vinum aquæ non permiſceatur, quia illud beneficio ſalis ſui volatilis virtutes Antimonii attrahit, & ſibi adſciſcit.

13. Expoſcunt quoque Thermales aquæ omninò contentum hoc ſalinum, cujuscunque etiam illud ſit tandem ſpeciei, & id quidem ad ipſum aquæ fervorem, utpote cujus potiſſimum Sal adjuvans eſt cauſa; Quo enim ſalſiores ſunt aquæ, quas Mineræ Metallicæ natant, eo etiam magis ebulliunt illæ, & efferveſcunt, uti contrarium in Thermis Piperinis hanc ipſam ob cauſam paulò antè monſtravimus.

14. Hæc igitur vera ratio eſt, cur Carolinæ Noſtræ Thermas quam plurimas fervoris ſui excellentiâ antecellant, quod ſcilicet ſale copioſiore exuberent. Verum quidquid jam *à Nobis* fuit prolatum, id nihilominus ſuos adhuc habebit titubantes, qui paradoxi characterem pronunciato noſtro imponere hinc ſatagent: quamobrem & ultrò nobis incumbet, reſiduos evellere ſcrupulos, & dubia omni conatu expedire. De alieno ut fidem dictorum ſtabiliamus, jam liberales erimus: Sed cur alienum diximus? noſtrum ſanè eſt quod verum eſt, & noſtrum utique eſt, quidquid verè unquam ab ullo dictum, & ſcriptum fuit.

15. Opportunè ergò hîc nobis ſuppetias fert *Experientiſſ. Naturalium ſcrutator Henry du Rochas de l'Anatom. ſpagyriq. lib. 1. Cap. 4. de l' aux nitreuſes p. 154. qui* Nobiliſſimum hoc Salis attributum ex ipſius ſtatim definitione appoſitè eruit dicendo, Sal eſt ignis potentialis & aquoſus, vel, eſt aqua quædam terreſtris igne videlicet imprægnata.

16. Et hoc poſtea *pluribus aliisq. in locis* ulteriori explanatione præclare extendit, baſique hâc innixus *pag. 155.* ſic inſurgit: Nihil planè reperitur, quod tanto redundet calido & humido, quam Sal, & hic ipſe calor continuò contra humidum agendo, & motum agenti impertiendo contra patiens, efficit, ut hinc proveniant operationes omninum maximè inſignes atque perfectiſſimæ, quæ unquam poterunt produci, in quorumcunque etiam id regno fiat.

17. Pariter *ſolertiſſimus Actor pag. 156.* qualitatem hanc ultrà magnificat hoc ſenſu: Salium acrimonia tantò vehementior & magis corroſiva eſt, quantò plus calore abundat, & humiditatis defectum patitur; Nam calor ille ſic efficitur ardentior, & proinde contrarias generat operationes, ſicuti videre eſt *in Arſenico*: ſi verò ſal abundet humiditate, & in calore deficiat, acrimoiâ deſtituetur, & dulcedine gaudebit, *veluti Saccharum*; adeò ut ex defectu aut caloris aut humoris planè diverſa oriantur ſalium temperamenta. *Lib. II. cap. 3. pag. 130.*

18. Sic

18. Sic concludit *optimus optimæ fidei auctor*, quod omne corpus Sale abundans calore etiam ſit quàm maximè affluens. Sed *auctoritatem Viri peritiſſ:* hic citaſſe ſufficiat Nobis, qui ad validum Rationis pondus probandi animum deflectere nunc volumus.

19. Ad conſiderationis Tuæ libellam ſaltim revoca *Salpetræ ſeu Nitrum*, nonne illud calorem ſuum, imò ardorem, imò ipſiſſimum ignem ſat abundè & ſatis evidenter commonſtrat, quando videlicet illud vel tantilla pruna accendit? Nonne ignis ejuſdem longe facilius ſolidiſſima atque duriſſima penetrat metalla, & liquat, quàm ullus alius ignis? Pondera ſis fulgura atque fulmina, quorum ignis in hoc potiſſimum ſale & ſulphure quodam ac quidem ratione deſcenſus, Metallico conſtat, atque proinde miranda præſtat, nec non ſtupenda. Intimius Salia quæſo reſpice, & dic Nobis, num illa calcinando non omnia reſolvant corpora; licet prædura & quaſi Adamantina: Et hic effectus revera adæquata eſt proprietas, adeo ut, *judicio quidem Noſtro*, de calore ſalis interno & potentiali nullum amplius nobis reſtare videatur dubium.

20. Aſt nihilominus quosdam adhuc aſſerto occurrere noſtro perſentiſcimus, dum multos dari Fontes ingerunt & ſcaturigines ſalſas, ubi tamen ferventes Aquas ſeu Thermas non protinus reperiri inſtant: quam nos quoque levidenſem inſtantiam concedimus promtè, quoniam nec mentis inclinatio eſt, nos Thermarum Naturam conſiderantes in præſentia ſalis acquieſcere protinus velle: ut enim Soli ſoli hic effectus impoſſibilis eſt, ita quoq; & ſoli Sali; Quamvis tamen Soli (Seu calori alicui ſubſtituto) & Sali conjunctim operantibus aliqualem caloris gradum ſuſcitare quodammodò integrum ſit, uti idipſum *ex operationibus Chymicis* oculariter apparet, nec non ſalinis ſalſurisque, quæ gelu non conſtringuntur, quemadmodum quoque illi ſalſi aquarum campi, etiamſi libero undique aeri ſint proſtituti.

21. Non in obſcuro quoque eſt, quam aridam anxiamque ſitim & calorem abundans corporibus Sal ſæpenumero inducat, id quod ex halecis, atque aliorum eduliorum ſalſorum eſu promtiſſimè licet colligere.

22. Sed ut Soli antea, Sic & Sali nunc quoque, quoniam ab eo digrediendum nobis eſt, quosdam Encomiorum flores dicabimus. Tu collige eos, ſi placet, quos Tibi non invidemus ſpargentes. Sale nihil utilius *à Doctis, Proverbii* titulo, commemoratum: Quis igitur Thermarum utilitatem hujus præſentiâ magis nobilitari ambiget? præſertim quum hoc balſamum omnibus penè miſtis benigna immiſcuerit Natura, in quibus loco coaguli præſtare docetur. Unde etiam à *veteribus in fœderibus* tanquam unionis teſſera, Sal, præſtantiſſimum illud Naturæ vinculum, erat uſitatum. Apud *Hebræos* nefas erat absque ſale ullam immolare victimam: Et *Hiſpani* olim tantâ reverentiâ ſal coluerunt, ut digitis

gitis illud è Salino non apprehenderent, ſed gladiis ſuis exciperent, *referente id Bernardino Gomeſio d. uſib. & Encom. Salis.* Quid quæſo ſal porrò eſt? Puritatis ſalubritatisque parens, ſine quo & Thermæ Noſtræ utraque hac virtute carerent. Fons & origo condimentorum vocatur ſal ulteriùs, ſine quo menſa eſt profana, & infauſtum quodvis convivium: Unde etiam ſal Menſæ quoddam Numen, magna ejus Anima & veluti ſol nuncupatur. Sanè ſal uberrimus Naturæ fons & bonorum eſt horreum. Regia ſalis eſt poteſtas; *Tu hæc omnia ad Thermas jam applice, & dicito Nobis; Pergite vos quoq;.*

23. Ergo cum enarratæ à Nobis cauſæ ad provocandum talem & tantum caloris effectum ſint adhuc inſufficientes, noſtrum utique porrò eſt, in harum perveſtigatione Thermarum ulterius non deſinere. Ponderantes autem proinde cum induſtriâ ipſas earum ſcaturigines ut & *quoscunq;, qui de his inſtituerunt tabulas*, utrâque ex parte compertum nobis evadet, Thermis nunquam non ſecundo contentorum loco venas attribui Metallicas, ex quibus tamen ad productionem hujus effectus alia aliam antecellit anteceditque, aut majori aptitudinis titulo celebratur, aut minoris efficaciæ famâ indigitatur.

24. Et quamvis reclamari non poſſit, quod Metallum quodlibet, *laboribus Chymicis id probantibus*, calcinatione præmiſſa per alicujus humoris ſalini vel ſpirituoſi adfuſionem calore quodam incitetur, tamen quæ copia ſulphuris vel ſalis circumfluunt magis, uti ſunt Mars & Venus, longè potentius incaleſcere ea, probabilius eſt.

25. Quare etiam iſta metallorum biga præ cæteris familiariùs crebriusque in Thermis prædominium obtinere ſolet, ſicuti Crocus martis & veneris ibidem utplurimum in ſubſtantia reperitur; & ille quidem in Carolinis Noſtris clariſſimè in oculos incurrit, utpotè qui non tantum in ferventibus aquis reſolutus, verum etiam ibi in montibus paſſim paſſimque nativus ſui copiam facit. Terram autem hanc rubram ibidem natam reverà Crocum Martialem eſſe convincunt ſtatim Saxa Montium horum, item, Crocus Martis ex eorum rimis fiſſurisque nativo vultu ubertim proveniens, & denique crebriores officinæ, ferri fodinæque, cujus metalli fœcundum olim proventum *tam exploratores quàm excoctores* abundè teſtificati ſunt & adhuc quotidiè vicini tractus ſufficienter, fructus hos ſuppeditando, fide ſuâ id roborant.

26. Et quamvis Mineram Martialem confertim hic pronaſci ſatis ſuperque comprobatum fuerit, ac fide indubitata conſtet, attamen propter inſignem res metallicas accuratiſſimè perſcrutandi cupidinem novam quandam Thermarum contenta exquiſitè probandi rationem inſtituere nobis placuit tali circiter modo: Obſervantes ſcilicet, celebrata in ſpectione aſſiduâ,

Aquas has Carolinas in ſuis aquagiis, beneficio cauſæ & motus naturalis, dum originem ſuam egreſſæ ob ambiens frigus refrigeſcere incipiunt, contenta ſua ordine juſto ; & primò quidem Crocum quaſi graviorem , poſt tophum quendam, & tandem quoque, ſalis veluti florem deponere, ex proceſſu hoc pulcrè naturali non dubiis indiciis facilè conjecimus res haſce foris appoſitas & contenta jam dicta in utero ſcaturiginis prius ſingula & cuncta medio aquæ fuiſſe reſoluta, & per ebullitionem fervoris probè unita : Poſtea metallicam iſtam in aqua naturam dum infallibili ratione ſic aſſecuti ſumus, eam beneficio Mercurii ſeu Argenti vivi ex Thermis aſtute extrahi poſſe *fidiſſima dictitate Chymia*, concluſimus.

27. Ecce periclitationi ſine periculo rem dictam ſubjecimus, & Mercurium purum pellucidumque vitro, (aperto tamen, ut eundem Thermæ poſſent alluere) incluſum, in canalem quendam propemodum prope ſcaturiginem impoſuimus; & hoc quidem eo fine, ut experiremur, num Mercurius caloris ſui lucem ita ſit amiſſurus , num ex aquis aliquid adtracturus, & ſeſe cum metallica hac indole conjuncturus.

28. Et ſanè ex animi ſententiâ effectus ſpei reſpondit : Adeo pauco dierum ſpatio & paulo poſt Mercurius Noſter fuſca gryſeaque facie horruit , & priſtinam fluendi agilitatem, non nihil amalgamatus, fermè amiſit. Hinc ulteriori ſtatim collectione ſubſumſimus, Mercurium hunc, ſi diutius fervori harum aquarum committeretur , currendi lubricitate magis privari , & ſic in amalgama perfectum, vel præcipitatum Martialem denique transmutari poſſe. Prolixitatis carceres occaſione hac, perquam opportunè datâ, num hic ingrediamur, & metallorum amalgamationes interius libare attentemus? Non profecto: alterius enim voluminis forſan aliquando id erit, ubi, ſi per negotia licuerit, hanc difficulta tum perſonam demere adnitemur.

39. Sed hic rurſum in dubium Te verti ſentimus, dum opponis venas metallicas easque perplures hinc inde reperiri ſuis jugiter ſcaturiginibus non carentes, nec tamen in his locis omnibus Thermas promanare. Sed pudeat, Te nobis iterum ſcrupulô tam exiguo moræ moleſtiam creare: eum enim ut prædicta jam plusquam ſatis ſequeſtrarunt , ita & illum modo conſiderare circumſtantias non faſtidis, facili pede poteris effugere. Si enim aquas illas vel minus ſalſas, vel venas quoque metallicas alterius cujusdam, quam Martialis venereæque ſpeciei vel porrò loci ſitum à facie ſolis averſum nimis, vel denique venas ipſas non rupibus, ſed terræ glebis comprehenſas cognoſcendi judicio proſequaris, omnis perperam dubitandi ratio Te ſtatim relinquet.

30. Contentum denique Thermarum tertium ſiſtit tophaceus ferruginoſusque Lapis, de cujus perpetua ibi locorum accretione verba nonnulla quoque faciemus. De hoc autem lapide ſcias, eum nullo diſcrimine diverſum à ſaxo Montis ferruginoſo exiſtere, utpote quem nihil aliud eſſe arbitramur, quàm lapidem calcarium Martialem; prout non procul à ſcaturigine *penes oppidi Templum* ille varii coloris effoditur, atque poſtea exinde ferrumen cæmentorum efficitur.

31. De continua autem hujus in canalibus & balneis accretione hoc monere adhuc intendimus, quod hæc ipſa non aliqua nova ſit lapidis generatio, ſed tantùm ejus antea in montis faucibus, beneficio caloris, ſalium ſalinorumque Spirituum, reſoluti, atque in loci frigiditatem producti poſt amiſſum calorem & factam evaporationem *aſſidua præcipitatio*, atque ſic dicere liceat, *cryſtalliſatio*.

32. Neq; lapidea hac cruſta canales parietesq; Carolini tantum circumteguntur, verum id quoq; aliis in locis accidit, ut à calentibus aquis lapides progignantur, ſicuti *apud Apanum in Patavino Circuitu*, ubi tantò copioſior materiæ durities ædificiis adcreſcit, quantò ſcaturigo Thermarum ibi contingit locupletior, quæ tanta eſt, ut molendinum etiam hæc balnei aqua per convallem decurrens verſet.

33. De cæteris tandem contentis, quæ in Carolinis noſtris à *diverſis paſſim notantur adhuc Auctoribus*, ſupervacaneum aliquid adjicere exiſtimamus, & id quidem non ſine cauſæ momento, quoniam videlicet ea ipſa neque accuratè inquirendo, neque etiam exquiſite peculiariterque probando invenire potuimus, ſed ante denominata ad progenerandas ſufficere Thermas clarè perſpeximus: ſicuti Entia aliàs multiplicare temerè ſemper abhorremus.

34. De ſale hoc ſuperaddere placet, quod illud in Thermis hisce maximam partem ſit nitroſum, & Martiali virtute quodammodò Sulphureum, vitriolatumque, ſed & nonnihil Aluminis natura præditum.

35. Tandem aquæ hujus indefeſſum quod attinet ſucceſſum, de eo *quorundam hujus loci incolarum opinio* hic non reticenda eſt. Dicunt autem olim *curioſum quendam* ibi vitam degiſſe, qui demum ſua inveſtigandi ſedulitate eò pervenit, ut à Carolinarum ſcaturigine duorum circiter milliarium ſpatio *ex Egrâ fluvio* magnam aquæ partem ſe ſubducere obſervarit, & hanc ipſam perennem ſcaturiginis materiem ſuppeditare pronunciaverit. Applauſu digna cui non appareat hæc ſententia, cui & nos ſtudio quodam contradicendi nolumus refragari? ſed hoc obſtare nobis tantummodò videtur, undenam illa aquarum ſalſedo, quæ à fluminis Egrani dulcedine manifeſtò eſt diverſa; neque poſſibile ut nudo hoc tranſitu tam longam & perpetuam ſalis naturam illæ nanciſci poſſint. Quidquid ſit, ſive hinc aquarum hæc copia proficiſcatur, ſive ex ipſo Oceano prode-

prodeat, veluti omnes ſcatebræ, *ſacro ſic folio docente*, oboriuntur, nobis attamen præpedimentum nullum inferre id poterit. Certitudo cuilibet hic ſufficiat, Thermas has tam qualitate quam quantitate æquali indeſinenter ſcaturientes non ignorare.

36. Quum autem calentes aquæ non uno loco proſilire geſtiant, ſicuti id in *ipſo fluminis Döplenſis medio* conſpicuum cuique eſt, cives, ne derivatio aquarum patiatur jacturam, has eruptiones inutiles, imò ſcaturigini principi damnum minantes pro virili ſaxis obturant, & maturè iis reſiſtere vel à Magiſtratu monentur. Verum *Nos* freti fiduciâ, *Lector*, Favoris Tui ad alia jam divertimus, Te ulterius officioſè invitantes, ut nobiscum non de arentibus rivulis, ſed de fonte veritatis ipſiſſimo potare ſis conſtans, & credas, falſum non metuere, niſi qui parum confidit vero, neque verum odiſſe, niſi qui falſum diligit.

CAPUT IV.

Contemplationis & actionis fœcundum conjugium, 1. *Id quod demonſtratur in Medicinâ*, 2. *Ea dicitur Ars Poëtica*, 3. *Pars Medicinæ Theoreticæ quomodo concedatur*, 4. *Thermis derogare utilitatem temeritas eſt*, 5. *Utpote quæ probatiſſima*, 6. 14. *Senes ex fonte quodam in Bojuca bibentes rejuveneſcunt*, 7. *Æſon Theſſalicus his juventutem recipit*, 8. *Nil undiquaq; utile, ut nec Thermæ*, 9. 18. *Harum abuſus*, 10. *Thermæ ſeminaria Epicuri & Veneris*, 11. *In Thermis ſunt bona mixta malis*, 12. *Cautelæ circa earum uſum*, 13. 16. 21. *Ratio Carolinis utendi duplex*, 15. *Commodum tempus in uſurpatione earum eſt eligendum*, 17. *Uſurpaturi complexio primum eſt conſideranda*, 19. *Complexionum mira varietas*, 20. *Italorum proverb. de præpoſtero Therm. uſu*, 22. *Triſtioris exinde eventus exemplum*, 23. *Quæ pericula hinc timenda*, 24. *Thermæ ergò corpore vacuato aggrediendæ*, 25. *Cur*, 26. 29. 31. *Inquilini Thermis aſſueti absq; methodo iis tuto utuntur*, 27. *Magna conſuetudinis vis & dominium*, 28. *Humores noſtri utplurimum duplici vitio infames*, 30. *Appropriata hic purgantia dentur ac quomodo danda*, 32. 33. *Mercurius & ♉ fixum noſtrum. Flores ♉ in copia per ſe à nobis præparari poſſunt*, 34. 35. *Alvus in Thermis laxa ſit, aut quomodo laxanda*, 36. *Ante Carolinas Therm. Acidulæ Egran. commend.* 37. 43. *Poſt Acidularum uſum Thermas omnibus aggredi non licet*, 38. *Sano Medicamenta temere non danda*. 39. 41. *Remediorum crebra mutatio noxia*, 40. *Medicamen vehemens citra noxam vix prodeſt*, 42. *Therm. virtus à Marte*, 44. *Acidular. Egran. & Spadan. laus & vires*, 45. *Temperantia in Therm. requiſitum*, 46. 47.

I.

PRæmiſſa *contemplationis* venuſtas abſolutâ hactenus intentionis felicitate *ad effectum & uſum*, non immerito à nobis jam traducitur. Sunt nempe luci-diſſimi duo ocelli, contemplatio & Actio, qui ſi jungantur, fructuoſè ſpectant pariter, atque ſummâ cum gloria adſpectantur: adeò in utroque conſiſtit perfectionis Horizon. Perfectus enim is eſt, cujus contemplatio dirigit ac gubernat actionem, quemadmodum actio rurſus corroborat poſtmodùm ac perfectiſſimè perficit contemplationem. Sanè otioſa & ſordidè ſterilis omnis eſt contemplatio, quæ actionem non enititur, ut viciſſim actio cuncta languoris notam incurrit, & inefficax dicitur, quæ robore contemplationis non animatur.

2. Atque ad ſanctam Medicinam meditatio hæc non incommodè trahitur, quæ candidum cultorem ſuum & ſpeculari, præſpeculari que jubet & operari cumprimis. Ambidexter bonus Medicus eſto & conjugio arctiſſimo tam contemplationem ac oriundam hinc Rationem, quam Actionem & natam exinde Experientiam ſibi habeat amantiſſimas: Ita enim feliciter operabitur, & cum laude ſanitatem is fabricare poterit.

3. Unde Medicina benè Ars vocatur Practica ſeu Poëtica, & bonus Medicus appoſitè audit Gratioſiſſimus Poëta, non, quod carmina carminare doceat, ſed quod conſilia atque auxilia ſecundum Artis canones meditetur, ac methodicè ea præſcribat, jucundum ſanitatis metrum effecturus.

4. Et hac ratione Theoreticam *ut vocant*, Medicinæ partem non rejicimus, modò Sanitatis Poeſin ſtrictè Medicus ſibi habeat propoſitam, & ita partem Medicinæ Practicam conſtituat nobiliorem, ac magis adornatam. Verùm charta jam nobis eſt occupanda, cui ex compoſito atteſtari injungemus, non minus ſed potiſſimum circa uſum Thermarum & eas genuinâ lege uſurpandas nos fore ſollicitos. Medicus igitur, ut opportunè queat agere, res non inutiles poſcit, & gradus efficaciæ, qua quidvis præditum eſt, exactiſſima hinc lance perpendit. Quis autem tam ventoſa temeritate inflatus; qui aquas hasce naturali beneficio calidiſſimas pronunciare inutiles non erubeſcat? Quis tantam in ventre impudentiam habet, ut ſummas Thermarum virtutes nauci pendere autumet? Nemo profectò, niſi

Cui fœminea nequitia ad audendum omnia,

ut *Tragici* verba uſurpemur.

6. Cum Adonidis certè non comparandæ hortis ſunt thermæ, utpotè quarum admirandum effectum pronuperrimè ſtabilivit Antiquitas & collaudabit encomio perenni Poſteritas; cujus divinas vires Experientia ſolida ſolidè aſſeruit hactenus, & juxtim cum Rationis patrocinio aſſeret,

Dum circumfuſo pendebit in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis.

Hinc

Hinc Cæſares illi, qui Thermas exſtruere curârunt, ſemper EAS ROMANIS SUIS DICARUNT, videlicet bono commodoque publico ſic proſpicere curioſi.

7. Sed virtutes earum multijugæ ut explicentur, jam non injuriâ nobis, *Amice Lector*, imponis. In *Bojuca Inſula* non ita procul ab *Hiſpaniolâ* ſcatere fontem memorant, qui tanta virtute præſtet, ut ſenes poculum exinde adhibentes juventæ florem ac ſanguinem ſtatim denuò recipiant vernantem.

8. Fortè *Æſon Theſſalicus* ſuas hoc quoque proluit fauces, quem annoſitate decrepitum bis robuſtiori reſtitutum ætati fingunt: *Medeæ* tamen *veneficæ illi famoſiſſimæ* id tribuitur, quæ *Jaſonis mariti* rogatu

- *Ante ſenem juvenes perhibetur in annos*
Æſona gramineo reſtituiſſe foco.

Profectò eminentiſſimi gloria effectûs, qui huic adſcribitur puteo, modò credere fas ſit! Huc, huc conveniant matres edentulæ, huc, huc marceſcentes convolent aniculæ, ac curent, ne ultra audiant *pondus inane thoro*.

9. Quid igitur nos de Thermis, iisque Carolinis? Num ſublatius de virtute earundem jam dicamus, num Maria hic polliceamur & Atlantes? Non: virtuoſiſſimas quidem demonſtrabimus has eſſe, & efficaciæ ex fundamento optimæ: Attamen cavendo; ne pagina turgeſcat effectu efficto, cum nihil ad mortalium commoditatem adeò exactum ſciamus, ut undiquaque ſit utile, cum vè alias quoque claritas nulla ſit tanta, quam obfuſcare arrogans elatio non queat: Sic

A noſtris procul eſt omnis veſica libellis,
Muſa nec inſano ſyrmate noſtra tumat.

Quam inſignem verò, *ut monſtrabimus poſtea* utilitatem Thermæ noſtræ ſanitatis œconomiæ præbent, tantò etiam fœdantur *Abuſu*, h. e. & depravata & impura his utendi conſuetudine, prout illa rerum eſt comes plerumque bonarum. *Poggius de Schol. Epicur.* factionis, quæ regnat in *Thermis Badenſibus*.

11. Sic queritur: Nulla in orbe terrarum balnea ad fœcunditatem mulierum magis accommodata eſſe ac *Badenſia* illa, quo proci & Pamphili aliique quibus vita in deliciis eſt poſita, eo frequentiſſimi concurrant. Et fortaſſis, *pergit*, in aliis quoque Thermis ſeminaria Epicuri inveniuntur, cujus diſcipuli molli exemplo nullâ non ratione deſunt. Atque hinc olim *vidiſſe Bajas dicterio adagiali* habebatur pro *manifeſto Libidinis ſigno*, cum ille locus vitiorum eſſet diverſorium, in cujus aquis

- - - *Quicunq; natavit, amavit.*

Hæc igitur cauſa eſt, quod à tam plurimis Thermæ publica nominarentur Lupanaria, & ſpurciſſimæ Veneris Cupidinisq; palæſtræ, ubi hoc ποίημα θεοῦ κάλλιστον, ſeu *optima illa Dei factura* (quo honore Aqua à *Johanne Damaſceno* decoratur) & admirandus hujusdem effectus prætenditur quidem, cum tamen hic cum furore

furore caleat Venus, & locus luxuriæ cuticulamque curandi nidum ſub regimine Bacchi Cererisque præbere quaſi cogatur: adeo hic quoque guloſi colliguntur, quos orexis irritat, & qui ventrem non modò explendo, ſed onerando pariter defatigant, ſecundumque *Satyricum*

Crudum pavonem in balnea portant:

Sed quid deportant? Hoc idem innuit *Vates*, cum quo loqui jam placet:

Hinc ſubitæ mortes atq; inteſtata ſenectus;

Prout plenus ſtomachus, *juxta Hebraicum proverbium*, omne genus eſt mali. *Barclajum* dicere meminimus oportunè hic forſan, virtutum vitiorumque certamina nullibi quam in aulis eſſe atrociora: Applicamus hoc appoſitè potius ad Thermas, ubi divina aquarum virtus cum pernicioſiſſimo pugnaciter pugnat abuſu: nimirum ut dominante Licentia, quæ hoſpitibus hic permittitur, imò præcipitur, omnes evadimus deteriores, & fimus, veluti fimus. Verum quid profuerit noſſe Thermarum vires, ſi cognitæ non amentur, & amatæ ſi complexu familiari non apprehendantur. Quid inquam errorum notitia utilis eſt, ſi perſpecti non horreantur, ſi angue pejus non fugiantur illi.

13. Utrumque hic nobis cordi nunc erit, h. e. cautelas quasdam præfigemus, antequam Thermarum ſinui cuipiam inſinuandum, & regulas Medicè modiceque hic vivendi præſcribemus, ut Thermarum ſacris ſecurè ac cum ſpe proficiendi intereſſe eas aggreſſurus queat. Tantum enim abeſt, ut propter etiam nefandum abuſum tollere intendamus uſum, ut potius media omnia in medium prolaturi ſimus quibus ad eundem recto pervenire liceat tramite. Nam

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

14. Ad partes igitur noſtras, & illuſtre hoc naturæ miraculum redimus ampliusque nulli ambigimus, quin hujus magnitudo ſingularisque genius ampliſſimum quoque & maximoperè peculiarem uſum non tam pollicendo ſit, quam uberrimè exhibendo.

15. Rationem verò uſurpandi Thermas Carolinas geminam recenſemus, quarum altera intrinſecus ac potando, & extrinſecus ſeu balneando altera celebratur.

16. Quocunque igitur modo uſurpare cuipiam placuerit Thermas, is in anteceſſum ſciat eas niſi ex RATIONIS CONSULTO miniſtrentur, incertæ nec abſolutæ utilitatis eſſe, ſicuti non ignotum, fortuna quomodo moderari ſoleat eventus. Ergò non temerè nec intempeſtivè hæc lavacra ſunt intranda; Miraris cur? En tibi cauſas connexu clariſſimo præſentes, & ab ipſiſſimis Medicinæ uberibus profluentes, quarum adhibito conſilio pretium ſanitatis commodiſſimè in Thermis ſuppeditari poterit.

17. Me-

17. Memento ſcilicet tempora eſſe omnino diſtinguenda, utpote quæ non ſemper ſufficiunt aſſequundo ſcopo, quemadmodum nec occaſiones rerum expectare noſtram tarditatem ſolent. Temporis commoditatem ſi vides, prende & preme, imò opprime illam: ita ſanè *ſapientiſſimus Stoicorum* ex difficilimis ſperandum monet exitum ſalutarem, ſi nec properetur ante tempus nec in tempore negligenter ceſſetur.

18. Quid porrò! Advortas videlicet Thermas nec omni vitio idoneas, nec in quolibet affectu earum convenire uſum: Quapropter Medicorum docta peritia ad diverſas corporis ægritudines diverſo medicamine etiam ſervit, ſicuti non omnes morbi eâdem curantur medicinâ, nec vulnera cuncta eodem coaleſcunt emplaſtro, nec collyrio uno omnium perſanantur oculi. Quid ergò? nempè cognitio morborum præponenda medicinæ applicationi, & vitiorum radices ſolerter inveſtigandæ veniunt, cum maxima ſpes ſit recuperandæ ſalutis fontem noſſe languorum. Idcircò morbi genius libræ Pathologicæ imponatur, ac poſtmodum an Thermæ conveniant, fiat cenſura, judiciumque.

19. Denique vel naturam & quamlibet hominum conditionem ſpecta, innumera cujus varietas utique in negotio tam arduo te cautius imperabit mercari: Ita enim corporis temperatura, & complexio, aut quæ aliàs conditio naſcendi attribuit, in hoc vel illo homine nonnunquam è diametro pugnant, & inſigne quantum ſecus ac ſecus aliterque ſe habent: Sic hujus viſcera plena ſunt adipe, & diſpoſitio complexionis ſucci plena; alter rurſus vel umbris, *quod ajunt*, macilentior eſt: modò *Demophon Alexandri menſarius* ſe ſiſtit, qui in opacitate confidens ſe calefieri, in ſole verò rigere monſtrat.

20. Et quis gradus inter temperatiſſimam temperiem & complexionem vitioſiſſimam numero autumaret complecti? Si numerare potes fragrantis flores Hymetti tunc etiam poteris has computare diverſitates:

Nec mare tot guttas Libycum, nec littus arenas
Ovaq; tot piſcis, gramina campus habet.

Tribus: numero nomen deeſt. Tacemus quod aliàs & per ſe nullum animal, nulla merx difficilior cognitu ſit quàm homo.

21. Itaque quid exinde concludendum in plano arbitramur eſſe; Puta, medico clientem ſuum ad Thermas miſſuro omnes has circumſtantias probe examinandas, & earum delectum accuratiſſime tam mentis quam oculorum judicio eſſe habendum. Quemadmodum enim invita naturâ & morbo penitus refragante, ac tempore non tempeſtivo Medico nihil perperam eſt tentandum, ita ſanè ſi faciat ſecus rem inſigni periculo non vacare ſibi habeat perſuaſiſſimum: Adeò & vita patientis & fama curantis in ancipiti cymba hic navigant.

22. *Itali hoc vulgari proverbio* Thermas inconſideratè ingredientem, & præpoſtero infauſtoque ſucceſſu hinc egredientem irridere ſolent: *Andaſti al Bagno per le doglie*; id quod *Teutonico ore* fermè ad non diſſimilem ſenſum conſpirantes ſic reddimus: Weñ dem Eſel zu wohl iſt/ſo gehet er auff das Eiß tanzen.

23. Exemplum ſatis miſerandum hic referre ex *Fabricii Hildani obſervation. Chirurg de Thermis Leucenſibus p.* 647. præſtat, quod de puellâ quadam nobiliſſimâ ex uſu duntaxat Thermarum externo ſeu inſeſſu, ſed temerè inſtituto, *refertur:* Illa enim dum viſcerum obſtructionibus, retentione menſium & deſtillationibus ad pectus oculosque laborans non ex purgato corpore *ad Thermas prædictas* ſe contulit, in pede dextro ſphacelum ſibi contraxit, & hinc paulò poſt ipſiſſimam mortem.

24. Nec *tales hiſtoriæ praxi etiam noſtræ* abfuerunt dum, qui ſponte ſuâ non præmittendis præmiſſis *Thermas* acceſſerunt, aut malignè febricitantes, aut ſcabie defœdati, aut anhelandi difficultate afflicti redierunt, auxiliumque revaleſcendi *à nobis* efflagitarunt, quos quoque ſed non absque difficultate propter Naturam turbatiſſimam, *bono cum* DEO, voti compotes tandem fecimus.

25. Ut itaque abſurdos ejusmodi experiri eventus non cogamur, præparato & diligenter vacuato corpore Nymphæ hæ ſunt comprimendæ, nec ſine optimi Medici conſilio prævio ſibi jungendæ.

26. Verum conſentire Te nobiscum concernimus, ſed tamen rationem jugiter expetere neque malè deprehendimus, cur ſcilicet Thermarum candidatus corporis præparatione atque evacutione ſit initiandus.

27. Gratificandum Tibi utique eſt, ſed & præmonendum, ſermonem hic nobis eſſe potiſſimum de advenis & peregrinis, non verò de indigenis, utpote cum quibus, quod Thermæ à nativitate & teneris unguiculis cauſa conſuetudinis ipſisdem ſint familiares, res longè aliter ſe habet.

28. Adeò vehemens & magna eſt conſuetudinis tyrannis, ut perinde cogat ac natura ipſa. Ligat nimirum conſuetudo hominem, & quaſi vinculis conſtringit ad id, cui conſuevit, iterandum proſequendumque atque propterea verti videtur in naturam. *Dices:* aſt nihilominus mala conſuetudo eſt damnanda; *& nos dicimus contrà*, conſuetudinem ſæpe neceſſitatem quandam peccandi afferre, id quod crebrò experitur Medicus, dum abſurda aſſuetis non rarò concedere tenetur, præſertim ſi conſuetudinis vim longi temporis præſcriptio & magnæ multitudinis conſenſus firmaverit. Ergò, *ut diximus*, graviſſimum conſuetudinis imperium eſt, quæ omnino vim naturæ obtinet, regulasque potenter vincit, veluti videmus id conſuetudinem efficere, ut, mala quæ ſunt, minus attamen lædant, imò penitus proficiant; Inquilini igitur lavant & potant hinc Thermas pro lubitu & citra nocumentum.

29. Ita-

29. Itaque quisquis huc curſum addere intendit, exoneratam adferat naturam, & nullam redundantiæ læſionisque ſuſpicioni relinquat occaſionem, ut uſus Thermarum non tutus eſſe non queat. Quis autem noſtrum eſt, qui humoribus non ſcateat?

30. Ergò quædam humorum pravitas corpora & viſcera noſtra occupans, atque hos vel illos affectus à quibus vel ſecuri eſſe vel liberari deſideramus, parere valens aut à craſſitie viſciditateq; ſua eſt ſuſpecta, aut à nimia tenuitate, mordaci acredine & acri ſalſedine eſt infamis.

31. Sane utrumque humoris vitium corrigendum removendumque eſt antequam lares Thermarum ſalutentur. Si enim humores craſſi viſcidique exiſtant, tunc intempeſtivo Thermarum uſu illi à caloris vehementia magis condenſantur, exſiccantur inſpiſſanturque magis, ita ut viſcerum vaſorumque obſtructiones evadant contumaciores, quæ poſtmodum, ut aliàs per ſe, ita & magis hoc modo graviores morbos *e.g. calculum, icterum, podagram, membrorum contractiones, hydropem &c.* progenerant. Sin verò fluidi nimium, ac tenui, ſeroſâ ſalsâque acredine præditi ſint illi, tunc itidem potentia caloris penetrantiſſima vehementius eos inflammat, & extremam mordacitatem ſalſuginoſamque acredinem ipſis inducit, unde nonniſi *ardores febriles, febrium malignitates, tabidæ lues, Scorbuticum malum, humidi radicalis conſumtio, & quam multi affectus pernicioſi alii.*

32. Ratione cur ante Thermarum uſurpationem ſuperfluum hoc humorum ſcelus ſit ſequeſtrandum, datâ, hoc ſubjungimus ſtatim, ut quò accuratior & magis appropriata balneis præmittatur evacuatio, eò quoque Te ad ſperatam ex Thermis ſalutem efficies promtiorem, aptioremque habebis.

33. Ad minimum ergò ter vel quater vel amplius etiam catarctica convenientia h.e. quæ potiſſimum ex mineralium progenie deſumpta ſunt, ita tamen ut affectus ratio habeatur, & vires corporis attendantur, aſſumas:

34. Quem in uſum ut reliquas purgantium pharmacorum formulas, quippe quæ à præſente tibi Medico ſpecifica virtute pollentia proſpici commodiùs poterunt, hic prætereamus, tanquam catholicum præſtantiſſimumque uſui tuo commendamus, tam Mercurium vitæ fixum, quam Antimonium ritè ſublimatum (*Sicuti nos beneficio peculiaris modi ex librâ unâ Antimonii* fermè ſemiſſem florum candidiſſimorum & albedine ſuâ vel nivem antecellentium per ſe adipiſci callemus) & pariter fixum, utrumque noſtrum noſtroque partum labore.

35. Quorum hoc vel ille ſi appoſitæ pilularum maſſæ immiſceatur vix credibili felicitate & ſuavi facilitate, ſine ulla moleſtia ac cum reali contumaciſſimorum humorum eductione, operationem ſuam exſerit.

36. Hæc quoque Catholicæ pilulæ in ipſo Thermarum uſu, mox ante prandium, aut cœnam ſummo cum fructu degluttiuntur, ſicuti aliâs alvum in balneo ſolutam eſſe, quæ præſertim ab externo Thermarum uſu facilè ſolet adſtringi, *Medicina ſic dictitante*, convenit: Quamobrem etiam commodè enemata interdum ſuccenturiantur.

37. Quum autem, ut feliciori pede *Carolina balnea* adiri queant, *quam multis Experientiſſimis Medicis* ſit uſitatum, ut pro jam laudata corpus præparandi & evacuandi intentione calices acidularum earumque in ſpecie Egranarum, Utpote quæ hic in propinquo, hoſpitibus commendent, *hic non immerito quæritur* an rectè? Nos huic utique conſilio actutum adſtipulamur reſpicientes nempe ad balnearem ſcopum.

38. Aſt *alia quæſtio* occaſione hac protinus ſubnaſcitur, quæ non flocci habenda: nimirum an omnibus & ſingulis qui ante cum felici ſucceſſu acidulas potarunt, uſus Thermarum quoque ſit ſemper concedendus? Reſpondemus quod non. Licet etenim Thermæ nemini ſint infenſæ, *niſi quibusdam pauciſſimis, videlicet pulmonum, corporisq; tabe laborantibus, ut & iis qui ſalinis humoribus* nimium abundant; & hoc nihilominus tamen reſpectivè ac ratione certâ: attamen Thermas tam indifferenter per Medicinæ leges acidulæ non poterunt excipere.

40. Ad quid enim ex animi ſententia ſano & priſtino Vigori perfectè reſtituto Medicus cum ſua Medicina, *monente id ipſum Sacroſancto Libro.*

40. Profectò nil æquè ſanitatem impedit, ſicut remediorum crebra mutatio: Vulnus ad cicatricem non venit, in quo frequentius tentantur Medicamenta, nec convaleſcit planta, ſæpius quæ transfertur.

Impediunt certam medicamina multa ſalutem,
Non plures Medici ſed ſatis unus erit.
Nunquam, crede mihi, à morbo curabitur æger,
Si multis Medicis creditur una febris.

41. Quid, quod benè valentibus remediorum inculcatio ſæpiſſimè ſit funeſta. Atque ſi præſidia inſolentia (quæ nunquam ſuis periculis carent, ac proinde ſumma indigent cautione) ad morbum vulgarem non ſunt quærenda, quam multò magis abſtinendum ab iis erit rectè ſe habentibus, quum è tranquillo portu procelloſum pelagus ſponte ingredi magna ſit temeritas.

42. Nullum enim eſt dubium, quin natura athleticè valens vi medicamentorum rurſus oneretur graveturque, utpote quæ denuò ab iis alterationem ſemel jam ſuperatam ſuſtinere cogitur, atque eadem toties iterata virtuti vitali ſine vana conjectura jactura infertur, cum *juxta Hoffmann lib. 1. Inſtit. Medic. Cap. 1. 6. ex Galeno*, vix inveniri poſſit remedium, quòd magnificè ſeu μεγάλως proſit citra (aliqualem) noxam.

43. Id-

43. Idcirco in hoc puncto perſonarum reſpectus & ſelectio obſervanda erit, ut ab acidulis ad Thermas tantum potiſſimumque eas remittamus, quæ in *articulis dolorem & debilitatem gravativam* perſentiſcunt, quæve inſuper propter *paralyſin*, *Spaſmum & ſtuporem membrorum corroboratione* agent: Quemadmodum etiam *obeſioribus & phlegmaticis* Thermarum contactus erit proficuus, quod redundans humiditas ſic ſuaviter & bellè adſumatur. Neque etiam poſt acidulas uſurpatas Thermæ ſunt diſſuadendæ iis qui *infirmitati ſtomachi, lienis hepatisq;* laborant, aut qui *renes nimium laxos ac diſſolutos* habent.

44. Unicam utilitatis hujus rationem damus hanc, quoniam aquæ Carolinæ cumprimis ſunt Martiales: Aſt ♂ membris omnibus, *teſte elegantiſſimo Fabro in Hydrog. Spag. Lib.2.Cap.15.pag.186*, robur & vigorem egregiè infundit, oppilationes reſerando efficaciſſimè auxiliatur; inſuper quod calido nativo eſt inimicum optimè fugat, febribus cunctis intermittentibus medela eſt, hydropyſes, paralyſes, ſtupores, affectus melancholicos, frigidosque quoscunque *tanquam Saturni & oblæſæ Lunæ genuina pignora*, veluti *alter ſol quidam* diſcutit & evaneſcere facit. Et quidni Thermæ Martiales hoc præſtent, cum Medicorum Scholis non infrequens ſit, aquis in quibus duntaxat ferrum aliquoties candens exſtinctum cœliacos ac dyſentericos cum applauſu percurare. Principium petere foret, aliquis ſi tentaret hanc laudem & animam ſuffurari Thermis à DEO, Cæſare Carolo & ineffabili effectu divinis? Perennet harum genius, creſcat & ad ultimam usque Mundi auram vigeat! Igitur hoc ſaltim hic fuit, quod, Salva Thermarum famâ, poſt acidulas feliciter compotas monere curæ pretium nobis eſt viſum, ne perperam uni templo duo Numina venirent capiunda, quod aliàs difficultate ſumma non caret.

45. Acidulæ enim per ſe ſunt celeberrimæ & nobiliſſimæ Medicinæ, quæ, quæcunque etiam eæ ſint, vix manus ſubmittunt. *Lipſius vir eruditionis edecumata* aſſiduò in votis habebat: ô ſi *Spada* me habeat, quam me recreem, & refrigerem ambulando, bibendo. *O Spada* Salutifera, quod ſpiro, quod ambulo, quod ſcriptito, tibi acceptum refero:

Quas Tibi Grates
Nympha reponam.
Quas mea Muſa
Et genius dabunt.

Nos hoc encomium lymphæ utrique tam ferventi quam frigidæ tribuimus & pro diverſitate circumſtantiarum has & ſociatas volumus & ſeparatas. Sed conſule, ſi lubet, *opuſculum noſtrum de Acidulis Egranis*, ubi uberius. Quæ jam in genere hactenus de Thermarum uſu & abuſu præfloravimus, id ſpeciatim data in quovis capite planius exponetur opportunitate.

46. Præſtat & reſtat, ut de diæta & modo ſane recteque hic vivendi aliquid nunc adjiciamus. Hanc ergò tabellam & quaſi memoriolam quandam Thermarum ſcaturigini affingimus: MEMENTO. CUR. HIC. Thermas enim non inviſimus, ut edamus & lautè vivamus, ſed ut curemus valetudinem. Cum *Juvenale* ſcilicet poſcimus, ut cænetur civiliter. Quemadmodum enim medicamenta non ad ſatietatem, ſed ad ſalutem corporis accipiuntur, ſic alimenta ſumturus accedas & tantum ad ſuſtentationem corporis iis hic utaris. Nunquam curæ ſit tibi, ut paſcas corpus, ſed ut ſuſtentes illud. Victus tibi ex facili ſit, nec ad voluptatem, ſed ad cibum accede. Palatum tuum excitet fames, non ſapores. Sic ſemper voluptati ſubtrahendum eſt, oneri quod futurum. Lex illa naturæ ſcis quos terminos conſtituat? Non eſurire, non ſitire: Ergò ut famem ſitimque depellas non neceſſe eſt lurconibus applaudere, & luxuriandi mores protinus imitari. Parabile eſt quod natura deſiderat & expoſitum: Ad manum eſt, quod ſatis eſt; ad ſupervacua autem ſudatur, & corpus profectò torquetur. Paucis: Thermæ jubent, ut ibi vivamus omnes ſecundum naturam, hoc eſt, contenti paucis, ſed & concoctu facilibus & vires reficere aptis. Adeò hic utilior ventriculo potius fames eſt & utiliſſima ſobrietas. Verum inſtabis totà hic die peccari, ſicuti nemo eſt ſine vitiis; Nos ut tibi pauliſper indulgeamus, ex *Poëta* reſpondemus:

- - - Optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur.

47. Atque ſic vitiorum abeſſe exceſſum, ſæpè pro virtute eſt. Cæterum quoque quod res non naturales cæteras ſpectat, medium tenere commendamus; & ad *Acidulas noſtrâ Minervâ exaratas*, cumprimis verò ad *Thermas Andreæ Baccii l.2.c.7.* te remittimus, qui opere ſuo ab arte limatiſſimo, ab antiquitate curioſiſſimo, tuæ ultra ſciſcitandi diligentiæ oppidò ſatisfaciet. Nos verò ſub ratione & veritate merere amplius, omnino ſine impotentia, *rumpat ut Ilia virus!* pede tendimus ad reſidua.

CAPUT V.

***Experientiæ vis*, 1. *Communis Thermarum uſus ſuſpectus*, 2.16. *An Thermarum potus approbandus*, 3. *Improbatur penitus*, 17 22.27. *Calidæ & frigidæ uſus in Priſcorum cœnis*, 4. *Calidæ deliciarum cauſa potabantur*, 4. *Calida ſimplex & mixta. Hæc ad ebrietatem uſq; bibebatur*, 6. *Thermopotaturi vacuantia non præmittunt*, 7. *Quas regulas obſervent*, 8. 9 10. 11. 15. *Quibus ſubjectis & affectibus convenire dicantur Thermæ*, 12. 13. *Quibus abſolutè noceant. Lapideſcendi vim habent*, 17. *Aqua lapideſcentis requiſita*, 18. 19. *Fons viſibiliter lapideſcens in Clarimonte*, 20.**

Comparatio Carolinar. cum h. fonte, 21. *Hydrops ſæpe poſt Thermarum potum,* 23. *Veræ & recens à nobis inventa hydropis cauſa,* 24 *Thermæ ſunt ultimum refugium Med.*25. *Notantur Chymica Med. reſpuentes, & Thermæ tamen potum concedentes,*26. *Sero ſapiunt Phryges,* 28

I.

EXperiemur jam, *Lector Lectiſſime,* nihil tam arduum eſſe, quod veritatis virtus non extorqueat. Aucupio quidem Experientiæ ſimulatæ qui utuntur in Medicina, non ſemper argumenta ſuadendi perdunt, veluti & veriſſima ratio ſucceſſibus fieri obſcurior interdum ſolet, atque ſub ſpecie veri præſenti non una abſconduntur ſæpè abſurda; attamen non difficulter falſitas omnis pulſatur, modo rationum veritas, & veritatis rationes ex ipſa Naturæ Artisque baſi objiciantur. Ergo pellamus malas jam aves, quæ veritatem, quæ artem, quæ Naturam ipſam periculoſè lancinant.

2. Ranas hic autem non imitabimur, quæ ex aureâ etiam ſede in ſordidum rivum reſiliunt, neque ad communem illam nos ſemitam flectemus, & cum Thermarum ſcypho errores quoque aliis imbibendos non propinabimus, ſed tale Thermis momentum imputabimus, quo properæ ſanitatis triumphos præparare reverâ valent.

3. Verum antequam animi ſenſa exprimamus, & num Thermæ Carolinæ potui ſint tempeſtivæ, lagenasque hinc expilare an ſalubriter liceat, interrogemus ac decidamus, paucula, quæ hactenus circa hunc Thermarum uſum fuerunt more recepta, prælibare placet.

4. Non autem hic gravi cum cura de *Græcorum ac Romanorum* conſuetudine differemus, in quorum cœnis mentionem duplicis aquæ faciunt Antiquitatum Miniſtri, frigidæ videlicet, dein calidæ, quarum utramque ad potum, & calidam cumprimis in frequentiore uſu fuiſſe ad convivia, quod fervens potius quam gelida proclivius jucundiusque iret in bulgam, præclarè claret vel *ex Lipſii Electis L. I. cap.* 4.

5. Imo non tantum in uſu, ſed in luxu & deliciis præſertim *priſcis* calida erat, dum in Thermopoliis, Comico teſte, tempus lubentes lacerabant, qui vitæ ſolutiori erant dediti.

6. Fuit autem calida hæc tam pura puta, ſolitaria ac ſimplex quam cum meraco pro gulonibus commixta & infuſa, ut hac veluti quodam lenocinio aucupari ſitim & indefeſſum bibendi appetitum poſſent, unde etiam poſt calidæ hujus bibitionem ebriolos inceſſiſſe *Accius* & à crebriori ejus uſu *Cæſarem Tiberium* agnominatum fuiſſe *Biberium Caldium Meronem*, *Hiſtoricus* commemorat. Aſt obiter & ἐκ βραχέως de calidæ uſu aliquid nobis veluti pitiſſaſſe ſufficiat; de quo plena ſi flumina quis cupiat, *ad climata Philologico rore rigata* is contendat.

7. Me-

7. Medicum nunc tenere curſum diſcurſumq; convenit, ubi compendiosè ſtatim de communi Thermarum uſu nos expediemus. Thermopotare igitur quibus eſt cordi, initio putant evacuatione prævia tantoperè opus non eſſe, quoniam purgandi iſta facultas in Thermis copiosè epotis expectatur, & catarcticorum ita ſubſidium à nonnullis malè deſpicitur.

8. Porro tempore matutino ſtomachoque jejuno, ut & pariter à prandio ac imminente veſperâ, digeſtione ſcilicet peracta, Thermis ventrem proluere pergunt, ita tamen, ut ceſſetur ſole nimium æſtuante & feriis præſertim à canicula notis.

9. Inſuper tam fervidas eas, quantum teneritudini faucium perferre eſt poſſibile, exſorbent, ne tepidæ aut frigefactæ inſignes, ut ſolent torminum torturas pariant: item ſenſim ſenſimque ollulas evacuant, (töpffeln vocant) & conclavi diligenter perambulando, ſemetque commovendo potationem celebrant, ut ſic Thermarum hæc ingurgitatio eo citius ac mora penitus ſequeſtrata, loco inteſtino rurſus exturbari poſſit.

10. Denique menſuram quoque non negligunt, quæ cum acidulis fermè eſt eadem, niſi quod illa cumulatior interdum non diſſuadeatur. Ita autem bibendo hic pedetentim jugiter adſcenditur, deinde in ſummo gradu, qui ad congium, vel etiam quatuor cantharos noſtratos ſe extendit, per aliquot dierum ſpatium perſeveratur, & poſtmodum paſſu parili indies deſcenditur rurſum, prout ſemper conſultius Medici quoque, ne de alto cadant clientes, gradus quærere, & viam per poſſeſſionem eos moliri præcipiunt.

11. Neque non attenditur hic etiam ratio temperamentorum, complexionum, affectuum, ſucceſſus utriusque, tàm ſecundi quàm ſiniſtri, & aliarum circumſtantiarum, quarum reſpectu habito nonnunquam largior Thermarum hauſtus, nonnunquam quoque parcior hoſpitibus imponitur, aut progredi potando, aut figere pedem penitus aliquando jubentur.

12. Quod itaque effectum ipſum concernit, quem Thermas oretenus ſumtas præſtare gloriantur *Autores*, eum delineare hic paucis ſenio non erit. Nimirum ratione ♂ & 🜍, quo perquam prægnantes Thermæ ſunt Carolinæ, virtus exſiccandi, reſolvendi, attenuandi, incidendi, aperiendi, mundificandique adſenſu omnium Medicorum illis tribuitur: Unde provocare lotium, ſudores movere, & inſenſibilem promovere tranſpirationem, robur ventriculi calefaciendo revocare, omnia nutritioni miniſtrantia membra roborare, priſtinum adpetitum reſtituere, intemperies viſcera infirmantes emendare, podagram arthritidemque nodoſam enodare, funeſtum aquæ intercutis abſorbere tumorem, pernicioſæ putredini reſiſtere, alvi maternæ recrementa defæcare ac debilitatem refocillare, immodicum fluorum menſtruorum ſiſtere, nervorum funiculos

culos firmare, iſchiadicos dolores levare; vulnera, ulcera & ſcabioſam moleſtiam tollere & alia quam longe plurima atque præſtantiora has Thermas operari concordes pronunciant.

13. Et ſine, ſi contentorum ſupra laudatorum, quibus thermæ noſtræ ſunt animatæ, efficaciam ponderemus, magnam harum virtutum præſtantiam non niſi injurii (*modo reſponderent reliqua*) denegare iis poterimus, præſertim, ſi uſurpantium conſtitutiones ita ſint conſtitutæ, ut vigore expultricis præcipue floreant, & flos juventæ complexioque ſanguinea robuſte ſint præſto. In ejusmodi, inquam, hominibus prædictæ vires Thermarum intrinſecus ſumtarum ſeſe nonnihil oſtendunt, in quibus etiam, ſi cum rigore internum Earundem uſum cuipiam defendere placeat, quodammodo iſtum ſuo loco relinquimus.

14. Aſt macie, aut ſenecta confectis, illisque qui difficulter anhelant, aut tabe linquuntur, vel exulceratione quâdam internâ, virium defectu, corruptione ſanguinis, obſtructionum contumaciâ; & his confinibus malis laborant, atque quod bene terque quaterque benè notandum, in quibus virtus expultrix languet, aqua hæc fervens, utpote ſalſa, neutiquam non obeſt.

15. En axioma, ut parcamus verbis: Proſunt thermæ epotæ (*ſi proſunt*) corporibus, in quibus ſulphur Mercuriusque excedit, & ſal deficit; Ex adverſo autem nocent, ubi ſal prædominatur, & Mercurius ſulphurque ſuccumbunt. Atque hinc applicatio fiat ad horum effectus, natosque exin affectus, & conſequentia erit in promtu.

16. Plura de Thermarum compotatione cum accuratâ circumſtantiarum adjectione, à *nobis* tibi promittere hic noli, quoniam ea (*expectorare demum nos præſtat*) penitiſſimè diſplicet. Cur indignaris hoc animosè edicentibus, aut cur apologare nos aggrederis? Sed malaciſſare te conabimur, qui aleæ hujus diſcrimen nunc ſubire decrevimus. Nihilominus non deſperamus, fore ex ſanè. Eruditis, qui apertis viſceribus & mente propitia ſententiam hanc noſtram recipient. Succenſes adhuc? Flere profecto nolumus, etiamſi anteceſſorum lacrumas conſpiciamus; nec ſudabimus quamvis æſtuent Majores; nec trepidabimus, licet fulgura minentur Adverſarii: Timidus ardeat in metallo ſquameus; Adeo remotiſſimi ſumus ab illa vecordia adverſus rationem conſentiendi.

17. Ergo quod nemini neminique, ſive vigentis ſpiret ætatis adhuc Achillem, ſive curvatus jam ſenio gravi, ſive ſexu depotiore ſit, ſive de ſequiore, ſive integra valetudine polleat, ſive palleat & inſultus membrifragos ſentiat, Thermas Carolinas, ut aſſolet, bibendas fide bonâ ſuadere velimus, queamusque, eſt & urget is liquor in ſaxum aut tophū tranſire oppido idoneus; ſicuti hoc inconſpicuo eſt omnibus, revera has thermas lapideſcentem vim potenter perquam

in ſeſe gerere, quoniam quælibet incilia ſua indies petricoſa, ut ſic dicam, pelle, quamvis ſummo & perpetuo cum fervore decurrentes, evidentiſſimè muniunt.

18. *Summeri* quidem *jam ſæpe citati*, dubitandi hunc ſcopulum devolvere aſſudant, dum ad negotium in lapidem congelandi terna requiſita vocant, nempe magnam aquarum copiam, ingentem urgentemque calorem, & tandem continuam hujus præſentiam; Attamen in confeſſo ſtatim eſt, argumenta hæcce & ſumma imbecillitate & fidei luculento defectu laborare; modo naturalium libram temnere audacia nulla. Ecquis autem non agnoſcit noſtrum, quam in minima etiam aquæ iſtius gutta hæc lapidoſa inſit ſubſtantia, quæ accedente quali quali refrigerio, & aëre cumprimis ambiente confeſtim canalium accreſcit lateribus; Deinde nec quantitas illa tàm exigua eſt, quam tempore curationi deſtinato hoſpites exhaurire, prout ſatis ſuperque id notorium, tenentur. Cæterum rationes cæteræ veri nimium ſunt parcæ, imo planiſſimè falſæ, quum in concretione tophi requiratur potius quoddam directè contrarium.

19. Sic autem res habet: Ingens ſcilicet calor inter alia hoc ipſum medium eſt, quo lapis montis matrici incluſus reſolvitur, quemve poſtmodum ita reſolutum continuus fervor juxta cum aquis educit, & in iisdem, ne elabatur, tamdiu continet, donec à frigore externo aquæ iſtæ alterationem quandam ſuſcipiant, & ſaxo materia hæc reſoluta rurſus indureſcat. Atq; hac ratione eleganter patet, quàm calor ſit ſolutionis & frig⁹ coagulationis principium, atq; fundamentum.

20. Intueri hic exemplum perquàm appoſitum, quod *Excell. Faber. in Hydrogr. Spag. l.* 2. 14. annotavit, & hinc documentum capere jam lubet, ne à vulgato hactenus Thermarum uſu præſumtuoſe aut temere videamur diſcedere: De fonte igitur, quem *Clarimontis ſuburbium in Avernia* habet, ita ſermocinatur *Vir ſagaciſſimus*; Mirus ac ſtupendus eſt hic fons, & ingenia Philoſophorum ferme omnium exercet ac torquet, in inquirendis ſtupendorum ſuorum effectuum cauſis. Exit è rupe, & in ipſo exitu rupes producit, ac lapides albos, ita ut *incolæ hujus urbis*, dum pontes conſtruere cupiunt, ut rivulum fontis hujus permeare poſſint ad hortos ſuos inviſendos, fontis hujus aquam ſuper aſſeres fornicatim extructos tranſilire faciunt, & intra 24. horas pontem lapideum ſolidum habent, ut ſicco pede rivulum fontis permeent. Aqua iſtius fontis viſibiliter permutatur in lapidem, & nihil minus fluit ſemper, ut reliqui alii fontes: Et aqua ejus perlimpida eſt, nec differt colore & limpiditata ab aliis fontibus. Bruta ipſa ſiti oppreſſa falluntur, & aquam ipſam epotant, ni impediantur; At ſi potent ipſam, illico in ventriculo coagulatur in lapidem, unde mors ſubſequitur, ex colico dolore hinc ſuborto, qui bruta omnia, quæ aquam ipſam potarunt, crudeliſſimis torminibus enecat: Unde *incolæ* ſumma cum cautela bruta omnia ſua hinc & procul ab ipſo fonte avertunt. *Hactenus Faber.*

21. Quid

21. Quid quæſo ſcaturigo hæc Thermarum Carolina aliud præſtat, dum ſpatio 24. dierum omnia injecta lapideo involucro amicit idemque efficit, quod fons prædictus 24. horarum obitu? Quid obſecro diverſi portendunt atque minantur vehementes illi inteſtinorum cruciatus, quando ſcilicet aut frigidæ, imò vel adhuc tepidæ Thermarum hæ potantur aquæ? Diſcrepant ergo hi fontes inter ſe invicem exiguum quantum, hoc eſt, ſecundum magis duntaxat, atque ſecundum minus, adeo, ut, ille quod perficit repente, Carolinæ quodammodo magis exhibeant lentè.

22. Itaque ex rationis decreto & nos decernimus concludimusque, nulli propterea, ut ut etiam vividam habeat vim expultricem, tuto pro medicato potu Thermas concedi poſſe. Ratio hæc eſt, quoniam ſemper aliquid hærebit, & vaſa menſererii candicantia aliorumque viſcerum tubuli tophacea hac & à natura noſtra prorſus aliena (quæ non niſi debilitates partium afferre poteſt) materia infarcientur.

23. Unde poſtmodum quoque fieri ab Experientia eſt notiſſimum, ut ſanitatis loco tumidum ventrem referant ſæpe miſelli, & ne valedicant gratis, à Thermis hydropem ſumant mutuum. Et tale quid ſignificatum eunt *verſiculi lingua materna triti:*

Wenn wir der Krancken haben ſatt/
So ſchickn wir ſie ins warme Bad/
Draus bringen ſie ein ſolche Frucht/
Zu deutſch genannt die Waſſerſucht.

24. Quemadmodum autem veterum placita in determinandâ hydropis causâ nobis non placent, ita eam potiſſimum in corroſione à ſalſedine & acredine humorum ortâ aut diſruptione canalium Meſenterii lacteorum quærendam eſſe ſerio ſtatuimus, *id ſuo tempore latius demonſtraturi.* Id ſaltim hic ſubſume, quam non difficile ſit, à lapideſcentibus Thermis tenerrima Meſenterii vaſcula dilacerari poſſe.

25. Conjicere hinc pariter poteris, cur balnea hæc audiant vulgò ultima Medicorum appellatio, remediumque ultimum: nempe exoptatam Medici ſic nacti occaſionem ſe abſolvunt & conclamatos relinquunt.

26. Obiter hic anſa ſe quoque offert perſtringendi illos, qui à Medicamentorum ſpagyricorum, & ex mineralibus quamvis ritè paratorum uſu tanquam à Charybdi velorum remorumque auxilio fugiendum eſſe arbitrantur, quum tamen ad Thermarum pocula crudosque foſſilium liquores, ubi nulla ab inutili facta utilis ſeparatio, remittere clientes nulli vereantur. O memores parum, cœcosque conſilii & infelici Medicinæ partu natos!

27. Sed nihil hic aliud reſtat, quàm ut noſtrâ in ſententiâ perſeverentiam oraculo Plinii confirmemus, qui calidæ uſum damnans dicit notandum eſſe, nullum aliud animal, præter hominem, calidos & non naturales potus ſequi.

28. Candidè autem monere hæc tenor conſcientiæ dictitavit, quæ Medico non præteritas, ſed venientes numerandas eſſe undas vehementer ſalutare cenſet, ne errore tandem diſcuſſò, qui ille ſit, triſtiſſimâ & irreparabili æſtimatione penſare poſt feſtum habeat neceſſum.

CAPUT VI.

Medicorum diſcordia ægrorum Morta, 1. Non diſſentient ratione & experientiâ fulti, 2. Thermæ pro balneis uſurpantur felicius, 3. Veterum in balneando exceſſus. Quæ nocumenta exinde. Balnea quondam officinæ hominum Fullonicæ appell. 4. Moderatus baln. Uſus utiliſſimus, 5. Dubia circa balneandi modum, quæ diluuntur, 6.7.8.9.10. Cautelæ hic obſervandæ, 11.26.29. Evacuatio præmittenda intentioni balneatoriæ, 12.16.27. Morbi Herodiani delineatio, 13. Ad ſanandum hunc Medici male ſuaſerunt balneas, 14. Cur, 15. Diaphoretica in ipſo balnearum uſu adhibenda, 17.18. Confortantia quoq; uſurpanda, 19.30. Catarctica fortiora in ipſo Therm. uſu non conveniunt, 20. Lenitiva & Clyſteres tamen non prohibentur, 21. Pilulæ noſtræ ☿ tuto ſemper deglutiuntur, 22. Olea quædam internè adſumta ſal ſcorbut. domandi præſtantiâ gaudent, 23. Specifica non omittenda, 24. Tempus utendis balneis opportunum, 25. Et contrà, 28. Aquis nimium fervidis non inſidendum, 27. Thermales balneæ & conſervant & reſtituunt ſanitatem, 31. Thermarum encomia & divinæ virtutes, 32.38.40. Balnea vulgaria & Laconica à notiſſimis viribus celebria, 33.35. Balinei Præſtabile etymon, 34. Balnea hecticis ſummè proficua, & cur, 36. Sitim quomodo ſiſtant, 37. Thermarum calor efficax & nobis amiciſſimus, 39. A lotione carnium in culinis uſitata mos balneandi quoq; approbatur, 41. Exemplis aliis balnearum ſalubritas firmatur, 42.

I.

DIſcordare Medicos publica non tam hominum querela, quàm jactura eſt, adeò tot millia mortalium periclitantur utique, qui hoc diſcordi ac prorſus incerto quorundam Medicorum imperiô gubernantur, quive ſub ancipite talis auxilii ægrotant fiduciâ.

2. Hoc ipſum ſanè objici jam nobis omninò *ab antiquæ doctrinæ mancipiis* quidem poſſet, qui in eundem cum iis impingere lapidem hic cavemus, thermas intrinſecè uſurpandas non permittendo: ad rationis tamen te ſacrarium remittimus, eamque inſimul cum experientiâ tibi opponimus nobis applaudentem. Atqui pondus allata proinde argumenta jam habuiſſe, & obtinendi votis à *Benigno Lectore* nos ſincere damnatos eſſe non amplius hæremus.

3. Ita-

3. Itaque nunc ad externum Thermarum veniamus uſum, & altiùs hoc in animum demittamus, Eos, qui Thermis uti pro balneis potiſſimum ſolent, feliciter imò feliciſſimè agere, & id quidem propterea, quod hîc per ancipitia fluctuantium, *ut in proverbio eſt*, curſus non dirigatur, ſicuti in negotio Eas licenter compotandi, ubi periculoſiſſima, *uti jam dictum*, alea & calculus præceps non deficit.

4. De ſano autem harum balnearum uſu ſermo hic nobis erit, & non de conſuetudine veterum abſurdiſſimâ, ubi balneum nihil aliud erat, quàm, *dicente Artemidoro*, tranſitus ad cœnam, adeò ad eam ituri anaticularum more ſe perpetuò merſantes quotidiè lavabant: unde etiam *Imperatorem Commodum* in die ſepties vel octies laviſſe commemorat *Lipſius l. 3 de Magn. Rom. c. 8.* Vires enim adimunt frequentiores balnei uſus, & naturalem roboris vehementiam vehementer relaxant atque diſſolvunt. Unde eleganter R. P. Clemens Alexandrinus lavacra in exceſſu uſurpata vocavit fullonicas hominum officinas, quoniam ſic citiùs, quàm par erat, corpora efficiunt pannoſa, & antè tempus nimium abſtergendo cogunt conſeneſcere, dum non ſecus ac ferrum caro ita mollificatur:

5. Dubium attamen urget nos nullum, hunc balneandi ritum, niſi crebritatis exceſſu eſſet ſuſpectus, valetudini pariter ac vitæ profuiſſe aut prodeſſe potuiſſe, modò eundem celebraſſent cum modo, quem ingeſtum *epigramma vetus* alibi in lapide ſculptum quoque voluit,

B. V. V. *corrumpunt corpora noſtra,*
Conſervant eadem B. V. V.

6. Igitur rectà Thermarum balneas nunc ingredimur, & dubia, quæ diffamare ſalutarem earum ingreſſum parata forſan ſunt, diluere prius animi voluntas eſt. *Prima Antilogia* hæc eſſe poterit; quod balneis hiſce familiariter utentium coma, ſi illa aquis iſtiusmodi perfundatur, neque ſedulò poſtmodum rurſus pectine componatur, paucorum dierum ſpatio lapideâ quaſi cruſtâ obduci poſſit. Quo ſic ſtante, ſubſumtu ipſis, qui hoc inferunt, quam facile eſt, cutis noſtræ ſpiraculis ſeu poris ex lapidoſo hoc liquore obſtructionem non diſſimiliter accidere poſſe.

7. Verum procul procul cum hac meticuloſâ vanitate, quum nodi hujus ſolutio ſit utique in expedito. Nempe corpus ejusmodi, quod in Thermis perluitur, alio quoque & contrario gaudet motu, ab interno ſcilicet calore oborto, & per innumera Pororum foramina confertim tranſpirante aut ſudorem provocante. Apertis ergo hâc ratione poris, Thermalibus aquis ingreſſus non patet, utpote quæ alio potius effectu operationis ſuæ felicitatem exhibent, quemadmodum hujus dilucidationis campus ſe poſtmodum commodius aperiet.

8. Jam *quæritur* ergo an frequentior illa balneandi iteratio, quæ bis quotidiè inſtituitur citra ullam noxam celebrari queat? Atque nos intrepide reſpondemus, quod utique ſit: modo vivendi ratio debita debitè obſervetur, & documenta diætæ, aliarumque rerum non naturalium decenter non negligantur.

9. Sed *obſtat fortaſſis Tibi* Spirituum diſſipatio, quam non exiguam per ſudores in hoc lavacro proficiſci & ut animo quis linquat effici poſſe pertimeſcis. *Dicimus*, quod obſtaculum hoc ſit arundineum, quoniam, (de moderato ejus uſu loquela autem eſt nobis) dum illud, quod corpus aggravat, ſenſim educitur, facilimè virium reſtauratio per alimenta poſtea membris ſic levatis rurſum accedit. Adjuvat nos ita ſentientes æſtimatoria *Magni Hippocratis* autoritas *l. de vict. rat. in morb. acut.* dum ſic effatur; *Si præparationes non fuerint incommodæ, & æger balneum ſit benè ſuſcepturus, lavare tunc quotidie convenit. Illi verò, qui balneo valde delectantur, etiamſi in die bis laverint, planè non peccant.*

10. Rem imò eſſe putamus ſalvam, modò ad operarios mentem conferamus, quos ſudore largo indies quidem calere, & tamen longe valentiores ſanioresque eſſe, quàm otioſam degentes vitam, deprehendimus.

11. Cautè igitur & tutò ut hic agamus, *de integro reſumere regulas hic attendendas* haud opus opinamur, quum *cap. 4. præcedente* multa jam de iis conſumſerimus verba: Tribus attamen illam cautelam geminare hîc lubet, quæ locum meretur principem. Nempe tum demum feliciter utiliterque membra fovebuntur ac perfundentur Thermis, ſi purgatorio univerſali alvus rite & ſufficienter antè fuerit vacuata, atque cumprimis tali quidem pharmaco, quod ex intimæ naturæ lineâ quàm proximè Thermarum genio eſt cognatum, puta, ex regno præſertim Minerali prognatum; quapropter etiam *ſuprà Acidulas laudavimus, ac pilulas pariter noſtras, tàm Mercuriales, quàm Antimoniales*, quarum inſignem præſtantiam *tota familia* ſummum propter emolumentum ab iis ceu tutelaribus acceptum teſtificari poſſunt.

12. Et expurgatio quidem eapropter eſt præmittenda, ne ſcilicet materia peccans, vel deliteſcens jam in partibus externis vitium à Thermarū adverſitate retrò, & intra corpus, hoc eſt, à circumferentia ad centrum ac viſcera nobiliora pellatur, atque ſic negotium aliàs malum pejus deteriusque cadat, id quod præcipuè poterit contingere *in vagâ arthritide, podagrâ, Cheiragâ, ſcorbuto, ſcabie, lue Gallicâ, lepra, & affectibus farinæ hujus aliis.*

13. Recitare *hiſtorias non paucas* hic poſſemus, niſi modum potius, quam multitudinem, eſſe obſervandum nobis jam conſtaret: Quacirco *unicum* duntaxat, ſed ſcitu notatuque exemplum digniſſimum (quamvis id quidem ſingu-

ſingulare, non minus tamen naturale etiam) apponere placet, cujus *videlicet Joſephus, ille curioſus Geſtorum Judaicorum Secretarius*, L. XVII. c. 8. de *Herodis Tyranni illius* Παιδοκτόνȣ morbo his circiter circumſtantiis meminit: Nemeſis cruenti hujus Regis fera membra coquebat rapidâ febre atque torrebat, cujus calor tactu deprehendi non poterat, intus depopulans nihilominus vigorem viſcerum indeſinenter: Caninâ inſuper & dirâ voracitate Tyrannus urgebatur, ut plenis buccis devorare continuò, noctu diuque cum tremore dentium artuumque hinc cogeretur: Angebatur porrò fœda inteſtinorum exulceratione, & afflictiſſimam alvum cruciatibus aſſiduis colon lancinabat: Tumor improbus improba membra & inguina rodente phlegmate inflabat; ſcatebant

——— toto numeroſi corpore vermes,
Et caro ſemiputris ſtygios halabat odores:

Angebatur quoque anguſtiſſima ſpirandi difficultate, & nervi acerbo undique torquebantur convulſu. Quid multis? Languebat & decumbebat ille ineffabili horrendo ac complicatiſſimo ægritudinum agmine, nimirum fulmine Indignationis Divinæ ter juſto quam graviſſimè tactus.

14. Et quamvis incredibilius & ferocius ferox Herodes excruciaretur, quam ut morbo perferendo videretur ſufficere, attamen ſe evaſurum non deſperans ad Medicorum provocabat auxilia atque in conquirendis præſidiis anxiè ſolicitus *ultra ſanctos Jordanis latices* proficiſcebatur, ut *in Calirrhöe fonte illo Paleſtinâ* calido & morbis ſanandis ſaluberrimo qui propter vim Medicam potu etiam ſunt jucundæ, lavaret: In has igitur calidas aquas, & poſtmodum in ſolium oleo refertum de conſilio Medicorum immiſſus, animam ſtatim agere cepit. Memoratum itaque hoc ut maximè commemorabile eſt, ita non injuria nunc hoc Medicorum decretum in quæſtionem à nobis vocatur, an nempe rectè & juxta curandi Methodum Herodi conſuluerint illi, ut ſe huic aquarum calori ſic affectus concrederet? Nobis ſane actutum Artis præcepta dictitant, ut omnino à dato hoc conſilio refugiamus, facto ſcilicet cauſarum tam naturaliter, quam præter naturam ſe habentium examine, quod evidentiſſime inevitabilem perniciem in hac malorum caterva exinde ſubortam probat atque oſtendit; niſi quis in truculenta morborum hoſtilitate mortem tanquam ejusdem terminum ac finem accelerate ſatius ſalutariusque eſſe exiſtimet.

15. Cæterum iſta Medicorum turba imperitiam ſuam ſic manifeſte prodidit, craſſè videlicet ignorans, quod vermiculi iſti tàm viſu conſpicui quàm ſub cute & intra muſculorum parietes adhuc latentes Thermarum contrarietatem tanquam internecioné ſuam perſentiſcendo omni conatu effugere conentur, atq; refugium ſuum intra corpus, cordis atrium verſus, verſusq; principium vitæ ſu-

mere

mere cogantur: Unde etiam Herodi lotura hæc eam ipſam ob cauſam cum vitalium extinctione extitit tandem infauſta atque feralis.

16. Ergo nunc *vides*, cur corpus evacuatum & probè repurgatum ante lavationes hasce tàm religioſe expoſtulemus, & cur requiſita jugiter alia non ſusque deque habita hic velimus.

17. Nempe evacuationibus rite peractis Thermas uſurpant lavando proſperiori cum ſucceſſu, ſi *Præſtantibus Diaphoreticis ac ſudoriferis, ſeu expellentibus aliis* ſe muniant, atque diligenter *corroborantibus* una jam lavacrum ingreſſuri ſeſe præſervent, v. g. *Bezoardico ſolari Tinct. Bezoardicâ Ampliſſ. Dn. D. Joannis Michaëlis, Collegæ mei conjunctiſſimi*, ♉ *Diaphor & florib. ejus fixatis noſtris, cum Robſamb. mixtis*, ☿ *rite præcipitato, Acet.* ☿*iali utroq; etiam noſtro, C.C. Philoſoph parato:*

18. His ſingulis, inquam cavebitur, ne vitioſa materia, ſi qua poſt evacuationem in extremâ partium ſuperficie reſidua eſt, recurrat ad interiora & præcordia, ſed potius viæ plene planeque transſpirandi ſic recludentur, atque exhalandi negotium optato promovebitur. Neque ſufficit iisdem remediis paulo ante balnearum uti ingreſſum, ſed poſt egreſſum quoque ſudor iis in lecto ulterius ſuaviter, quantum vires valent, ciendus, atque ſic corporis oræ ab humorum moleſtia ſunt expediundæ.

19. Poſtea pro virium refectione *4. gr. ambræ gryſ. in ovo ſorbili*, vel *aliquot guttulæ Tinct. ſ. alius laudabilis ſolutionis* ☉ *in vinaria intrita, item eſſent. Cinam. Roris Mar. ſalviæ &c.* commodiusculè dantur: His enim efficaciter proſpicitur, ne natura in hoc certamine ſuccumbat, atque ut æger ad ſuſtinendam curæ perfectionem plus ultra valeat.

20. Hinc facile judicium in ſuper facere quis poterit, quid *de Catarcticis* in ipſo Carolinarum externo uſu ſit ſtatuendum, num illa quandoque porrigenda? Sciendûm igitur hoc in paſſu ſuggerimus, quod purgantia illa, quantum poſſibile, ſint fugienda, ne ſcil. Natura contrariis tam oneretur, quam turbetur motibus; Dum etenim ea tum temporis in propulſione humorum à partibus internis ad externas eſt occupata, aſſumtione pharmaci purgantis facilime ab intentione ſuâ revocari poteſt, ita ut materia peccans perperam ſic fiat retrograda: & in contrariam rurſus cum periculo trahatur viam, evadatque, præſertim ſi non lenitiva ſed violenta ſint purgantia, notoriè malignior, quæ tamen in extremo corporis limine jam hærens ad evaneſcendum exſudandumque erat promtiſſima. Majorem, *inquam*, malignitatis gradum in hoc recurſu adipiſcitur materia hæc vitioſa; Si enim coctionis primæ vitium, in ſecundâ atque in tertiâ correctionem reſpuat, quomodo id quæſo emendari poterit, quod per omnia trium coctionum negotia temeratum eſt, & poſtmodum nequitia hac inſtructum medio circulationis retrocedere cogitur. Dubio ſine ſic malum ingraveſcet, & profundius diſſeminabitur illud.

21. Sed

21. Sed adſtrictam alvum *hic nobis objices*, ſive quis illam inſitâ naturâ habeat familiarem, ſive contingat propter expultricem minus alacrem, quam dejiciendi impotentiam caliditas balnei mirè adauget, & multa ſic incommoda parit: Ideoque dices, utique purgantibus huic inconvenientiæ ſuccurrendum. Atque non minus rectè quam provide id infers, & proinde hunc etiam conatum tuum diſtinguendi ope adjuvamus. In propatulo autem ducimus eſſe *ex jam præmiſſis*, quænam purgantia hic procul arcenda ſuadeamus, nempe violenta & fortiora; reliqua verò, quæ *ſuaviter laxandi & non tam alvum movendi, quam emolliendi & molliter eam aperiendi facultate* pollent, tutò uſurpari hic poſſe pronunciamus. Ad uſum igitur transfer *enemata*, & iisdem eam partem prolue, qua ciborum reddi onera maximè eſt ſalubre.

22. Uſurpabis qnoque commodiſſimè, ſi medicamen inferius infundendum averſaris, unam vel alteram de *pilul. noſtris ☿libus*, in quarum commendatione Te non offendat, quod ☿. aliàs omnium catarcticorum ſit fortiſſimum, adeo ut ἄνω καὶ κάτω humores potentiſſimè moveat, quoniam *ex ſupra monitis* amplius non ignoras, ☿ *hoc noſtrum ſpagyricè præparatum & maximam partem ſiccatum ita exiſtere*, ut damni exinde nihil penitus, ſed multum potius utilitatis certò exſpectandum. Sic enim hæc catapotia inſenſibiliter fermè alvo compreſſæ libertatem reſtituunt, & pituitam jugiter ex maſſa ſanguinea trahendo, aſſugendoque, dum calore Thermarum ac ſudore circulatio ſanguinis ex animi ſententia promovetur, egregiè ſuo perfunguntur officio, inprimis quod hunc ſanguinis motum ob *junctam aliqualem diaphoreticam ☿ii naturam* hæ Pilulæ planiſſimè non impediant.

23. Toties crede expertis. Cum fructu denique recurres hic etiam *ad Elixir Proprietatis*; item ad *olea quædam temperata*, quæ potiſſimum nimiæ ventriculi atque ſplenis aciditati medentur, quæve corporibus ſale ſcorbutico abundantibus, & propterea *calculo, podagrâ maraſmoque* laborantibus, ac contabeſcentibus ſingulari virtute auxiliantur: adeo olea hæc acori nimio efficaciter contemperando eum, inſigniter reſiſtunt, & exterminant, neque eundem ſemel ſublatum poſtea tam facile recipiunt, veluti alias olea à ſuavitate ſua in aceroſam feritatem tam citò non degenerant. *Ampliſſimum philoſophandi ſpatium hic quidem ſe nobis ſiſtit, quod tamen alio tempore commodius fortè occupabimus.*

24. Tandem utroque, quod dicitur pollice commendamus etiam adpropriata & ſpecifica perita manu porrigenda, præſertim ſi morbi intimius nupſerint, quæ alias altiores & penetrantiſſimas exigere Medicinas ſolent.

25. Sed *pergendum*, & quid lavacrum ingreſſuro obſervandum, hic ſtatim adjiciendum eſt: Tempus igitur opportunum Sol reſurgens præbet, & à

 veſpe-

veſperis, trium horarum ſpatio, antequam diem is condat: His namque horis præter clementiam Phœbi venter à coctione immunis eſt, ac eò ad balneum magis idoneus, quò vacans longius.

26. Biretto etiam conſcendat impoſito lavacrum ne vaporibus repleatur Palladis palatium, neve crines rigidi ab aqua tophacea fiant ac hiſpidi.

27. Ulterius has quoque diſpenſamus leges, ne aquis nimium calidis ſe quiſpiam immittat, vel immoretur diutius in iis, quam vires ferant: Immoderatus enim calor externus internum innatumque exhaurit & difflat, unde animi deliquia quàm ſæpiſſimè ſubſequuntur, prout omne violentum & nimium Naturæ noſtræ ſemper eſt inimicum, & calor externus vehementior elicere ſtatim internum ſolet, corpusque ſic infrigidatum relinquit, *juxta illud Avicennæ teſtimonium*; quo calidi balnei uſum nimis protractum, corpus frigefactare aſſeritur. Et id quoque eſt, quod *Cœlius LXVI. antiq. Lect. c.* 44. monet, Thermas ferventiores uſui eſſe non poſſe, niſi quodammodo fervor ille in aperto evanuerit, aut alia ratione e.g. agitatione, vel mixtura frigidæ intepuerit.

28. Hic pariter concluſu non difficile eſt, Thermas convenire minus, quando laſſa aliàs corpora Sirius ardor exanimat.

29. Redeuntes tandem è balneo *frigido Jovi* ſe confeſtim non exponant, ſed potius in hypocauſtum, vel lectum ſe recipiant, ne aer frigidus in poros hiantes ſe inſinuet, & præpoſtera eorum hinc obſtructio propulſionem humoris peccantis temere impediat: Neque etiam *frigidis potionibus aut intritis ex cereviſiâ* paratis ſe adimpleant, cum abſque hæſitatione jam pridem notiſſimum ſit, quàm viſceribus ſuo calore deſtitutis, aut qui curſu vel exercitio alio æſtuant, hauſtus frigidus aut penitus lethalis, aut ſummè eveniat nocivus. Unde *Divinus Senex l. de vict. rat. in morb. acut.* plane etiam prohibere amavit, ne quis citò poſt balneum aut ſorbeat, aut bibat.

30. Ergo non benigni non audiemus intritas permittentes vinarias, aut confortantia ſeu analeptica alia propinantes, quorum mentio jam antea eſt facta.

31. Sed ut arbos ad fructum perducta demum Agriculam delectat, & Paſtor ex fœtura gregis ſui voluptatem capit, ita Medicus ſane tunc artis perfruitur famâ, ſi medicamen aut non abſentem tueatur ſanitatem, aut ſine incertitudine ſi referat præſentem. Hoc ipſo encomio egregiè Thermas Carolinas illuſtrat Medicina, utpote quæ utroque clarent effectu, & hoc clarore lucent tam iis, qui ſani eſſe, quam fieri qui tales diſcupiunt, modo eorum culpâ, qui his inſident, iſtud beneficium non degeneret.

32. Tam admiranda, inquam & ineffabilis penè non raro Thermarum

fuit

fuit bonitas, ut uno conſentiendi ſenſu *apud Priſcos* hæc ipſa Numen roburque Deorum obtineret, ac proinde inter mera mira effectus hic ſpecioſus connumeraretur, inquè deploratiſſimis malis ad Thermas tanquam ad certam, ſincerâque efficaciâ certiſſimam anchoram confugeretur. Hinc *ab Herophilo* balnea iſta ſalutares Deorum manus dicebantur & requies adhuc morborum potentiſſima *paſſim* audiunt.

33. *A minori ad majus ratiocinari nobis jam liceat*, ita ut lavacra vel vulgaria, & ex illis præſertim Laconica ad teſtimonium hic citentur, quorum uſus, ſi debito moderamine ineatur, majori laude eſt dignus, quàm levi ut calamo illa exprimi poſſit. Adpoſite *Philoſtratus* ait: ΓΥΡΑϹ ΑΝΘΡΩΠΩΝΤΑ ΒΑΛΑΝΕΙΑ. Promittunt annorum multitudinem Balnea, & variis eadem ægritudinibus omnino medicantur.

34. Atque non abſone hinc D. *Auguſt. in lib. confeſſ.* refert *βαλανεῖον* ſic adpellari, quoniam *βάλλει τὰς ἀνίας mœrorem anxietatemque ex animo pellit*, profligando ſcilicet illa ex corpore obſtacula, quæ mentis otium turbant. Non diſſentit *ipſe Medentum Parens Hippocrates l. de vict. rat. in morb. acut.* dum ita ſentit: *Balneum multis in morbis opem* præſentiſſimam *tulit eò ritè utentibus; convenit autem præcipuè in peripneumoniis, utpote quod lateris, pectorisque ac dorſi dolorem lenit, ſputum facit maturum & educit; ſpirationem reddit facilem ac laſſitudinem eximit; quoniam articulos & cutis ſuperficiem mollit; ſed & lotium ciet, capitis gravitatem ſolvit, naresque humectat.* O quantum fluens de corpore ſudor atque hæc balnea beneficium conferunt ſcabrâ ſcabie turpatis, quantum infectis iſta peſſimi commatis lue, qua merce de milites ſuos caſtra libidinis tandem condignè penſant; imò purgantur ſic oppido immundæ contagia lepræ, quod ipſum ſacroſancti ſatis teſtantur *Annales* in *Naemanno leproſo*, cui tale ex natura tota remedium divina ſuggeſſit ſapientia, licet ad cauſſam hanc ſecundam roboris divini argumenta quoque acceſſiſſe inficias non eamus.

36. *Zacutus Luſitanus paſſim in hiſtoriâ Medicinæ Princip.* nuntiat balnea magni valoris eſſe in percuranda Hectica; atque hanc ipſam adſertionem ſucceſſui reſpondere nobis pariter veriſimile videtur, modò cauſa hujus effectus genuina, quæ male ad humectationem tantum refertur, data fuiſſet: Idcirco nos eam dabimus provocantes ad ſalis volatilis ac Mordacis productionem, quam potenter præſtat balneorum hæc virtus.

37. Exinde tu collige natales erroris, quo multi per foraminulentã cutis ſuperficiẽ in balneo aquam penetralibus corporis ſe inſinuare atq; hinc egregiam ea nanciſci irrigationem exiſtimarunt, adeo ut hac ratione etiam ſitim ipſis

 ſitien-

ſitientibus balnea auferre poſſe crederent: Unde *P. Clemens Alexandr.* quoque aſſeverare non hæſit, corpora noſtra quodammodo haud ſecus ac arbores non ſolum ore. Sed quoque iis, qui ſunt in toto corpore, meatibus (ſeu poris) inter lavandum bibere, atque ſic hinc ſiti ſiccos in aquas deſcendendo remedium ſitis ſic invenire: Quem tamen effectum nos potius exhalationibus aquarum reſpirandi via attractis tribuere & abſurda alia, quæ maſſæ ſanguineæ hinc contingere poſſent præterire volumus.

38. Non ſine efficaciâ igitur nunc ſubſumimus atque concludimus, ad ſanandum aptiores utique exiſtere aquas anima minerali ac metallica afflatas, principiis atque virtutibus valentioribus gravidas. *Supra jam denominata Thermarum intima te* monent, ne perperam hic Temet opponas, quippe quorum præſtabilis nec profana, quia pulchrè ſalina, præſtantia & præſentia in Thermis Carolinis jam ad ſatiem probata atque declarata eſt.

39. Aſt adhuc ut declaretur probeturque illa, tuum forſitan deſiderium eſt, id quod etiam explere, ſed paucis, non abnuimus. Thermarum nomen videlicet benevolentiam caloris uberrimam ſtatim oſtentat, cujus vel ſolius efficacia ingens bonum promittit, quod alias vix ulla proſperitas largiri valet. Atqui in rem judicatam jam diu tranſiit, calidum noſtrum nativum mire vel ſolo calore refocillari, prout quæcunque reſtauratio à ſimili ſemper eſt facilima, naturæ amiciſſima, atque proinde articulis omnibus bellè conveniens. Et hoc præſuppoſito ſupponitur confeſtim rurſus, cunctos à debilitate caloris provenientes adfectus Thermarum medio fomentoque corrigi, propulſari atque evinci non difficulter poſſe. Adeo blandus ille & placidus, æquus & Naturæ affatim amicabilis calor cutaneos in balneo reſerat meatus & cum ſalubri liquore junctus intercutem ſqualorem, quemadmodum pariter ac Sal illud volatile ſcorbuticumque reſolvit atque extrahit, ſimulque jam contractas exinde noxas auferre indefeſſo conatu non deſiſtit: hâc itaque operatione ipſa partes corporis diſtentæ ac tumentes promtè poſtmodum ſubſidunt, nec non *ulcera ſat maligna rapaciaque imo ἄγρια ſeu verè fera & Telephia*, factâ ſic corroſivi illius ſalis felici extractione, admirabili ſucceſſu ſanantur.

40. Deinde quid valeant Thermæ, illæque cumprimis Salinæ, ac Martiales, & proinde Vitriolatæ nonnihil atque 🜍reæ, ſicuti hoc charactere jam notiſſimæ ſunt Carolinæ, non eſt verborum ut prodigentiam adhibeamus; ſufficit enim ſi *caleſaciendi, ſi peccantem materiem ad cutis circumferentiam evocandi, evocatamque expurgandi & ab omni recremento liberandi, item dolores ex frigiditate natos migitandi, nervos artusque & muſculorum capita, ſi à duritie quadam occupata ſint illa, emolliendi, porro partes ab humore nimio reſolutas laxatasque roborandi ac na-*

turalem

turalem ad ſiccitatis tenorem reducendi, jecur, ſplenem ac matricem, cum obduruerint, attenuandi; juſta fœminarum ſuppreſſa provocandi, & luxurantia frænandi, lapicinam renum ac veſicæ tollendi, aliasque ſuperfluitates relegandi virtute virtuoſiſſima pollere eas edicamus.

41. Matæotechniam aut vanos Medicinæ Canones hoc in capite nos haud adpoſuiſſe *Balnei maſtix* experietur vel *ab unctis tinctisque fuligine cocis*, quibus quotidianum, rancidulam, ſemique putridam carnem, ut gulæ ſaporem adferre ſit apta, ſæpe volutam probè ac revolutam aquis iterum iterumque recentibus lavare & per aliquot horas merſare iis, donec unico hoc remedio efficiant, ne fœtor ſic extractus amplius nares corruget, atque faſtidium moveat. Si itaque in carne exanimi id fieri poteſt, eccur non potius & multo magis in corpore, quod vitalis adhuc veſcitur auræ ſpiritu? Certe immerſiones hæ & ablutiones illæ vivaciorem omnino ſpondent hîc effectum, ubi nimirum calor nativus intrinſecus coagendo, & per ſudorem undique membra mundando ſedulo eſt jugiter occupatus.

42. Ita enim videmus teneſſos & lactis alumnos aſſidue lotos optatius augmentum ſumere, atque *moletrinæ aſſeſſores* illa luto amica animantia felicius ſaginant frequentius ea in flumen demittendo. Tacemus beſtias omnes, quibus inſita quadam ſcientia aquarum non ignotus eſt uſus, dum crebro & lubenter eas ingredi aſſolent. Tu adplica hæc conjiciendi momenta alterius ad Thermas noſtras; & uſum earum, illumque externum, deprehendos bona fide retinentiſſimum Medicinæ, has mediocritatis ſalubritatisque leges fideliter dictitantis, ut ventri bene ſit, ut lateribus pedibusque non ſit male, quo ſane beneficio nil

Divitiæ poterunt regales addere majus.

CAPUT VII. Ac ultimum.

Thermarum vigor potens Morborum domitor, 1. *Mos balneandi ad cutis eroſionem usque*, 2. *Propter doloris metum rejicitur à delicatis*, 3. *Magno cum fructu is tamen celebratur*, 4. 9 *Temporis electio circa hoc negotium*, 5. *Modus medendi ſic cutem*, 6. *Regulæ alia hic obſervandæ*, 7. *Eroſio hæc à ſubfrigida, non verò calidâ aquâ provocatur, & cur?* 8. *Acerba nonnihil hæc curandi methodus quidem, fructus autem eſt dulciſſimus*, 10. *In Puteolano tractu tot efficaces aquæ, quos fermè morbi; Schedulis affixis virtutes earum deſignabantur*, 11. *Has ex avaritiâ Medici quidam detraxerunt*, 12. *Sed non impune*, 13. *Medicus*

cus invidus communi odio dignus, 14. *Avaritia in Medico taxatur*, 15. *Invidia Medicinæ pernitioſiſſima*, 16. *Fidelis & ſincerus omnis ſit Medicus*, 17. *Artis ſuæ incrementum unicè meditetur*, 18. *De qua cumprimis bene meretur Chymicus*, 19. *Chymiæ encomia*, 20. *Epilogus ad Fautores & oſores*, 21.

I.

RAptim *hâc quaſi paginâ nunc* fruiſci & verba compeſcere convenit, quum abunde ſatis curvo hactenus rectum dignoverimus. Hæc terræ munera nempe & hoc telluris robur ita devenerati ſumus, ut vitæ gladium (*Helmontius morbum ſic nuncupat*) pene quemcunque, Deo clementer largiente, feliciter confringere liceat.

2. Sed diludia jam jam poſtulaturi id ſane omittendum minime hic cenſemus, quod circa Thermarum non infrequens eſt balnea, dum ad cutis eroſionem usque iis non pauci conſueverunt uti.

3. Attamen hunc ipſum nihilominus balneandi ritum quibus cuticula curæ eſt, & ſententia quibus delicatior placet, maximopere deteſtantur utpote quod medendi genus aliqua crudelitatis famâ non carere exiſtimant.

4. Verum næ aliter pronuntiaverint illi, modo intelligerent, quantum interpetrare boni exinde ad ſervandum ſanitatis bonum daretur. Ergo dicimus, neminem ſe incaſſum per Thermas deglubere, quoniam hoc medio multum ſalſi, multum ſeroſi & mordacis, multumque pituitoſi viſcidi ac pertinacis effluit educiturque humoris, qui alias infenſiſſimos articulis inferre cruciatus, & nervos muſculosque convulſiva afficere miſeria, aut glutinoſa ſubſtantia ſua quæ nudo ſudore tam facile non propellitur; niſi poris ex aſſe apertis, obſtruendo partes orbare motu ſuo eſt aptiſſimus.

5. Cuticulam ſic depaſcendi rationem admodum eſſe proficuam jam patet, idcirco tempus deſignandum nunc reſtat una cum circumſtantiis cœteris.

6. Illud mox ante diſceſſum è Thermis hisce eſt adprehendendum; Modus vero eroſionem hanc procurandi poſcit, ut cotidie ſpatio ſex circiter horarum balneo non calido, ſed ſubfrigido ſeu tepido intentionem hanc ſuſcepturi utantur, donec decorticatio ſufficiens cum pruritu ac puſtulis ſuccedat, & effloreſcere denuo epidermis incipiat.

7. Porrò & hoc animadvertendum, durante hac excoriatione in lecto ſudori utique indulgendum eſſe, ut ſalſi, ſeroſi ac glutinoſi humores iſti in vaſis exter-

externis & muſculorum carne contenti eo melius citiusque & minori cum moleſtia excerni queant; ſicuti pariter à *catarcticis & potu Thermarum*, ſi forte quispiam hoc abſurde delectetur, tum temporis toto animo eſt abſtinendum, vitioſa ne materia perperam revocetur, *recte ſic hortante Hildano p. m. 651.* De *Clyſteribus* tamen & *lenitivis*, nec non *de pilulis noſtris* ♂ *alibus* id neutiquam accipiendum eſt, ſiquidem illa naturæ auſus planiſſime non turbent, hæ vero quam impenſe proſint, ob junctam quoque diaphoreticam indolem, qua ad repurgationem ſuſpecti ſanguinis egregiè juxtim conferre valent. Quid multis? *Medico præſenti* hæc omnia incumbunt accuratius providenda, qui tum demum peritiſſimum titulum meretur, exactè ſi noverit, quid natura amet, aut quid reſpuat illa.

8. Verum perſentiſcimus omnino curioſitatem adſciſcitandum te impellere ulterius, quinam fiat, quod thermæ tepefactæ aut frigidæ hanc cutim erodendi vim duntaxat habeant, non vero calidæ, utpote quæ potius eroſionem jam præſentem conſolidare valent? Quæſtio hæc ut reverà ſcitu perdigna ac curioſa eſt, ita & brevibus decidere eam conatu omni annitemur. Non igitur obſtat, ſive Thermales aquæ ferveant, ſive tepeant, ſive etiam frigeant, unas & eaſdem ſemper exiſtere illas, ac proinde uno eodemque pariter effectu pollere nullo non tempore iſtas debere; Sed aliud ſubeſt, quod in hac ipſa actione diligenter eſt obſervandum. Id nempe eſt hujus effectus in hoc capite caput; Calens balneum ſemper ſudorem è corpore provocat, cujus adſiduus effluxus Thermarum in poros influxum manifeſtè ſic impedit: Aſt uſus balnei ſubfrigidi ſudorem potius facit ceſſare, quo ceſſante, Thermalis aqua libere agit, atque ſine impedimento ita agendo in poros corporis penetrat, penetrata toto balnei tempore ibi perſeverat, ſuaque ſalina acredine, ac corrodente vi primò dolorem quendam progignit, quem poſtea ſtatim ſalſi ſeroſique humores adfluendo excipiunt, indubitati exulcerationis hujus compatres.

9. De ſumma autem eroſionis iſtiusmodi utilitate adhuc qui dubitat, is conſideret ſaltim exantlatos ſcabiei labores, morbillorum quoque ac variolarum exanthemata, & noſtræ opinionis non difficulter ſe ſcribet, quoniam ſolida ſanitate ſic repurgatos & ex fundamento defœcatos impoſterum gaudere fida experientia docet.

10. Amaritie quadam hæc curandi methodus quidem non deſtituitur, attamen paulo poſt dulciſſimus integræ exoptatæque hinc valetudinis fructus illam penitus ex animo delet, prout lana ſordidiſſimis antea ſqualoribus in-

quinan-

quinanda eſt , antequam purpuræ fulgor eam imbuat ; ut nec aquila prius agnoſcit fœtũ, quàm agnoſcere dubitaverit; ſic & illis cedit in fructum acceptiſſimum moleſtiâ quadam fuiſſe prius adfectos.

11. Verum enim verò ultimam manum opuſculo huic jam jam impoſituros non tædet *hiſtoriam* hic recenſere, quæ aquarum remedia in *Puteolano tractu* concernit, quarum tot natura ibi conſtituit, quot morborum generibus adfliguntur mortales: Atque hiſce ſingulis Medicatis fontibus affixas fuiſſe ſchedulas olim crediderunt, quæ virtutes eorum, & qua ratione eſſent uſurpandi, adeo fideliter recteque ſignificarent, ut plebecula neglectis plane Medicorum conſiliis ad aquas modò concurreret, & ex ſchedularum præſcripto ſanitatem ſine impenſa ulla brevi ſic manu ſibi compararet.

12. Hinc *Medici quidam Salernitani* in Naturæ beneficentiam invidi & fœtidum lucrum commodo publico præponentes conſcensâ cymbula transmittere Puteolos & ſchedulas omnes, ne gratuita hâc Naturæ Medicina impoſterum uti populus calleret, detrahere nullam penitus religionem putarunt. Sed & eventum audi:

13. Deus in facinus improbum juſta ſeveritate acer ad vindictam Oceani furorem armavit, & ſcapham una cum vectoribus fluctu decumano oppreſſit. Verum adeo eſt, quod dicitur, qui miſeris (ægrotisque) invident, neceſſum eſſe, ut ipſi ſint miſerrimi; quemadmodum etiam iſtos medicos miſeram animi ſui pauperiem non ſentientes miſerrimos irata Tethys non injuria reddidit.

14. O quam alienum hoc exemplum eſt à Medicorum nomine, quod eſſe omni ex parte gratioſum & blandulam Charitum trigam ſpirare ex requiſito debet. Dedecorant ſane Medicum invidendi conſilia vehementiſſime & quorumvis odio digniſſimum peſtilens hujus vitii amor eum efficit. Infidus eſt invidus Medicus & omni fide incertiſſimus. Abſit hoc ergo impiæ atque injuſtæ nefas invidiæ à Cordato Medico, qui officioſiſſimas manus ad omnia ægris profutura tenetur potius promittere. φθονοῦσιν αὐτοὶ χείρονες πεφυκότες.

15. Sic & multò magis profecto graviſſima Medico infamia eſt, ſecundam valetudinem invidere aliis, & eo adlaborare, ut aut ægreſcant homines, aut ægritudo eorum ingraveſcat, veluti id *Philemon hujus larvæ Medicis invidis avarisque* lepide objicit & ſubſannat.

——— O quam ſeſe habet
Medicus male omnis nemo ſi male ſeſe habet.

16. Multa de multifario invidiæ in Medica ſchola exercitio adduci hic poſſent,

ſent, dum aut ſemetipſos invicem non ſine ſcandalo rodunt, aut peſſimè præſtant, ut, quemadmodum invidia morbus amicitiæ eſt pernicioſiſſimus, ita & hac ipſa non levis rubigo eminentiſſimæ Medicinæ accedat, tam cum præſentiſſimo Artis decremento, quam manifeſto pariter ægrorum cum detrimento aut interitu.

17. Ideoque ut Auguſta Medicinæ gloria ſanæ poſteritati poſſit intemerata ac infulgens tradi, animum mente ſincera gerant hujus artificii Myſtæ, album clientibus ſuis oſtendant pectus, & ab inaſſueto quaſi candore celeberrimos ſe reddant. Fidem fidelitatis & humanitatis undique ſibi diligenter faciant, ſtudeantque ne in curando ægro ipſis fuerit circumſpectior ac diligentior alter.

18. Sic nuda placeat virtus, & ſcientia Medica ſic vigeat, ut ſummum *inter ejus cultores* quoque ſit certamen, ne quid profuturum hic diu deliteſcat. Cur quæſo omnium herbarum ſuccos diligentiſſimè expreſſit *Democritus?* Certè commodi cauſa publici, & ita etiam *is ipſe*, ne lapidum virgultorumque vis lateret abſcondita, ætatem inter experimenta conſumſit. Crede Tu nobis, *Chariſſime Lector*, Nihil tam certum in Medicina eſſe, quam negotio illuſtrandi Artem multarum difficultatum nebulas efficaciſſimè diſcuti.

19. Adeo nihil hic eſt, quod non expugnet pertinacior opera, & intenta exque *Spagyricorum* cumprimis nata cerebro cura, in quam non humiles cauſæ ſed prægnantiſſimus ſcopus nos vocat, & tuendæ aut reſtaurandæ ſanitatis præcepta bonos Medicos etiam in actu, *ut ſic dicam*, mori religioſè imperant. Urget ſanitatis ſcilicet nobilitas, hujus ut cauſa omnem ſpeculando, quærendo, inquirendo, adinveniendo, adplicandoque moveamus lapidem, ut inquam ad procurandum divinum hoc commodum obſtantia clauſtra animoſe rumpamus, & libertatem veritatemque metallis potiorem in negotio hoc præſtantiſſimo reputemus.

20. Chymia noſter eſt amor, & tuum non diſſimiliter ea ſit delicium. Medicinæ gloria eſt Chymia, gaudiumque Noſocomii: roſa Medentum, liliumque Artis eſt illa: Pulchræ virtutis uva delicata & prima Gratioſorum gratia, veneranda eſt Chymia. Hæc hæc eſt, quæ navim Medicinæ ab omnibus argutiarum ſalebris avertit, & velificationem cunctam ad exoptatæ intentionis portum dirigit. Hanc ipſam qui ſequitur *Medicinæ conſectaneus*, ut Theſeium filum, tutus in omnibus labyrinthis eſt eritque ab errorum periculo. Hac lucente ſplendidius fulget Medicina, & fulgentius ipſa naturalium ſcientia ſplendet.

21. Atque ſic hactenus fortaſſe monſtravimus, quid diſtent æra lupinis;

Tu vero ſi benevolentiam ex adverſo nobis commonſtraveris; ad votum *nos* veniſſe omninò judicabimus: Quidquid tamen tu ſenties, *Theon*, aut quidquid temere carpes, animus noſter nihilominus ſe non effugiet, & veritatis viam premere numquam intermittet. Interim cenſendi ſinceritas tibi ſi deficit, non deficit *vates* nos bono animo eſſe jubens, dum ait:

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit:

Et proinde tenui nobis ſunt cenſu *omnes Zoili*, qui ve limo hæc noſtra oculo limabunt. *Lectori* tandem *Secundo* omnia adprecamur ſecunda, *Patronoſque* noſtros egregie ut habere, ita *lividos* non amplius deſipere mentis jubemus.

LAUS ET GLORIA IN EXCELSIS DEO SANCTISSIMO.

INDEX.

INDEX.

A.

ACetum menſtruum.4. refrigerat, incidit, diſcutit ibid. Vermes enecat. 5. extrinſece in vulneribus ani & uteri procidentis valet. ibid.
Acetum vitriolatum Mercuriale Autoris.5.
Aceti Synonymia 3.ſeq.ejus uſus in metallorum ac mineralium putrefactione ac correctione.4.
Acida podagricis nocent.21.
Acidiari quid.167.
Acidularum ἔτυμον. 167. earum ſacra illotis pedibus ne ingrediaris. 173.
Acidulæ an ſalubriter tutoque ingurgitari poſſint. 160.163. eorum, qui negant, commenta.160.ſeq.an conducant pueris & adoleſcentibus, 161. negantium argumenta ſub examen revocantur.162.an aquatilibus proſint. 169. probatur hiſtoria, quod non.ibid. acidulæ ſibi certas & ſtatutas depoſcunt horas 183.ante prandium uſurpandæ.184. inducunt appetitum edendi. 186. obtinent huc uſque campum cum crebra morborum ſtrage.187. tollunt laborantis ſtomachi ſupplicia.ibid. obſtructiones. ibid. hepati & lieni conſulunt.187. ex ſuo fonte melius bibuntur.194.transferri tamen queunt.ibid.artificiales quæ.194.
Acidulæ & thermæ ſororio ſe affectu complectuntur.195.de acidulis quinam ſcripſerint.166. poſt earum uſum thermas omnibus ingredi non licet. 244. ſi effectum amas acidularum ſalutarem, medicinam familiariter oſculare.181. eorum qui negligunt detrimentum. ibid. modus in acidulis bibendis obſervandus. 183. ad hæc ſacra mens curis & mærore obruta neutiquã afferatur.187.
Acidulæ Carolinæ.202. ſagi.ibid. Egranæ.ibid.
Acidum quid Latinis.167.
Ægrum quomodo accipiatur.13.
Ægrotat parum & raro, qui parum edit & potat.140.
Ænigmata de corde.26.ſeq.
Aër probe temperatus plurimum confert ad curationem calculi.140.
Æſon Theſſaliour ubi juventutem receperit.239.
Affectus & perturbationes animi multum nocent vexatis calculo.143.
Alcool duplex ſignificatio.117.
Alvi durities in calculo levior, quam in paſſione colica.135.
Alvus lubrica utilis in curatione calculi.142.

Amiſſa ſanitas non recte dicitur. 13. ſeq.
Amittere ſanitatem quid ſignificet, ibid.
Amnis die Döpel. 202.
Amygdalæ dulces acres humores ſe- miunt & anodynæ ſunt. 21. 152. amaræ mortem cient quibuſdam animalibus. 169.
Anaſtomoſis epigaſtricæ & mammariæ conſenſus mammarum & uteri cauſa non ſunt. 36. ſeq.
Anaſtomoſis venarum & arteriarum. 38. ſeq.
Anguilla cænarum Helena. 31. laudatur, ibid. ſeq. à piſcibus abſtinere adagiale delirium ibid. ſeq.
Anguillarum generatio. 32. illarum uſus medicus in earum caro aſſa potius edenda & quomodo. 32. ſeq.
Antiphthiſica. 16.
Apes deſcribuntur. 42. ſeq.
Apoplexiæ cauſam neſcivit Galenus, & ejuſdem cauſæ ſecundum Galenum. 7. cauſa proxima & continens. ibid. ejus cauſa non eſt obſtructio cerebri ventriculorum. 8. cauſa verior. ibid. ejus curatio cito fieri debet, ibid. ejus curandæ ſecretum vomitorium eſt. 9. 10. quomodo adhiberi debeat. 10. ejus vehicula. ibid. modus operandi. 10. fit per inſignem corporis commotionem & excitationem cerebri per recurrentes nervos. 11. fit impedita ſanguinis circulatione. 9. ejus fiendi modus ſecundum Fabrum. 8. ejus locus affectus. 7. materia ſecundum Hoffmannum. ibid. ſideratio. ibid.
Aqua quævis, qua cibi elixantur & coquuntur, non prodeſt calculoſis. 141. probatur ulterius. ibid. larvata quæ dicatur Helmontio. 157. principium, nutrimentum ſuſtentaculumque rebus præbet. 158. elementaris quæ. ibid. tertia mundi columna audit. 159. aqua calida & frigida in menſis Romanorum & Græcorum. 247. da mihi calidam, tu frigidam porrige. 200.
Aquam tranſituri precantur. 158.
Aquæ ſanguinis hirci quid proſint. 156.
Aquæ deſtillatæ ſtipticæ non dantur. 109.
Aquæ & Sirupi officinarum cadavera. 71.
Aquarum mineralium laus & virtus. 164.
Aquarum ſalubritas conſiſtit in ſale quodam. 162.
Aquarum ſalubrium mentionem facit S. codex. 162.
Aquas metallicas in potu noxias quinam ſtatuerint. 161. 165.
Arſenicum ſummum venenum. 50. 51. porro probatur. 53. fit optimum medicamen præparatione. ibid. modi præparandi. 54. non tamen intrò aſſumendum etiamſi fixatum. ibid. ſeq. niſi ò corrigitur. 164.
Arſenico curata fuit lepra. ibid.
Arſenicale quid an in acidulis Egranis. 164.
Arthritidis nomen generale eſt. 17. ejus ſpecies ſeu differentiæ non ſunt eſſentialiter. ibid. ſeq. earum cauſæ. 17. 18.

Avellanarum uſum probat Avicenna.153. & quare. ibid. earum crebro uſu quinam liberati fuerint cruciatibus calculi.152.

B.

Bajæ.201. de his proverbium.239.

Balnea conducunt calculoſis.147. ornabantur olim ſimulacris Æſculapii. 195. Badenſia quæ: 239. ſunt ſeminaria Epicuri & Veneris. ibid. Veterum in balneando exceſſus. 253. quæ nocumenta exinde. ibid. moderatus uſus proficuus. ibid. ſitim quomodo ſiſtant. 260.

Balneorum laus. 259. ἔτυμον præſtabile. ibid. valor in curanda hectica. ibid. ſalubritas probatur exemplis. 261.

Bezoardica ☉lare, ☽are, ♂iale laudantur. 50. ſæpe vomitum excitant. ibid.

Bullæ in urina ſignant calculum curatu difficilem. 137.

Die Buſchgrete quid. 218.

C.

Calcinatio philoſophorum quid ſit. 117. ſeq.

Calculus in arteriis. 24.

Calculus veſicæ. 24. aliis in partibus. ibid. in ramo arteriæ venoſæ calculi viſi ab Autore. ib. probatur exemplo. ib. ſeq.

Calculus unde fiat. 133. 155. ejus curatio quomodo inſtituenda. ibid. ſeq. ſigna quotuplicia. 134. prognoſtica & diagnoſtica. ib. interna. 135. externa. ibid. mortis prænuncia. 136. à calculo qui difficulter liberentur. 136. ſigna curandi calculi feliciora. 138. Veris temperies in curando hoc malo multum prodeſt. 140. & diæta. ib quinam cibi eligendi. 141. motus quando inſtituendus. 142. de ſomno præcepta. ib. affectus animi nocent calculoſis. 143. in calculo curando unde initium fecerint veteres. 146. eorum mollientia recenſentur. ib. inunctiones, fomentationes. ib. ſeq. calculum frangentia quæ? 149. aquæ. 150. ſalia. ib. ſpiritus & olea. 152. ſectio & exciſio Calculi quando tentanda. 153. an & quomodo calculus plane removeri queat. 154. remedia calculi ab Autore tradita. 155.

Calculus ex malo hæreditario non facile curatur. 136.

Calculoſi quomodo acidulis uti debeant. 181.

Calida & tenuia cur in Apoplexia proſint. 8. quænam illa. ibid.

Calidæ aquæ olim deliciarum cauſa potabãtur. 246. damnantur à Plinio. 252.

Calidioris naturæ ſæpè melle veſci non debent 44.

Caloris fons ſol eſt. 209. ſeq.

Calor podagricorum. 19.

Calx, bitumen & naphtha an cauſentur thermas. 207.

Cancri an inter cibum numerandi 186.

Caput mortuum Vitrioli nobiliſſimorũ medicaminum medulla. 79. probatur Hornii carmine. 80. ſeq. à ſalſugine nondum liberatum cauſticum eſt. 84. ſeq. Hæmorrhagias ſiſtit. ib. dyſenteriam curat. 84. vi adſtringendi pollet. ib. Spiritus Cephalicus paratur ex eo. ib. vocatur Spiritus Sulphuris Vitrioli. ib. Autor ex eo præparat cephalicum externũ. 85. terra ejus panacææ titulũ meretur. 85. tinctura ſulphuris vitrioli. 86.

Carnes noxiæ quæ. 186.

Catholica medicamenta dantur. 109.

Cautelæ medicæ. 74.

Cavernæ in Campania prope Puteolos.203
Cereviſia an prohibenda ab uſu Acidularum.187.
Chymiæ encomium,212.265. defenditur contra oſores ſuos.213.Chymia eſt naturæ imitatrix feliciſſima,216.
Ciborum delectus an neceſſarius in morbis removendis.140. quinam cibi conveniant acidularum uſui.186.
Circulatio ſanguinis.28.ejus neceſſitas,50
Circulatum majus & minus Paracelſi quid ſit.127.
Circumforanei notantur.55.
Clyſteres immittendi novus modus ab Autore inventus.177. Clyſteres immiſſi an ad ilium perveniant. 177. proſunt iis, qui acidulas uſurpant.175.
Clyſteribus leniuntur dolores calculi.146 quando Clyſteres in veſicam injici debeant. 153. ab Helmontio rejiciuntur. 176.an nutriant.177. eorum laus & utilitas.176.uſum probant hiſtoriæ.192.
Cæna largior conceditur iis, qui bibunt acidulas,non autem prandium.185.
Colica paſſio unde.189. Colica & uteri ſuffocatio iiſdem ſpecificis curantur.110.
Conſenſus ani,uteri & veſicæ.12.13.
Cõſuetudinis magna vis ac dominiũ.242.
Contemplationis & actionis feliciſſimum conjugium.238.
Corpora eorum, qui acidulis uti cupiunt purgantibus prius evacuari debent. 173.
Cor vitæ regia.26.ſumitur pro mente.ib. ſedes omnium animi affectionum. ibid. dicitur bulla pectoris.ib.eſt focus nativi caloris.27. in perpetuo motu eſt.28. cur primum formetur & noviſſimè moriatur.ib.
Craſis quid ſit.15.
Criſis religioſa expectatio Medicum deſidiæ arguit.5.quid ſit.ibid.ſuperſtitioſè expectanda non eſt.ibid.ſi expectari deberet inutilis eſſet Medicina.6.
Croci metallorum vis & efficacia.148.
Crurum ſtupor ſignat calculum.135.

D.

DEi miſericordia deprædicatur.139.
Deſperatio non decet Medicum.
Diaphoretica in balneorum uſu adhibenda.256.
Diagnoſtica ſigna calculi.134.
Diœta utilis in curandis morbis. 140. commendatur ad uſum acidularum. 185.& quare,ibid. ad uſum thermarum. 246. Diœtæ rigorem abſque neceſſitate multi adhibent.33.
Digeſtio & circulatio quid efficiant,46.
Diſcordia Medicorũ morta ægrorũ. 252.
Diſuriæ cauſæ.11.ſeq. curatio.ibid.
Diuretica cur in diſuria non ſtatim adhibenda.12.
Dolor Podagræ acerbiſſimus. 19. quæ cauſæ.ibid.
Dorſi incurvatio eſt ſignum calculi.134.

E.

EBullitionis & fermentationis febrilis cauſæ.91.
Edulia petroſa cauſantur calculum.133.
Egranarum acidularum pater quis. 168. locus.ibid.
Egranæ acidulæ exaruere aliquando. 168. ſunt nitroſæ.170. vitriolatæ & ſulphuratæ aliquantum. 170. verno tempore uſurpantur utiliꝰ.171.quare.172.epilepticis proſunt.193.matutinas horas amant. 175.quibus morbis medeãtur.189.ſeqq. earum varietas in ſolo Egrano.169. antequam adhibeantur hæ aquæ, corpus non ſimplici vice purgantibus eluatur oportet.173.ſeq.Venæſectio non raro ad

carum

earum uſum confert multum.175. à neceſſariis & ſpecificis medicamentis egregiè animantur. 181.182.
Elixir proprietatis commune chaos impuritatis eſt.111.unde dicatur.114. quid ſit. ib. quomodo præparetur.116. ſeq. pulverem philoſophorum denotat. 117.
Elixir proprietatis cur ita dicatur.118.ejus inventor Theophraſtus.119. deſcriptio. 119.modus præparationis.125. doſis.128. communiter quomodo præparetur. 128.
Epilepticis conducunt Acidulæ.195.(ſeq.
Excrementa alvi verminoſa 96.
Exempla in medicina proſunt magis quam præcepta.11.
Exhalationes montium & ſaltuum probè obſerventur.218. multum valent.223.
Experientiæ vis.247.
Experientia ſine ratione nulla, & periculoſa.154.

F.

Facultas naturalis & vitalis Veterū.37.
Febris apoplexiæ ſuperveniens cur bona.8.
Febrium cauſa fermentum ebullitionis
Febrilis paroxyſm9 quid ſit.93.95.(eſt 82.
Febrilis æſtus ſymptoma ſitis eſt.29. quomodo ſedari debeat.ibid.
Fermentationis ſanguinis motus explicatur. 94. ejus ſpirituoſæ fuligines. ibid. ſeq.ſymptomata.ibid.
Fermenti nobilitas.122.
Fervoris præſtantioris gradus à Marte & Venere.234.
Fomentationes quæ adhibeantur in profligatione dolorum calculi.147.
Fons flens & ridens in Phrygia. 198. rejuveneſcere faciens in Hiſpania. 239. molliſſimos lapillos continens prope Numburgum.228. lapideſcens in Clarimonte. 250.
Fontes in Pyrenæis montibus.206.
Fontes temporanei.226.ſeq.
Fontium origo mare.209.
Fulgura & tonitrua ubi & unde oriantur.215.

G.

Gangræna pollicis quomodo curanda.41.medicamenta.ibid.

H.

Helmontius laudatur. 92. clyſteres deſpicit. 176. ejus rationes refelluntur.ib.
Hiſtoria ex Oleario.12.
ἱερὰ λυτρά. 163.
Humectantia quantum proſint in podagra.18.
Humores noſtri duplici vitio infames.243
Humectantia & refrigerantia podagricis conveniunt.17.
Humidum primogenium cum calido innato corde.27.
Hydrops ſæpè ſuboritur poſt thermarum potum.251. Hydropis cauſa.251.

I.

Ignes ſubterranei ubi oriantur, ibi latent mineræ metallicæ & ſalinæ aquæ. 217.Ignis ſubterraneus an cauſa thermarum.205. de hac quæſtione Autoris opinio.206. Ignis effectus laudantur. 92. 93. 216. duplex ad labores Chymicos requiritur.121.122.216.
Intemperies calida à Sole materialis eſt.2.
Intemperies quotuplex ſit.2. ſemper materiam habet.2.ſine materia nō datur.2.3
Inunctiones faciunt ad leniendum calculi dolorem.146.
Jordanis unda nitroſa.163.
Juvenes facilius calculo liberantur, quam ſenes.138.

L.

Lac nutricum febre correptarum ſcatet minutiſſimis vermibus.180.

Lactis defectum reſtituunt diaphoretica. 54. non menſes cientia, ſed potius adſtrictiva. 34. ſeq. & quænam. ibid.
Lapidicina in corpore. 24.
Lentium decoctum lentiſſimum curandi morbillis remedium eſt. 109.
Libido quid ſit. 64.
Linguæ ſqualor in curatione calculi attendendus. 135.
Lipſius laudatur. 18.
Lochia retenta purpuræ cauſa. 109.
Luci & fana gentilium. 202.
Lunæ deſcriptio. 27. ejus phraſes. ibid. humidis dominatur. ib. ſeq. per Lunam Auctor intelligit humidum radicale. 27.
Luxuries nutrix Medicorum. 140.

M.

Macro & microcoſmi conſenſus. 60
Mammarũ & uteri conſenſus cordi tribuendus. 36. quomodo fiat. ib. 36.
Mars omnibus membris robur & vigorem elegantiſſimè infundit. 245.
Materia prima philoſophorum. 115.
Medicamenta ex ſanguine humano ſuſpecta ſunt. 109. Medicamenta dextrè præparanda. 110. deorum manus ſunt. 111. quænam ijs ſint utilia, qui acidulas potant. 182. Medicamenta, quæ in præſervatione juvant, ea etiam continuata & in majori doſi exhibita ægros infallibiliter reſtituere valent. 143. medicamentorum crebra mutatio ſanitatem impedit. 244.
Medicamen vehemens citra noxam vix prodeſt. 244.
Medicaminum multitudo perdit ægrum. 144. longæ commixtiones an proſint. 144.
Medicina non uti ſæpe medicina eſt. 73. multiplex medicamentorum uſus naturæ vim facit, ibid.
Medicina duobus pedibus experientia & ratione incedit. 154. dicitur poëtica & quare. 238. ſanitatis poeſin ſibi imprimis habeat propoſitam. ibid.
Medicinam peperit ratio & experientia. 70. facilius tamen per exẽpla traditur. ib.
Medicus etiam deſperatis morbis ſuccurrere debet. 16. cautè pronunciet, & prænunciet. 56. ſimulare quandoque poteſt. ibid. Medici officium. 14. 264. Medicus invidus odio dignus. 264. Medicus non tam circa facultates quam circa inſtrumenta verſatur. 15. In medico cur non ſemper relevetur ut æger. 139. Medicorum veterum volumen variorum ſimplicium laudatur. 145. eorum methodus in curando calculo. ibid. Medicorum diſcordia ægrorum morta. 252.
Medicinæ duplicata facies. 138.
Mel ferculum hygeiæ ſacrum. 41. inſigne nutrimentum eſt. 42. laudatur. ib. quomodo generetur. 42 43.
Mellificium deſcribitur. ibid.
Mellis optimi nota 4. ejus ſapor. ib. virtutes. 58. menſtruum præbet. ib. vitam prolongat. 12. probatur exemplis. ibid. vulnera & ulcera curat. 44. ex melle & pane ſecalitio lumbrici fiunt. 44.
Mens curis & triſtitia occupata ne afferatur ad acidulas. 187.
Menſes cientia lac minimè augent. 35. probatur. ibid.
Mentiris ut Medicus, ingratum proverbium. 55. competit circumforaneis. ibid.
Mercurius nec proſcribendus penitus eſt, nec crudus porrigendus. 45. Mercurius crudus in Iliaca paſſione adhibetur. 47. ſeq. nocet ob cruditatem mineralem. ib. metalla perforat, ib, quomodo adhiberi debeat.

debeat.48. per ebullitionem Mercurii in aqua ejus character medicus imprimitur,ib. cur noceat.ib. ſeq. ejus nativitas. 48.debitè præparatus ſummum medicamentum eſt.ib. Mercurius ſublimatus accuratè explorari debet.49. ejus præparatā ſine præſentia chymiatri diſpenſanda non ſunt.ib. Mercurius dulcis noxius ſæpe.50. quomodo.51. ſublimatus quotuplex ſit,ib. quomodo adulteretur.51. adulterinus quomodo cum oleo tartari probetur.52. objectionibus reſpondetur. 53. Mercurius naturæ negotiatur. 62. Mercurius in corpore noſtro generatur atque reſuſcitatur.60.ejus cauſa.ib. Mercurii ope metalla inveſtigari queunt.235. Mercurio omnia inventa attribuunt Ægyptii.45. cauſæ.46.47.dux itinerũ.45. ejus virga.ib. vitæ & mortis cauſa eſt.ib.
Metallicas venas inveniendi novus modus & ſigna.218.219.235.
Mineralia cõtrariis pollent virtutibus.165.
Mineralium loca non ſunt feracia arborum & vegetabilium.219.
Mollientia & lenientia in curando calculo quæ.146.
Morbi Herodiani delineatio.255.huic malo quas dederint medelas medici,& quo ſucceſſu.ibid.
Mæror & triſtitia noxia.187.
Morbilli & varioli quomodo differant.88. morbillorum nomen unde,ib. junioribus & fœminis familiares magis ſunt, & cur. 88.ſeq.an veteribus fuerint noti.89.definitio dogmaticorum.89.taxatur.ib,poſt curatos morbillos unde cicatrices.98.
Morbillorum curatio.102.ejus medicamenta.106 ſeq. venæſectio locum non habet. 103. nec purgantia.103.probatur exemplis.104.ſeq. adſtringentia cum bezoardicis valent. 105. morbillos curandi methodus Auctoris.106.quomodo oculi ac nares à morbillis muniendi ſint 105.
Morbus definitur 14. Morbi ante criſin & ſine criſi curandi ſunt.6.
Motus corporis quando inſtituendus. 142.188. prodeſt plurimum ad tuendam ſanitatem. 187. potiſſimum illis, qui acidulas bibunt.187. moderatus tamen eſto.ibid.
Mulſum quid ſit.

N.

NAtura quid ſit.67 definitur.57. eſt ægritudinum curatrix.ibid. ſed etiam morborum effectrix.ibid. probatur exemplo morbillorum. 88.ſeq ſimplex & una eſt.106.
Naturæ benignitas.61.
Nardius ignem ſubterraneum facit cauſam thermarum 205.refutatur.ibid.
Nitrum venena corrigit.51. ejuſdem proſperi effectus.189.
Nitrum Egranarum acidularum pater.168.
Numburgenſes cur rariſſimè calculo laborẽt.228
Numburgenſium tractus mineralium metallorumque ferax.226.
Numburgiſche Wetterſcheide.226.
Numburgenſis cereviſia adhibenda pro potu calculoſis,141.ejus virtus & quæ cauſa.228.
Nutrimentum quid ſit.37.38.
Nutritio & accretio realiter non differunt.39.
Nutritio & vita eadem ſunt. 37. invicem cohærent.ibid.
Nutrix tempore lactationis menſtruari non debet 36.

O.

OBſtructionis viſcerum tollendæ, 12. unde naſcantur. 189.
Occaſio præceps. 5. occaſio anima curationis 171.241.
Oculis ſemper magis credendum, quam auribus in curatione morborum.136.
Odorata quantum præſtent. 34. iis offenduntur mulieres.ib.cur.35.probatur exemplo.35.
Odores ſanationes egregiè perficiunt.17.
Olea,quæ ad curationem calculi faciunt.152.
Onan in deſerto thermas invenit.162.

P.

PAlpitatio & tremor cordis quomodo differant.30.palpitationis cauſæ.29.ſeq.
Palpitatione cordis affecti haud facile inebriantur.30.quæ cauſa.ib.ſeq. valet in omnibus mentis affectibus.ib. Mm Pana-

Panacæa Holſatica.189.
Parentes non raro ſuas infirmitates & morbos transferunt in liberos.136.
Pariendi difficultas quibus medicamentis levetur. 76.cordialia quomodo in hoc negotio operētur ib.ſeq.ptarmicorum uſus.77.vomitoria proſunt. ib.Cauſa operationis.ib. ſeq. ſpecificus jecur & fel anguillæ.73. ad partum ſpecifica.ib. Autoris Lucina ex innominato ſale.79.
Pharmacopœia malè à medicis avulſa.111. incommoda quæ hinc evenerint recenſentur.ibid. ſeq.
Phthiſis Medicorum ſcandalum.110. ſine tuſſi lethalis.15.ejus deſcriptio.ibid.ſeq.
Phthiſici an ad acidulas recurrere debeant.192.
Pillulæ Mercuriales non omnibus promiſcue exhibendæ.52. Pillulæ Autoris proficuæ iis, qui thermas ingrediuntur.257.
Piperis eſſentia ſalutaris illis, qui litant Nymphis Acidulis.182.
Piſces obſonium dicti. 31.in deliciis ſunt. ibid.eorum autoritas.ibid. ſeq. eligi tamen debent qui non noceant. ibid. ſeq. Piſces qui præ cæteris εὔπεπτοι.141.
Plantis non competit ſexus 57.non niſi metaphoricè.58.probatur.ib.erroris origo.ib. differentia aſperitatis & levitatis gradum denotat.ibid.
Plinius damnat calidos potus.252.
Plumbum quando & cur apponatur renibus.146.
Podagra ſolenni pede conſequitur calculum.192.
Podagra deſcribitur.17. ejuſdem cauſæ ibid.ſeq. ejus differentiæ.ib.nomen.ib.ſeq. difficulter curatur. ib. ejus curatio. 20 in qua ad tria reſpiciendum.19.
Podagrici quomodo morbum excuſent.18. quando acidulis & quomodo uti debeant.181.
Pollex unde dicatur.39.40. quomodo δικόνδυλος aut τρικόνδυλος ſit.40 phraſis:utroque pollice laudari; quid ſignificet.39. ſeq. Item: pollicem convertere quid denotet.ibid.ſine pollice artifex non eſt.40. Pollicis præciſio ignominioſa.40.
Pollici tota innititur manus,39 qua ratione. 40.
Porci præſentiunt ventorum exortum.225.
Præcipitans genuinum acida dulcificat.110.
Prognoſtica ſigna calculi.134.
Proteſtatio Autoris.22.
Præſervativa non negligenda.143.
Pulvis quid ſit.117.
Pulveres lithotriptici.149
Pulmonariis an conducat uſus acidularum.192.
Purgantia per accidens vim diureticā habent. 12.
Purgantium efficacia in lotio ſuppreſſo. 11. in calculi curatione quæ adhibenda, 147.ſeq. danda iis,qui thermas amant,243.
Puſtulæ in morbillis quid ſint. 96. quomodo fiant.98.
Puteolanus ager tot habet efficaces aquas, quot ferme morbi dantur.264 quas invidebant quidā medici mortalibus cæteris &quo eventu.264
Putredo morborum cauſa.82. quid ſit.ib. verminoſa cauſa morbillorum eſt.95.verminoſa miaſmata emittit.ibid.quomodo fiat.99. eam efficit natura non ſine intentionis benignitate.96. variæ ejus differentiæ.109.
Putrefactio, digeſtio ac ſolutio continuæ operationes ſunt. 121. eorum præſtantia & neceſſitas. 122. ad putrefactionem requiritur diſpoſitio facta cum humore proportionali. 124. quis ille ſit.ibid.

Q.

Quartanæ ſcandalum Medicina quotidie curari.21 Quartanæ cauſæ 21.ſeq.locus. ibid. in quartana communia purgantia non proſunt, 22.Quartana in juvenibus vita,in ſenibus mors. 23.curatio.ibid.Autoris medicamenta.23.quartanæ cauſa pituita.23. contra quartanam remedia.24.
Quercus in ſaxum indurata.298.

R.

Renum affectiones ſupra quinquageſimum annum non curantur facile.136.ſeq.
Rochas in thermarum ſcrutinio confugit ad mineras caleſcentes.205.
Romani plurimum indulgebant thermis, 199.
Roſa Hierichuntea ſpecificum ad partum,78. Roſa hyſtericis exoſa.33.ſeq.laudatur.ib.ſeq.
Rulandus ſcripſit 3.Bücher von Waſſerbädern/ Aderlaſſen und Schröpffen.231.

S.

Saccharata non conducunt ex calculo laborantibus.141.
Sal rerum robur vitale continet. 67. laudatur ib.233.definitur.232.naturæ corpus eſt. ib. ſubſtantia incorruptibilis.68.ſiccum radicale eſt. 68.naturæ balſamus.ib. cauſa efficiens omnium energiarum.ib. itemque fertilitatis, & quam ob cauſam.

cauſam,68.69. attrahit ſal ex aere.69. ejus uſus communis.69.70.in ſacrificiis.ib. menſæ anima eſt.70.in ſale ſalus medica.70.Certi alicujus ſalis ſpiritus fixatus & dulcificatus ſummum arcanum, 71. ex eo Mercurius aurum ſolvit ibid. commune laudatur. 71. ejus ſpiritus cauſa obſervationis rerum. 72. ſalia per incinerationem laudantur. ibid. hæc à lixivioſo ſapore liberanda ſunt & fiunt cryſtallina. ib.aquæ & ſirupi iis condiri debent. ib. ubi ſalis ubertas ibi ſalubritas. 162. ſal nitri acidum & fugax.167. ſal omnibus thermis adeſt.231. ſal abundans confert ad generationem calculi. 133. de ſale ænigma.230. in thermis diverſitas. ibid. acriora & dulciora ſunt à defectu & exceſſu humoris ac caloris.232.ſeq. ſal petræ calore ſcatet. 233. ſalis valor & œſtimium apud Hebræos, 233.Hiſpanos.ibid.

Sanguis vitale nutrimentum. 38. ex naribus verminoſus.96.acutiſſimè febricitantium ſcatet minutiſſimis vermibus. 180. vehiculum & ſedes animæ.178.pro vita ſæpè accipitur.178.ſanguine non raro tingendæ aræ Nympharum acidularum.175. quando ſanguis ſcorbuticam putredinem contraxit, mittendus.ibid. attamen id non intempeſtivè & immodicè fieri debet.179. corruptio an detur in homine vivo.179.in illorum, qui lepra aut lue venereâ laborant fœtore gravis.ibid.

Sanitas in ægris ex parte reſidua eſt.14. definitur, ib.ex ſanitate.25.per hoc effatum quid intelligat Ariſtoteles.ibid. retenta gratior eſt,quam reddita.139.

Sanitatis laus. 1. ejus cognitio ad morborum cognitionem multum facit.25.

Sanitas crebra medicamentorum mutatione impeditur.244.

Scarificatio utilis utentibus acidulis egranis.180.

Semina uſitata contra morbillos pernicioſa. 109.

Senes à caculo non facilè liberantur.136.

Signa calculi.134.quotuplicia.ibid.

Signa diagnoſtica & prognoſtica 100.101.

Sitis in febribus malignis deficiens malum eſt. 29.& cur.ibid.

Sol deſcribitur.27.

Solutio in genere quid ſit. 123. naturalis ac vera quomodo fiat.ibid.

Somnus nimius vitandus,142,meridianus nocet. ib.Somni laus.20.

Spadæ laus & vires.245.

Specificum cephalicum partum ſecundat.74. narratur de hac re hiſtoria.75. ſeq. cauſa effectus. 76.adverſatur omnibus morbis capitis.75. præprimis epilepſiæ. ibid. imò multis aliis affectibus ratione zinnabaris antimonii.ibid.

Spiritus vitæ.38. univerſi.124.128. minerales deſtillandi modus ſingularis.72. Vitrioli.83. ejus uſus.ib nocet affectibus pectoris.ib.ſeq.quotidiè adhiberi non debet.ib. corporis noſtri quomodo generentur.94.

Stannum quomodo præparetur.63.

Stomachus crudus ad acidulas non afferendus. 173.plenus omne genus mali eſt. 240. remedia in apoplexia proſunt.10 11.

Sudoriferum maximum Fabri medicamentum eſt 62.nimis crudum videtur.63.imò nocivum. ibid.corrigitur tamen nitro.63.ſeq. de Mercurio vivo & ſublimato corporaliter non participat. 64.65 ab iis ſaltem odor eſt,65. ſeq. cautelæ in ejus præparatione. 65.ſeq. ejus virtutes & doſis.ibid.

Sirupi & aquæ officinarum cadavera.71.

T.

Temperantia commendatur podagricis. 20, 21.& his qui thermas colunt.246.

Temperamentum quid ſit.14.ſeq. eſt anima medica,ibid. ejus ſynonyma.ibid.alteratio.15.cognitio neceſſaria.ibid.

Terræ motus & everſionum cauſa. 223. exempla.ſeq.

Thermarum ἔτυμον.200.homonymia.ibid. ſynonymia 201.contenta,229. inter quæ ſal primas tenet.230, ſecundum vero locum venæ metallicæ.234 tertium tophus & calx. 236. thermarum cauſa efficiens ſol.210. quod negat Alexandrinus 214.refutatur.ibid. earum uſus an conducat calculoſis.153. ſalutares Dei manus.259. quædam tempore autumnali multum de calore ſuo remittunt.212.earum multitudo.199.rudera. ib. quot in Germania? 199. omnes neceſſariò ſal continent.231.ſeq.earum abuſus 239.calor efficax.260. cautelæ circa thermarum uſum. 240. regulæ ad earum uſum probè neceſſariæ, 254. 258. de uſu præpoſtero Italorum proverbium. 242.exinde triſtia fata. ib. medicamenta porrigenda illis,qui ingrediuntur thermas, 243 256. non penes omnes ſalinas aquas thermæ repeiuntur.232,

INDEX.

Thermæ lapideſcendi vim habent. 250. pro balneis uſurpantur felicius, quam pro potu. 252. corpore evacuato eas ingrediantur, qui ſalutarem uſum ſperant. 242. & quare. 254. adeò ferventes uſui non ſunt. 258. piperina. 212. artificiales quomodo parandæ. 213. quibus dicatæ. 239. vocatæ à quibuſdam Lupanariæ. 239. Carolinæ. 199. earum ſitus. 201. inventio. 203. laus & vires. 245. immunitates. ib. utilitas. 262. cauſam indagare difficile. 205. ante Carolinas thermas acidulæ Egranæ commendantur. 244. eas uſurpandi ratio genuina. 240. uſurpaturi complexio advertenda. 241. ingreſſuris thermas alvus ſit laxa, & quomodo laxanda. 244. ſale abundant Carolinæ. 231. croco Martis ſcatent. 235. an potui ſint tempeſtivæ. 247. vim lapideſcendi habent. 251. Thermæ Leucenſes. 231. Aponinæ in Italia. 236. Neronianæ. 195. 199.

Thermalium aquarum continuus affluxus unde. 236. utilitatem derogare, temeritas eſt. 238.

Thermopolia. 200.

Thermopotare an tutò liceat. 251. qui thermas bibunt, purgantia non præmittunt. 248. quodnam tempus obſervandum ib. quomodo bibendæ thermæ ib. quibus proſint, quibus noceant. 248. hydrops non raro thermopotantibus ſuboritur. 251.

Thermopylæ in Græcia. 200.

Teſticulorum verſus ſuperiora retractio eſt ſignum calculi. 135.

Tiberius Nero ſcommate olim notabatur. 247.

Triſtitia & mæror nocent plurimum. 187.

Tuſſis in phthiſi quomodo fiat. 16. non protinus arceri debet. 15.

V.

VEgetabile ex vivi hominis corpore progerminans. 58. 59. probatur rei veritas. 60. objectionibus reſpondetur. ib. inter prodigia hiſtoria illa numeratur. 61.

Venena juſta præparatione immutata fiunt pharmaca. 163.

Venæſectio notatur. 73. in morbis acutis maledicta eſt. 102. ſeq. in calculo curando adhibenda. 147. illis, qui acidulis Egranis utuntur perutilis. 178. 180.

Venerea lue laborantes an aliquid auxilii inveniant in acidulis. 193.

Venti hyberni unde oriantur. 224.

Ventorum cauſa & origo. 220. venti plerique particulares. 221. eorum ſodalitium. 221. vehementiorum demonſtratio. ibid. ſeq. in ventis interdum aliquid divini. 223. ventorum exortum porci præſentiunt. 255. omnis ventus ex terra. 225 probatur hiſtoria. 225.

Venus vitanda calculoſis. 142. probatur exemplis. 143.

Vermiculi minutiſſimi in ſanguine & lacte febricitantium. 180. unde. ibid.

Vetulæ deſcriptio. 23.

Vigiliarum diuturnitas quantum noceat. 20.

Vini laus 3. ſeq. ejus vitium tranſit in remedium. 4.

Vinoſi fontes Græcorum. 168.

Vinum quod dandum ex calculo ægrotanti. 141. interdum acidulis admiſcetur. 182.

Virgula divinatoria die Wünſchel-Ruthe. 217. decipit ſæpe metallarios. ibid.

Virtus non ſufficit ad bene vivendum.

Vita eſt, non vivere, ſed valere. 1. pro victu ſeu nutritione ſumitur. 38.

Vitriolum quarta pars Medicinæ. 7. putredini reſiſtit. 62.

Vitrioli ſalis laus & uſus. 9. 10.

Unguentum patientiæ. 21.

Vomitoria inter corporis evacuationes numerantur. 148.

Urtica deſcribitur. 96. quomodo pungat. ibid. ſeq.

Uterini inſultus tolluntur panacea Holſatica. 190.

Uterus deſcribitur. 34. eſtque omnium effectuum centrum. ibid. excrementorum receptaculum. ibid.

Ulceris præſentia indicat deſperatam calculi curationem. 137.

W.

Wetterſcheide prope Numburgum. 226.

X.

XEnocratis præceptum de non edenda carne. 186.

F I N I S.